Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
1
38 -C
10
ROMA

Digitized by Goog

5-6

3 - 191

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIARES

LIBER

IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

TOMUS II.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & I. BLAEU,

Proſtant apud WOLFGANG, IANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS.

M DC LXXXXIII.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM

LIBER IX.

AD M. TERENTIVM VARRONEM

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Varronis adventum expetit; quod in ejus potiſſimum conſuetudine & ſermone ſpem doloris leniendi, quem capiebat e rerum publicarum interitu, aliquam repoſuerit. Scripta Caeſare tertium & Lepido coſ.

M. T. CICERO M. TERENTIO VARRONI, S. D.

EX his litteris quas Atticus a te miſſas mihi legit, quid ageres, & ubi eſſes cognovi: quando autem te viſuri eſſemus nihil ſane ex iiſdem litteris potui ſuſpicari. In ſpem tamen venio appropinquare tuum adventum, qui mihi utinam ſolatio ſit: etſi tot tantiſque rebus urgemur, ut nullam allevationem quiſquam non ſtultiſſimus ſperare debeat: ſed tamen aut tu potes

tes

QVas *Atticus a te miſſas mihi legit*] Quidam pro *A te, ad ſe*, legunt. Antiquus codex *ad te* corrupte: & ex quo utraque lectio, ſi aliquantulum eam adjuves, confirmari poteſt. Ego non aſpernor *ad ſe*. Quin enim Varronis eſſent literæ, ex iis, quæ ſubjungit, dubium eſſe non poteſt: conſuetudo autem eſt dicere ad quem literæ miſſæ ſint. *Victorius.*

Ut nullam allevationem] Pal. ſextus, quem librum ſicut & Tuſculanum Quartum, in Germania ſcriptum eſſe, diverſitas a libris Italicis indicat, præfert *ut nullam alleviationem*. ſicut & alibi verbum *Allevio* ex aliis libris notavimus. Gloſſæ: *Adleviant κουφίζουσι.* Principio quoque epiſtolæ legit; *Quas Atticus ad ſe miſſas mihi legit:* unde Lambinus forte ex ſimili ſcriptura alicujus libri, *quas Atticus a te ad ſe miſſ.* quod ego non ſequor. *Gebh.* Amſterodam. ſubſcribit vulgatis. *Alleviatio* vero & *allevio* ſunt librariorum ſphalmata, aut barbarorum ſeculorum impuriſſimæ fæces.

tes me, aut ego te fortaſſe aliqua re juvare. Scito enim me, poſteaquam in urbem venerim, rediſſe cum veteribus amicis, id eſt, cum libris noſtris in gratiam. etſi non idcirco eorum uſum dimiſeram, quod iis ſuccenſerem: ſed quod eorum me ſuppudebat. Videbar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſiſſem, praeceptis illorum non ſatis paruiſſe. Ignoſcunt mihi, revocant in conſuetudinem priſtinam, teque, quod in eo permanſeris, ſapientiorem quam me dicunt fuiſſe. Quamobrem quum placatis his utor, videor ſperare debere, ſi te viderim, & ea quae premant, & ea quae impendeant me facile tranſiturum. Quamobrem ſive in Tuſculano, ſive in Cumano ad te placebit, ſive (quod minime velim) Romae: dummodo ſimul ſimus, perficiam profecto, ut id utrique noſtrum commodiſſimum eſſe dijudicetur.

In urbem venerim] Pompeio in acie Pharſalica ſuperato. *Corrad.*

Infideliſſimis ſociis] Mihi, qui apud illos niſi cum capitis periculo libere loqui non poteram. *Idem.*

Et ea quæ impendeant, me facile tranſiturum] Locus non genuinus; unus ex Gulielmianis, *me facile ſciturum:* unde ille conjicit, *ſubiturum.* Palatinus ſextus: *quæ impediant, me facile laturum.* Gebh. Recte ſe habet vulgata lectio, quam etiam firmat Amſterodam.

Sive in Tuſculano, ſive in Cumano ad te placebit] Alii emendarunt *Adeſſe tibi placebit,* locum explanare cupientes: nos veterem ſcripturam (ut arbitror) ſinceram & incontaminatam repoſuimus *Ad te,* id eſt, apud te, & in tua villa: habuit enim & M. Varro villam in Cumano, quod ex procemio Academicorum ad ipſum miſſorum colligitur. *Victor.* *Ad te placebit*] Ita Pal. primus, Vaticani, Peckio excerpta: Streech. [nec non Amſterod.] editio Victorii ac prima; Pal. tamen ſextus: *adire placebit.* vulgo excudebatur: *ſive in Cumano adeſſe tibi placebit.* Gebhard.

Ut id utrique noſtrum commodiſſimum eſſe dijudicetur] Extrema dictio hujus epiſtolæ in impreſſis anceps eſt. & *videatur* enim, & *dijudicetur* legitur. Quod ortum eſt ab incerta vetere ſcriptura. In antiquiſſimis enim *dividetur* eo loco legitur. Quæ vox cum aliquantum perverſa ſit, quidam duabus litteris interjectis *dijudicetur* reſtituunt. Sæpe enim aliqua ſyllaba truncatæ & diminutæ aliquæ dictiones reperiuntur incuria librariorum. Alii melius legi credunt *videatur.* Nos priorem opinionem ſecuti ſumus, quia non nimis ab antiqua lectione diſcedit. *Victorius.* Vulgatum erat: *videatur.* ſed quam lectionem introduximus, habemus ac debemus Palatino ſexto, Vaticano, unique ex Gulielmianis, Victorii denique editioni. Pal. primus *dividetur.* quatuor Gulielmio conſulti, & editio princeps *videbitur.* [ſic & Amſterod.] *Gebhard.*

EPI-

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Diutius retentae epiſtolae cauſſam exponit: ſuadet, quod ſibi quoque ſtatutum affirmat, ut hominum frequentiam vitet, dum gratulatio, quae propter Africanae victoriae nuncium fiebat, deferveſcat: cauſſam affert, cur in urbe maneat: ſuumque juvandae quoquo modo reip. deſiderium declarat. Scripta eodem anno.

CICERO VARRONI.

Caninius idem tuus & idem noſter, cum ad me perveſperi veniſſet, & ſe poſtridie mane ad te iterum eſſe dixiſſet, dixi ei me daturum aliquid mane; ut peteret rogavi. Conſcripſi epiſtolam noctu: nec ille ad me rediit. oblitum credidi. Attamen eam ipſam tibi epiſtolam miſiſſem per meos, niſi audiſſem ex eodem, poſtridie te mane e Tuſculano exiturum. At tibi repente paucis poſt diebus, cum minime exſpectarem, venit ad me Caninius mane: proficiſci ad te ſtatim dixit. etſi erat ἕωλος illa epiſtola, praeſertim tantis poſtea novis rebus allatis, tamen perire lucubrationem meam nolui, & eam ipſam Caninio dedi. ſed cum eo, & homine docto,

Caninius idem tuus & idem noſter] Nulli antiqui codices habent *tuus*, quare nos quoque prætermiſimus, elegantius ſine ea voce locum & legi & intelligi putantes. Nam quod paullo poſt, pro *nuper veſperi*, *perveſperi* ſcripſimus, vetuſtorum id quoque exemplarium auctoritati tribuimus. Auget autem *per*, ut ſero admodum dicat eum veniſſe. Et cum ſe mane poſtridie dixiſſet proficiſci velle, docet ſe vix tempus habuiſſe ad ſcribendam epiſtolam. *Vict. Can. id. & id. noſter*] Hæc eſt Medicei codicis cum aliis, quos vidi, manu ſcriptis lectio, jam tunc a nobis reſtituta: quam veriorem credimus, quia eadem eſt in indice ante librum illum poſito, unde facile exiſtimari non poteſt, culpa librarii hoc commiſſum eſſe, cum duobus locis nulla varietate eadem verba ſcripta ſint. Nam quomodo locus ille de divinatione ſimilis priſtinæ hujus loci lectioni dici poſſit, cogitent doctiores. *Idem.* Vtramque lectionem firmat Pal. primus & Amſterod. In priore tamen ne recedamus a vulgata ſenſus exigit. *Gravius.*

At tibi repente] *Tibi* abundat elegantiæ cauſſa ut ſæpe. vide Manut.

Proficiſci ad te ſtatim] Forte: *proficiſci ſe ad te ſtatim.* Lambin.

Sed cum eo & homine docto] Mss. nonnulli *ſed cum eo & cum homine docto.* ſed eſt hic librariorum error, qui perperam *cum* repetierunt, quem non contra Latinæ linguæ conſuetudinem debuiſſent ſequi viri docti, & id *cum* ſuis in-

docto, & tui amantiſſimo locutus ea ſum, quae pertuliſſe illum ad te exiſtimo. Tibi autem idem conſilii do, quod mihimetipſi, ut vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſimus. Qui enim victoria ſe efferunt quaſi victos nos intuentur. Qui autem victos noſtros moleſte ferunt, nos dolent vivere. Quaeres fortaſſe, cur, cum haec in urbe ſint, non abſim, quemadmodum tu. Tu enim ipſe, qui & me, & alios prudentia vincis, omnia, credo, vidiſti: nihil te omnino feſellit. Quis eſt tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat? Ac mihi quidem jam pridem venit in mentem, bellum eſſe aliquo exire, ut ea, quae agebantur hic, quaeque dicebantur, nec viderem, nec audirem. Sed calumniabar ipſe. putabam, qui obviam mihi veniſſet, ut cuique commodum eſſet; ſuſpicaturum, aut dicturum, etiam ſi non ſuſpicaretur, hic aut metuit, & ea re fugit, aut aliquid cogitat, & habet navem paratam. Denique, leviſſime qui ſuſpicaretur, & qui fortaſſe me optime noviſſet, putaret me idcirco diſcedere, quod quoſdam homines oculi mei ferre non poſſent. Haec ego ſuſpicans adhuc Romae maneo: & tamen λεληθότως conſuetudo diuturna callum jam obduxit ſtomacho meo. Habes rationem mei conſilii. Tibi igitur hoc cenſeo: latendum tantiſper ibidem, dum deferveſcit

haec

inſercire editionibus. aut legend. *ut cum homine docto*, aut *cum* expungendum cum editionibus antiquioribus Manutii, Lambini, & aliorum. *Gravius.*

Quis eſt tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat] Quis eſt tam prudens, qui in tanta rerum perturbatione non peccet interdum. *Lynceus* eſt per ἀντονομασίαν qui acerrimo oculorum eſt ſenſu præditus, qui longe providet, ſive id oculis faciat, ſive mente. *Nihil offendere* eſt non offendere. Cic. IV. Tuſc. *Æmulatio autem dupliciter quidem illa dicitur, ſed eo nihil hoc loco utimur.* Superius lib. 5. ep. 20. *Moleſte tuli, non illa beneficia tua potius ambitioni reſervata eſſe, quam mea, qui ambitione nihil uterer.* & ſæpe in locis aliis.

Sed calumniabar ipſe] Videtur deſiderari *me*, ut ſit calumniabar ipſe me. *Lambin.* Ipſe falſa hac ſuſpicione me morabar, impedimentum mihi objiciebam. Sic *calumnia* ſuperius l. 1. ep. 1. & lib. VI. ep. 7.

Conſuetudo diuturna callum jam obduxit ſtomacho meo] Hoc eſt, jam longa malorum patientia dici omnia ferre, omnes indignitates concoquere: nulla re moveor amplius. ſup. lib. IV. ep. 5.

Dum efferveſcit hac gratulatio] Stabilitur hæc Victorianæ editionis lectio Pal. texto, Hittorpiano, editione principe. Inclinat Palatinus primus; *dum hac ferveſcit gratulatio.* erit autem *efferveſcere* ſicut *exſævire* Livio, aliis *eludere*, *expatrare*, ubi ſemper præpoſitio fi-

nem

haec gratulatio, & ſimul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum ſit. confectum enim eſſe exiſtimo. Magni autem intererit, qui fuerit victoris animus, qui exitus rerum. quamquam quo me conjectura ducat habeo: ſed exſpecto tamen. Te vero nolo, niſi ipſe rumor jam raucus erit factus, ad Bajas venire. Erit enim nobis honeſtius, etiam cum hinc diſceſſerimus, videri veniſſe in illa loca ploratum potius quam natatum. Sed haec tu melius: modo nobis ſtet illud, una vivere in ſtudiis noſtris: a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc vero etiam ſalutem: non deeſ-

ſe,

nem ferme intelligitur. alias: *dum deferveſcat hac gratulatio.* Gebhardus. *Efferveſcat* habet etiam Amſterodam. Sed cum *efferveſcere* plane contrarium ſit τῷ *deferveſcere*, nec uſquam ita poſitum reperiatur, ut *exſævire*, *eludere*: *Efferveſcere* enim ut *excandeſcere*, eſt vehementer incipere fervere; cumque Ciceroni in illa notione pro imminui *deferveſcere* frequens ſit, nullus dubito quin oſcitantia ſcribarum perierit primo *d*, dein ex *eferveſcit* exſtiterit *efferveſcit*. Recepi itaque lectionem, quam Manutius, Lambinus, aliique fere omnes ante Victorium præ ſe ferunt, & ipſa ratio linguæ Latinæ nobis probat. *Grævius.*

Hæc gratulatio] De bello Africano, ex Cæſaris ſententia confecto. *Corrad.*

Niſi ipſe rumor jam raucus erit factus] Niſi rumor de victoria Cæſariana jam cœperit imminui, evaneſcere, ſive, ut Tacitus loquitur, ſeneſcere.

Modo nobis ſtet illud] Hoc modo nobis fixum ſit; hac ſententia nunquam nos patiamur demoveri. Virg. XII Æn.

Stat conferre manum Æneæ, ſtat quicquid acerbi eſt
Morte pati.

Sic & *ſedere*. Florus: *Cum bellum ſederet.* Virg. V. Æn. *Idque pio ſedet Æneæ, probat auctor Aceſtes.*

A quibus antea delectationem, modo ſolatium petebamus, &c.] Sic ante in cunctis vulgatis legebatur. Miror olim qui ab antiquis codicibus deſcripſerunt, apertam elegantemque admodum lo-cum non intellexiſſe, & maluiſſe nonnullis additis dictionibus ſententiam totam contaminare & labefactare, quam planam & genuinam ſequi. Noſtram lectionem tam lucidam eſſe arbitramur, ut nihil eam opus ſit amplius confirmare. Illi tres voces inculcaverant, punctum ſuo loco moverant, & ubi minime conveniebat, collocarant, ordinem duarum dictionum mutaverant, adeoque totum hunc locum corruperant, ut ægre ferendum ſit tantam eſſe imperitorum audaciam, quæ omnia perturbet & evertat. Nam quam frigida ſit ſententia, quam ex illis verbis eliciebant, vix dici poteſt. Optima eruditorum ingenia facile cognoſcent. Nos hic nullum alium laborem ſuſtinuimus, niſi dum accurate unius tantum literæ perverſio in antiquo codice cogitamus quomodo corrigenda ſit. inſederat autem quicquid erat vitii in hoc vocabulo *potius*: *patius* enim in Mediceo, & in melioribus legebatur, atque hoc eo libentius admonere placuit, ut videant eruditi lectores tam parva perverſio in antiquis codicibus quam magnos errores pariat. Nacti enim eam occaſionem ſiniſtri quidam correctores, dum parvam maculam delere volunt, totas ſententias lacerant, & divellunt. Per ea autem verba, *Et potius libenter accurrere*, quaſi reprehendit ſeipſum, & quaſi caſtigat ſegnitiem verborum ſuperiorum *non deeſſe ſi quis, &c.* Dicit enim non eſſe expectandum dum vocentur, imo ſi parvam aliquam inclinationem Cæſa-

ſe, ſi quis adhibere volet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros, ad aedificandum rempub. & potius libenter accurrere: ſi nemo utetur opera, tamen & ſcribere, & legere πολιτείας· & ſi minus in curia atque in foro, at in litteris & libris, ut doctiſſimi veteres fecerunt, navare rempub. & de

ris ad meliorem civitatis ſtatum conſtituendum viderint, debere ultro ſe offerre, & lil-enter accurrere. Qui autem vulgatam lectionem ſequebantur, illud *modo* pro *nunc* poſitum credebant, ut illi adverbio *ante* reſponderet: nos pro *tantummodo* intelligimus. Eſt autem eadem ſententia iiſdem pene verbis pronuntiata in extrema epiſt. ad Ampium. *Sed eſt unum perfugium doctrina, ac litera, quibus ſemper uſi ſumus, qua ſecundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam ſalutem.* Sed ut hæc certa, & firma putamus, ſic locum paullo infra illum *navare Reip.* corruptum eſſe arbitramur. *Victor.*

Ad adificandam remp.] Stewech. & Amſterodam. *ad adificandum rempublicam.* quod procul dubio ſcioli mutarunt, qui tritiſſimum hoc loquendi genus ignorarunt. de quo non nihil notavimus etiam ad Juſtinum. *Grav.*

Navare Reip.] Antiqui libri mendoſi ſunt hac parte, nullo enim ſenſu habent *Gravare remp.* Verbo autem illi *gravare* qui locus hic eſſe poteſt? Nos nihil cui acquieſcamus excogitare potuimus: ingenioſiores videbunt attentius, an ex his veſtigiis poſſint ſinceram lectionem indagare. Nos communem lectionem ſuſpectam habemus, melioremque omnino quærendam exiſtimamus. Poſtquam hæc adnotavi, ſcripſit ad me Mar. Cervinus (de cujus eruditione & amore in me paulo ante locutus ſum) ſe vidiſſe librum manu ſcriptum Bernardini Maphæi nobiliſſimi, & ſtudioſiſſimi juvenis, qui *juvaret remp.* ſcriptum haberet. Quam lectionem non contemno, nec valde probo: quomodo enim poteſt aliquis in literis & libris prodeſſe Reip.? agendum profecto eſt aliquid ab eo, qui velit Reip. afflictæ ac perditæ utilitatem & opem adferre. Poſtquam ut conſtitueram ſilere non potui, ecce quomodo hunc locum legi non inepte poſſe putem: conjecturam autem ex antiquis veſtigiis duco, *At in literis & libris (ut doctiſſimi veteres fecerunt) gubernare Remp.* Cum inquit curia & foro excludamur, ut nullo pacto poſſimus aliquid in Repub. agere, & ejus quemadmodum conſueveramus, clavum tenere, poterimus in literis & libris Remp. gerere, eam ſc. quam nos fingemus, & ingenio noſtro ad optimum ſtatum conformabimus. *Victor.* Priſcam hujus loci ſcripturam jam pridem notam fecimus, & quid turbatum in ea eſſet docuimus, ac pene inviti ac coacti: tamen quandam ſuſpicionem noſtram expoſuimus, cui nihil nunc addimus, niſi quod locus eſt in proœmio ſecundi libri de Divinatione, qui huic ſimilem, vel eandem potius ſententiam habet; illum igitur adſcribam, videtur autem mirifice hanc ſententiam adjuvare. *In libris enim ſententiam dicebamus, concionabamur, Philoſophiam nobis pro Reip. procuratione ſubſtitutam putabamus.* In communi lectione manifeſtum vitium. quomodo enim recte *navare Reip.* dictum eſſe poſſit, niſi intelligatur opus, aut ſtudium, non video: hoc autem nimis durum. *Idem.* *Navare operam reip.*] Alii aliter: ego ſic hunc locum reſtituendum cenſeo. nam quod in libris manuſcriptis pleriſque legitur, *navare remp.* erratum eſt librarii ſcriptoris: qui cum ſcribere deberet, *navare operam reip.* ſcripſerit, *navare ram reip* vel, *navaram reip.* Lambin. *Navare remp.*] Ita legi duobus in libris ſuis teſtatur Manutius; quamvis ille mendoſum putet. Ego in pluribus libris ſic ſcriptum fuiſſe ſcio, aut *gnavare*, unde in Pall. duobus atque

etiam

& de moribus, ac legibus quaerere. Mihi haec videntur. Tu quid ſis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit ſi ad me ſcripſeris.

etiam Victorii libris *gravare* deſcriptum fuerat. certe, quin *navare remp.* probum ſit, non dubito. nam (ut docti dudum notarunt) & apud Tacitum *bellum alicui navare*, & apud A. Gellium *navare Philoſophiam* in v. c. legitur. *Gebhard.* *Navare reſp.* plerique recentiores editi, ſed vetuſtiores ut & MSS. *gravare remp.* Gebhardus, *navare remp.* procul dubio rectiſſime. Nam MSS. *gnavare*, ſic enim ſcribebant pro *navare*, ut *gnatus* pro *natus*, *gnavus* pro *navus* converſum eſt in *gravare* imperitia librariorum. *Navare* autem *remp.* cur non æque bene dicatur pro reipublicæ præſtare aliquid utile, quam *navare aliquid*, quod legitur lib. VI. ad Varron. ep. I. *Nemo eſt tam afflictus, qui ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, non poſſit navare aliquid, & efficere*, & *navare benevolentiam* lib. III, ad Att. ep. 10: *Ut, cum hic tibi ſatisfecerimus, iſtic quoque noſtram in te benevolentiam navare poſſimus.* & *flagitium navare* apud Tacit. IV. Hiſt. 59: *Caeteros, ut quiſque flagitium navaverat, præmiis attollit.* Apud eundem eſt *navare bellum Veſpaſiano*, & apud Cic. XV. ad Att. *navare ſtudium Bruto*, & *operam navare* pro Cælio: *ſed ſi me audiant, navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis ſe rebus oſtentent.* Quod hic autem dixit *navare rempublicam*, ſcilicet civibus ea lecturis, hoc in epiſtolis ad Atticum lib. IX, ep. II. dicit, *πολιτικὸν opus efficere & navare ſc. reipublica.* Hanc lectionem autem aſſerunt MSS. duo Manutii, & Pall. complures. Amſterodam. *gravare rempublicam.* Græv.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Iturum ſe ad Varronem ſignificat: quamquam fore videat, ut ab hominibus uterque reprehendatur: quaſi turpe ſit, miſerrima civitate, villarum amoenitatem quaerere. ſe tamen contemnere ait ſermones hominum indoctorum, & in ſtudiis omnino cum Varrone victurum.

CICERO VARRONI.

ETſi quid ſcriberem non habebam, tamen Caninio ad te eunti non potui nihil dare. Quid ergo potiſſimum ſcri-

ETſi quid ſcriberem non habebam, tamen Caninio ad te eunti*] Ita olim emendavimus, & auctoritate veterum codicum moti, qui hujus lectionis non parva veſtigia retinent, & elegantiore hoc ſermone delectati. Mediceus igitur liber, ut alios taceam, *Tamen animo ad te eunti.* Quod ſi primam literam hujus nominis illi voci addas, & ex penultima duas facias, qui error proclivis eſt, prorſus *Caninio* effeceris. Quod ſi cui audax meum incœptum videtur, cogitet eundem librarium eodem pacto non multo poſt in eodem nomine ſcribendo peccaſſe: ubi enim in impreſſis omnibus *Caninius* legitur, *Sol plus facie, quam* Caninius *mandavit*, in Mediceo, *Animus mandavit.* Quemadmodum olim feci de hac tenui animadverſione, nunc verbum non feciſſem, niſi Ma-

ſcribam? quod velle te puto, cito me ad te eſſe venturum. Etſi vide, quaeſo, ſatiſne rectum ſit, nos hoc tanto incendio civitatis in iſtis locis eſſe. Dabimus ſermonem iis, qui neſciunt nobis, quocumque in loco ſimus, eundem cultum, eundem victum eſſe. Quid refert? tamen in ſermonem incidemus. Valde id, credo, laborandum eſt, ne, cum omnes in omni genere & ſcelerum & flagitiorum volutentur, noſtra nobiſcum, aut inter nos ceſſatio vituperetur. Ego vero neglecta barbarorum inſcitia, te perſequar. Quamvis enim haec ſint miſera, quae ſunt miſerrima, tamen artes noſtrae neſcio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur, quam olim ferebant: ſive quia nulla nunc in re alia acquieſcimus, ſive quod gravitas morbi facit, ut medicinae egeamus, eaque nunc appareat, cujus vim non ſentiebamus, cum valebamus. Sed quid ego nunc haec ad te, cujus domi naſcuntur? *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας.* nihil ſcilicet, niſi ut reſcriberes aliquid, me exſpectares. ſic igitur facies.

Manutii vulgarem lectionem meae, non inſipienter excogitatae, praepoſuiſſent. *Victorius.* Omnes fere libri veteres, & aliquot vulgati, habent, *tamen amice ad te eunti, &c.* quomodo olim edidimus. Sed nunc P. Victorii conjecturam ſequimur, *tamen Caninio ad te eunti, &c.* Lambin.

Valde id credo laborandum] Ironia, qua corrigit ſuperiorem proximam ſententiam.

Barbarorum] Indoctorum. & fortaſſe Caeſarem mordet, qui Barbaris etiam civitatem dediſſet. *Corradus.*

Quia nulla nunc in re alia acquieſcimus] Vid. lib. IV. ep. 3. & hujus libri 2.

Ut medicina egeamus, &c.] Sic olim edidi: quamvis non negem me in pleriſque libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſe, *medicina egeamus.* Sed nunc malueram veterem ſcripturam ſervari. *Lambin.*

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

De Varronis adventu, ex Diodoti dialectici ſententia, jocatur. nam in libro de Fato, Diodoti opinionem improbans, Chryſippo aſſentitur. Eodem anno.

CICERO VARRONI, S.

ΠΕρὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire. ſin autem non es,

Π*Ερὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν*] Cum ad Varronem virum eruditiſſimum ſcribat, quaeſtionem illam obſcuram tangit, quam *περὶ δυνατῶν*

es, τῶν ἀδυνάτων eſt te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππεία ne an haec, quam noſter Diodotus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otioſi cum erimus, loquemur. hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατόν eſt. De Coctio mihi

τῶν appellant: de qua magna erat inter Philoſophos contentio, præcipue inter Diodorum Dialecticum, & Chryſippum Stoicum. Quam autem varie hæc illi acciperent, oſtendit Cicero in libro de Fato, cum inquit: *At hoc, Chryſippe, minime vis, maximeque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt; ille enim id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut verum futurum ſit: & quicquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe: & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Tu & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiamſi id nunquam futurum ſit.* De eadem hac re alibi etiam in paucis illis, quæ remanſerunt ejus libri paginis loquitur. Rationem Diodori diligenter Alexander Aphrodiſienſis explicat in commentariis in primum τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν his verbis: *Δοκεῖ δὲ λέγειν ὁ περὶ τοῦ δυνατοῦ τοῦτο ὁ Διοδώρου λέγεται, ὅ γ᾽ ἢ ἔστιν ἢ ἔσται· τὸ γὰρ ἢ ὂν ἢ ἐσόμενον ἀναγκαῖον δυνατὸν μόνον ἐκεῖνος ἐτίθετο· τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν Κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κατ᾽ αὐτὸν εἰ ἦν ἐν Κορίνθῳ, ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι, εἰ δὲ μὴ γενοίμην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν· καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικόν, εἰ ἔσοιτο.* Chryſippi vero Plutarchus in lib. quem adverſus Stoicos edidit inſcriptum Στωικῶν ἐναντιωμάτων. Ubi etiam idem de Diodoro confirmat: ea nos, ne longiores ſimus, omittemus. Jocatur hic Cic. cum docto & gravi viro, docte & graviter: nec enim unquam poſſunt ab artificio ſuo recedere, qui literis & ingenuis diſciplinis delectantur. Cognitis diverſis eorum ſententiis de hac re quid Cic. nunc dicat manifeſtum eſt. *P. Victor.*

Χρυσιππεία ne, an hæc, quam noſter Diodorus, &c.] A recepta lectione diſcrepat Medic. cod. hoc loco. Sic enim habet, *Chryſippeas hæc quam noſter, &c.* Et vereor ne ex majori parte hoc non ſine culpa librarii acciderit. Eruditiores hoc cenſebunt. Quæ certe ſupra dixit, ex opinione Diodori dixit. Chryſippi rationem non exponit. In eo quod conſequitur nomine integrior eſt idem codex: *Diodotus* enim recte habet, cum omnes ante noſtrum mendoſe *Diodorus* haberent. nec enim de Diodoro, de quo ſupra, ſermo nunc eſt, nec eum intelligere poteſt, ſed de Diodoto Philoſopho, qui domi Ciceronis multos annos vixit: ob id enim ſuum illum dicit. De quo cum multis locis agat (ut manifeſto percipiatur alium eſſe a Diodoro Dialectico) fere ſemper id nomen in impreſſis codicibus inquinatum eſt, & in Diodorum imperite immutatum. Neſcio an ſemel tantum illud recte in excuſis libris ſcriptum invenerim, cum antiqua exemplaria contra ſemper incontaminatum conſervarint. Is eſt in ſecundo libro epiſtolarum ad Atticum, *Diodotus mortuus eſt, reliquit nobis HS fortaſſe centies.* De eodem lib. 5. Tuſcul. longius agit. *Victor.* Alii: *an Chryſippea hæc*, ut legendum putem: *Hæc an Chryſippea*, quæ omnino difficilior ſit: & propterea Diodotus eam aſſequi non poterat. *Corrad.* Χρυσιππεία] Nam Chryſippus etiam quæ non eſſent futura, poſſe fieri dicebat; Diodorus vero, quicquid futurum eſſet, id dicebat fieri neceſſe eſſe. *Idem.*

Quam noſter Diodotus non concoquebat] Diodotus Stoicus, qui nuper eſt domi meæ mortuus: a quo cum in aliis rebus, tum ſtudioſiſſime in dialectica exercebar. *Corradus.* Miror Gebhardum vulgatam lectionem immutaſſe & pro *concoquebat* ex primo Palatino reſcripſiſſe *coquebat*, cum & ſententia & alii libri flagitent *concoquebat*. in re pervulgata nolumus verba perdere. *Grævius.*

De Coctio] Quid ſi *Coccejo*, qui cum neſcio quid negotii Cicero habebat, legatur? *Corrad.*

Conſi-

hi gratum eſt. Nam id etiam Attico mandaram. Tu, ſi minus ad nos; accurremus ad te. ſi hortum in bibliotheca habes, deerit nihil.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Probat & diem, quo conventuri ſint, & ſuum Varroniſque conſilium, quod ſemel a Caeſare victi ab armis diſceſſerint. Eodem anno.

CICERO VARRONI.

MIhi vero ad Non. bene maturum videtur fore, neque ſolum propter reipub. ſed etiam propter anni tempus. Quare diem iſtum probo. itaque eundem ipſe ſequar. Conſilii noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſequuti non ſunt, non poeniteret, nobis poenitendum putarem. Sequuti enim ſumus non ſpem, ſed officium. Reliquimus autem non officium, ſed deſperationem. Ita verecundiores fuimus, quam qui ſe domo non commoverunt: ſaniores, quam qui, amiſſis opibus, domum non reverterunt. Sed nihil minus fero, quam ſeveritatem otioſorum: &, quoquo modo ſe res haberet, magis illos vereor, qui in bello occiderunt, quam hos curo, quibus non ſatisfacimus, quia vivimus. Mihi ſi ſpatium fuerit in Tuſculanum ante Nonas veniendi, iſtic te videbo. ſin minus, perſequar in Cumanum: & ante te certiorem faciam, ut lavatio parata ſit.

EPI-

COnſilii noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem] Hieronymi Ferrarii, magni ingenii ac multarum literatum juvenis, animadverſionem laudo, ejuſque ſententiam, & ut amici hominis, & veritatis defenſoris, libenter ſequor. Sane in Mediceo ita legitur, *Conſilii noſtri, niſi eos, quid id ſecuti non ſunt non pœniteret n. p. p.* Quare minus a vetere lectione diſcedit, qui eam, quam Hieronymus excogitavit lectionem ſequitur, quam qui vulgatam lectionem retinere vellet: ex illa enim & *non* tollendum eſſet, quod fecerant, & fortaſſe etiam plura: nam illud *quidem* non parum mihi quoque ipſam turbare videtur. In nova igitur (novam appello, quæ nuper exorta eſt) & elegantior ſenſus eſt, & plura priſcæ ſcripturæ veſtigia. *Victorius.* De ſententia hujus loci vide Manut.

Non ſpem, ſed officium] Lib. VII. ep. 3.

Amiſſis opibus] Cum fractæ vires eſſent Pompejanorum Pharſalico in prælio.

Ut lavatio parata ſit] Ita in editione prima ac Victorii, ita in Pall. & omnibus Gulielmianis. Quia tamen in quibuſdam

buſdam aliis codicibus exſtabat, *lautia parata*, faciendum putabat Schoppius l. 11. Suſp. ep. 22. *ut lautia parata ſint*, id eſt, *αἱ ἐνδομενίαι*, ſive ſupellex; ut exponit Soſipater. quod etiam Jacobus Lectius probabat. *Gebh.*

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Caeſaris ex Africano bello revertentis adventum ſignificat: belli civilis culpam Pompeio potius, quam Caeſari, tribuit: Varronem laudat, quod ſe ab armis ad ſtudia, quaſi a tempeſtate in portum, contulerit. Eodem anno.

CICERO VARRONI.

Caninius noſter me tuis verbis admonuit ut ſcriberem ad te, ſi quid eſſet quod putarem te ſcire oportere. Eſt igitur adventus Caeſaris, ſcilicet, in exſpectatione: neque tu id ignoras. Sed tamen, cum ille ſcripſiſſet, ut opinor, ſe in Alſienſe venturum, ſcripſerunt ad eum ſui, ne id faceret: multos

Eſt igitur adventus Caſaris in expectatione] Nos arbitrati ſumus hanc dictionem *Caſaris* vacare, propter modum illum dicendi conciſum & compendioſum, quo ſæpe utitur, & quem nos antea notavimus. Manifeſtius autem ſupervacaneam eſſe docent vetuſtiores codices, in quibus eſt *ſcilicet Caſaris*, ut plane perſpiciatur fuiſſe olim expoſitionem, declarationemque verbi illius *adventus* ſuperne poſitam, poſteaque temere a librariis in ordinem verborum Ciceronis conlatam. Sic etiam ad Atticum loquitur pluribus locis, ut lib. 10: *Cum quid ſcriberem, plane nihil haberem: hac autem reliqua eſſent, qua ſcire cuperem, profectusne eſſet, quo in ſtatu urbem reliquiſſet.* Loquitur enim de Cæſare proficiſcente in Hiſpanias, nec tamen nominat: notiſſimum enim erat quem intelligeret. Ita autem de Principibus viris, Regibuſque loqui mos eſt. *Victor.* Omittunt recte nomen *Caſaris* Victorius ac Lambinus, & ſic in melioribus codicibus; in Pall. tamen comparet & fuerat ex margine transſumptum: ut ex Pal. ſexto vel cæteris viderit: nam ille [ut & Amſtelod] *eſt igitur adventus Caſaris ſcilicet in exſpectatione.* Gebhardus. Non ejiciendæ ſunt voces *Caſaris, ſcilicet*, quæ in omnibus MSS. integris ſunt, ut perſuaſit editoribus Victorius. Nimirum acceperunt particulam, ut nunc vulgo uſitatur explicandi cauſſa. At mens Ciceronis erat: Hoc igitur ſcito, vel hoc ſcias licet, adventus Cæſaris in expectatione eſt. Atque ideo lepidius additur: *neque tu id ignoras.* Confirmat quod præcedit: *ſi quid eſſet quod putarem te ſcire oportere.* Sic eodem libro ep. 21. *Privatas cauſſas & eas tenues, agimus ſubtilius, capitis, aut fama, ſcilicet, ornatius.* Gronovius lib. III. obſerv. 9. ubi vide plura de hac voce *ſcilicet.*

Adventus] Cæſaris ex Africa.

Se in Alſinienſe venturum] Ubi fuerit Alſium didicimus nuper ex vetuſti lapidis fragmento, quod in *Alexandri Farneſii Card.* Palo, villa amœniſſima ad mare, non longe a Cære oppido erutum eſt cum hac inſcriptione:

IMP. II. COS. III. PROCOS
IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB
PARTH. MAX. BRIT. MAX. FORTISSIMI
FELICISSIMI. PONT. MAX. P. P. FILIO
DIVI. M. ANTONINI. PII. GERM. SARM.
NE-

tos ei moleſtos fore, ipſumque multis. Oſtiae videri commodius eum exire poſſe. Id ego non intelligebam quid intereſſet. Sed tamen Hirtius mihi dixit, & ſe ad eum, & Balbum, & Oppium ſcripſiſſe ut ita faceret, homines, ut cognovi, amantes tui. Hoc ego idcirco noſſe te volui, ut ſcires, hoſpitium tibi ubi parares, vel potius ubi utrique; quid

NEPOT. DIVI. ANTONINI. PII. PRON.
DIVI. HADRIANI. ABN. DIVI. TRAIANI
PARTH. ET. DIVI. NERVAE. ADNEPOT.
OB. INSIGNES. VIRTVTES. atvs
DECVR. COLON. ALSIENSIS. D. D.

Recte itaque recentiores Geographi Alſium eſſe dixerunt, quod nunc Cære appellatur, his etiam Plinii verbis adducti ex cap. v. lib. III. *Graviſca, Caſtrum novum, Pyrgi, Caretanus amnu, & ipſum Care intus millia paſſuum quattuor Agylla à Pelaſgu conditoribus dictum, Alſium, Fregena.* F. Vrſinus. Non eſt ipſum oppidum Cære, ſed Alſium eſt illud ipſum prætorium gentis Vrſinæ *Palo*, ubi inventus fuit ille lapis, quem adfert Vrſinus. Villa fuit jam Rutilii tempore, qui illius mentionem facit in Itinerario, ut docuit Cluverius in Italia antiqua. *Grav.*

In Pomptinum videri commodius eum exire poſſe] Nos *Oſtia*, ut in antiquis invenimus, ſcripſimus, etſi ſatis negligenter noſtri librarii hunc locum impreſſerunt. Punctis enim a ſuperioribus hoc verbum diſtinguere debebant, majoreque prima litera ſcribere, ut oppidi nomen. Sed nos petimus a ſtudioſis veniam horum errorum, cum enim adeſſe impreſſioni nobis non licuerit, hæc illorum vitio commiſſa peccata corrigere nequivimus. Dicitur autem *Exire* ſæpe nulla mentione habita loci unde diſceditur: ſed illius tantum in quem venimus, aut ubi conſiſtimus: ut *exire in provinciam:* & in epiſtola ad Cæſarem: *C. Trebatium cogitaram quocunque exirem, &c.* Eſt hic *Exire*, de navi deſcendere, ut ad Attic. lib. VI. *in Piraea cum exiſſem.* Et in II. Rhetoricorum Ciceronis de nautis qui tempeſtate in alto jactati fuiſſent: *Imprudentes legis cum exiſſent, vitulum immolaverunt.* Quanquam exemplum ad Atticum, quod protulimus, ad locum eſt: dixit enim *in Piraea.* Hic autem in loco hoc verbum poſitum eſſe videtur, & hanc ſignificationem habere, quia locum tantum conſideret ubi terminus erat navigationis, & ubi de navi exeundum erat: nec ſpectet unde diſcedebatur, nec quo pervenire oportebat. Roma enim ultimum ejus itineris erat, cujus non fit mentio. Nam *exire* etiam ſic dici poſſe, poſteriore exemplo declaratum eſt, quamvis hic adjungat *Oſtia* in loco, ut res (ni fallor) exigebat: nam ut dictum eſt, notare tantum voluit ubi finis navigationis fieri debebat. Sermo enim eſt de Cæſare navibus ex Hiſpania redeunte, & variæ ſententiæ erant ubi ille commodius poſſet finem imponere navigationi. Sic arbitror antiquam & omnium fere manu ſcriptorum codicum lectionem defendi & conſtitui poſſe. *Victor.*

Oſtia videri commodius eum exire poſſe] Ita olim ex vetuſtis libris ſcripſimus. Mediceus certe *Optia* habet: quare mendum omnino in vulgata, & communi lectione eſſe arbitramur, cum tantopere a vetere diſſentiat. Qui noſtram non probat, ipſe meliorem ex antiquis veſtigiis eruat. *Idem.* Sic & *egredi* pro e navi egredi: Virg. I. Æn.

Egreſſi optata potiuntur Troës arena.

Sic ἔκβασις Græcis deſcenſus e navi, ut notavit ampliſſimus & doctiſſimus Gisbert. Cuperus lib. III. Obſerv. cap. 3. quem vide.

Ubi utrique] Alii, *ut ubique.* Et ſane cum incertum eſſet, quid facturus eſſet Cæſar, oportebat Varronem non uno in loco hoſpitium parare. *Corr.* *Ubi utrique*] Recte editiones pleræque. MSS. va-

quid enim ille facturus ſit incertum eſt: & ſimul oſtentavi tibi, me iſtis eſſe familiarem, & conſiliis eorum intereſſe. Quod ego cur nolim nihil video. Non enim eſt idem, ferre ſi quid ferendum eſt, & probare ſi quid probandum non eſt. Etſi quid non probem? quid enim jam ſcio praeter initia rerum. Nam haec in voluntate fuerunt. Vidi enim (nam tu aberas) noſtros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quam non timere. Ergo haec conſilii fuerunt: reliqua neceſſaria. Vincere autem aut hos, aut illos neceſſe eſſe. Scio te ſemper mecum in luctu fuiſſe, cum videremus, quam illud ingens malum alterius utrius exercitus & ducum interitu: tum vero extremum malorum omnium eſſe civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otioſis minabantur: eratque iis &

tua

variant. Alii, ut Amſterd. Grut. Hittendorp. *utar ubique.* Peck. *Uter ubique.* alius: *uterque ubi.* nonnulli *utrobique*, quam lectionem male Gebhardus amplectitur. Quid enim hic notat? Videtur & Cicero Caeſari voluiſſe officii cauſſa obviam ire. quod ſatis ſequens epiſtola oſtendit: *Volebam prope alicubi eſſe, ſi quid bona ſalutis, cum τὸ δἰ' ἐγχειρίζω.* vide & finem illius epiſtolæ. *Grav.*

Semel oſtentavi tibi] Cum ſcripſerim tibi quid mihi Hirtius dixerit, quæ fuit quaſi oſtentatio quædam familiaritatis cum Hirtio.

Ferre ſi quid ferendum] Videtur legendum, *ſi quid ferendum non eſt.* Verumtamen nihil muto. hanc enim puto eſſe hujus loci ſententiam, Intereſt utrum feras, quod velis nolis ferendum eſt: an probes quod probandum non eſt. nam ferre quod ferendum eſt, (verbi gratia, quod fit a potentioribus, aut tyrannis, eorumque amicis, injuſte quidem, & contra inſtituta majorum, non tamen ignominioſe, aut contumelioſe,) prudentis eſt: probare vero quod probandum non eſt, improbi hominis eſt. Porro autem ferre quod ferendum non eſt, ignavi & turpis hominis eſt. *Lambin.*

Etſi quid non probem? quid enim jam ſcio præter initia rerum] Ita hic locus concipitur in Palatinis duobus, Gruteriano, editione prima ac Victorii. Guilielmius ex conjectura volebat; *etſi ne quid non probem quidem jam ſcio.* quod non opus eſt exhibita noſtra. vulgo; *etſi, quid non probem quidem. neſcio, præter initia rerum.* Paullo poſt itidem edidi ex duobus Palatinis Vaticano, Hittorpiano, editione Victorii: *quam illud ingens malum alterius utrius exercitus & ducum interitu.* cum vulgetur alias, *ingens malum alterutrius exercitus ex ducum interitu.* Paullo iterum poſt Pal. ſextus & Hittorp. ſcribunt: *crudeliter enim otioſiſſimis minabantur.* Palatinus vero primus, Grut. Stewech. *otioſis ſi minabantur.* Gebhardus.

Nam tu aberas] In Hiſpania legatus. *Corr.*

Noſtros amicos] Pompejanos. *Idem.*

Hunc autem] Cæſarem. *Idem.*

Ergo hæc] Initia. *Idem.*

Crudeliter enim otioſis minabantur] Lib. VII. ep. 3. & lib. IV. ep. 9. & 14.

Nunc

tua inviſa voluntas, & mea oratio. Nunc vero, ſi eſſent noſtri potiti, valde intemperantes fuiſſent. Erant enim nobis perirati, quaſi quidquam de noſtra ſalute decreviſſemus, quod non idem illis cenſuiſſemus: aut quaſi utilius reipub. fuerit, eos etiam ad beſtiarum auxilium confugere, quam vel emori, vel cum ſpe, ſi non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata repub. vivimus. Quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla ſibi ſubſidia ad omnes vitae ſtatus paraverunt. huc enim ut venirem, ſuperior longius, quam volui, fluxit oratio. Cum enim te ſemper magnum hominem duxi: tum quod his tempeſtatibus es prope ſolus in portu, fructuſque doctrinae percipis eos, qui maximi ſunt, ut ea conſideres, eaque tractes, quorum & uſus, & delectatio eſt omnibus iſtorum & actis, & voluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tuſculanenſes dies inſtar eſſe vitae puto: libenterque omnibus omnes opes conceſſerim, ut mihi liceat, vi nulla interpellante, iſto modo vivere. Quod nos quoque imitamur, ut poſſumus, & in noſtris ſtudiis libentiſſime conquie-

Nunc vero] In hoc bello Africano. *Corr.*

Quod non idem illis cenſuiſſemus] Idem quod illi ſentiremus, praecipue Dyrrachii, quando me ducem eligere voluerunt. Lucret.

Eadem aliis ſopitus quiete eſt.

Ad beſtiarum auxilium] Elephantorum Jubae.

Quam vel emori] Ita edidit Victorius, ita Vaticani excerpta: libri noſtri fere omnes, ſicut & priſca editio, *velle mori.* vulgo, *quam vel mori.* Gebh.

Qui nulla ſibi ſubſidia ad omnes vitae ſtatus paraverunt] Qui animum non munierunt ad omnem fortunam tam proſperam quam adverſam fortiter ferendam. Guilielm. malit: *ad omnes vitae caſus.*

Omnibus iſtorum & actis & voluptatibus anteponenda] Locus mihi ſuſpectus, tum per ſe, tum propterea quod aliquot ex noſtris libris veteribus non habent hoc totum, *& actis, & voluptatibus.* Lamb. *Iſtorum actis & voluptatibus*] Caeſarianorum, qui ob victoriam laetiſſimi erant. *Actis* Gulielmius exponit *littorali receſſui*, quod Caeſar erat futurus in littore. qnod ſane non improbem. Nam *acta*, ſunt amoena littora, in quae ſe recipiebant cum genio vellent indulgere, partim ob amoenum in mare proſpectum, partim propter piſcium delicias. Gloſſae veteres P. Danielis à Turnebo in Adverſariis laudatae: *Acta littora amoena.* Et Servius ad v. Æn.

At procul in ſola ſecreta Troades acta.

Actas interpretatur *ſecreta & amoena littorum.* Hinc ἀκτάζειν eſt proprie in littore amoeno verſari, ſed uſu obtinuit ut accipiatur pro epulari; unde natum iſtud loquendi genus, ut pridem viri docti annotarunt, σήμερον ἀκτάσωμεν, hoc eſt, hodie epulabimur. vide Plutarch. IV. Sympoſ. prob. IV. *Graevius.*

Multi

quieſcimus. Quis enim hoc non dederit nobis, ut cum opera noſtra patria ſive non poſſit uti, ſive nolit, ad eam vitam revertamur quam multi docti homines, fortaſſe non recte, ſed tamen multi etiam reip. praeponendam putaverunt? Quae igitur ſtudia magnorum hominum ſententia vacationem habent etiam publici muneris, iis concedente rep. cur non abutamur? Sed plus facio quam Caninius mandavit. Is enim ſi quid ego ſcirem rogarat quod tu neſcires. ego tibi ea narro quae tu melius ſcis quam ipſe qui narro. Faciam ergo illud quod rogatus ſum, ut eorum quae temporis hujus ſint, quaeve audiero, ne quid ignores.

Multi docti homines] Epicurus, & Philoſophi veteres fere omnes ante Phalareum Demetrium, qui doctrinam ex umbraculis & otio, in ſolem & pulverem perduxit. *Corrad.*

Etiam publici muneris] Sic bene Manutius, Lambinus, aliique. Victorius & Gebhardus ſine ſenſu ediderunt: *eadem publici muneris.* quod quid ſit ne ipſos quidem intelligere credo. Mſſ. habent, *eandem*, ſed mendoſe. Dicit Cicero Platonem, Epicurum, alioſque viros doctos in hac fuiſſe ſententia, propter præclarorum horum ſtudiorum excellentiam abſtinendum eſſe a reipublicæ gubernatione, ut eorum meditationi poſſimus toti vacare, etiamſi reſpublica noſtram operam deſideret: nunc igitur ſe recte iis incumbere, quia in republica a Cæſarianis oppreſſa non adhibeantur. *Gravius.*

Quave audiero] Sic recte Victor. Mſſ. *qua tua audivero.* Corrupte. vetuſtiores editiones, *qua tua intereſſe audiero.*

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Maturum jam eſſe ait ut ab urbe diſcedat: & de Caeſaris, ex Africano bello redeuntis, itinere rumores diverſos nunciat. Eodem anno.

CICERO VARRONI.

Coenabam apud Seium, cum utrique noſtrum redditae ſunt a te litterae. Mihi vero jam maturum videtur. Nam quod antea calumniatus ſum, indicabo malitiam meam.

Coenabam apud Seium] Mſſ. *Coenabam apud Sevium.* leg. *Servium.* Seii tamen meminit ad Att. 12. *Guilielm.*

Nam quod antea te calumniatus ſum] Recte Manutius obſervavit *te* inculcatum eſſe negligentia deſcriptorum: ſed quaſi

meam. Volebam prope alicubi eſſe, ſi quid bonae ſalutis, σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. nunc, quum confecta ſunt omnia, dubitandum non eſt quin equis viris. Nam ut audivi de L. Caeſare F. mecum ipſe, quid hic mihi faciet patri? Itaque non deſino

quaſi hic pannus nimis eſſet parvus ad fœdandum Ciceronem, alii quoque intruſerunt *a*, edideruntque *a te calumniatus*. In pleriſque Mſſ. eſt, *ante a te*, ſed quis non videt iſtud *a te* ex præcedente *ante* ortum eſſe? Quid enim eſt *ab aliquo calumniari*? Male conſulunt rei litterariæ, qui antiquorum codicum ſcripturam ſine ratione & judicio approbant, librariorum errores manifeſtos, rejectis melioribus, nobis obtrudunt. *Calumniari* hic eſt falſo prætextu uti, ut in epiſtola ſecunda hujus libri: *ſed calumniabar ipſe; putabam, qui obviam mihi veniſſet, ut cuique commodum eſſet, ſuſpicaturum*. Grævius.

Volebam prope alicubi eſſe] Legendum fortaſſe eſt *eſſes*. Lambin. *Alicubi eſſe*] Sic unus Manutii, alii fere omnes *eſſet*. perperam. *Eſſe* ſcilicet me. ideoque nolebam te longius a me abire, ut ſimul occurreremus Cæſari. hoc enim innuit illud Poetæ, σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. Lambinus malit *eſſes*: Manut. *eſſe te*. Græv.

Quin equis viris] Communem lectionem cum liber editus eſt, ſecuti ſumus: nam in omnibus impreſſis (exceptis Manutianis, in quorum priore ac poſteriore editione mendoſius adhuc *equis velis* ſcriptum eſt) *aquis viris* perperam legebatur; animadvertimus tamen non multo poſt in Mediceo codice *equis viris* ſcriptum eſſe, longe diverſo prioris vocis ſignificatu: & de tota re accuratius diſſeruimus in fine noſtri libelli, ubi errata impreſſorum correximus. Quare in ea ſententia perduramus, & hic omnino *equis viris* legendum eſſe putamus, quemadmodum ad Quintum Fratrem etiam & in oratione VIII contra Antonium. Locus etiam ille in extremo III libri de Officiis, qui mendoſe in cunctis impreſſis legitur, in manu ſcriptis nonnullis integer eſt: *Cum his viris equiſque, ut dicitur*, &c. Quare hoc exemplis, quæ hanc lectionem confirmant, addere nunc libuit, quum olim relictum eſſet. Quod ſi ullus mihi ſcrupulus reſtabat, ſtatim evulſus eſt, quod vidi Jacobum Sadoletum ſanctiſſimum atque integerrimum virum (quem honoris & amplitudinis cauſſa nomino) ita ſcripſiſſe, cum hoc proverbium in ſuis illis elegantiſſimis libris uſurparet, quibus deſiderium nobis lenire voluit, quo conficiebamur libri Ciceronis Hortenſii appellati, & quod cupiit mirifice conſecutus eſt. Quis enim nunc librum Ciceronis magnopere deſiderat? Cur autem auctoritatem & judicium illius viri in purgandis Ciceronis ſcriptis non ſequar? qui non tantum menda tollere conſuevit, ſed totos etiam libros vetuſtate amiſſos nobis reſtituit. *Victor*. Quæ in calce ſuarum annotationum Victorius de hoc loco diſputavit, vide in Notis ad lib. II ad Q. Fratrem. Veriſſima autem hæc eſt veterum librorum ſcriptura, ſignificans omni contentione hoc eſſe faciendum. Eſt translatum hoc loquendi genus a copiis militaribus, quæ conſtant equitatu & peditatu. *Viros* ſæpe dici pedites nemo ignorat. Liv. lib. VII: *Quacunque ibant equis viriſque longe ac late fuſo agmine immenſum obtinentes loci*. *Equis velis*.] Secutus ſum libros vulgatos. nam manuſcripti habent *equis viris*. Ego puto M. Tullium ſignificare, jam fugiendum eſſe omni contentione, terra, marique. *Lambinus*. *Equis viris*.] Hanc lectionem præ ſe ferunt ſeptem Mſſ. [quibus accedit Amſtelodamenſis] prima editio quam notat quoque ex ſuis Lambinus. Palatinus primus: *quin aquis viris*, neſcio quo ſenſu. vulgo; *equis velis*. Gebhard.

Lucio Caſare filio.] Al. *L. Caſaris filio*. utroque modo legi poteſt, & idem ſignifi-

deſino apud iſtos qui nunc dominantur coenitare. Quid faciam? tempori ſerviendum eſt. Sed ridicula miſſa; praeſertim cum ſit nihil quod rideamus.

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Itaque nullum eſt ἀποπροηγμένον quod non verear. Sed quod quaeris, quando, qua, quo, nihil adhuc ſcimus. Iſtuc ipſum de Baiis, nonnulli dubitant, an per Sardiniam veniat. Illud enim adhuc praedium ſuum non inſpexit: nec ullum habet deterius, ſed tamen non contemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam: vel jam ſciemus. adventat enim Dolabella. eum puto magiſtrum fore.

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Sed tamen, ſi ſciam, quid tu conſtitueris, meum conſilium accommodabo potiſſimum ad tuum. Quare exſpecto tuas litteras.

ſignificatur. Lucius Cæſar Lucii Cæſaris filius fuit: cui Proquæſtori in Africa, Catone interfecto, Cæſar vitam conceſſit, quamvis non ita multo poſt illum clam interficiendum curarit. *Corradus.*

Sed ridicula miſſa faciamus] Verbum *faciamus*, ne quis putet a nobis de noſtro adjectum, reperimus in duobus libris manuſcr. *Lambin.* Intruſit Lambinus, *faciamus*. quod quidem verbum in nullo noſtrorum invenimus: elegantiorque eſt tota oratio, ſi ablegetur; certe non eſt in Pall. duobus, Grut. Stewech. Hittorp. Vatic. editione prima, aut Victorii. *Gebhard.* His quoque ſuffragatur Amſtelodam.

Itaque nullum eſt ἀποπροηγμένον] Rejectum: quæ enim ſecundum naturam ſumenda ſunt, ſed minoris æſtimanda, ea ἀποπροηγμένα Zeno appellabat. *Corrad.*

Nihil adhuc ſcimus] Pal. ſext. & Hittorp. *Soſmus*, unde Guilielm. ὀσμὸς vel σεισμός. Nolo excutere ulterius; nam video nihil eſſe. Paullo item poſt quoque ex conjectura legit, *per Siciliam, Veliam.* Gebhard.

An per Sardiniam veniat] Venit autem poſtea. *Corrad.*

Illud enim adhuc prædium ſuum] Sic *Sardiniam* jocoſe vocat. vid. Manut.

Nec ullum habet deterius] Nam peſtilens eſt. lib. VII, ep. 25. *Corrad.*

Eum puto magiſtrum fore] In libro manuſcripto rectius (ut opinor) ob ea quæ ſequuntur πολλοὶ μαθηταὶ, ſcriptum eſt, *ei me puto magiſtrum fore.* F. Urſin.

Epistola VIII.

Argumentum.

Promiſerat Varro quoſdam libros Ciceroni ſe eſſe dicaturum: Cicero eum promiſſi admonet, miſſis quaſi admonitoribus quattuor libris Academicis. Caeſare quartum conſule, ſine collega.

Cicero Varroni.

Etſi munus flagitare, quamvis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet niſi concitatus: tamen ego exſpectatione promiſſi tui moveor ut admoneam te, non ut flagitem. Miſi autem ad te quattuor admonitores non nimis verecundos. Noſti enim profecto os illius adoleſcentioris Academiae. Ex ea igitur media excitatos miſi, qui metuo ne te forte flagitent: ego autem mandavi ut rogarent. Exſpectabam omnino jamdiu, meque ſuſtinebam, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem quam aliquid accepiſſem, ut poſſem te remunerari quam ſimillimo munere. Sed cum tu tardius faceres, id eſt, ut ego interpretor, diligentius, teneri non potui quin conjunctionem ſtudiorum amoriſque noſtri quo poſſem litterarum genere declararem. Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cum eſſet una Pomponius: tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari in-

Expectatione promiſſi tui] Librorum de Latina lingua. *Corrad.*

Quattuor admonitores] Academicarum quæſtionum libros. *Idem.* Nunc duo extant.

Noſti enim profecto os ejus adoleſcentioris Academiæ] Ab Arceſila novatæ. *Corrad.* *Ejus* non extat in Amſtelod. quod rectius abeſt, quamvis mendoſe in illo libro ſcriptum ſit: *noſti enim profecto hos adoleſcentiores Academiæ.* aut pro *ejus* ſcribendum ex Hittorpiano & ſexto Pal. *illius*. Noſti, inquit, impudentiam Academicorum novorum. vide Manutium. *Gravius.*

Sed cum tu tardius faceres] Ita ſcribit ad Atticum: *Varro mihi denuntiaverat magnam ſane & gravem προσφώνησιν: biennium præteriit, cum ille Καλλιππίδης aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſit.* Corrad.

Tibi dedi partes Antiochianas] Nos veterem ſcripturam ſecuti ſumus, *Antiochinas*; nec enim erratum librarii putavimus, quod in multis hujuſmodi nominibus animadvertimus, ut in primo ad Atticum: *Noſti enim Marinas*, pro *Marianas*. & XIV: *De hæreſi Veſtoriana*, pro *Veſtoriana*. Item in cunctis vetuſtioribus codicibus & maxime in Mediceo.

intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumſi Philonis. Puto fore, ut, cum legeris, mirere, nos id locutos eſſe inter nos, quod nunquam locuti ſumus. ſed noſti morem dialogorum. Poſt haec autem, mi Varro, quam plurima, ſi videtur, & de nobis inter nos: ſero fortaſſe: ſed ſuperiorum temporum fortuna reip. cauſſam ſuſtineat. Haec ipſi praeſtare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu civitatis, haec inter nos ſtudia exercere poſſemus. Quamquam tum quidem vel aliae quaepiam rationes honeſtas nobis & curas & actiones darent: nunc autem quid eſt, ſine his cur vivere velimus? Mihi vero cum his ipſis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed haec coram, & ſaepius. Migrationem & emtionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re conſilium probo. Cura ut valeas.

diceo. In epiſtola Pollionis, *Hirtino praelio*. & in literis Caſſii, *ſpectra Catina*, pro *Catiana*, & *Hirtiano*. Hoc idem videtur obſervaſſe Priſcianus non indiligens Grammaticus, cujus lib. 11 haec ſunt verba: *Inveniuntur tamen auctoritate veterum, vel euphonia cauſa maxime in propriis quaedam non ſervantia ſupra dictas regulas, ut Ligus Liguris, Ligurinus, non Ligurianus; Cenſor Cenſoris, Cenſorinus, non Cenſorianus.* Victor. Stant pro hac lectione Vatic. Pal. prim. Amſtelod. ed. pr. Pal. ſext. Vulgati, *Antiochenos*.

Antiochenos] Antiochus Academiam veterem ſe jactabat revocare, dicebatque novam Academiam correptionem veteris Academiae potius, quam aliquam novam diſciplinam putandam. *Corrad.*

Philonis] Quo vivo patrocinium Academiae non defuit. Epiſt. 1 lib. XIII. *Idem.*

De nobis inter nos] Al. *de nobis inter nos colloquemur.* Idem. Ex Pall. duobus, Vatican. Stewech. Hittorp. editione primaria ac Victoriana ſcripſi *Poſt hac autem, mi Varro, quam plurima, ſi videtur, & de nobis inter nos: ſero fortaſſe.* Gebhard.

Feliciter evenire.] Leg. *feliciter evenire tibi.* Lambin.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Suadet Ciceroni gener ejus Dolabella ut ſe vel cum Caeſare conjungat, vel in otium referat. quod idem Coelius quoque ſcripſerat ep. 16 lib. 8. Caeſare iterum & Servilio coſſ.

DOLABELLA CICERONI S.D.

S. V. G. V. & Tullia noſtra recte V. Terentia minus belle habuit: ſed certum ſcio jam convaluiſſe eam.

 Prae-

Praeterea rectiſſime ſunt apud te omnia. Etſi nullo tempore in ſuſpicionem tibi debui venire, partium cauſſa potius, quam tua tibi ſuadere, ut te aut cum Caeſare nobiſcumque conjungeres, aut certe in otium referres: praecipue nunc jam inclinata victoria, ne poſſum quidem in ullam aliam incidere opinionem, niſi in eam, in qua ſcilicet tibi ſuadere videar quod pie tacere non poſſum. Tu autem, mi Cicero, ſic haec accipies, ut, ſive probabuntur tibi, ſive non probabuntur, ab optimo certe animo ac deditiſſimo tibi & cogitata & ſcripta eſſe judices. Animadvertis, Cn. Pompeium nec nominis ſui, nec rerum geſtarum gloria, neque etiam regum ac nationum clientelis, quas oſtentare crebro ſolebat, eſſe tutum: & hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non poſſe contingere ut honeſte effugere poſſit, pulſo Italia, amiſſis Hiſpaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique: quod neſcio an ulli unquam noſtro acciderit imperatori. Quamobrem, quid aut ille ſperare poſſit, aut tu, animum adverte pro tua prudentia. Sic enim facillime quod tibi utiliſſimum erit conſilii capies. Illud autem te peto, ut, ſi jam ille evitaverit hoc periculum & ſe abdiderit in claſſem, tu tuis rebus conſulas: & aliquando tibi potius quam cuivis ſis amicus. Satisfactum eſt jam a te vel officio, vel familiaritati: ſatisfactum

Partium cauſſa potius] Forte, *me partium cauſſa potius.* Lambin.

In qua ſcilicet tibi ſuadere videar] Ita Pal. ſextus ac Victorii editio: prima vero & Palatinus primus, [nec non Amſtelodam.] Peckio excerpta, *in qua ſcilicet te tibi ſuadere.* vulgo, *ſcilicet tua de re tibi ſuadere videar.* ſtatim verſu altero inferiore legit ex conjectura Guilielmius, *nec nominis vi.* ut in Piſonem. *Gebhard.*

Quod infimo cuique contigit] Melius Stewechianus, *contingit.*

Capto exercitu] In Hiſpania. *Corradus.*

Circumvallato nunc denique] Legendum fortaſſe eſt, *circumvallato nunc undique.* Lambin. Circumvallatus autem fuit ad Petram prope Dyrrachium. Vide Flor. lib. IV, cap. 2. & Lipſium V de Mil. 13.

An ulli unquam] Leg. *an nulli unquam.* Lamb.

Illud autem te peto] Puſilla quidem emendatio, ſed ne quis inſolentiam miretur locutionis, monendum duxi, ita exſtare in Pall. duobus, Vaticano, Stewech. Peck. [& Amſtelod.] editione prima atque Victorii. excuſum eſt, *Illud autem a te peto.* Gebhard.

Evitaverit hoc periculum] Leg. *vitaverit.* Lambin.

factum etiam partibus & ei reip. quam tu probabas. reliquum eſt, ubi nunc eſt reſp. ibi ſimus potius, quam, dum illam veterem ſequamur, ſimus in nulla. Quare velim, mi jucundiſſime Cicero, ſi forte Pompeius pulſus his quoque locis, rurſus alias regiones petere cogatur, ut tu te vel Athenas, vel in quamvis quietam recipias civitatem. Quod ſi eris facturus, velim mihi ſcribas, ut ego, ſi ullo modo potero, ad te advolem. Quaecumque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, qua eſt humanitate Caeſar, facillimum erit ab eo tibi ipſi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuae quoque fidei & humanitatis curare, ut is tabellarius quem ad te miſi, reverti poſſit ad me, & a te mihi litteras referat.

Ubi nunc eſt reſpublica] Scrib. *ut*, *ubi nunc eſt reſpublica*. Lambinus.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Quaſi per jocum ſcribit, inter Niciam & Vidium ſe judicem eſſe conſtitutum: & item per jocum P. Sullae mortem ſignificat. Caeſare quartum conſule, ſine collega.

M. CICERO P. DOLABELLAE, S. D.

NOn ſum auſus Salvio noſtro nihil ad te litterarum dare. nec mehercule habebam quid ſcriberem, niſi te a me mirabiliter amari; de quo, etiam nihil ſcribente me, te non dubitare certo ſcio. Omnino mihi magis litterae ſunt exſpectandae a te, quam a me tibi. Nihil enim Romae geritur quod te putem ſcire curare: niſi forte ſcire vis, me inter Niciam noſtrum & Vidium judicem eſſe. Profert alter (ut opinor) duobus verſiculis expenſum Niciae: alter Ariſtar-

QVod te putem ſcire curare] Non male Pal. ſext. *quod te ſcire putem cupere.* *Niciam*] Curtium Niciam Grammaticum. *Corrad.*

Alter Ariſtarchus] Nicias Grammaticus, ut Ariſtarchus. *Idem.* *Alter Ariſtarchus*] Forte, *Alter tanquam Ariſtarchus*. Lambin.

ſtarchus hos ὀϐελίζῃ. Ego, tamquam criticus antiquus, judicaturus ſum, utrum ſint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμϐεϐλημένοι. Puto nunc dicere: oblituſne es igitur fungorum illorum quos apud Niciam? & ingentium culinarum cum Sophia Septimiae? Quid ergo? tu adeo mihi excuſſam ſeveritatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiae priſtinae frontis appareant? ſed tamen ſuaviſſimum συμϐιώτην noſtrum praeſtabo integellum, nec committam ut ſi ego eum condemnaro tu reſtituas, ne habeat Burſa Plancus apud quem litteras diſcat. Sed quid ago? cum mihi ſit incertum, tranquillone ſis animo, an, ut in bello, in aliqua majuſcula cura negotiove verſere, labor longius. Cum igitur mihi erit exploratum te libenter eſſe riſurum, ſcribam ad te pluribus. Te tamen hoc ſcire volo, vehementer populum ſolli-

Ὀϐελίζῃ] Tollit, expungit, ut Ariſtarchos Homeri verſus, quos νόθους vocat. *Corrad.*

Τοῦ ποιητοῦ] Poetæ. *Idem.*

Παρεμϐεϐλημένοι] Interjecti, ſuppoſititii. *Idem.*

Et ingentium culinarum cum Sophia ſeptima] Nos hunc locum valde ſuſpectum habemus: quidam corrigunt, *coclearum*; nos nihil immutare voluimus, cum nihil certi haberemus: nec tamen locum ſilentio præterire rectum putavimus, præſertim cum antiquus codex hac parte luxatus ſit, non ſine nota illa in margine, quam mendoſis locis apponit. Eſt autem in illo, ut nihil prætermittamus, *Ingentium gularum*; ut appareat unde verbum illud, quod nunc omnes impreſſi habent. *Culinarum*, deductum ſit. *Victor.* *Et ingentium gallinarum*] Codices vulgati, (quibuſcum tamen conſentiunt nonnulli manuſcr. quos & P. Victorius ſecutus eſt) habent, *& ingentium culinarum*: alii, partim, *integriuſcularum*: partim, *ingentium gularum*: partim, *ingentium cochlearum*: partim, *ingentium ferculorum*: partim, *ingentium gallinarum*: quam ſcripturam probavi. *Lambinus.* *Cum Sophia Septimia*] Pantagathus legebat *Septimiæ* gignendi caſu. *Urſinus.* *Ingentium culinarum*] Nihil a vulgata demutare voluimus, præſertim nihil adjuvantibus libris. Pal. pr. [& Amſtelod.] *ingentium cularum cum Sophia ſeptime.* Sextus vero, *& ingenti vincularum cum Sophia ſeptume.* Varie autem excarnificatus locus: alii, *integriuſcularum*: alii, *ingentium gularum*, vel, *ingentium cochlearum*: partim, *ingentium ferculorum.* Lambinus probavit, *ingentium gallinarum.* Gebh. Ingenioſe ſummi ingenii vir J. F. Gronovius conjecit Ciceronem ſcripſiſſe, *ingentium ſquillarum*, cujus notas vide, & de ſquillis Ludov. Nonium de re cibaria III, 36.

Reliquiæ priſtinæ frontis] Priſtinæ gravitatis. Manil. lib. III.

Et populo nudantem condita jura
Atque expenſa ſua ſolventem jurgia fronte.

Συμϐιώτην *noſtrum*] Convivam Niciam. *Corrad.*

Burſa Plancus] Lib. VII, ep. 2. *Corr.*

Ut in bello] Contra Pompeii filios tunc Cæſar bellum in Hiſpania gerebat, ubi Dolabella etiam volnus accepit. *Corrad.*

De

ſollicitum fuiſſe de P. Sullae morte, antequam certum ſcierit. Nunc quaerere deſierunt, quomodo perierit. ſatis putant ſe ſcire, quod ſciunt. Ego ceteroqui animo aequo fero:

De P. Sylla morte] Tribus locis Sullæ hujus ſectoris a Cicerone mentio facta eſt, quamvis ſemper diverſis prænominibus ille diſtinctus ſit, quod culpa librariorum factum puto: eundem omnino hominem in iis omnibus locis affirmarim: nam quin in epiſtolis ad Caſſium idem de quo nunc ſermo eſt intelligatur dubium eſſe non poteſt: tempora enim conveniunt, & iiſdem pene verbis tota res narratur: jam jocatus eſt de morte illius Cicero cum Caſſio, quemadmodum nunc cum Dolabella facit. Tertius locus eſt, ubi avaritia illius accuſatur, in II libro de Officiis, ſic enim inquit: de *haſta* autem agebat: *quam L. Sulla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo: Idem ſexto & triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta non receſſit.* Nihil mirum igitur, ſi magno in odio erat apud omnes, cum calamitatibus aliorum civium patrimonium ſuum conſtituere ſoleret, & in eodem nefario quæſtu avide poſt tot annos iterum verſaretur. *Victor.* *P. Sulla*] Qui Cæſaris haſtæ præfuit, ut in Quæſtura a nobis dictum eſt, ep. XVII & XIX lib. XV. *Corrad.*

Ante quam certum ſcierit] Ant. Auguſtinus, *ſciret*, emendat pro, *ſcierit.* quod recepit Lambinus. Veteres tamen codd. Pall. Amſt. Vict. ed. pro vulgata ſtant.

Ego cetera qui animo æquo fero] Hæc erat vulgaris lectio, quæ nihil a vetuſta diſcrepabat, nec tamen eam veriti ſumus damnare & explodere: exiſtimamus enim aliquantum mendi illam occupaſſe legique debere, *Ego ceteroqui animo æquo fero:* eſt enim dura admodum ſtructura, ſi illo modo legas: nec videtur de ullis aliis rebus loqui voluiſſe, ut verbum illud, *cetera*, locum hic habere poſſit: tantum de *morte Sullæ* jocoſe (ut opinor) narravit: hoc autem adverbio duobus locis uſus eſt in epiſtolis ad Atticum, quemadmodum in optimis exemplaribus invenimus, ut l. XII. *Ne vivam, mi Attice, ſi mihi non modo Tuſculanum, ubi ceteroqui ſum libenter, ſed μαχχέρων ὑποι tanti ſunt, ut ſine te ſim totos dies.* Et lib. XIV. *O loca ceteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine pene fugienda.* Sed & in Oratore etiam in vulgatis codicibus, *Illam autem concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci (quaſi aliquos geſtus orationis) χήματα appellant, quod idem verbum ab iis etiam in ſententiarum ornamenta transfertur. Adhibet quidem hic ſubtilis, quem niſi quod ſolum, ceteroqui recte quidam vocant Atticum, ſed paulo parcius.* Et in epiſtola etiam poſteriore ad Lepiam, *Si modo tecti ſatis eſt ad comitatum noſtrum recipiendum, ceteroqui is mihi locus non diſplicet.* Credimus autem formatum eſſe hoc adverbium, quemadmodum, *alioqui*, quod magis in uſu eſt, & eundem pene ſignificatum habet, ut hic oſtendat ſe mortem Sullæ non moleſte laturum fuiſſe, niſi vereretur unum incommodum tantum, quod ex ejus obitu conſequi videbatur: id autem erat, *ne haſta Cæſaris refrixiſſet:* ut taxet illum tanquam ſectorem & emptorem bonorum civium, quæ a Cæſare vendebantur. Eſt autem facete dictum. Eundem etiam jocum movet iiſdem pene verbis in eadem perſona in epiſtola ad Caſſium, *Nos hic D. Sullam patrem mortuum habebamus, alii a latronibus, alii cruditate dicebant: populus non curabat, combuſtum enim eſſe conſtabat: hoc tu pro ſapientia tua feres æquo animo, quanquam προέχοντα πόλεως amiſimus. Cæſarem putabant moleſte laturum, verentem ne haſta refrixiſſet:* ut accuratius videndum ſit, cum de eodem agi ambobus his locis manifeſtum ſit, cum priore *P.* appelletur, poſteriore vero *D.* in utro mendum ſit. Vulgata ſane lectio frigida erat & inepta meo judicio: unius autem literæ correctione arbitror illam valde illuſtratam eſſe: nec mirum eſt in voce parum frequenti antiquiores etiam librarios deceptos eſſe. *Victorius.*

ſero: unum vereor, ne haſta Caeſaris refrixerit.

Ne haſta Caeſaris refrixerit] Ne minus care & cupide vendantur bona Pompeianorum, quæ a Cæſare confiſcata ſub haſta vendebantur, mortuo P. Sulla ſectore, qui cum Sullanam vibraſſet haſtam, a Cæſariana non receſſit. *Corr.*

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Tulliolae filiae ſuae mortem, Dolabellae, qui jam antea cum ea divortium fecerat, dolenter ſignificans, ait ſibi plurimum ſolatii in illius conſuetudine & ſermonibus futurum. ſuos obtrectatores ab eo refutari vult: ſed amorem in ſe ex eo patefieri magis gaudet. Excuſat brevitatem litterarum ſuarum. Caeſare quartum conſule, ſine collega.

CICERO DOLABELLAE.

VEl meo ipſius interitu mallem litteras meas deſiderares, quam eo caſu quo ſum graviſſime afflictus: quem ferrem certe moderatius ſi te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis, multum levaret. Sed quum brevi tempore, ut opinio noſtra eſt, te ſum viſurus, ita me affectum offendes ut multum a te poſſim juvari: non quo ita ſim fractus ut aut hominem me eſſe oblitus ſim, aut fortunae ſuccumbendum putem: ſed tamen hilaritas illa noſtra & ſuavitas, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi omnis eſt. Firmitatem tamen & conſtantiam, ſi modo fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces quam reliquiſti. Quod ſcribis proelia te mea cauſſa ſuſtinere, non tam id laboro, ut ſi qui mihi obtrectent a te refutentur, quam intelligi cupio, quod certe intelligitur, me a te amari. quod ut facias te etiam atque etiam rogo, ignoſcaſque brevitati litterarum mearum. nam & celeriter una futuros nos arbitror, & nondum ſatis confirmatus ſum ad ſcribendum.

QUam eo caſu] Morte Tulliæ. *Corr.*

Erepta mihi omnis eſt] Eleganter ſic Pall. duo, Vatic. Peck. Victorii editio atque omnium prim. inepta eſt vulgata lectio *erepta nihil omnino eſt*. paucis verſibus poſt Pal. primus *ſi qui me obtrectent* ſcribit. *Gebh.*

Prælia te mea cauſa ſuſtinere] Contra eos, qui me putant non tam filiam quam reipublicæ tempora lugere. *Idem.*

EPI-

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Gratulatur Dolabellae de repentina Baiarum ſalubritate: orationem pro Deiotaro rege ad Caeſarem habitam mittit. Caeſare quartum conſule, ſine collega.

CICERO DOLABELLAE.

GRatulor Baiis noſtris, ſiquidem, ut ſcribis, ſalubres repente factae ſunt: niſi forte te amant & tibi aſſentantur & tamdiu dum tu ades ſunt oblitae ſui. Quod quidem ſi ita eſt, minime miror, coelum etiam & terras vim ſuam, ſi tibi ita conveniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi. quam velim ſic legas ut cauſſam tenuem & inopem, nec ſcriptione magno opere dignam. Sed ego hoſpiti veteri & amico munuſculum mittere

SAlubres] Jocatur Cicero, quia ſic Dolabella ſcripſerat. Nam *Baiis* alioqui, auctore Strabone, ſunt aquæ calidæ ad ſanandos morbos optimæ. *Corrad.*

Vim ſuam dimittere] Leg. *remittere.* Lamb. inepte.

Munuſculum mittere volui levidenſe] Nos verbum illud, *volui*, in nullis antiquioribus codicibus invenimus, nec tamen delere voluimus, cum aliquid omnino, ſi non ſit illud, deſideretur, ut perfecta ſit ſententia: niſi fortaſſe (quod ſuſpicor) verba illa ſint ex aliquo Poeta: quæ ſi tota haberemus, locum hunc per ſe illuſtrem, & planum facerent: nunc ignorata non parvas tenebras eidem offunduunt. Nos ut in re incerta, nihil quod certi proferamus, habemus. *Victor.* Officii mei quondam eſſe putavi, veterem hujus loci ſcripturam notam facere: quod nunc repeto, quia alii in pluribus antiquiſſimis vocem, quam nunc diximus in noſtris melioribus non inveniri, inveniſſe ſe affirmant: quibus fidem deeſſe non credimus, quemadmodum nos etiam hæc non fingimus. Mediceus certe codex ita legit. Nihil tamen ne nunc quidem immutamus. Eruditiſſimi illi atque humaniſſimi viri, de quibus antea locutus ſum, qui plura manu ſcripta exemplaria hujus mei laboris adjuvandi cauſa accurate inſpexerunt, affirmant ſe in nullo, *volui*, inveniſſe. *Idem.*

Levidenſe] Secutus ſum libb. manuſcriptos, non damnata Octavii Pantagathi, viri doctiſſ. conjectura, exiſtimantis legendum, *levi dente:* quam adjuvat vetus codex Memm. in quo eſt, *levi denſe*, disjunctim ſcriptum, & *denſe*, ſine diphthongo. *Levi dente* autem, id eſt, levi pectine. Jam vero Iſidorus docet, *levidenſem* veſtem dictam, raro filo leviterque denſatam: contra, *pavidenſem*, ſeu, *pavitenſem*, quaſi graviter preſſam. *Lambin.* Vox *levidenſe* mihi quidem ſuſpecta eſt, atque eo magis, quod

ſero: unum vereor, ne haſta Caeſaris refrixerit.

Ne haſta Cæſaris refrixerit] Ne minus care & cupide vendantur bona Pompeianorum, quæ a Cæſare confiſcata ſub haſta vendebantur, mortuo P. Sulla ſectore, qui cum Sullanam vibraſſet haſtam, a Cæſariana non receſſit. *Corr.*

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Tulliolae filiae ſuae mortem, Dolabellae, qui jam antea cum ea divortium fecerat, dolenter ſignificans, ait ſibi plurimum ſolatii in illius conſuetudine & ſermonibus futurum. ſuos obtrectatores ab eo refutari vult: ſed amorem in ſe ex eo pateſieri magis gaudet. Excuſat brevitatem litterarum ſuarum. Caeſare quartum conſule, ſine collega.

CICERO DOLABELLAE.

VEl meo ipſius interitu mallem litteras meas deſiderares, quam eo caſu quo ſum graviſſime afflictus: quem ferrem certe moderatius ſi te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis, multum levaret. Sed quum brevi tempore, ut opinio noſtra eſt, te ſum viſurus, ita me affectum offendes ut multum a te poſſim juvari: non quo ita ſim fractus ut aut hominem me eſſe oblitus ſim, aut fortunae ſuccumbendum putem: ſed tamen hilaritas illa noſtra & ſuavitas, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi omnis eſt. Firmitatem tamen & conſtantiam, ſi modo fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces quam reliquiſti. Quod ſcribis proelia te mea cauſſa ſuſtinere, non tam id laboro, ut ſi qui mihi obtrectent a te refutentur, quam intelligi cupio, quod certe intelligitur, me a te amari. quod ut facias te etiam atque etiam rogo, ignoſcaſque brevitati litterarum mearum. nam & celeriter una futuros nos arbitror, & nondum ſatis confirmatus ſum ad ſcribendum.

Quam eo caſu] Morte Tulliæ. *Corr.*

Erepta mihi omnis eſt] Eleganter ſic Pall. duo, Vatic. Peck. Victorii editio atque omnium prim. inepta eſt vulgata lectio *erepta nihil omnino eſt*. paucis verſibus poſt Pal. primus *ſi qui me obtrectent* ſcribit. *Gebb.*

Prælia te mea cauſa ſuſtinere] Contra eos, qui me putant non tam filiam quam reipublicæ tempora lugere. *Idem.*

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Gratulatur Dolabellae de repentina Baiarum ſalubritate: orationem pro Deiotaro rege ad Caeſarem habitam mittit. Caeſare quartum conſule, ſine collega.

CICERO DOLABELLAE.

GRatulor Baiis noſtris, ſiquidem, ut ſcribis, ſalubres repente factae ſunt: niſi forte te amant & tibi aſſentantur & tamdiu dum tu ades ſunt oblitae ſui. Quod quidem ſi ita eſt, minime miror, coelum etiam & terras vim ſuam, ſi tibi ita conveniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi. quam velim ſic legas ut cauſſam tenuem & inopem, nec ſcriptione magno opere dignam. Sed ego hoſpiti veteri & amico munuſculum mittere

SAlubres] Jocatur Cicero, quia ſic Dolabella ſcripſerat. Nam *Baiis* alioqui, auctore Strabone, ſunt aquae calidae ad ſanandos morbos optimae. *Corrad.*

Vim ſuam dimittere] Leg. *remittere.* Lamb. inepte.

Munuſculum mittere volui levidenſe] Nos verbum illud, *volui*, in nullis antiquioribus codicibus invenimus, nec tamen delere voluimus, cum aliquid omnino, ſi non ſit illud, deſideretur, ut perfecta ſit ſententia: niſi fortaſſe (quod ſuſpicor) verba illa ſint ex aliquo Poeta: quae ſi tota haberemus, locum hunc per ſe illuſtrem, & planum facerent: nunc ignorata non parvas tenebras eidem offund[u]nt. Nos ut in re incerta, nihil quod certi proferamus, habemus. *Victor.* Officii mei quondam eſſe putavi, veterem hujus loci ſcripturam notam facere: quod nunc repeto, quia alii in pluribus antiquiſſimis vocem, quam nunc diximus in noſtris melioribus non inveniri, inveniſſe ſe affirmant: quibus fidem deeſſe non credimus, quemadmodum nos etiam haec non fingimus. Mediceus certe codex ita legit. Nihil tamen ne nunc quidem immutamus. Eruditiſſimi illi atque humaniſſimi viri, de quibus antea locutus ſum, qui plura manu ſcripta exemplaria hujus mei laboris adjuvandi cauſa accurate inſpexerunt, affirmant ſe in nullo, *volui*, inveniſſe. *Idem.*

Levidenſe] Secutus ſum libb. manuſcriptos, non damnata Octavii Pantagathi, viri doctiſſ. conjectura, exiſtimantis legendum, *levi dente*: quam adjuvat vetus codex Memm. in quo eſt, *levi denſe*, disjunctim ſcriptum, & *denſe*, ſine diphthongo. *Levi dente* autem, id eſt, levi pectine. Jam vero Iſidorus docet, *levidenſem* veſtem dictam, raro filo leviterque denſatam: contra, *pavidenſem*, ſeu, *pavitenſem*, quaſi graviter preſſam. *Lambin.* Vox *levidenſe* mihi quidem ſuſpecta eſt, atque eo magis, quod

tere volui levidenſe, craſſo filo, cujuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Tu velim animo ſapienti fortique ſis: ut tua moderatio & gravitas aliorum infamet injuriam.

quod a nullo, præterquam ab Iſidoro, veterum Grammaticorum citatur: a quibus nullo pacto fuiſſet prætерita, ſi ea vel ſemel Ciceronem uſum animadvertiſſent. Ego autem puto ita primum a Cicerone ſcriptum fuiſſe, *& amice munuſculum mittere volui leve craſſo filo*, deinde inductam ab aliquo gloſſam *denſo* ſuper verbum *craſſo*, & ab indocto librario in ſeriem receptam, ex duabus vocibus *leve denſo* unam factam eſſe *levidenſe*. Octavius Pantagathus ſine verbo, *volui*, quod abeſt a quibuſdam libris, ita legebat: *Sed ego hoſpiti veteri & amico munuſculum mittere levi dente craſſo filo, cujuſmodi ipſius ſolent eſſe munera*. F. Urſin. *Munuſc. mitt. volui levidenſe*] Non eſt ut ab omnium codicum ſcriptura recedamus. *Levidenſe* enim munus eſt non valde excultum & pretioſum, quales ſolent eſſe veſtes levidenſes craſſioris fili. Iſidor. Orig. XIX, 22. *Levidenſis veſtis, quod rare filo fit, levi, terque denſata*.

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Rogat Dolabellam, ut Suberino & Planio reditum in patriam a Caeſare impetret; eoſque ita excuſat, ut oſtendat, caſu quodam & neceſſitate coactos Pompeii partes in Hiſpania ſecutos eſſe. Caeſare quartum conſule, ſine collega: Hiſpanienſi bello confecto, cum nondum tamen Caeſar in Italiam revertiſſet. nam praeſenti Dolabellae commendaticias litteras Cicero non miſiſſet. Commendationis capita quinque: unum, quod familiares ſui ſint Suberinus & Calenus; alterum, quod Leptae familiariſſimi ſui perneceſſarii; tertium, quod cum Pompeii filio, non conſilio & voluntate, ſed caſu potius & neceſſitate quadam, contra Caeſarem pugnaverint; quartum, quod redacti fere ad inopiam ſint; quintum, quod jam Caeſar iis vitam conceſſerit, ex quo non difficile videtur ab eodem iis reditum impetrare.

CICERO DOLABELLAE S.

CAius Suberinus Calenus & meus eſt familiaris & Leptae noſtri familiariſſimi perneceſſarius. is cum vitandi belli cauſſa profectus eſſet in Hiſpaniam cum M. Varrone

Cum M. Varrone] Tunc Pompeii legato. *Corrad.*

Ante

tone ante bellum, ut in ea provincia eſſet, in qua nemo noſtrum poſt Afranium ſuperatum bellum ullum fore putarat: incidit in ea ipſa mala quae ſummo ſtudio vitaverat. Oppreſſus eſt enim bello repentino: quod bellum commotum a Scapula ita poſtea confirmatum eſt a Pompeio, ut nulla ratione ſe ab illa miſeria eripere poſſet. Eadem cauſſa fere eſt M. Planii heredis, qui eſt item ut Calenus Leptae noſtri familiariſſimus. Hoſce igitur ambo tibi ſic commendo ut majore cura, ſtudio, ſollicitudine animi commendare non poſſim. Volo ipſorum cauſſa: meque in eo vehementer & amicitia movet & humanitas. Lepta vero cum ita laboret ut ejus fortunae videantur in diſcrimen venire, non poſſum ego non aut proxime atque ille aut etiam aeque laborare. Quapropter etſi ſaepe expertus ſum quantum me amares, tamen ſic velim tibi perſuadeas, id me in hac re maxime judicaturum. Peto igitur a te vel, ſi pateris, oro, ut homines miſeros, & fortuna, quam vitare nemo poteſt, magis quam culpa calamitoſos conſerves incolumes: veliſque per te me hoc muneris cum ipſis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quo cum mihi magna neceſſitudo eſt, tum Leptae, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus ſum, puto equidem non valde ad rem pertinere, ſed tamen nihil obeſt dicere. res familiaris alteri eorum valde exigua eſt, alteri vix equeſtris. Quapropter quum his Caeſar vitam ſua liberalitate conceſſit, nec eſt quod iis praeterea magnopere poſſit adimi: reditum, ſi me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice. In quo nihil eſt praeter viam lon-

Ante bellum] Civile. *Corrad.*

In ea provincia eſſet] Etiam poſt Varronis deditionem. Nam eodem tempore Varro & Afranius in Hiſpania fuerunt, hic in citeriore, ille in ulteriore. *Idem.*

Scapula] Quem Oppius quoque ſeditionis caput appellat. *Idem.*

Pompeio] Cn. Pompeio Cn. F. *Corr.*

Qui eſt item Calenus] Hæc plane inſulſa ſunt, & nullius ſenſus. Reſcripſi ex Hittorpiano: *qui eſt item ut Calenus.* Non male etiam ſext. Pal. *qui eſt item uti Calenus Lepta noſtri familiariſſimus.* Grævius.

Volo ipſorum cauſſa] Vehementer ipſis faveo, ipſis bene cupio. Sup. lib. 1, ep. 1.

Vix equeſtris] Quadringenta millia ſeſtertium. Noſtra pecunia decem millia Philippeum, ſeu Scutatorum.

Tua

longam: quam idcirco non fugiunt ut & vivant cum ſuis, & moriantur domi. Quod ut enitare contendaſque, vel potius ut perficias, poſſe enim te mihi perſuaſi, vehementer te etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Dolabellam effert laudibus, quia columnam & aram Caeſari mortuo, tamquam deo, erectam everterat, homineſque peſſime contra civitatem & libertatem animatos ſupplicio affecerat. Scripta paullo poſt Caeſaris necem, M. Antonio & ipſo Dolabella coſſ.

CICERO DOLABELLAE CONSULI S.

ETſi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, ſatiſque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus. Neminem conveni, convenio autem quotidie plurimos: ſunt enim permulti optimi viri qui valitudinis cauſſa in haec loca veniant, praeterea ex municipiis frequentes neceſſarii mei, qui omnes, cum te ſummis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. Negant enim ſe dubitare, quin tu meis praeceptis & conſiliis obtemperans praeſtantiſſimum te civem & ſingularem conſulem praebeas. Quibus ego quamquam veriſſime poſſum reſpondere, te quae facias tuo judicio & tua ſponte facere, nec cujuſquam egere conſilio: tamen neque plane aſſen-

TUa gloria] Quam adeptus es tollenda columna Cæſari erecta, locoque ſternendo, propoſita iis cruce & ſaxo, qui id amplius tentarent. *Corr.*

In hac loca] Pompeianum, Puteolanum & Cumanum. *Idem.* *Qui valitudinis cauſſa in hac loca veniant*] Etſi non damnem vulgatam lectionem; tamen adhærendum Victorio duxi ac Pall. duobus. (quibus accedit Amſtelod.) alii *conveniant*, ut editio princeps. *Gebhard.*

Qui omnes] Sic P. Victor. & eum ſecutus Gebhardus ediderunt, *qui omnes.* Sic & Amſtelod. Vatic. Med. Peck. Stewech. quin & optimi codices in XIV ad Atticum, in quo hæc epiſtola eſt incluſa. Eſt oratio pendens, cujus generis nonnullæ reperiuntur apud veteres. Vide quæ ad illas ad Atticum notavi. *Gravius.*

Et

ſentior, ne imminuam tuam laudem, ſi omnis a meis conſiliis profecta videatur; neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quam ſatis eſt, gloriae. Et tamen non alienum dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni, regum regi, fuit honeſtum, habere aliquem in conſiliis capiundis Neſtorem: mihi vero glorioſum, te juvenem conſulem florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinae meae. L. quidem Caeſar, cum ad eum aegrotum Neapolim veniſſem, quamquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, tamen antequam me plane ſalutavit, o mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum, ſi ego apud ſororis filium valerem, jam ſalvi eſſe poſſemus. Dolabellae vero tuo & gratulor & gratias ago: quem quidem poſt te conſulem, ſolum poſſumus vere conſulem dicere. Deinde multa de facto ac de re geſta: tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil reip. ſalutarius. Atque haec una vox omnium eſt. A te autem peto, ut me hanc quaſi falſam

Et tamen non alienum dignitate tua] Peckio quidem excerpta, & prima edit. *alienum dignitati tua*; quod mihi magis quamvis probatur, tamen ob raritatem teſtium non auſus ſum inducere fundo ac rei Tullianæ. Sic Attico l. 1, ep. 1. *non aliena rationi noſtra fuit illius hac praepropera prenſatio*. ſed, ut edidi, inveni in Pall. duobus, Vatic. duobus Guilielmianis, editione Victorii. [quibus adſtipulatur Amſtelod.] vulgatum erat, *eſt tamen non alienum a dignitate*, &c. *Gebh.*

L. quidem Caſar] Qui coſ. fuit cum C. Figulo: vel, ut alii volunt, cum Q. Martio Thermo. *Corrad.*

Apud ſororis filium] M. Antonium, collegam Dolabellæ.

Deinde multa de facto, ac de re geſta] Interpretatur Græcam vocem πρᾶξιν, qua in epiſtolis ad Atticum in hac re exponenda non ſemel uſus eſt: multis etiam aliis in locis eodem Latino verbo Græcum expreſſit. In Philippica prima, *Erectus enim maximi & pulcherrimi facti conſcientia.* Ad Atticum, ὢ πρά-ξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Etſi cum commode facere poteſt, Græco potius utitur. Recentiores interpretes Ariſtotelis in libris quos confecit de vita & moribus, *actionem* potius appellarent: putant enim diſtingui oportere apud Latinos diverſas res diverſis nominibus, quemadmodum apud Græcos fit: illi enim habent ποίησιν & πρᾶξιν, poſterioremque ſemper ſervarunt, ut actionem redderent: quod Cicero, quemadmodum apparet, neglexit: nam hic non de manuum opere, ſed de civili facinore agitur. *Victor.*

Nihil reip. ſalutarius] In vett. libris & l. XIIII. ad Att. ſic legitur, *Salutarius teſtatus eſt.* Etſi verbum illud ibi quoque nonnulli tollunt. *Corr.*

Ut me hanc quaſi falſam hereditatem aliena gloria ſinas cernere] Pervenuſta tranſlatione, pro, ut me ſinas partem alienæ laudis & gloriæ in me derivare, tanquam qui alienam hereditatem adit. *Cernere* enim *hereditatem* eſt adire hereditatem.

Ut

falſam hereditatem alienae gloriae ſinas cernere: meque aliqua ex parte in ſocietatem tuarum laudum venire patiare. quamquam, mi Dolabella, haec enim jocatus ſum, libentius omnis meas, ſi modo ſunt aliquae meae laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauſerim ex tuis. Nam cum te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti: tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut ſcis, M. Brutum, propter ejus ſummum ingenium, ſuaviſſimos mores, ſingularem probitatem, atque conſtantiam. tamen idibus Martiis tantum acceſſit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat qui putaret ad eum amorem quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe. Quare quid eſt quod ego te horter, ut dignitati & gloriae ſervias? proponam tibi claros viros, quod facere ſolent qui hortantur? neminem habeo clariorem quam teipſum. te imitere oportet: tecum ipſe certes. ne licet quidem tibi jam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. Quod cum ita ſit, hortatio non eſt neceſſaria, gratulatione magis utendum eſt. Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini, ut ſumma ſeveritas animadverſionis non modo non invidioſa, ſed etiam popularis eſſet, & cum bonis omnibus tum infimo cuique gratiſſima. Hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet, gratularer felicitati tuae: ſed contigit magnitudine cum animi tum etiam ingenii atque conſilii. Legi enim concionem tuam. nihil illa ſapientius. ita pedetentim

&

Ut nihil unquam in amore fuerit ardentius] Pal. primus: *in amore mi fuerit ard.* Peck. vero ac Stewech. [nec non Amſtelodam.] *in amore mihi fuerit ard.* quemadmodum excuſum eſt in editionum antiquiſſima. Palatinus vero ſextus, & unus ex Gulielmio conſultis: *in amorem fuerit ard.* unde ille: *in amore me fuerit ardentius.* Gebhardus.

Idibus Martiis] Quibus ille & reliqui Cæſarem interfecerunt. *Corrad.*

Severitas animadverſionis] Cum in audaces ſceleratoſque ſervos, tum in impuros & nefarios liberos, qui columnam erexerant. *Idem.*

Urbem

& gradatim tum acceſſus a te ad cauſſam facti, tum receſſus, ut res ipſa maturitatem tibi animadvertendi omnium conceſſu daret. Liberaſti igitur & urbem periculo, & civitatem metu: neque ſolum ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum facti. Intelligere debes in te poſitam eſſe remp. tibique non modo tuendos, ſed etiam ornandos eſſe illos viros a quibus initium libertatis profectum eſt. Sed his de rebus coram plura propediem, ut ſpero. Tu quum remp. noſque conſervas, fac ut diligentiſſime te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias.

Urbem periculo] Incendii. *Corradus.*
Civitatem metu] Seditionis. *Idem.*
Etiam ad exemplum facti] Scrib. *etiam ad exemplum. quo facto intelligere.* Lambin. perperam *ad exemplum facti* eſt ut alii hoc factum in talibus caſibus imitentur.
Illos viros] Brutum, Caſſium, & reliquos. *Corrad.*

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Duabus Paeti epiſtolis reſpondet; priori, jure ſe ejus valetudine perturbatum, cujus & amorem in ſe, & ingenii feſtivitatem plurimi faciat; poſteriori, nihil referre utrum Romae ſit an Neapoli; cum Romae unius nutu regantur omnia: itaque ſe manere in ſententia de domo Neapoli emenda. Caeſare tertium & Lepido coss. confecto Africano bello, antequam Caeſar iret in Hiſpaniam contra Pompeii liberos.

CICERO PAETO S.

DUabus tuis epiſtolis reſpondebo, uni, quam triduo ante acceperam a Zetho, alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis litteris intellexi pergratam tibî

P*Ergratam tibi eſſe ſententiam meam*] Nos maluimus hunc locum ut in vetuſtioribus reperimus tradere mendoſum & lacerum, quam ut a quibuſdam (ut opinor) ſuppletus erat. Quod ſi attentius verba illa odoraberis, ſenties profecto ſuppoſita eſſe: tam male inter ſe cohærent, & tam parum reliquis conveniunt. Si noſtrum conſilium probabitur gaudebimus: ſcimus autem eruditorum multorum conſenſum in repudiandis, expungendiſque dictionibus ſententiiſque omnibus, quæ temere intra bonorum auctorum fines irruperant. *P. Victor.* Locum quem in optimis ac vetuſtis codicibus lacerum comminu-

tibi * perſpectum eſſe gaudeo. Sed, mihi crede, non perinde, ut eſt reapſe, ex litteris perſpicere potuiſti. Nam cum a ſatis multis, non enim poſſum aliter dicere, & coli me videam & diligi, nemo eſt illorum omnium mihi te jucundior. Nam quod me amas, quod id & jampridem & conſtanter facis, eſt id quidem magnum, atque haud ſcio an maximum: ſed tibi commune cum multis. quod tu ipſe tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere jucundus, id eſt proprie tuum. Accedunt non Attici, ſed ſalſiores quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani ſales. Ego autem, exiſtimes licet quod lubet, mirifice capior facetiis, maxime noſtratibus, praeſertim cum eas videam primum oblitas Latio, tum cum in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas, nunc vero etiam braccatis & tranſalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis veſtigium

tumque eſſe docuimus, alii, qui nullos locos jacere ac deſperatos eſſe patiuntur, quoquo modo potuerunt reſtituere: de quorum lectione ſollicitus non fui, compertum habens, illam novam commentitiamque eſſe. *Idem.* Pantagathus totum hunc locum ita legebat, *Pergratam tibi meam de perturbatione valetudinis tuæ examinationem fuiſſe: amorem erga te meum tibi perſpectum eſſe gaudeo.* F. Urſin. Locum hiantem ac lacerum ex Pal. primo ac Victorio malui retinere, quam aliorum ingenio ſuppletum. Lambinus ſtrenuum ſe hic dedit legendo: *pergratam tibi eſſe ſententiam meam & curam valetudinis tuæ, animumque erga te meum: quem tibi perſp.* Pal. tamen ſextus & priſca editio 1 *pergratam tibi curam meam valitudinis.* Gebhardus. Iſta lacuna extat etiam in Amſtelod. Corradus tamen teſtatur ſe in quatuor ſuis libris reperiſſe: *pergratam tibi eſſe curam meam valetudinis tuæ, quam tibi perſpectam eſſe gaudeo.* Edd. duæ vetuſtiores Italicæ: *Pergratam tibi eſſe ſententiam meam, & animum meum perſpectum circa curam valetudinis tuæ, quam tibi eſſe gaudeo.* Sed ſatius duxi lacunas veterum librorum retinere, quam centones aliorum pro Ciceronis purpura lectoribus obtrudere.

Non perinde ut eſt re abſens literis, &c.] Veteres codices, *ut eſt reapſe ex literis.* Sic enim non ſolum pro re ipſa priſci illi dicebant, ut Pacuvius, *Si non eſt ingratum reapſe quod feci*, ſed poſteriores, & politiores etiam ut Cicero, cujus in v. de finibus hæc ſunt verba. *Quamobrem ordiamur ab eo quod modo poſui, quod idem reapſe primum eſt.* Nonnulli autem ſunt qui omnia in quæ non paſſim incidunt, ut obſoleta & rudia faſtidiant. *P. Victor.* *Ut eſt reapſe, ex litteris perſpicere potuiſti.*] Hæc lectio corrupta in Palatino primo & editionum primaria anſam dedit; *ut eſt re abſens litteris.* [ſic etiam exaratum eſt in Amſtelod.] Pal. ſextus, *ut eſt reipſa ex litteris.* Vulgatum vero eſt, *ut eſt reipſa, abſens ex litteris perſpicere potuiſti.* Gebhard.

Oblitas Latio] Infectas, & deturpatas ab hominibus Latinis, qui non erant Romani.

Nunc vero etiam braccatis & tranſalpinis nationibus] Nam Cæſar civitate donatos quoſdam e ſemibarbaris Gallorum in curiam recepit. *Corradus.* In Peck. *nunc vero placet etiam bracatis*, unde

gium appareat. Itaque te cum video, omnis mihi Granios, omnis Lucilios; vere ut dicam, Craſſos quoque, & Laelios videre videor. Moriar ſi praeter te quemquam reliquum habeo, in quo poſſim imaginem antiquae & vernaculae feſtivitatis agnoſcere. Ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris, me tanta perturbatione valitudinis tuae tam graviter exanimatum fuiſſe? Quod autem altera epiſtola purgas te, non diſſuaſorem mihi emtionis Neapolitanae fuiſſe, ſed auctorem cômmorationis urbanae, neque ego aliter accepi. intellexi tamen idem quod his intelligo litteris, non exiſtimaſſe te mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora. Quid ſimile? ne mihi quidem ipſi tunc placebat diutius abeſſe ab reip. cuſtodia. ſedebamus enim

unde Guilielm. *nunc vero jacet etiam braccatis.*

Omnes mihi Graecbos, omnes Lucilios] Veteres omnes codices *Granios* habent, quæ vera eſt hujus loci lectio. Fuit enim *Granius* quidam valde facetus, ſed amaris quandoque ſalibus dicax. *Lucilius* item ſatyras ſuas multis ſalibus jociſque reſperſit. De Granio meminit Cicero Lib. II de Oratore. *Qui igitur diſtinguemus a Craſſo, a Catulo, a ceteris, familiarem noſtrum Granium, aut Vargulam amicum meum, non mehercule in mentem mihi quidem venit: ſunt enim dicaces, Granio quidem nemo dicatior.* Aliis etiam locis de Granio meminit ut faceto. Nam Granium, Luciliumque & dicaciores, & humilioris fortunæ homines conjungit: *Craſſum* autem, & *Lelium*, qui & nobiliores, urbanioreſque erant, ab illis ſeparat. *Victor.*

Vernacula feſtivitatis] Genuinæ, inter Romana pomœria natæ. Cic. Bruto: *Tincam, non minus multa ridicule dicentem, Granius obruerat neſcio quo ſapore vernaculo.* in epiſtolis ad Att. lib. VII. ep. II. αὐτόχθων dicitur. *Me hercule eſt, quam facile diligas, αὐτόχθων in homine urbanitas.* C. Nep. Attico: *Tanta autem ſuavitas erat ſermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem eſſe, non adſcitum.* Petron. *O hominem acutum, atque urbanitatis vernacula fontem.* Tacit. II Hiſt. c. 88. *Incurioſos milites, vernacula, ut rebantur, urbanitate quidam ſpoliavere, abſciſſis furtim balteis, an accincti forent, rogitantes.* Gronov. IV de pec. vet. cap. 10.

Auctorem moderationis urbana] Sic MSS. forte: *auctorem demorationis urbana.* Guilielm. quod ſane non improbem. Nam quamvis hæc vox non legitur apud Ciceronem, *demorari* tamen bis in ejus ſcriptis extat. & cum a *commorari* ſit *commoratio*, cur non a *demorari* ſit *demoratio*? Editur vulgo *commorationis.* Sequentia ſane talem vocem deſiderant. hoc enim vult, ſuaſiſſe te, ne plane deſeram urbem, ſed in illa commorer in poſterum quoque, quamvis non diſſuaſeris, ne domum emere velim Neapoli. *Gravius.*

Catulum mihi narras] Qu. Catulum Qu. Fratrem, quem Cæſare & Bibulo Coſſ. vixiſſe oſtendit alibi Cicero: ut hæc epiſtola Cæſare non Coſ. ſed Dictatore ſcripta videri debeat. Quod magis etiam probat mentio de Siliana domo, de qua ad Atticum eo tempore ſæpe ſcripſit. *Catulus* autem is fuit, quem ne-

 que

enim in puppi & clavum tenebamus. nunc autem vix eſt in ſentina locus. An minus multa ſenatuſconſulta futura putas ſi ego ſim Neapoli? Romae cum ſum, & urgeo forum, ſenatuſconſulta ſcribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem cum in mentem venit, ponor ad ſcribendum: & ante audio ſenatuſconſultum in Armeniam & Syriam eſſe perlatum, quod in meam ſententiam factum eſſe dicatur, quam omnino mentionem ullam de ea re eſſe factam. Atque hoc nolim me jocari putes. Nam mihi ſcito jam a regibus ultimis allatas eſſe litteras, quibus mihi gratias agant quod ſe mea ſententia reges appellaverim: quos ego non modo reges appellatos, ſed omnino natos neſciebam. Quid ergo eſt? tamen quam diu hic erit noſter hic praefectus moribus, parebo auctoritati tuae. cum vero aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum ſi habebo, in denos dies ſingulos ſumtuariae legis dies conferam. Sin autem minus invenero, quod placeat, decrevi habitare apud te. Scio enim me nihil tibi gratius facere poſſe. Domum Sullanam deſperabam jam, ut tibi proxime ſcripſi: ſed tamen non abjeci. Tu velim, ut ſcribis, cum fabris eam perſpicias. Si enim nihil eſt in parietibus aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur.

que periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit unquam de ſuo curſu vitæ aut ſpe, aut metu dimovere. *Corradus.*

Apud amatorem tuum] Cæſarem: etſi non deſunt qui hæc omnia ad M. Antonium Coſ. referant, ut in Epiſt. 1 lib. XII. nos de Cæſare dicta accipimus. *Idem.*

Ponor ad ſcribendum] Legendum eſt libris omnibus invitis: *ponor affuiſſe ſcribendo.* Lambin. *Ponor* a Cæſare, tanquam ſcribendo affuerim. *Corrad.* Vid. ad lib. VIII, ep. 8.

Præfectus moribus] Cæſar: qui, auctore Dione, non Cenſor, ſed præfectus moribus fuit ante quam contra Pompeji filios in Hiſpaniam proficiſceretur. *Corrad.*

In denos dies, ſingulos ſumptuaria legis dies conferam. ſin autem] Miror cur correctores offenderit iteratum τὸ *dies.* Sic eſt in Palat. ſexto, (nam primus totum hunc complexum omittit) duobus Guilielmianis, Vaticano, editione priſca & Victoriana: Vulgo: *ſingulos ſumtuaria legis conferam. ſin minus.* Gebhardus. Vulgatæ ſubſcribit Amſtelodamenſis codex.

EPI-

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Oſtendit nihil a ſe praetermiſſum ut Caeſarianorum benevolentiam ſibi conciliaret: deinde, neque boni civis, neque ſapientis hominis officium in ſe deſiderari poſſe: poſtremo ad Papirii jocationes reſpondet. Caeſare tertium, & Lepido coss. poſt bellum Africanum.

CICERO PAPIRIO PAETO S.

DElectarunt me tuae litterae: in quibus primum amavi amorem tuum, qui te ad ſcribendum incitavit, verentem, ne Silius ſuo nuntio aliquid mihi ſollicitudinis attuliſſet: de quo & tu mihi antea ſcripſeras, bis quidem eodem exemplo, facile ut intelligerem te eſſe commotum: & ego tibi accurate reſcripſeram, ut quoquo modo in tali re atque tempore aut liberarem te iſta cura: aut certe levarem. Sed quum proximis quoque litteris oſtendis, quantae tibi curae ſit ea res, ſic, mi Paete, habeto: quidquid arte fieri poterit, non enim jam ſatis eſt conſilio pugnare: artificium quoddam excogitandum eſt, ſed tamen quidquid elaborari aut effici

DElectaverunt me tuæ litteræ] Hæc epiſtola ut in omnibus divulgatis hodie eſt videre XVI. loco aliarum legitur, ſubſequiturque eam quæ incipit, *Duabus tuis epiſtolis.* In manuſcripto codice noſtro, & antiquiori, & fide digno, poſt eam ſubſequuntur complures aliæ, quæ VIII. in libro leguntur, ut ſunt: *Eſtne? vici? Invideo tibi: tam multa quotidie. Quæ tu cura ſit. Non dubito quid perlatum ad te ſit. Quam certo tu iſthinc. Etſi de Repub. quæ tibi ſcribam. Quod M. Marcellus Coſ. filius. Sic tu, inquis, Hirtium tractaſti?* Et has quidem omneis poſt, *Delectaverunt me tuæ litteræ,* accedit. Sed de ordine neque tantopere inſudandum, cum præſertim non adeo continuæ ſint ut ordine quodam certo legi debeant. Sunt enim, ut caſus puto obtulerat, id in corpus congeſtæ. Nunc vero ad varietatem verborum accedamus, cum cætera dixiſſe volo, ut lectores admoneam, quanta ſit temporum incuria varietas bonis in libris. *N. Scalſ.* Amſtelodamenſis codex eundem ordinem ſervat.

Ne Silius ſuo nuntio] A quo Cicero villam emere volebat, ut ad Atticum lib. XII. ſæpe ſcribit, ubi neſcio quo modo illum cum tabellariis etiam miſcet. *Corrad.*

Quum proximis quoque litteris oſtendis] Verebatur Pætus, ne quem ex Cæſarianis Cicero offenderet.

effici potuerit, ad iſtorum benevolentiam conciliandam & colligendam, ſummo ſtudio me conſecutum eſſe: nec fruſtra, ut arbitror. ſic enim color, ſic obſervor ab omnibus his qui a Caeſare diliguntur, ut ab his me amari putem. Nam etſi non facile dijudicatur amor verus, & fictus, niſi aliquod incidat ejuſmodi tempus, ut, quaſi aurum igni, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit: cetera ſunt ſigna communia: ſed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo vereque arbitrer diligi, quia & noſtra fortuna ea eſt & illorum ut ſimulandi cauſſa non ſit. De illo autem quem penes eſt omnis poteſtas nihil video quod timeam: niſi quod omnia ſunt incerta, cum a jure diſceſſum eſt: nec praeſtari quidquam poteſt, quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen ejus ipſius nulla re a me offenſus eſt animus. Eſt enim adhibita in ea re ipſa ſumma a nobis moderatio. Vt enim olim arbitrabar eſſe meum libere loqui, cujus opera eſſet in civitate libertas; ſic, ea nunc amiſſa, nihil loqui quod offendat aut illius, aut eorum qui ab illo diliguntur, voluntatem. Effugere autem ſi velim nonnullorum acute, aut facete dictorum offen-

Cum a jure diſceſſum eſt] Hoc eſt, cum quis ad tantam potentiam evectus eſt, ut ſupra leges ſit, ut neglectis legibus omnia poſſit agere & moderari pro arbitrio. In bene conſtitutis rebuſpublicis leges ſunt ſupra ſummos magiſtratus: hinc in legibus conſiſtit libertas. inde & *leges* ſæpe pro libertate ponuntur. *reddere civitatem legibus* apud Juſtin. eſt reſtituere civitati libertatem. Phædrus, *Athenæ cum florerent æquis legibus*: cum eſſet libera reſpublica. Tyranni vero leges opprimunt, ut Cæſar tum fecerat: A cujus voluntate cum omnia penderent; voluntas autem hominis mutabilis valde ſit & inconſtans, jure dixit Cicero omnia incerta eſſe, nec quicquam de futuris rebus nos nobis, aut aliis poſſe certo polliceri & affirmare, quoniam variis rationibus illius voluntas qui ſolus rerum potitur, & omnia pro ſuo temperat arbitrio, poſſit immutari. Hinc in ſequente epiſtola dixit, ſe de lucro prope jam quadriennium vivere, hoc eſt, ſic vivere ut ſua vita pendeat ab alterius voluntate & nutu, ut omnis dies, quem vivat, pro lucro deputandus ſibi ſit. ſic Livius loquitur lib. XL. *Cum pater, ſatin ſalva? & quaenam ea maeſtitia eſſet, interrogaret eum: de lucro, pater, inquit, vivere me ſcito: jam non occulta a fratre petimur inſidiæ.* Terent. Phorm. Act. II. Scen. I. *Quicquid præter ſpem eveniet, omne id deputato in lucro eſſe.* Græv.

Effugere autem ſi velim nonnullorum acute, aut facete dictorum offenſionem] Hic in parvo negotio dicere poſſum, quod

ſenſionem , fama ingenii mihi eſt abjicienda: quod ſi id poſſem , non recuſarem. Sed tamen ipſe Caeſar habet peracre judicium: & , ut Servius, frater tuus , quem litteratiſſimum fuiſſe judico , facile diceret , hic verſus Plauti non eſt , hic eſt , quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum ,

quod fortiſſimus vir Braſidas Lacedæmonius multo majore in re dixit: cum enim trajecto clypeo ſpiculo transfixus in prœlio fuiſſet , interrogatus poſtea , quomodo id factum eſſet, reſpondit , Clypeus me prodidit : idem ego dicere poſſum. optimum ac fideliſſimum Medi. eum librum me prodidiſſe: cujus enim ope tanquam ſcuto me tegere conſueveram , id mihi vitio fuit. Cum *offenſionem* non inveniſſem in eo , cogitavi non incommode *famam* legi poſſe : quæ res diu me ſollicitum habuit: tamen multis in locis inveniens Ciceronem ita locutum eſſe, cognovi erratum librarii me quoque in errorem induxiſſe. In Verr. III. XCII. *offenſionem negligentia vitare , atque effugere non poſſum.* In Epiſt. ad Sulpitium XLVIII. *Sed tamen quoniam effugi ejus offenſionem*, &c. Hæc exempla , quanquam alia quoque ſunt , me in margine mei exemplaris damnata lectione, quam repoſueram , adnotaſſe , teſtis erit mihi Proſperus Pacetus , doctus & officioſus juvenis , qui mihi Ciceronis epiſtolarum volumen nuper a Paulo impreſſum in Decimanum meum attulit , nonnullaſque horas mecum conſumpſit , quibus & quid de hoc , & de nonnullis Ciceronis locis ſentirem , narravi. *Victorius.* Priorem annotationem , qua *famam* legi juſſit quære inter Manutianas notas. Mirum autem Gebhardum recepiſſe lectionem hanc a Victorio ipſo poſtea improbatam , & exagitare Manutium quod eam repudiet. ut videas quid poſſit præconcepta opinio , en tibi ejus notam : *Facete dictorum famam*] Ita edidit Victorius , cui licet repugnet Manutius , moneo tamen lectorem , ne attendat : nam ille bonus vir non ſatis ingenii ad emendationem Tullii attulit , neque, libere loquor , ſatis judicii. ſoleoque P. Victorii operam multis paraſangis præferre. eruit hanc quoque lectionem ex v. c. vir doctus, qui addit: ſic v. c. recte , invito quamvis Manutio. ait ſe , ut maxime velit , famam illam acute dictorum effugere non poſſe , cum ſubito animadvertat Cæſar , quid vere a Cicerone profectum ſit. Palat. ſextus, *facete dictorum opinionem.* vulgo *facete dictorum offenſionem.* Hæc Gebhardus. Quantum ingenii judiciique Gebhardus attulerit ad Ciceronem emendandum hic locus argumento eſt. Fert hercule pretium ſuæ maledicentiæ , qui doctiſſimum Manutium , quo nemo , ſi a Victorio diſceſſerimus , melius de Cicerone meritus eſt , hic exagitat iniquiſſime , cum pro Manutio ſtent non ſolum plurimi libri antiqui , inter quos & Amſtelod. ſed & ipſe Victorius. a quo ubi diſcedit Gebhardus , raro vel unquam ſani aliquid affert. Poſſet etiam ferri *facete dictorum opinionem* , quod in nonnullis codicibus eſt. *Opinio* enim frequenter eſt fama. Sed præſtat altera lectio. *Effugere autem offenſionem facete dictorum* , non eſt effugere dicta , in quæ imprudentes incurrimus & offendimus ut vult Manutius , ſed effugere dicta ſalſa , quæ alios offendunt. Dicit Cicero ſe nihil loqui , quod jure offendere poſſit Cæſarem , aut ejus familiares : ſi tamen offendatur facetis quibuſdam dictis , quæ ſibi excidant ſe id non poſſe impedire , niſi ſimul velit abjicere famam ingenii. *Grævius.*

Servius frater tuus] Servius Claudius , qui Metello & Afranio Coſſ. obiit : cujus libros Pætus Ciceroni donavit. *Corradus.*

Quod tritas haberet aures notandis ge-

tarum, & conſuetudine legendi: ſic audio Caeſarem, cum volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, ſi quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non ſit, rejicere ſolere: quod eo nunc magis facit, quia vivunt mecum fere quotidie illius familiares. Incidunt autem in ſermone vario multa, quae fortaſſe illis, cum dixi, nec illiterata, nec inſulſa eſſe videantur. haec ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipſe mandavit. Sic fit, ut, ſi quid praeterea de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem Oenomao tuo nihil utor: etſi poſuiſti loco verſus Accianos. Sed quae eſt invidia? aut quid mihi nunc invideri poteſt? Verum fac eſſe omnia.

neribus poetarum, & conſuetudine legendi] Et quia attente legerat, & quia multum.

Cum volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, ſi quod afferatur] Scribi noluimus in noſtris libris tres dictiones has *vel per ſe* quas antea cuncti impreſſi habebant, quia in antiquis libris non erant, nec idoneam ſententiam habere videbantur: quod ſi quis illas amat, hunc intellectum ex illis eliciat neceſſe eſt, Cæſarem *per ſe*, & a nullo admonitum diſtinguere poſſe veras facetias Ciceronis a falſis. Si autem recordabimur quod paullo ante de admirabili ipſius ingenio Cicero dixit, nullo pacto hæc neceſſaria exiſtimabimus, ſed potius omnem ſententiam illa conturbare judicabimus. Non laudamus igitur illos, qui has voces in ſedem ab ipſis improbe occupatam reſtituerunt: cum in ſermone de Amicitia Cicero inquit, *Multa breviter & commode dicta*: intellexit ἀποφθέγματα: nam primo de Officiis Græcam etiam vocem adponens, iiſdem pene verbis eam expreſſit. *Victorius.* Hanc lectionem aſſerunt Pall. Vatic. duo Guilielm, [Amſtel.] ac prim. editio, quæ tamen ſicut Peckio excerpta *defertur*. Intrudunt alias, *vel per ſe ſi quid aff.* Gebhard.

Quæ fortaſſe illis cum dixi] Legendum eſſe, *quæ fortaſſe illis, quos dixi*, contendit H. Steph. II. Schediaſm. lib.

Oenomao] De quo Accius tragœdiam ſcripſit. *Corrad.*

Tuo] Cujus tu exemplum ex Accio ſumptum, mihi ad vitandam invidiam proponis. *Idem.*

Etſi poſuiſti loco verſus Accianos] Ita olim emendavimus, cum in omnibus impreſſis libris depravate *poſuiſti joco* legeretur: neque tamen ullum poſtea de hac caſtigatione verbum fecimus. Quia tamen videmus aliquos depravatam potius lectionem, quam integram ſequi velle, ideo nunc ipſam coacti veram eſſe docebimus, ab auctoritateque veterum codicum initium ſumemus: nam in Mediceo, & in aliis vetuſtioribus *loco* legitur: præterea ſententia elegantior eſt, & modus hic loquendi crebro a Cicerone uſurpatus *poſuiſti loco*, ubi congruebant, & mirifice quadrabant: in epiſtolis ad Qu. Fratrem ccxc. *Quod & ampla erant, & loco poſita.* Top. cccxLIII. *Concedunt tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa apte, & loco poſitum videatur.* Varro de re Ruſtica lib. I. *Quod quæ ſuo quidque loco ſunt poſita, ea minus loci occupant.* Cum idem ſignificare vellet Cicero II. Tuſcula. inquit *adjungere loco: Philo, & proprium numerum, & electa poemata & loco adjungebat.* Quod exemplum mirifice huic loco aptum eſt, quamvis verbum in eo diverſum ſit. *Victorius.*

Qui

omnia. Sic video philoſophis placuiſſe iis, qui mihi ſoli videntur vim virtutis tenere. Nihil eſſe ſapientis praeſtare niſi culpam: qua mihi videor dupliciter carere: & quod ea ſenſerim quae rectiſſima fuerunt: & quia, cum viderem praeſidii non ſatis eſſe ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Ergo in officio boni civis certe non ſum reprehendendus. Reliquum eſt, ne quid ſtulte, ne quid temere dicam aut faciam contra potentes: id quoque puto eſſe ſapientis. cetera vero, quid quiſque me dixiſſe dicat, aut quomodo ille accipiat, aut qua fide mecum vivant ii qui me aſſidue colunt & obſervant, praeſtare non poſſum. Ita fit ut & conſiliorum ſuperiorum conſcientia, & praeſentis temporis moderatione me conſoler, & illam Accii ſimilitudinem non modo jam ad invidiam, ſed ad fortunam transferam: quam exiſtimo levem & imbecillam, animo firmo & gravi, tanquam fluctum a ſaxo, frangi oportere. Etenim cum plena ſint monumenta Graecorum, quemadmodum ſapientiſſimi viri regna tulerint vel Athenis, vel Syracuſis, cum, ſervientibus ſuis civitatibus, fuerint ipſi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe, ut neque offendam animum cujuſquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc venio ad jocationes tuas, quum tu ſecundum Oenomaum Accii, non, ut olim ſolebat, Atellanum, ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti. Quem tu mihi Popilium, quem

Qui mihi ſoli videntur vim virtutis tenere] Leg. *qui mihi ſoli videntur viam virtutis tenere.* Steph. III. Schediaſm.

Nihil eſſe ſapientis praeſtare niſi culpam] Efficere ut ne peccetur. Nam culpa ut vitium in nobis eſt.

Non, ut olim ſolebat, Atellanum, ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti] Non modeſte, ut Atellanarum actores, ſed valde libere & dicaciter mecum jocatus es, in iis, quae poſt Accii verſus ex Oenomao in tuis poſuiſti litteris. vid. Manut. Anton. Auguſtin. legit: *Atellanam.*

Quem tu mihi Pompilium] Piſcem, de quo Plinius, cum alibi, tum lib. XXXII. cap. ultimo meminit. Alii *Popilium* legunt. Nos in vetere libro etiam *Polypum* vidimus, ut commodius paulo poſt repetat. *Corrad.* Lambinus *Pompilium.* alii *Popilium:* ſed in manuſcripto eſt *Polypum*, multo, ut videtur, melius *F. Urſin.* *Quem tu mihi Pompilium, quem Denarium narras?* Vide num ita legi forte placeat. *Quem, Thynnarium narras?* Ut eo verbo confectum ex thynnis edulium accipias. Plin. enim ſic ſcribit de thynnis;

quem Denarium narras? quam Tyrotarichi patinam? facilitate mea iſta ferebantur antea, nunc mutata res eſt. Hirtium ego, & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, coenandi

nis: *Hi membratim caſi cervice & abdomine commendantur, atque edulio recenti duntaxat, & tum quoque gravi tuſtu*: & reliqua, lib. 12, cap. 15. ſi quis forte plura deſideret. Nam & ibidem *pompilum* piſcem nominat. *Iidem ſæpe*, inquit de thynnis, *navigia velis euntia comitantes, mira quadam dulcedine per aliquot horarum ſpatia & paſſuum millia a gubernaculis non ſeparantur, ne tridente quidem in eos ſæpius jacto territi. Quidam eos, qui hoc e thynnis faciunt, Pompilos vocant.* Ita erit & *Pompilium*, e Pompilo edulium. Bern. Rutil. *Quem denarium narras*] Multi locum hunc mendoſum eſſe exiſtimaverunt, variiſque modis corrigere adgreſſi ſunt, ut poſtremo Veneti, *Quem Oenomaum narras* ſcribere auſi ſint, cum illi dictioni nullus hic locus (niſi fallimur) eſſe poſſit: quamvis ſupra de *Oenomao Accii* ſermo ſit. Erat enim Oenomaus tragœdiæ nomen, ut putamus, ab Accio ſcriptæ. Nam & Nonius Accium Oenomao ſæpe citat. Qui aliquid hic mutandum cenſuerunt, omnes videntur conjecturas aliquas non ſatis firmas ſecuti eſſe: nos nullius induſtriam inſectamur, nec tamen fuit cur eos imitaremur: animadvertimus enim in cunctis manu ſcriptis *denarium* legi. Quare contra tot librorum conſenſum aliquid decernere nimis audax, & periculoſum viſum eſt. Quamvis autem hujus lectionis certam aliquam rationem reddere nequeamus, noluimus tamen eam rejicere: multa enim eſſe ſcimus, vel infinita potius, quæ a nobis ignorantur. & multis etiam quamvis eruditis obſcura ſunt, non tamen ob id depravata ſunt exiſtimanda, & explodenda, ut putamus. Eandem hanc vocem invenies in tertia ab hac epiſtola, quo loco edulium quoddam ſignificare videtur, quod magni apud me momenti fuit, nequid hic temere mutaremus, *Neque ollam*, inquit, *denariorum implere*. Nam quamvis theſaurus in ollis a ſenibus maxime condi ſoleat, unde argumentum & titulum ſuæ comœdiæ Plautus accepit: arbitror tamen argutiorem quempiam eſſe ſenſum horum verborum, voluiſſeque Ciceronem hoc loco ludere, & materiam joci ex ambiguitate illius dictionis traxiſſe: quod tamen non affirmo: nec enim ullo teſtimonio aliorum auctorum confirmare poſſum. Id autem quod ſuſpicati ſumus non inepte ut puto, conſideratis diligenter ambobus his locis notum facere voluimus. Quod ſi recipitur, probaturque edulium illic ſignificare, non video cur hic quoque idem ſignificare non poſſit, neque cur hinc vocem hanc delere tentent, cum illic eam manere ſinant: eandem enim ejus utroque loco rationem eſſe puto. Eruditiores hoc diligentius conſiderare poterunt, quorum ego judicio ſemper libenter acquieſcam. Satis hic nobis fuit conſilii noſtri rationem oſtendere, quod non ut cuncti fere alii fecerunt, dictionem hanc delere voluimus. *Victor.* *Denarium*] Edulium eſſe volunt aliqui: alii *Thynnarium*: alii aliter reponunt: quaſi intelligi non poſſit *denarius*, quo ſe *polypum* empturum ſcripſiſſet Pætus, quem Cicero, ut pretium minimum, ſe fingat ſpernere. *Corrad.*

Quam Tyrotarichi patinam] Sic ad Atticum: *Eo die in Pæti noſtri tyrotarichum imminebam.* Idem.

Dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros] Ego eos erudio in Rhetoricis, præcepta eloquentiæ eis trado, ſed apud eos cœno. *Magiſtri* enim, *Reges, Domini* dicebantur ſplendidi convivatores, qui amicos frequenter excipiebant conviviis. ut pridem notavit Lipſius III. antiqu. lect. Catull. *Inferni calices amariores, ut lex Poſtumia jubet magiſtra.* Varroni ſunt *modimperatores* apud Non. *in conviviis inſtituti, potandi modimperatores.* In eodem ſenſu capio ſequente epiſt. 19. *Cum reges tam ſint continentes.*

hoc

nandi magiſtros. Puto enim te audiſſe, ſi forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos coenitare. Tu autem quod mihi bonam copiam ejures, nihil eſt. tum enim cum rem habebas, quæſticulis te faciebam

hoc eſt, cum illi etiam lauti convivatores tam frugali cœna ſint contenti, quamvis aliter ſentiant viri docti. Martial. *Qui me reſpiciet dominum regemque vocabo.* GRÆV.

Illos apud me declamitare, me apud eos cænitare] Locus hic quoque in omnibus antiquioribus, & in multis etiam, quos vidi manu ſcriptis parentum noſtrorum ætate, luxatus eſt & mancus; multa enim verba deſunt Librariorum incuria in deſcribendo omiſſa. Nos nihil immutavimus, etſi locum ſuppletum exiſtimemus, quia non incommoda omnino verba reſtituta ſunt: ſententiam autem hanc ipſam prorſus deſiderari arbitramur: conſilii tamen noſtri memores rem ſilentio præterire non potuimus. Sic autem quos vidimus, manu ſcripti codices omnes habent, *Puto enim te audiſſe (ſi forte ad vos omnia perferuntur) Illos cænitare*, &c. Victorius. Vide tamen Manut.

Quod mihi bonam copiam jures] Probo Ferrarii declarationem, diligentiamque ipſius valde amo, qui ex laceris, decurtatiſque Terentii Varronis Commentariis hujus loci interpretationem ſedulo eruerit: & ne ullus alicui ſcrupulus relinquatur, affirmo infinitis locis in Mediceo ubi I, eſſe debebat *ei* ſcriptum eſſe: ut in epiſtola D. Bruti *ſine commentis*, ad Lentulum, *iei declarat.* paucis poſt verſibus, *eidem ille Plato.* & ad Quintum Valerium, *Municipibus volaterraneeis.* Id etiam Latini librarii in Græcis vocibus faciebant, ut ſæpe non ſuis locis hanc diphthongum ponerent, ad Gallum, *Quæ videtur heiniam attudiſſe.* ad Trebatium. *Si tu ſtatueris πολειτεῦσαι non oportere.* Quod in priſcis etiam lapidibus non ſemel obſervavi. Quibus omnibus exemplis, & ſexcentis aliis, ſi opus eſſet, planum ſit, perverſionem hanc nullam vim habere ad labefactandam veram lectionem. *Victor.* Sed verum hujus loci ſenſum vide apud Manutium.

Tum enim cum rem habebas quæſticulis te faciebam attentiorem] Pervetus ille codex Mediceus ſolus rectam lectionem ſervat: nam qui ab eo deſcriptus videtur, quem ajunt Franciſci Petrarchæ manu exaratum, ut fit, ab illa integritate degenerat. *Sic omnia fatis in pejus ruere*, ut inquit prudentiſſimus poeta. *Quæſtiunculis* enim legit, e quo vulgatam lectionem perfluxiſſe arbitramur. Ille incorruptior *quæſticulis* adhuc retinet, quæ vox huic ſententiæ mire quadrat. Olim enim cum rem habebat, dicit conſueviſſe ſe illum attentiorem parvis quibuſdam lucris facere. Utitur autem hac ipſa hujus verbi diminutione Cicero lib. II. de divinatione, *Aut fiſſum jecoris cum lucello meo, aut meis quæſticulis cum cælo, terra, rerumque natura.* Victorius. *Cum rem habebas, quæſticulis te faciebam attentiorem*] Hæc eſt Medicei codicis lectio, quam vehementer probo: deque ipſa olim accuratius diſputavi. *cum rem habebas*, cum dives eras: *quæſticulis* & lucellis *te attentiorem faciebam.* ut enim a lucro lucellum, ita a quæſtu quæſticulus ὑποκοριστικῶς. Verbum præterea *attentiorem*, quod quaſi patrimonii augendi rationem docet, & quo in hac re exprimenda optimi auctores paſſim utuntur, valde veterem ſcripturam confirmat. Terentius Adelphis: *Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt.* Cicero ipſe in Verrem: *Qui in re adventitia, & hæreditaria tam diligens, & attentus fuiſſet.* Idem. *Cum rem habebas quæſtic. t. f. a.*] Lambinus ut videretur inventor hujus rei eſſe, mutata nonnihil facie produxit: *cum rem augebas*: ſed hoc nullo auctore fecit. Vulgatum eſt ante *quæſtiunculis*, ſed, ut verum erat, emendavit accuratiſſimus Victorius, exſtatque hæc lectio in excerptis Vaticani. *Gebhard.*

bam attentiorem. nunc, cum tam aequo animo bona perdas, non eo ſis conſilio, ut, cum me hoſpitio recipias, aeſtimationem te aliquam putes accipere. etiam haec levior eſt plaga ab amico, quam a debitore. Nec tamen eas coenas quaero ut magnae reliquiae fiant: quod erit, magnificum ſit & lautum. Memini te mihi Phameae coenam narrare. temperius fiat: cetera eodem modo. Quod ſi perſeveras me ad matris tuae coenam revocare, feram id quoque. Volo enim videre animum qui mihi audeat iſta, quae ſcribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Jovis ſimilem. Mihi crede: non audebis. Ante meum adventum fama ad te de mea nova lautitia veniet: eam extimeſces. Neque eſt quod in promulſide ſpei ponas aliquid: quam totam ſuſtuli. Solebam enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis. Sed quid haec

Æſtimationem te aliquam putes accipere] Ne putes te ab aliquo debitore, qui ſolvendo non eſt, accipere ejus bona æſtimata pro debito. quæ æſtimatio patrimonio tuo eſſet valde damnoſa, quia quarta pars ſortis tibi perit. Vid. Manut.

Etiam hac levior plaga eſt] Etiam hoc damnum levius eſt, quod ab amico, quam a debitore infligitur. ſic *vapulat peculium* apud Plaut. Stich. hoc eſt, damnoſo ſumtu deminuitur. *Grav.*

Temperius fiat] Hoc eſt, maturius. vid. Manut.

Quod ſi perſeveras me ad matris tua cœnam revocare] Amſtelodamenſis codex ſic totum hunc locum legit & diſtinguit: *Quod ſi perſoveras, me ad matris tua cœnam roveca. Reſeram id quoque.* Mihi ſane Cicero ſic videtur ſcripſiſſe: *quod ſi perſeveras, me ad matris tua cœnam reveca. Feram id quoque.* quod ſi perſeveras, inquit, bonam copiam ejurare, nec te ferendis eſſe ſumptibus tam lautæ & magnificæ cœnæ aſſeveras, invita me iterum ut ſolebas antea, ad parcam & frugalem cœnulam tuæ matris, quæ diligens & attenta mater familias eſt, id etiam feram æquo animo. *Gravius.*

Miniani Jovis] Qui a Cenſoribus *miniandus* locatur. *Corrad.* Ant. Auguſt. malit *miniate Jovis.*

Similem] Igne, ubi coctus ſit, rubentem. *Idem.* Sed rectius Manut. rubro jure conditum exponit.

In promulſide] In antecœna. *Promulſis* eſt guſtatio, vel guſtus, quod & *antecœnium* dicebatur & *antecœna*, ſic dicta quia veteres initio cœnæ fere *mulſum* apponebant, & ea cœna dabatur ante mulſum. vid. Lipſ. III. antiq.

Solebam enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis] Petrarcha, ſeu quis fuit qui de Mediceo deſcripſit, hic etiam deceptus eſt: cum enim pervetus ille *delibitari* haberet, ſcripſit ipſe *debilitari*. quæ cum vana eſſet lectio, & nihil ſignificans, alii *delectari*, quod nunc in vulgatis omnibus, ſententiam ſequentes, ſuppleverunt: non tamen antiqua lectio uno nobis, quod ſciam, adhuc codice immobiliter manens amplius negligenda eſt. *Victor.* *Delectari*] Aliquid ulceris ineſt in hoc loco. nam librorum veterum alii habent *delibitarè*, alii *debilitarè*, alii *delimitari*: pauci, *delectari*, ut vulgati, ego ἐπέχω. Supra autem non longe, legendum *miniati Jovis*, non ut vulgo, *miniani Jovis*: quamvis hanc

haec loquimur? liceat modo iſto venire. Tu vero, volo enim abſtergere animi tui metum, ad Tyrotarichum antiquum redi. Ego tibi unum ſumptum afferam quod balneum calfacias oportebit: cetera more noſtro; ſuperiora illa luſimus. De villa Seliciana & curaſti diligenter, & ſcripſiſti facetiſſime. itaque puto me praetermiſſurum. ſalis enim ſatis eſt, ſannionum parum. Vale.

hanc lectionem tueatur Turnebus. *Lambinus.* *Solebam enim antea debilitari o. & l. e.*] Ita in omnibus noſtris libris, niſi quod in Pal. ſexto *delibitari* in textu; ad marginem tamen appoſita noſtra: quod cur cum Lambino non recipiamus non video, præſertim Victorio præeunte. alii *delimitari*. Vulgo, *delectari*. Vide Turneb. libro VI. cap. 1. *Gebhardus.* Sed cum Amſtelodam. & quinque Manutii & duo Sigonii legant: *delectari*, illaque lectio longe commodiorem ſenſum hic pariat, non dubitavimus priſtinam ei voci ſedem, de qua deturbata erat a viris doctis, qui ſubſtituerant *debilitari* reddere. Dicit Cicero ſe olim delectatum eſſe *oleis* & *lucanicis*, quæ ſolebant in *promulſide* apponi, uti conſtat ex lautiſſima promulſide Trimalcionis apud Petron. His cum olim avidius Cicero uteretur, & pœne promulſide ſe conficeret, ut in ſequente loquitur epiſtola, nunc non amplius ſe ſolere guſtare ait, ſed integram famem ad ipſam cœnam afferre. *Gravius.*

Salis enim ſatis eſt, ſannionum parum] In nonnullis libris ſcriptum eſt, *ſannonum parum*. Lamb. Hoc autem videtur dicere, amœnus quidem locus eſt; ſed ſolitarius, *Satis ſalis*, id eſt, elegantiæ eſt in illa villa: hominum autem ridiculorum, in quos uti ſalibus poſſimus, parum, ut in loco parum celebri. *Ego vero*, ſcribit ad Atticum, *ſequor celebritatem*. Corrad.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Manaverat rumor, velle Caeſarem ſuis militibus municipia quaedam agroſque dividere, ea diviſio, veritus erat Paetus, ne ad ſuos agros perveniret, id quaerenti Cicero reſpondet. Eodem anno, poſt bellum Africanum.

CICERO L. PAPIRIO PAETO, S.

NOn tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noſter apud te fuerit, ex me quaeras, quid de iſtis municipiis &

NOn tu homo ridiculus es*] I. F. Gronovius invitis libris ſcribendum ſtatuit: *Na tu homo ridiculus es.* Profecto tu ridicule mecum agis, & lepide. quod non niſi inſulſi improbent.

Agri

& agris futurum putem? quaſi aut ego quidquam ſciam quod iſte neſciat; aut, ſi quid aliquando ſcio, non ex iſto ſoleam ſcire. Immo vero, ſi me amas, tu fac ut ſciam quid de nobis futurum ſit. Habuiſti enim in tua poteſtate, ex quo vel ex ſobrio vel certe ex ebrio ſcire poſſes. Sed ego iſta, mi Paete, non quaero: primum quia de lucro prope jam quadriennium vivimus, ſi aut hoc lucrum eſt, aut haec vita, ſuperſtitem reip. vivere; deinde, quod ſcire quoque mihi videor quid futurum ſit. fiet enim quodcunque volent, qui valebunt: valebunt autem ſemper arma. Satis igitur nobis eſſe debet quidquid conceditur. hoc ſi qui pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum, & Capenatem metiuntur. hoc non longe abeſt a Tuſculano. Nihil tamen timeo; fruor dum licet, opto ut ſemper liceat. Si id minus contigerit; tamen, quum ego vir fortis, idemque philoſophus, vivere pulcherrimum duxi, non poſſum eum non diligere cujus beneficio id conſecutus ſum. qui ſi cupiat eſſe remp. qualem fortaſſe & ille vult, & omnes optare debemus, quid faciat tamen non habet, ita ſe cum multis colligavit. Sed longius progredior. ſcribo enim ad te.

Hoc

Agris futurum putem] An Cæſaris militibus dividendi ſint. *Corrad.*

De lucro prope jam quadriennium vivimus] Vid. not. ad præcedentem epiſtolam.

Cum ego vir fortis, idemque philoſophus] Antiqua lectio meo judicio melior, ingenioſiorque. *Quum ego vir fortis, idem quod philoſophus.* jocatur enim fere ſemper in his epiſtolis. Si non contigerit, inquit, ut poſſim agros conſervare, quod eos militibus dividere velit Cæſar, licet hoc magnum fortunis meis detrimentum adferat, non tamen poſſum Cæſarem non amare, a quo vitam ſalutemque impetravi, quum ego vir fortis tantopere vivere pulcherrimum duxerim, quod non debebam poſt tot patriæ calamitates. Eratque honeſtius philoſopho quam mihi: quod enim viro forti turpe eſt, id nullam philoſopho reprehenſionem adfert. Feci igitur, dicit, *vir fortis* (ſibi enim vir fortis videbatur Cicero propter res a ſe fortiter in conſulatu geſtas) quod *philoſophus* agere debebat. Vir enim fortis amiſſa ſua dignitate amplius in vita manere velle non debet: Philoſophus autem humanas omnes res, fortunæque injurias, & injuſtos patriæ dominatus adeo contemnit, ut Socrates etiam, cum Athenis xxx. Tyranni eſſent, pedem porta non extulerit. *Victorius.* Sed præſtat hic aliorum librorum antiquorum, inter quos & Amſtelodamenſis eſt, ſcriptura, quæ cum vulgatis ante Victorium conſentit. Senſus etiam hanc lectionem flagitat, quum Victoriana, neſcio quid ſcabri & duri præ ſe ferat. vid. Manutium.

Non

Hoc tamen ſcito, non modo me, qui conſiliis non interſum, ſed ne ipſum quidem principem ſcire, quid futurum ſit. Nos enim illi ſervimus, ipſe temporibus. ita nec ille, quid tempora poſtulatura ſint, nec nos quid ille cogitet ſcire poſſumus. Haec tibi antea non reſcripſi, non quo ceſſator eſſe ſolerem, praeſertim in litteris, ſed cum explorati nihil haberem, nec tibi ſollicitudinem ex dubitatione mea, nec ſpem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen adſcribam, quod eſt veriſſimum, me his temporibus adhuc de iſto periculo nihil audiſſe. Tu tamen pro tua ſapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quaecunque erunt.

Non modo me] Hic quoque locus a me ope Medicei codicis jam tum purgatus fuit: cum in cunctis antea impreſſis mendoſe, *non modo non me* legeretur. *Victorius.*

EPISOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Exponit, quibus cauſſis adductus familiares ſuos, quaſi aperto ludo, in eloquentia coeperit exercere. Addit nonnulla per jocum de coenarum lauticia. Eodem anno, revertente ex Africa Caeſare: quod ipſa indicat epiſtola: itaque ſuperioribus praeponi debuit, quae reverſo jam in urbem Caeſare, conſcriptae videntur.

CICERO L. PAPIRIO PAETO S.D.

Cum eſſem otioſus in Tuſculano, propterea quod diſcipulos obviam miſeram, ut iidem me quam maxime conciliarent familiari ſuo, accepi tuas litteras, pleniſſimas ſuavitatis: ex quibus intellexi probari tibi meum conſilium, quod, ut Dionyſius tyrannus, cum Syracuſis pulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe: ſic ego, ſublatis judiciis, amiſſo

Quod diſcipulos obviam miſeram] Et hic excluſimus ex Pall. duobus, Peck. editione prima ac Victorii, vocem *Caeſaris*. ſolet enim illud nomen ſubjicere Tullio noſtro, ut ſuperius notavimus binis in locis. Paullo poſt ex Palat. ſexto, Vaticano, editione Victorii ſcripſi, *cum Syracuſis pulſus eſſet* melius, quam vulgo, *expulſus eſſet*. Gebh. *Diſcipulos obviam miſeram*] Hirtium & Dola-

amiſſo regno forenſi, ludum quaſi habere coeperim. Quid quaeris? me quoque delectat conſilium. multa enim conſequor: primum id, quod maxime nunc opus eſt, munio me ad haec tempora. Id cujuſmodi ſit neſcio: tantum video nullius adhuc conſilia me huic anteponere: niſi forte mori melius fuit in lectulo. fateor: ſed non accidit. in acie non fui. Ceteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius, foede perierunt. At Cato praeclare. Jam iſtuc quidem cum volemus licebit. demus modo operam, ne tam neceſſe nobis ſit, quam illi fuit: id quod agimus. Ergo hoc primum. Sequitur illud. Ipſe melior fio, primum valitudine, quam intermiſſis exercitationibus amiſeram: deinde ipſa illa, ſi qua fuit in me, facultas orationis, niſi me ad has exercitationes retuliſſem, exaruiſſet. Extremum illud eſt, quod tu neſcio an primum putes, pluris jam pavones confeci quam tu pullos columbinos. Tu iſtic te Atheriano jure delectato: ego me hic Hirtiano. Veni igitur, ſi vir es, & diſce jam πϱολεγομένας,

Dolabellam Cæſari obviam miſeram, qui ei erant familiariſſimi.

Amiſſo regni forenſi] Cum non amplius poſſim cauſſas orare in foro, in quo videbar propter eloquentiam regnare & princeps patronorum eſſe. Reges enim dicuntur, qui in arte, quam promittunt, valde excellunt: & *regnum* de excellentia. Manil. lib. IV de natis ſub Virgine:

Illa decus lingua faciet, regnumque loquendi.

Propert. IV, el. 7.

Et longa in libris regna fuere tuis.

Ovid. XIII Metam.

At tu, ſive aliquod regnum eſt in carmine, carmen
Ore move ſacro.

Grævius.

Niſi forte mori melius fuit in lectulo. fateor: ſed non accidit. In acie non fui] Diſtingue: *niſi forte mori melius fuit. in lectulo? fateor; ſed non accidit. in acie? non fui.* Guilielm. *In acie* autem *non fuit* nimirum Pharſalica, impeditus valetudine Dyrrachii ſubſtitit.

Pompeius] Ab Achilla, & L. Septimio interfectus. *Corrad.*

Lentulus] L. Lentulus a Rege Ægyptio comprehenſus, & in cuſtodia necatus. *Idem.*

Scipio] A P. Sitio apud Hipponem circumventus. *Idem.*

Afranius] A P. Sitio captus. *Idem.*

Cato] Qui ſe ipſe Uticæ interfecit. *Idem.*

Atheriano jure] Alii: *Hateriano jure.* puto vere ab Haterio JCto. Guilielm.

Et diſce jam πϱολεγομένας quas quaeris] Vereor ne hic locus aliquid mendi contineat, quod tamen ubi ſit indicare non poſſum: in tantis anguſtiis temporis, nihil melius mihi facere poſſe videor, quam veterem ſcripturam notam facere: majoris ingenii, ac doctrinæ viri totum hoc diligentius conſiderabunt. In Græcis autem, & Latinis verbis varietates aliquæ cernuntur: nam ſunt etiam qui Græca verba commutent, & neutro genere πϱολεγόμενα ſcribant, qui etiam conſequens Latinum verbum, ita conformant, ut

Græ-

φίας, quas quaeris: etſi ſus Minervam. Sed quando, ut video, aeſtimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere, Romam tibi remigrandum eſt. Satius eſt hic cruditate, quam iſtic fame. Video te bona perdidiſſe: ſpero idem iſtuc familiares tuos. Actum igitur de te eſt, niſi provides. Potes mulo iſto, quem tibi reliquum dicis eſſe, quum cantherium comediſti, Romam pervehi. Sella tibi erit in Ludo, tanquam hypodidaſculo proxima. eam pulvinus ſequetur.

Græco reſpondeat. Mediceus codex, *& diſceam, ϖερὶ λογογραφίας quas quaeris, & ſi ſus Minervam, ſed quomodo videre, ſi aeſtimationes tuas.* & quæ ſequuntur. *Victor.* In Amſtelodam. omiſſa eſt vox Græca, ut omnia Græca, ſed verſionem in margine appoſitam habet *praedictas*, quamvis corrupte *praedictus* ſcribatur.

Etſi ſus Minervam] Peck. *& ſi vis Minervam.* ſcrib. *etſi ſuu Minervam*, ut venuſte etiam Cic. 11 de Orat. *ſus ἀρχαϊκῶς* pro ſus. *Guilielm.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Cum ſcripſiſſet Paetus, Balbum, qui apud Caeſarem gratioſus in primis erat, perquam tenui apparatu fuiſſe contentum; joci materiam inde arripit Cicero; idque eum arguit malitioſe ſcripſiſſe, ut ipſe apparatu eodem, vel etiam minore contentus eſſet. Eodem anno.

CICERO L. PAPIRIO PAETO S. D.

TAmen a malitia non diſcedis. tenuiculo apparu ſignificas Balbum fuiſſe contentum. hoc videris dicere, cum reges tam ſint continentes, multo magis conſulares eſſe

T*Amen a malitia non diſcedis*] Prim. & ſext. Pal. Peck. duo Guilielmii [& Amſtelodam.] legunt, *tamen malitia non diſcedis.* ſic & prima editio. Guilielmius legendum judicat, *tamen malitia non Dis cedis.* illudque Virgilii huc trahit,

Cede Deo, dixitque & praelia voce diremit.

qua conjectura nihil poteſt eſſe inanius. *Gebhardus.*

Tenuiculo apparatu ſignificas, &c.] Nonnulli libri manuſcr. habent *tenuiſſime.* P. Victorius edidit *tenuiculo.* quomodo habent & pleraque exempla vulgata: quæ ſequimur. Idem tamen admonet, in libro Mediceo ſcriptum eſſe *tenuiculo.* Lambinus.

Cum reges] Ut Balbus, qui Cæſaris amicus eſt. *Corrad.* Sed vide ad ep. 16. hujus libri.

Conſulares] Ut ego ſum. *Corradus.*

eſſe oportere. neſcis me ab illo omnia expiſcatum. recta enim a porta domum meam veniſſe. neque hoc admiror, quod non ad tuam potius, ſed illud, quod non ad ſuam. Ego autem primis tribus verbis, Quid noſter Paetus? at ille adjurans, Nuſquam ſe unquam libentius. Hoc ſi verbis aſſecutus es, auris ad te afferam non minus elegantes. ſin autem obſonio, peto a te, ne pluris eſſe balbos, quam diſertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed, ſi me expediero ut in iſta loca venire poſſim, non committam ut te ſero a me certiorem factum putes.

Recta enim a porta domum meam veniſſe] Alii legunt, *domum meam venis.* Corrad. Malim cum illo codice vetere qui in Lambinianæ margine dicitur ſic ſcripſiſſe, *recta cum a porta domum veniſſe.* Græv.

Nuſquam ſe unquam libentius] Hoc eſt, nuſquam ſe *bilarius avidiuſque*, ut Suetonius loquitur Calig. 18. cœnaſſe. hoc enim Latinis proprie eſt *libenter* edere. Cato de Re Ruſtica 156. *Si voles in convivio multum bibere, cœnareque libenter.* vide Donat. in illud Eunuch. v, 8, 57. *Bene, libenter victitas.* Sic & Cic. loquitur 111 de Finib. *Idem.*

Ne pluris eſſe Balbos quam diſertos putes] Jocus. *Corrad.*

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

Voluptatem ſe tum Paeti cauſſa, tum ſua, legendis ejus litteris, cepiſſe dicit: Epicureum factum, abjecta reip. & curiae forique cura: mediocri cibo, ut antea, jam contentum non eſſe. ſuam deinde vitam exponens, ait ſe matutinas horas ſalutationi tribuere, deinde litteris uti, reliquum tempus in reficiendo corpore conſumere. Eodem anno.

CICERO PAETO.

DUpliciter delectatus ſum tuis litteris, & quod ipſe riſi, & quod te intellexi jam poſſe ridere. Me autem a te ut ſcurram velitem malis oneratum eſſe, non moleſte tuli.

UT ſcurram velitem malis oneratum] Hujus loci ſententiam debes magno doctori meo J. F. Gronovio, qui oſtendit Ciceronem ludere in voce *malis*, quæ & poma ſignificet & maledicta. Paetum Ciceroni miſiſſe multa poma, ideo Ciceronem ſcripſiſſe, ſe ab eo malis oneratum. ſed cum addat, *ut ſcurram velitem malis oneratum*, id accipiendum eſſe, ut apud Plautum, *onerare male-*

tuli. Illud doleo, in iſta loca venire me, ut conſtitueram, non potuiſſe. habuiſſes enim non hoſpitem, ſed contubernalem. At quem virum? non eum quem tu es ſolitus promulſide conficere. Integram famem ad ovum affero. Itaque uſque ad aſſum vitulinum opera perducitur. Illa mea, quae ſolebas antea laudare, O hominem facilem! o hoſpitem non gravem! abierunt. Nam omnem noſtram de rep. curam, cogitationem de dicenda in ſenatu ſententia, commentationem cauſſarum, abjecimus. In Epicuri nos adverſarii noſtri caſtra conjecimus: nec tamen ad hanc inſolentiam: ſed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum in ſumtum habebas. etſi nunquam plura praedia habuiſti.

maledictis, *ingerere mala multa*. *Velitem* eſſe levis armaturæ militem. *Velitem ſcurram*, qui ad alios laceſſendos promtus ſit, & qualia dicit, audire cogatur. Habes Gronovii ſententiam. H. Valleſius ad Amm. Marcell. XV tradit ſcurras eſſe proſitos, qui exercitum ſequantur, & qui jocis ac geſticulationibus milites inter convivia delinire ſoliti ſint, de quibus Plautus in Truculento:

Non placent quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant.

De his intelligendum eſſe hunc Ciceronis jocum, quod ſane vero ſimillimum. Nam illos ſcurras militares neque malis multis oneratos fuiſſe, ac onerabantur paraſiti urbani, de quibus tam multa Comici, vix eſt quod dubitemus. *Grævius.*

Malis oneratum eſſe] A Papirio donatis.

Quem tu es ſolitus promulſide conficere] Amicus quidam meus legendum cenſet *conſercire*. Lambin. Perperam. *Conficere* hoc loco eſt ſaturare, ut nihil amplius poſſit comedere. Sic *confici ſenio*, *macie*, *lacrymis*. C. Nep. Lyſand. cap. 1. *Athenienſes in Peloponneſios ſexto & viceſimo anno bellum gerentes confeciſſe apparet*. Cic. de Invent. *Licinius hoſtes confecit*. Græv.

Ad ovum affero] Ad initium cœnæ.

Ad aſſum vitulinum] Aſſam vitulinam carnem, quæ hodie quoque inter ultima fercula in cœnis apponitur. *Corrad.*

Opera perducitur] Hoc eſt, ad finem uſque cœnæ non ceſſabo veſci: aſſiduus ero in comedendo.

In Epicuri nos adverſarii noſtri caſtra conjecimus] Aſſentior Victorio, exiſtimanti mendum ſubeſſe in voce *caſtra*. pro qua nonnulli codices manuſcr. habent *caſſatra*. Lambinus. Mirum doctos viros hanc planiſſimam lectionem in dubium vocare. Egregie Seneca eam vindicat, qui in epiſtolam ſecundam tranſtulit, *Hodiernum hoc eſt, quod apud Epicurum nactus ſum. Soleo enim & in aliena caſtra tranſire non tanquam transfuga; ſed tanquam exploratot.* Grævius.

Nec tam. ad hanc inſolentiam] Non quod tantos fieri ſumtus in cœnas velim, quantos hoc tempore ſolent facere. Vide Manut.

Ad illam tuam] Qui Epicureus est. *Corrad.*

Cum mecum ſumptum habebas] Nos veterem ſcripturam etſi parum planam, & fortaſſe mendoſam repoſuimus: quod enim aliud faceremus in tantis tenebris non habuimus. Quod ſi illam non ſatis integram eſſe eruditiores judicabunt, nos tamen confidimus, ut minus inquinatam, viciniorem eſſe veræ lectioni. Hanc rem in arbitrio optimorum ingeniorum relinquimus. Eſt ſane & aliis locis (ni fallimur) in antiquis codicibus negligenter ſcripta hæc epiſtola: *Caſſatra* enim pro *caſtra* illi habent, quod corruptum arbitror: & infra *Artolaganum*

buiſti. Proinde te para, cum homine & edaci tibi res eſt, & qui jam aliquid intelligat. ὀψιμαθεῖς autem homines ſcis quam inſolentes ſint. dediſcendae tibi ſunt ſportellae & artolagani tui. Nos autem artis tantum habemus ut Verrium tuum

pro *Artolagani*, quæ vox etiam apud Athenæum eſt lib. III. ubi etiam ejus confecturam docet his verbis, εἰς δὲ τὸ καλέμενον ἀρτολάγανον ἐμβάλλεται οἰνάριον ὀλίγον καὶ πέπερι γάλακτι καὶ ἔλαιον ὀλίγον ἢ στέαρ. Præterea locus ille, *nec tamen ad hanc inſolentiam* parum mihi certus videtur, quem tamen ſic invenimus in cunctis melioribus, non mutavimus: etſi ſciamus nonnullos conjectura ductos legere *indolentiam*, quod parum nobis probatum eſt, quamvis meliorem vocem reponere neſciamus. Atque omnia hæc in medium propoſuiſſe non inutile exiſtimamus: & ut omnes videant quantis in tenebris verſemur circa bonorum auctorum integritatem, & ut poſſit unuſquiſque in tam dubia & incerta re judicium ſuum ſequi. *Victorius. Cum in ſumptus hab.*] Qui mendoſiſſimus antea erat, hunc locum reſtituimus, quod ita in noſtris priſcis exemplaribus ſcriptum offendimus, quem tamen leviter ſuſpectum immerito habuimus. Non ægre ferimus, ſi aliquos hujus laudis ſocios habemus: qui ſaltem nos amare deberent, quod induſtriæ ipſorum locum invenimus. Mediceus codex (illum autem ante oculos habemus, quo fidelius hoc opus navemus) ut nunc animadvertimus *in ſumptum* unitatis numero habet. *Idem. Cum in ſumtum habebas*] *In ſumtum habere* eſt ſic abundare fortunis ut ſumtibus ferendis par ſis. Sic *in ſumtum dare* apud Terent. Adelph. act. III, ſc. 2. *Argentum adnumeraverit illico, dedit præterea in ſumtum dimidium minæ*. Vid. Manut.

Ὀψιμαθεῖς *autem homines*] Expreſſit, ut opinor, Græcam vocem Horatius Satyr. x prioris Sermonum libri, cum inquit, *O ſeri ſtudiorum*. Multa autem Græca verba Horatius elegantiſſime expreſſit: cum enim plures ſententias ab ejus nationis philoſophis, ac poetis acciperet, conſuetudinem quoque ſermonis ſtudioſe imitatus eſt. *Victorius*. Leg. Gell. xv, cap. 30. Noct. Att. *Corradus*.

Nos jam ex artis tantum habemus] Vetuſtiores codices *artu* loco *artis* habent, ſed tamen *ex* præpoſitionem retinent. Alii aliis modis locum reſtituerunt, ut quidam etiam auſi ſint *ex arte coci* legere, contra veterum exemplariorum auctoritatem. Ego inſtitutum meum ab antiqua ſcriptura modice declinandi tenens, *& artu* legi: alibi enim in antiquis codicibus, nec ſemel, *ex* pro *&* ſcriptum obſervavi: ſententia autem, & verborum ſtructura egregie reſpondent. Nam & paullo ante dixit ſe jam aliquid intelligere, & quamvis ſero, tamen aliquid didiciſſe: nunc autem explicat quantum in ea arte progreſſus ſit. Quod ſi quis veterem ſcripturam tueri velit, videat an *ex artu* dictum eſſe poſſit, quemadmodum in epiſtolis ad Atticum *ex Apollodori*, ut intelligatur, ratione aut præceptis: ſitque hæc una earum locutionum quæ conciſæ ſunt, & ad imitationem Græci ſermonis prolatæ, ut *ad Opis*, per *Locuſtæ & Varronis ducere: magna eſt in Scapula celebritas*: de quibus longius accuratiuſque alibi loquar. *Vict. Nos jam & artu t. h.*] Mediceus codex *nos jam ex artis*. Quare ſuſpicati olim ſumus legi poſſe *& artu*: quam caſtigationem aut ſequemur, aut abjiciemus, prout illam ab eruditis aut laudari, aut damnari acceperimus. Hunc autem ſenſum eliciebamus: (dixerat enim antea ſe rationem vitæ mutaſſe, & cui valde prius adverſatus erat, Epicuro in diſciplinam ſe tradidiſſe) tantum in hoc ſtudio profecimus: non enim uſum tantum & exercitationem habemus, ſed jam tantum artis, ut: & quæ ſequuntur. nec tamen huic valde confidimus. Non latet autem nos genus quoddam poſſeſſionum *areas* eſſe, ex quo certi

quæſtus

tuum & Camillum, qua munditia homines! qua elegantia! vocare ſaepius audeamus. Sed vide audaciam. etiam Hirtio coenam dedi ſine pavone tamen. in ea coena cocus meus praeter jus fervens nihil potuit imitari. Haec igitur eſt nunc vita noſtra. Mane ſalutamus domi & bonos viros multos, ſed triſtes, & hos laetos victores: qui me quidem perofficioſe & peramanter obſervant. Vbi ſalutatio defluxit, litteris me involvo, aut ſcribo, aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt, quaſi doctum hominem, quia paullo ſum quam ipſi doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi jam & gravius & diutius quam ulla mater unicum filium. Sed cura, ſi me amas, ut valeas: ne ego, te jacente, bona

tua

quæſtus capiebantur, & quibus minime nocere poſſet, ut Cicero quoque in admirabilibus illis diſputationibus oſtendit. Quod ſi quis communem lectionem amabit *ex areis habemus* opinor interpretabitur, ex areis tantos fructus capiamus, ut nos impenſa non deterreat, ſed poſſimus cœnas ſumptuoſas facere. *Idem.* *Ex areis*] Al. *ex artu, ex arcis, & artu.* Nos, *ex te artis*, alibi legimus. *Corradus.* Adr. Turnebus legendum cenſet, *ex arcu:* alii *ex areu*, alii *tantum ex te artis.* Lambin. *Nos jam ex artis tantum habemus*] Ne erret quis, antiquam ſcripturam & in omnibus MSS. notabilem prætulimus aliorum conjectationibus. neque ignoramus Victorium legere & emendaſſe, *nos jam & artis tantum habemus.* ac Turnebum lib. VI, cap. I Adverſ. *ex arcis*, quod ſecutus eſt Scaliger ad Catullum. Quidam tamen auſi ſunt reſtituere, *ex arte tota*, contra veterum librorum auctoritatem. nonnulli *ex te artis.* vulgo *ex areis*, quod tuetur Douſa Præcidaneis ad Catullum; adducto loco epiſtolæ ad Gallum libro VII. *Gebhard.* Mihi Mentelianí libri ſcriptura viſa eſt omnium commodiſſima, & maxime huic loco apta: ea autem hæc eſt, *nos autem areis tantum habemus.* *Pro areis* ex aliis libris legendum *artis.* J. F. Gronovius tamen legit *ex areis*, & exponit ex hortis in areolas diſtributis tantum delicatorum olusculorum colligo, ut Verrium & Camillum ſæpius invitem. *Grav.*

Bona tua comedam] Non. Marcellus adnotavit *comedim* hic eſſe legendum, pro *comedam*, quomodo Plautus quoque in Bacch. *Quod dem ſcortis, quodque in luſtris comedim, congreget pater.* Neque vero mihi diſplicet illud *comedim*, verbum antiquum, nam veriſimile eſt hunc locum, *ne ego te jacente bona tua comedim*, ſicuti alios pleroſque ex vetere aliquo eſſe poeta ſumptum. Quod quidam, credo, parum advertentes, cum inſolentia verbi offenderentur, locum depravarunt. *Joan. Riv.* *Bona tua comedam*]. Antiquiores codices priſcam & obſoletam hac ætate vocem retinent: *comedim* enim & Mediceus, & Petrarchæ liber pro *comedam* habent. Quam lectionem agnoſcit & Nonius Marcellus de proprietate ſermonis. Poſtquam enim Plautum in Bacchidibus uſum eſſe hac voce docuit, addit, Cicero ad Varronem epiſtola *Petiſſet*, *Cura ſi me amas* &c. Vbi animadvertendum eſt locum eſſe corruptum, legique debere pro *Petiſſet*, *Pati*, *ſed cura* &c. facili, & frequenti errore eandem litteram inutiliter repetendi, & duas dictiones coagmentandi & conjungendi. Et hoc maxime loco confirmatur, quomodo has epiſtolas, quæ Familiares falſo & inepte

noſtris

tua comedim. Statui enim tibi ne aegroto quidem parcere.

noſtris temporibus appellatæ ſint; vocare & citare debeamus: concordant enim cum vetere ipſarum inſcriptione verba Marcelli. Totus enim liber ad Varronem inſcribitur & cæteros. Cum igitur dixit *Cicero ad Varronem* librum hunc deſignavit, in quo etiam ſunt epiſtolæ ad Pætum: cum autem *epiſtola Pæti*, id eſt, ad Pætum miſſa, certius declaravit ubi hæc ſint verba. nam quin ita locus ille legi debeat, neminem arbitror dubitaturum nunc re aperta & indicata. Quid enim vox illa *patiſſet* eo loco faciat? nam periocha illa Ciceronis a voce hac *ſed* non a *cura* incipit: quam, ſi attente locum leges, videbis Marcellum nullo modo omittere debuiſſe. Peccarunt autem in deſcribendo codice Nonii, etſi plurimis illis mendis ſcatet, quia legitimum titulum harum epiſtolarum ignorabant, pariterque rationem hanc non tenebant qua utebantur antiqui in citandis locis harum epiſtolarum: quibus diligenter obſervatis non amplius de harum epiſtolarum inſcriptione dubitandum eſt. Et locus Nonii antea corruptus, & multa offuſa caligine obſcuratus, omni modo purgatus luci claritatique ſuæ reſtitutus eſt. *Vict.* *Comedam*]. Al. *comedim* ex Nonio. *Corrad.* *Bona tua Comedam*] Ita Victorius ex Nonio & Mediceo, quem æmulatus eſt Lambinus cum Manutio. Vulgo *comedam*. Gebhardus.

EPISTOLA XXI.

ARGUMENTUM.

Irriſerat ſe ipſum Paetus, qui fulmina verborum Ciceronis imitaretur, cum ea conſequi minime poſſet. deinde negaverat Papirium quemquam fuiſſe patricium. utrumque Cicero refutat. Incertus epiſtolae annus: omnes tamen ad Paetum, poſt pugnam Pharſalicam ſcriptae videntur, plaereque poſt Africanam Caeſaris victoriam.

CICERO PAETO S.

AIn' tandem? inſanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut ſcribis, fulmina? tum inſanires, ſi conſequi non poſſes. cum vero etiam vincas, me prius irrideas quam te oportet. Quare nihil tibi opus eſt illud a Trabea,

TRabea] *Trabea* fuit brevior toga, paludamento ſimilis & chlamydi, purpurei & coccinei coloris, qua inprimis utebantur equites in ſollemni tranſvectione. Vide Ruben. de lato clavo lib. 1, cap. 5. Tunicam palmatam eſſe latum clavum perperam tradit Manutius. Tunica enim palmata fuit tunica purpurea aureo clavo inſignita palmi latitudine: tunica vero laticlavia fuit tunica alba purpurea lato clavo ornata, ut pridem viri docti oſtenderunt, vide in

bea, ſed potius ἀπότευγμα meum. Verumtamen quid tibi ego in epiſtolis videor? nonne plebeio ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo. Quid enim ſimile habet epiſtola aut judicio, aut concioni? quin ipſa judicia non ſolemus omnia tractare uno modo. Privatas cauſſas & eas tenues agimus ſubtilius: capitis, aut famae, ſcilicet ornatius. epiſtolas vero quotidianis verbis texere ſolemus. Sed tamen, mi Paete, quid tibi venit in mentem negare, Papirium quemquam unquam, niſi plebeium fuiſſe? fuerunt enim

in primis Ruben. lib. I de Lato clavo, c. 5. & 21. uti & de *trabea* accuratiſſime differentem. De his hic diſputatur tyronum in gratiam, ne Manutii Notas legendo decipiantur, quamvis ſatis aliena ſint ab hoc loco. *Trabea* autem fuit poeta Comicus, vid. Gell. XV, 24.

Sed prius meum ἀπόφθεγμα] Nos ut in vetere illo Mediceo invenimus ἀπότευγμα ſcripſimus. Mirum autem eſt quam compoſite, & recte in eo exemplari Græcæ dictiones perſcriptæ ſint: ut raro admodum in illis aliquid deſideretur. Eſt autem hæc vox & alibi a Cicerone uſurpata in epiſtolis ad Atticum lib. XIII. *Ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri poſſit, ἀπότευγμα vel non magnum moleſtum futurum ſit. Quid opus eſt παρακινδυνεύειν*; cum enim Latinam vocem non habet quæ poſſit rem quam vult exacte exprimere, Græca utitur ad familiares ſcribens. Quod enim ſupra dixerat, *ſi conſequi non poſſet*, nunc brevius una voce exponit. Tunc autem ἀπότευγμα facit aliquis cum rem quam adgreſſus eſt, non conſequitur & nanciſcitur. Quod igitur conatus erat Pætus ſtylum Ciceronis imitari, nec ei ex animi ſententia ſucceſſerat, dixerat fortaſſe prius ipſe ſe ἀπότευγμα feciſſe. quod autem eſſet ἀπότευγμα, a Trabea vix nunc ſciri poteſt tam minuta res poſt tot ſecula. *Victor.* *Sed potius ἀπότευγμα meum*] Mediceus liber ΝΑΠΟΤΕΥΓΜΑ. quare jam tunc ἀπότευγμα cenſuimus eſſe legendum: Ita autem veterem hanc lectionem confirmavimus, ut miremur aliquos deteriorem meritoque ejectam ſequi maluiſſe. *Idem* in poſter. *Ἀπόφθεγμα*] Dictum. al. ἀπότευγμα, quaſi repulſa quædam. in vetere libro ſic erat ſcriptum, *Quare nihil tibi opus eſt illud a Trabea. ſed potius non potiri meum.* ut ſint Trabeæ verba. *Corradus.* *Non potiri* non ſunt verba Trabeæ, ſed potius explicatio magiſtri, qui ἀπότευγμα voluit exprimere. Nam in Amſtelodamenſi, in quo Græca verba omiſſa ſunt, interjecto tamen ſpatio, cui inſcribi poſſint, Latina Græcorum verborum interpretatio margini eſt adſcripta: in qua hic iſta verba reperiuntur, *non potito optari non potuit.* *Meum ἀπόφθεγμα*] Sic prorſus legendum ἀπόφθεγμα, ut in Syntagmate noſtro jampridem docuimus. Cum enim Papirius in ſe convenire verſum Trabeæ dixiſſet,

Ego voluptatem animi nimiam ſummum errorem eſſe puto.

Cicero contra non hoc illi, ſed ἀπόφθεγμα ſuum convenire reſpondet. Id autem quale fuerit, ut in epiſtola reticetur. Apophtegmata quidem Ciceronis obſcura non ſunt, deque iis ipſe altera ad Pætum epiſtola ſatis aperte ſcripſerat. *G. Canter.* Male. Rectius Victorius & Manutius.

Qui tibi venit in mentem] Vatic. pr. Pal. Amſtelod. Mentel. Stewech. *quid tibi venit in mentem.* ſic & Manutiani omnes, quod merito probavit. mox quinque libri *cum ante.*

enim patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum ante cenſor cum eodem fuiſſet, annis poſt Romam conditam CCCXII. Sed tum Papiſii dicebamini. Poſt hunc, XIII fuerunt ſella curuli ante L. Papirium Craſſum, qui primum Papiſius eſt vocari deſitus. Is dictator cum L. Papirio Curſore, magiſtro equitum, factus eſt, annis poſt Romam conditam CCCCXV & quadriennio poſt conſul cum K. Duilio. Hunc ſecutus eſt Curſor, homo valde honoratus: deinde L. Maſſo, aedilitius: inde multi Maſſones: quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas volo. Deinde Carbones, & Turdi inſequuntur. Hi plebeii fuerunt, quos contemnas cenſeo. Nam praeter hunc C. Carbonem, quem Damaſippus occidit, civis e rep. Carbonum nemo fuit. Cognovimus C. Carbonem, & ejus fratrem ſcurram. quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Carbones. Marcus P. Flacco accuſante, condemnatus, fur

Patritii minorum gentium] Tarquinius Priſcus centum in patres legit, qui deinde *minorum gentium* ſunt appellati. *Corradus.*

Ante cenſor] Livius lib. IV. prius Coss. quam Ceſſ. facit. *Idem.* Hic locus ſic legendus eſt, *quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Cenſor cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Conſul cum eod. fuiſſet.* Ita corrigendum eſſe hunc locum Livius & hiſtoriæ ratio ſatis oſtendit. Errorem natum ex librariorum imperitia non dubito, qui vetuſtas notandi formulas CONS. & CENS. perperam interpretantes inverterunt. Steph. Pighius annal. Tom. I. ad annum V. C. CCCX.

Papiſii] Vt Valeſii, ut Fuſii. Quintil. lib. I, cap. 10. *Corrad.*

XIII *fuerunt ſella curuli*] In qua ſedebant non niſi magiſtratus majores, qui tum erant patritii. vid. Manut.

Is dictator] A T. Manlio Torquato dictus. *Corradus.*

Cum C. Duilio] C. Cæſone Duillio Helva. *Idem.* Scribendum *K. Duilio.* Vrſin.

Curſor] L. Papyrius Curſor, qui annis poſt R. C. CCCCXXX. Dictator fuit. *Corrad.*

C. Carbonem] Qui Arvina dictus eſt. *Idem.*

Damaſippus] L. Damaſippus, tunc prætor, qui eum occidit in curia Hoſtilia. *Idem.*

Civis e rep.] Ex optimatum partibus. *Idem. Civis e rep.* eſt utilis reipublicæ.

Tres illi fratres fuere, P. C. M. Carbones. Publius Flacco accuſante condemnatus. Fugit Marcus ex Sicilia] Al. *C. Cn. M. Carbones. M. P. Flacco accuſante condemnatus fur magnus ex Sicilia.* Corrad. *Marcus P. Flacco accuſante condemnatus, fur magnus ex Sicilia*] Ita Pall. duo, Vaticanus [nec non Amſtelod.], editio princeps, Victorius quoque. alii vulgo, *Publius, Flacco accuſante condemnatus; fugit Marcus ex Sicilia.* Gebhard.

L. Craſ-

ſur magnus ex Sicilia: Caius, accuſante L. Craſſo, cantharidas ſumſiſſe dicitur. is & tribunus pleb. ſeditioſus, & P. Africano vim attuliſſe exiſtimatus eſt. Hoc vero, qui Lilybei a Pompeio noſtro eſt interfectus, improbior nemo, meo judicio, fuit. Iam pater ejus accuſatus a M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. Quare ad patres cenſeo revertare. plebeii quam fuerint importuni vides.

L. Craſſo] Oratore. *Corrad.*

Cantharidas ſumſiſſe] Veneno ſe interfeciſſe. vid. Manut.

Hoc vero] Cn. Carbone ter Conſule. *Corrad.*

Lilybei] Eſt promontorium Siciliæ Libyam reſpiciens, ubi & urbs ejuſdem nominis.

Atramento ſutorio] Corruptis judicum tabellis. *Corrad.* Male. vide Manut.

Quam fuerint importuni] Improbi, nequam, violenti, omnibus incommodi. In lib. XII, ep. 12. *Importuniſſimi latrones.* Liv. *crudeliſſimi & importuniſſimi tyranni.* Salluſt. Jugurth. III. *Vt quidem regere patriam ac parentes, quanquam & delicta corrigas, tamen importunum eſt.* Juſtin. XLII, 1. *Multas alias civitates importune vexavit.* Grævius.

EPISTOLA XXII.

ARGUMENTUM.

Ita familiariter & libere jocatus erat Paetus in epiſtola ſua, ut obſcoenum verbum non vitaret. unde ſumpſit occaſionem Cicero exponendae Stoicorum ſententiae de licentia loquendi. quo facto, ſcholam Stoicam damnat: a ſe ait ſervari Platonis in loquendo verecundiam. Incertus annus.

CICERO PAETO.

AMo verecundiam, vel potius libertatem loquendi. atqui hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto, etſi Aca-

AMo verecundiam] Quæſtio quæ hac epiſtola lepide ſimul & erudite explicatur, ab aliis etiam agitata eſt. Docet enim cum de pulchritudine & turpitudine nominum lib. III Rhetorices Ariſtoteles diſſereret, rationem hanc quam poſtea, ut patet, Stoici arripuerunt (quod turpitudo ſcilicet non eſſet in verbis) ſophiſticam eſſe, ejuſque fallaciæ auctorem Bryſonem fuiſſe, & quemadmodum ea ſolvi debeat, accurate ſubtiliterque his verbis diſputat: *Eſt enim* (inquit) *aliud alio magis proprium nomen & magis ſimile rei, magiſque aptum & accommodatum ad conſtituendam rem ante oculos. Praterea non eodem pacto ſe habens ſignificat hanc rem & illam: quapropter ob hoc etiam aliud alio* tur-

Academiae noſtrae cum eo magna rixa eſt. Sed, ut dico, placet Stoicis, ſuo quamque rem nomine appellare. Sic enim diſſerunt, Nihil eſſe obſcenum, nihil turpe dictu. Nam ſi quod ſit in obſcenitate flagitium, id aut in re eſſe, aut in verbo: nihil eſſe tertium. In re non eſt. Itaque non modo in comoediis res ipſa narratur: ut ille in Demiurgo modo, (forte noſti canticum: meminiſti Roſcium) Ita me deſtituit nudum. Totus eſt ſermo verbis tectus, re impuden-

turpius aut honeſtius judicandum eſt: ambo enim ſane & honeſtum, & turpe ſignificant, non tamen quatenus honeſtum aut turpe: an hac quidem? verum magis aut minus. Expoſitis autem Cicero diligenter Stoicorum argumentis, quamvis ad ea non reſpondeat, ſe tamen Platonis verecundiam ſequi malle oſtendit, qui obſcœnas res tectis verbis ſolitus eſt ſignificare. Hoc igitur a doctore ſuo Ariſtoteles accepit: ſed non ſolum ipſe ut pudorem ſervaret, ab ea ſententia quæ tunc (ut videtur) valde celebris erat, alienus fuit, ſed rationes quaſdam, & argumenta excogitavit, quæ eam inanem & falſam eſſe docerent. Nunc poſtquam quod propoſitum fuit hac epiſtola Ciceroni declaratum eſt, ad quaſdam ejus partes purgandas, quæ fœdis maculis inquinatæ ſunt, veniamus: facilius enim judicari & ſtatui poterit de probitate & pravitate illarum, tota totius epiſtolæ ſententia percepta & cognita. Explicat etiam Cicero hanc eandem diſputationem contra verecundiam lib. primo Officiorum, ſed brevius. *Victorius.* *Amo verecundiam, tu potius libertatem*] Sic eſt legendum, reclament omnes libri licet, qui habent *vel potius libertatem*, &c. *Lamb.* Sic etiam cenſuit ante Lambinum Bernh. Rutilius.

Placet Stoicis] Quos in primo de Officiis libro hac in parte audiendos negat. *Corradus.*

Ut ille in Trinummo virgo modo] Antiqua cuncta exemplaria, quæ vidimus, etiam margines Germani libri, ubi illi quaſdam diverſas a vulgatis lectiones ex antiquo, ut teſtati ſunt, & mihi ſane perſuadent, codice poſuerunt, habent *ut ille in demiurgo modo*: intelligit autem Turpilium comicum, qui fabulam docuit hoc titulo. Non. Marcellus Turpilium citat in Demiurgo in dictione *quaſi*, item in dictione *ports*, item alibi hunc Turpilii verſum adducit in Demiurgo, *Aperta ſura, brachia autem errorem mihi corde exſuſcitabant.* Nam vox illa *modo* ſignificat hanc comœdiam paullo ante recitatam fuiſſe. Quod verba etiam illa *noſti canticum, meminiſti Roſcium* confirmant. Locum autem hunc in Trinummo apud Plautum non inveniri, omne dubium tollit, coarguitque vulgatam lectionem falſam & depravatam eſſe. *Victorius.* *Trinummo virgo*] Al. *Demiurgo*, quæ fuit Turpilii fabula. Al. *Detrijurgo*, vel *Detrivirgo*. Corrad.

Noſti canticum] Uno in ſcena loquente *canticum* dicitur: duobus vel tribus *diverbium* Latine, *dialogus* Græce. Liv. lib. VII.

Ita me deſtituit nudum. Totus eſt ſermo] Et ſenſus hujus loci obſcurus eſt, & vitiis, ut puto, non caret. Valde friget hic τὸ *totus*. Stewech. legit, *ita me deſtituit nudum. bacchus et. ſermo*, &c. Amſtelod. *ita me deſtituit nudum, bachus eſt, ſermo.* Alii codices, teſte Corrado, *ita me deſtituit nudam Baccus.* forte ſcripſit poeta vetus, ex quo Cicero, *ita me deſtituit nudam Bacchus. Eſt ſermo verbis tectus, re impudentior. Deſtituero* hic eſt defigere, deponere, ut apud Plaut. Rud. III, 5.

Ita duo deſtituas ſigna his cum clavis ſenex.

hoc

dentior: ſed etiam in tragoediis. quid eſt enim illud? Quae mulier una? quid, inquam, eſt? Vſurpata duplex cubile? Quid? hujus Pherei hic cubile inire eſt auſus. Quid eſt, Virginem me quondam invitam per vim violat? Iupiter bone, violat? atqui idem ſignificat: ſed alterum nemo tuliſſet. Vides igitur cum eadem res ſit, quia verba non ſint, nihil videri turpe. Ergo in re non eſt, multo minus in verbis. Si enim quod verbo ſignificatur, id turpe non eſt, verbum, quod ſignificat, turpe eſſe non poteſt. Anum appellas alieno nomine: cur non ſuo potius? Si turpe eſt, ne alieno quidem: ſi non eſt, ſuo potius. Caudam antiqui penem vocabant: ex quo eſt propter ſimilitudinem penicillus. At hodie penis eſt in obſcenis. At vero Piſo ille frugi in Annalibus ſuis queritur, adoleſcentes peni deditos eſſe. Quod tu in epiſtola appellas ſuo nomine, ille tectius penem. Sed quia multi, factum eſt tam obſcenum quam id verbum quo tu uſus es. Quid, quod vulgo dicitur,

Cum

hoc eſt, infigit. Liv. lib. VII. *duo armati in medio deſtituuntur.* hoc eſt, collocantur. *Deſtituere*, hic eſt, comprimere. Itaque ſane ſi alio ſenſu capiatur nihil video obſcœnitatis tectæ in hoc ſermone. Sed ſub τῷ *bacchus*, aut *baccus* puto adhuc aliud quid latere, quod acutioribus eruendum relinquo. Nam de Ariadne ut cogitemus non eſt, cum fuerit Comœdia. *Grav.*

Quæ mulier una] Attii verſus eſt, qui ſcripſerat,

Quæ mulier una duum virum,

ut ex Oratore Cic. colligo. Sequentis igitur verſus hoc erit initium,

Vſurpat, a, duplex cubile.

Sic enim ſcribendum alibi monuimus. Sicut enim *pro* non *proh*, ſic *A* pro *Ab* veteres ponebant. *G. Canter.*

Vſurpata duplex cubile] MS. tres, *uſurpat duplex cubile.* & ſic legi vult F. Urſinus ex veteri codice. alii tres, inter quos Amſtelod. & prim. Pal. *uſurpato duplex cubile.* Meliores tamen editiones *uſurpata*, forte *uſurparat.* Grav.

Sed jam multis factum eſt tam obſcœnum] Nos antiquam lectionem in noſtro libro repoſuimus ſinceram, ut arbitror. & incorruptam, planam certe, & claram, Quod tu in epiſtola ſuo nomine appellas, Piſo ille frugi tectius, & minus aperto vocabulo appellabat penem. *Sed quia multi*, poſt eum, ſcilicet ſic appellaverunt, ut ipſe antea appellarat, cum amplius non tectum eſſet, & obſcurum, *factum eſt tam obſcœnum* quam id verbum quo uſus eſt Pætus. Poſtquam enim non latuit, nec clam fuit quid ea voce ſignificaretur, ſtatim factum eſt turpe & obſcœnum: non enim intelligi ab omnibus quid ea denotaretur, ipſum verecundiorem faciebat. Ideoque infinitis pæne nominibus apud Græcos, nec paucis etiam apud Romanos, hæ hominis partes quæ honeſte nominari non poſſunt, indicantur: unuſquiſque reconditam vocem ſectatur, vulgatam, & nimis apertam propter turpitudinem fugit & aſpernatur. *Victor.*

Cum

Cum nos te voluimus convenire, num obſcenum eſt? Memini, in ſenatu diſertum conſularem ita eloqui. Hanc culpam majorem, an illam dicam? potuit obſcenius? non, inquis. non enim ita ſenſit. Non ergo in verbo eſt. docui autem in re non eſſe. nuſquam igitur eſt. Liberis dare operam, quam honeſte dicitur? etiam patres rogant filios. ejus operae nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen. Is Connus vocitatus eſt. num id obſcenum putas? Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus, at cum bini, obſcenum eſt. Graecis quidem, inquies. nihil eſt ergo in verbo, quum & ego Graece ſcio: & tamen tibi dico, bini: idque tu facis, quaſi ego Graece non Latine dixerim. Ruta, & menta, recte utrumque. Volo mentam puſillam ita appellare, ut rutulam: non licet. Bella tectoriola: dic ergo etiam pavimenta iſto modo. non potes. Viden' igitur nihil eſſe niſi ineptias: turpitudinem nec in verbo eſſe, nec in re: itaque nuſquam eſſe. Igitur in verbis honeſtis obſcena ponimus. Quid enim? non honeſtum verbum eſt diviſio? At ineſt obſcenum, cui reſpondet intercape-

Cum nos te voluimus convenire —— *Memini in ſenatu diſertum conſularem ita eloqui. Hanc culpam maj. an illam dicam*] *Cum nos* enim cunnos proferimus. *Corradus.* Huc pertinet quod in monumentis quibuſdam antiquis reperitur *con que vixit.* Nam ita *cum* pronunciarunt, ut hodie quidam faciunt Itali, vetereſque junctis verbis fecere. manifeſta fuit turpitudo. At in dicto Viri conſularis *culpa* vocabulum vel mendoſum eſt, vel aliam olim vim habuit. Nam qui in aliis obſcœnitatem ponunt mihi certe non probant. *G. Canter.* Politianus in cod. MS. pro *culpam* videtur legere voluiſſe *pulpam*, quia *pulpa* & *pulpamentum* clunium eſt. Dein etiam Donatus in obſcœnum traxit Terentii illud, *Tute lepus es & pulpamentum quaeris.* Gruter. *An illam*] Ani profertur. *Corrad.*

Cum bini obſcenum] Βινεῖ enim apud Græcos a βινέω coëo.

Pavimenta] Ex diminutione enim naſceretur, *pavimentula.* Corrad.

Non honeſt. verb. eſt diviſio] Hinc Plautinus coquus in Aul. *me non dividet.* Idem. *Quid enim, non honeſtum verbum eſt diviſio?*] Vaticani excerpta, *quid enim hoc honeſtum verbum eſt diviſio.* ſed noſtram lectionem accepimus ex Palatino ſexto, Gruteriano, Stewech. editione prima & Victorii: & ſic ferme Palatinus primus, niſi quod ille, ſicut unus ex Guilielmianis, *diviſſio.* Vulgo, *quid enim? num honeſtum verbum eſt diviſio?* quod interpretatur Joſephus Scaliger emendationibus ad Catullum; Epigrammate, *Othonis caput* &c. *Gebhardus.* *Non honeſtum verbum eſt diviſio? At ineſt obſcenum, cui reſpondet intercapedo*] Optime ſe

capedo. num haec ergo obſcena ſunt? Nos autem ridicule. Si dicimus, ille patrem ſtrangulavit, honorem non praefamur. ſin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos praefandus eſt. Et quidem jam non etiam obſcena verba pro obſcenis ſunt. Batuit, inquit, impudenter, depſit multo impudentius.

ſic habet hæc lectio ex optimis codicibus hauſta. Male Victorius, & eum ſecutus Gebhardus, *diviſor* ediderunt. Senſum vero non cepit Manutius. Obſcœnitas hic conſiſtit in *κακεμφάτῳ*, ut recte monuit Scaliger ad Catullum. Nam ſi in *diviſio* exteratur prima ſyllaba, remanet *viſio*; quod Latinis ſignificat fœdum corporis ſtrepitum edo. Propter eandem cauſſam Acron Horatii interpres ad hunc locum, de Arte poetica, *quamvis eſt monitus* notat, *pro eo quod eſt quamvis ſit propter κακεμφατον, ut Maro, quamvis eſt ruſtica Muſa.* Nec aliud ſignificat, quod illi reſpondet, *intercapedo.* Nimirum poſtremæ duæ ſyllabæ hujus vocis in nominandi caſu, non in obliquis. Ac de iſto poſteriore ne dubitemus Quintilianus facit in lib. VIII Inſtit. Orat. c. 3. *Diviſio quoque vocum*, inquit, *affert eandem injuriam pudori, ut ſi intercapedinis nominativo caſu quis utatur.* Si enim vox intercapedinis Manutianum illud prius ſonaret, non jam rectus id caſus ſolum ſonaret, ſed cæteri quoque caſus omnes idem valerent, ut [illegible]re notavit vir diſertiſſimus, & ſummi ingenii ac doctrinæ mihique, [illegible] vi[illegible]s eſſet, amiciſſimus, Franciſcus Fava[illegible]or lib. de Epigrammate [illegible], [illegible] ſtudioſi humanitatis hanc de[illegible] obſervationem.

Batuit inquit impudenter] Eſt & hoc verbum ex illis quæ turpem rem ſignificabant, cum alium etiam haberent non obſcœnum ſignificatum: nam pro *verberare* frequenter accipiebatur. Habemus & nos huic ſimile verbum & nomine & ſignificatu, id eſt, quod ab hoc deductum videtur, & ipſum quoque verberare & flagello cædere ſignificat, quod flagitioſam & nefandam rem alio ſignificatu innuit, & eandem (ut puto) quam apud Romanos *Battuere.* Quamvis enim Cicero impudentius adhuc eſſe tradat *depſere* quam *battuere*: dicit hoc fortaſſe, quia tunc non tantopere deteſtabantur eas libidines quæ priore verbo ſignificantur, quam nos nunc merito facimus: ſed licenter illis amoribus utebantur: ſed non noſtrum eſt, neque ad hoc inſtitutum pertinet, quod gravius aut levius peccatum ſceluſque ſit, minute perquirere: illo certe quod verbo *depſere* innuitur, nihil ſpurcius fœdiuſque fieri poteſt. Veniam mihi datum iri ſpero, qui ut hujus epiſtolæ ſenſum aperirem declararemque, breviter & tecte de obſcœnis rebus aliquantulum diſputavi. *Victor.*

Depreſſit multo impudentius] Vetuſti codices *dempſit*. Nos litteram *m* vacare putavimus, ac *depſit* ſcripſimus. Non. Marcellus Varronem Myſteriis hac voce uſum docet hoc verſu, *Sed tibi fortaſſe alius molit, & depſit.* A Græco autem (ut ejus verba ſunt) magis ſignificantiam & originem trahit. Quod autem verſus Homeri in Odyſſea, quem Nonius citarat, nullum veſtigium ibi eſt: ut inane illud ſpatium repleatur, videndum eſt an reponi hic debeat,

Κηρὸν δεψήσας μελιηδέα, μάτις ἀχύεν.

qui eſt in XII lib. cum ſermo eſſet de Ulyſſe, qui mollita cera aures ſociorum obturabat, ne cantus illi Sirenum audirent. Quid vero *δέψεσθαι* apud Græcos ſit, notiſſimum eſt. Tanta erat priſcorum comicorum licentia, ut nedum puduerit Ariſtophanem obſcœno nomine in comœdia uti, totam hanc rem ſcurriliter deſignet & pin-

tius. Atqui neutrum eſt obſcœnum: Stultorum plena ſunt omnia. Teſtes, verbum honeſtiſſimum in judicio, alio loco non nimis. at honeſti colei Lanuvini, Cliternini non honeſti. Quid? ipſa res modo honeſta, modo turpis? ſuppedit, flagitium eſt. jam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes ſcholam Stoicam, ὁ σοφὸς εὐθυῤῥημων ἐστι.

Quam

pingat: quod mirum eſt, ea tempora tantam verborum obſcœnitatem ferre in theatro potuiſſe, & tantopere riſu jociſque inſanire homines illos ſolitos, ut paterentur ſiniſtre facetos poetas tam turpiter, ſceleſteque bonis moribus inludere. *Victorius.* *Depſit multo impudentius*] Sic legendum eſſe, non *clepſit*, ab aliis jam indicatum eſt. Fuit hoc verbum etiam apud Catullum depravatum. nam ex *perdepſuit*, factum eſt *perdeſpuit*. Sic igitur legendum carmen illud in Gellium, *Gellius audierat*, &c. *Hocne ipſi accideret, patrui perdepſuit ipſam Uxorem*, &c. Quod a Joſ. Scaligero noſtro nuper animadverſum eſt. Sed redeo ad Ciceronem: *batuere* paullo ante ponitur a Cicerone etiam in obſcœnis, vel per tranſlationem, quia batuere, eſt ferulis verberare: vel quod βατίεσθ, ſeu βατάλισθ apud Siculos, idem valet quod inire mare. Theocr.

Οὐκ ἐσορῇ τὰς μαχλάδας, οἷα βατεῦντας.

Lambinus.

Stultorum plena ſunt omnia] Vel totum hoc plane tollendum eſt, ut a ſcriptore aliquo, nimio Ciceronis acumine ſuboffenſo, primum in margine poſitum, deinde ab alio pro vero agnitum: vel pro *ſtultorum*, aut *ſed iſtorum*, aut ſimile quid reponendum. *G. Canter.* Sic & H. Stephanus quatuor illas voces habet pro ſpuriis, auctoritate veteris codicis. Vide lib. 1 Schediaſm. cap. 66.

Lanuvini] A Lanuvio oppido. *Corradus.*

Cliternini] A Cliterna. *Idem.*

Supplere flagitium eſt] Nos parva admodum immutatione ab antiquis exemplaribus *ſuppedit* legimus: nam ſic etiam ſupra *batuit*, *depſit* tertia perſona ſingularis numeri. Res autem clara eſt. Non ſolum, inquit, verba, quæ rem ſignificant, ſed res ipſa etiam quæ verbis illis declaratur, pro loci ratione modo turpis eſt & culpatur, modo ſi non honeſta, tamen conceſſa & non reprehenſa. Quod enim in balneis vitio nulli datur, id alibi committere flagitium eſt. Manifeſtum eſt autem quid intelligat. *Victorius.* *Suppedit fl. e.*] Nolui nec potui a Victorio diſcedere accedentibus proxime libris noſtris, ille enim *ſuppendet*, ut & duo Guilielmii: cujus & unus *ſuſpendet*. vulgo *ſuppellere flagitium eſt*. quod per me licet defendere Carrioni lib. 1, cap. 12 antiquarum lection. Paullo poſt pro *ſcholam* Palatinus ſextus ad oram notat legi quoque *ſtolam*. Gebhardus.

Habes ſcholam Stoicam] Hoc eſt, diſputationem ſeu diſſertationem Stoicam. Cicer. III Tuſcul. 34. *Separatim autem certæ ſcholæ ſunt de exitio, de interitu patriæ*, hoc eſt, exercitationes, diatribæ, diſputationes. *Ibid.* *Hæc Græci in ſingulas ſcholas diſpertiunt.* hoc eſt, in ſingulos libros, diſſertationes. Sic *ſcholas habere* eſt diſſerere de virtute aliqua, aut alia re. Cic. 1 Tuſc. 4. *Ut jam etiam ſcholas Græcorum more haberemus.* Poſterioris ſæculi ſcriptores dixerunt *tractatum habere*. *Tractatus* enim dicebantur epiſcoporum homiliæ, ſeu conciones. Victor. Uticenſis de perſecutione Vandalica de Auguſtino, *Ducentos jam & triginta & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epiſtolis, vel expoſitione totius Pſalterii & Evangeliorum, atque tractatibus*

popu-

Quam multa ex uno verbo tuo? Te adverſus me omnia audere gratum eſt. Ego ſervo, & ſervabo, ſic enim aſſuevi, Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te ſcripſi, quae apertiſſimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus ajunt aeque liberos ac ructus eſſe oportere. Honorem igitur Kalendis Mart. Tu me diliges, & valebis.

popularibus, quas Graci homilias vocant, quorum numerum comprehendere ſatis impoſſibile eſt. Hinc *tractator* eſt interpres ſacrarum litterarum. Auguſtin. Serm. 22, eorum, quos Sirmondus edidit, *Homines enim hominibus loquimur, & recte ſcripturarum tractatores dicimur, non noſtrarum opinionum affirmatores.* Sic *tractare* ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſæpe eſt ſacras litteras interpretari. Servius etiam uſurpavit de philoſophis, oſtenditque idem eſſe quod *ſcholam habere* ad VII Æn. *Xenocrates primus philoſophiæ ſcholam aperuit, cum antea in porticibus philoſophi tractarent.* Grævius.

Εὐθυῤῥήμων] Ep. 26 lib. XII. *Corradus.*

EPISTOLA XXIII.

ARGUMENTUM.

Praenunciat Paeto adventum ſuum: quanquam enim audierit eum pedibus laborare, ſe tamen putare ait, cocum illius articulari morbo non impediri, quo minus coenam poſſit apparare. Caeſare tertium & Lepido Coſſ.

CICERO PAPIRIO PAETO.

HEri veni in Cumanum, cras ad te fortaſſe. Sed cum certum ſciam, faciam te paullo ante certiorem. Etſi M. Ceparius, cum mihi in ſilva Gallinaria obviam veniſſet, quaeſiſſemque quid ageres, dixit te in lecto eſſe, quod ex pedibus laborares. Tuli ſcilicet moleſte ut debui: ſed tamen conſtitui ad te venire, ut & viderem te & viſerem & coenarem etiam. Non enim arbitror cocum etiam te arthriti-

Silva Gallinaria] Lege Strabonem libro quinto. *Corrad.* Eſt inter oſtia Vulturni & Literni juxta littus in Campania. Colum. lib. VIII, cap. 2.

Conſtitui ad te venire] Amſtelodam. & Stewech. non male *inſtitui ad te venire.* Sup. lib. I, epiſt. 2. *Quod inſtituis referre de religione, & ſæpe jam retulit, ab eo deduci non poteſt.* & in lib. III ad Attic. *Cum inſtituiſſem ad te ſcribere, calamumque ſumpſiſſem.* Et ſic ſæpius Cicero. *Grævius.*

Rufum

thriticum habere. Exſpecta igitur hoſpitem cum minime edacem, tum inimicum coenis ſumptuoſis.

EPISTOLA XXIV.

ARGUMENTUM.

Rufum a Paeto commendatum ait ſibi curae etiam atque etiam fore: deinde monet ut omnino ad coenas & convictum amicorum redeat: concludit, rep. ſibi nihil eſſe carius. Poſt Caeſaris necem, Hirtio & Panſa Coſſ.

CICERO PAETO.

RVfum iſtum, amicum tuum, de quo iterum jam ad me ſcribis, adjuvarem quantum poſſem, etiam ſi ab eo laeſus eſſem, cum te tantopere viderem ejus cauſſa laborare. cum vero & ex tuis litteris, & ex illius ad me miſſis intelligam & judicem, magnae curae ei ſalutem meam fuiſſe, non poſſum ei non amicus eſſe, neque ſolum tua commendatione, quae apud me, ut debet, valet plurimum: ſed etiam voluntate ac judicio meo. volo enim te ſcire, mi Paete, initium mihi ſuſpicionis & cautionis & diligentiae fuiſſe litteras tuas: quibus litteris congruentes fuerunt aliae poſtea multorum. Nam & Aquini & Fabrateriae conſilia ſunt inita de me, quae te video inaudiſſe: &, quaſi divinarent quam his moleſtus eſſem futurus, nihil aliud egerunt niſi me ut opprimerent. Quod ego non ſuſpicans incautior fuiſſem, niſi a te admonitus eſſem. Quamobrem iſte tuus amicus apud me non eget commendatione. Vtinam

RVſum iſtum amicum tuum] Hanc epiſtolam (niſi fallor) ſcripſit Cic. poſt Cæſ. necem: quod verba quoque hæc, quæ in ipſa poſita ſunt, declarant. *Nam & Aquini, & Fabrateria conſilia ſunt inita de me.* De eadem enim re Cicero in Philipp. egit. *Victoriæ.*

Adjuvarem quantum poſſem] Amicitiæ noſtræ illius injurias condonarem.

Aquini] Aquinum Volſcorum oppidum, incolæ *Aquinates.* hac ætate vocatur *Aquino.*

Fabrateria] Fuit oppidum Volſcorum, nunc dicitur *Falvatera.*

Vti-

nam ea fortuna reip. ſit, ut ille me quam gratiſſimum poſſit cognoſcere. Sed haec hactenus. Te ad coenas itare deſiſſe, moleſte fero. Magna enim te delectatione & voluptate privaſti. Deinde etiam vereor, licet enim verum dicere, ne neſcio quid illud, quod ſolebas, dediſcas, & obliviſcare coenulas facere. Nam ſi tum cum habebas quos imitarere, non multum proficiebas: quid nunc te facturum putem? Spurinna quidem, cum ei rem demonſtraſſem & vitam tuam ſuperiorem expoſuiſſem, magnum periculum ſummae reip. demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem tum cum Favonius flaret revertiſſes: hoc tempore ferri poſſe, ſi forte tu frigus ferre non poſſes. Sed mehercule mi Paete, extra jocum, moneo te, quod pertinere ad beate vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil aptius vitae, nihil ad beate vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, ſed ad communitatem vitae atque victus, remiſſionemque animorum: quae maxime ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus: ut ſapientius noſtri, quam Graeci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concoenationes: nos convivia, quod tum maxime ſimul vivitur. Vides ut te philoſophando revocare coner ad coenas? Cura ut valeas. id foris coenitando facillime conſequere. Sed cave, ſi me amas, exiſtimes, me, quod jocoſius ſcribam, abjeciſſe curam reip. Sic tibi, mi Paete, perſuade, me dies

Utinam ea fortuna reipublica ſit] Quia reſp. bellis civilibus afflicta ſuas vires am[illegible].

Cum habebas quos imitarere] Cum eorum cœnas videres.

Spurinna] Augur. *Corrad.*

Magnum periculum ſumma reip. demonſtrabat] Hæc non ſerio, ſed per jocum dicta.

Hoc tempore fieri poſſe] Vetuſti codices *ferri*, nam quod alii pro *tempore*, *tepore* legunt, in nullo inveni antiquo codice. Idem dicimus de voce illa *ſevitatem*, quam alii in *ſeveritatem* commutarunt. Nos enim omnibus vetuſtis exemplaribus concordes vulgatos codices nunquam damnare auſi ſumus, ideoque & hic & aliis locis hæc argute ab aliis excogitata non recepimus. *Victorius.*

Illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes aut concœnationes] Hoc totum, *id eſt, compotationes aut concœnationes*, delendum puto, ut foris profectum & alienum, minimeque Ciceronis. *Lambin.*

cies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei cives ſalvi liberique ſint. Nullum locum praetermitto monendi, agendi, providendi. Hoc denique animo ſum, ut, ſi in hac cura atque adminiſtratione vita mihi ponenda ſit, praeclare actum mecum putem. Etiam atque etiam vale.

Nullum locum pratermitto monendi] Hittorp. & Stewech. *nullum locum pratermitto movendi.* Terent. *Ego iſthac cure aut moveo?* Et mox x, ep. 4. *Quantum viribus initi, conſilio providere, auctoritate movere potuere.* Guilielm.

Agendi] H. Steph. Schediaſm. lib. 11 contendit legendum eſſe *urgendi*.

Ut ſi in hac cura] Scrib. *cauſſa*. Guilielm.

EPISTOLA XXV.

ARGUMENTUM.

Hanc epiſtolam ſcripſit ante bellum civile, cum Ciliciam proconſul adminiſtraret. Iocans in eo cavillatur, quia ſibi Papirius praecepta de re militari litteris tradiderat. Commendat M. Fabium, eum quem Coelio epiſt. 4. lib. 11 commendavit. L. Paullo, C. Marcello Coss.

CICERO IMP. PAETO.

SUmmum me ducem litterae tuae reddidere. plane neſciebam te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros & Cineae video lectitaſſe. Itaque obtemperare cogito praeceptis tuis: hoc amplius, navicularum habere aliquid in ora maritima, contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri poſſe. Sed quid ludimus? neſcis quocum imperatore tibi negotium ſit. παιδείαν Κύρυ, quam contriveram legendo, totam in hoc imperio explicavi.

C*Ontra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri*] Quia ſcilicet effugere navibus poſſumus.

Παιδ. Κύρυ] Cyri inſtitutionem, a Xenophonte conſcriptam. *Corrad.*

Quam contriveram legendo] Vulgo *contriveram*: ſed illud habent Pall. duo, totidem Guilielmiani, Victorii editio. Paullo poſt ſcripſi, *ſed iocabimur alias coram, ut ſpero, brevi tempore*, ex Pall. duobus, Peckio excerptis ac Vaticani, editione primaria ac Victorii. cum editum ſit, *coram, &, ut ſpero, brevi. Nunc.* Porro ad ſequentium verborum

ades

vi. Sed jocabimur alias coram, ut ſpero, brevi tempore. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio, quod ſcire te arbitror, mihi ſummus uſus eſt: valdeque eum diligo, cum propter ſummam probitatem ejus ac ſingularem modeſtiam, tum quod in his cōntroverſiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera ejus uti ſoleo. Is cum ad me Laodiceam veniſſet, mecumque ego eum eſſe vellem, repente percuſſus eſt atrociſſimis litteris, in quibus ſcriptum erat, fundum Herculanenſem a Q. Fabio fratre proſcriptum eſſe, qui fundus cum eo communis eſſet. Id M. Fabius pergraviter tulit, exiſtimavitque, fratrem ſuum, hominem non ſapientem, impulſu inimicorum ſuorum eo progreſſum eſſe. Nunc ſi me amas, mi Paete, negotium totum ſuſcipe & moleſtia Fabium libera. Auctoritate tua nobis opus eſt & conſilio & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari. Matonem & Pollionem inimicos habet Fabius. Quid multa? non mehercule tam perſcribere poſſum quam mihi gratum feceris, ſi otioſum Fabium reddideris. Id ille in te poſitum eſſe putat, mihique perſuadet.

ades ad imperandum marginem Guilielmius adſcripſerat emendationem Caeſaris Lib. VI bell. Gall. *Senones ad imperandum non venire.* Vulgo *imperatum.* Horat. invitans ad coenam:

Sin melius quid habes accerſe vel imperium fer.

Gebhardus.

In hoc imperio] In Ciliciae adminiſtratione.

Ad imperandum] Hoc eſt, ut imperium feras. ſeu, ut tibi imperetur. *Lambin.* Vid. P. Manut. not.

Cum M. Fabio] Lib. 11, ep. 14. *Corradus.*

In his controverſiis, quas habeo cum tuis combibonibus] In diſputationibus contra Epicureos.

Proſcriptum eſſe] Venalem propoſitum. ſic *proſcribere ades* & multa alia.

EPISTOLA XXVI.

Argumentum.

Deſcriptio & excuſatio coenae hilarioris, praeſertim accumbente Cytheride meretrice. Iiſdem conſulibus.

CICERO PAETO S.D.

ACcubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum, & quidem ſupra me Atticus, infra Verrius, familiaris tui. Miraris tam exhilaratam eſſe ſervitutem noſtram? Quid ergo faciam? te conſulo, qui Philoſophum audis. Angar? excruciemne me? quid aſſequar? Deinde quem ad finem? Vivas, inquis, in litteris. An quidquam me aliud agere cenſes? aut poſſem vivere, niſi in litteris viverem? Sed eſt earum etiam non ſatietas, ſed quidam modus. A quibus cum diſceſſi, etſi minimum mihi eſt in coena: quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti: tamen quid potius faciam priuſquam me dormitum confe-

A*Pud Volumnium*] Epiſt. 33. lib. VII. *Corrad.*

Miraris tam exhilaratam eſſe ſeveritatem noſtram?] Codices Memm. aliquot habent *ſervitutem noſtram?* Clericanus *ſenectutem noſtram?* ego *ſervitutem* legendum eſſe puto. ſignificat enim dominatum Cæſaris. *Lambinus.* *Mir. tam exh. e. ſervitutem n.*] Nullo modo hanc lectionem ſollicitandam eſſe ante Lambinum admonuit P. Victor. quam quoque tuentur Pall. duo, (nec non Amſtelod. & Mentel.) priſca editio. Ex Clericano profert Lambin. *ſenectutem noſtram*, ſed æque gloſſa eſt. ut vulgata *ſeveritatem.* poſt ſtatim ſcripſi ex Pall. itidem duobus, totidem Guilielmii, Vaticano, editioneque adeo Victoriana; *aut poſſem vivere, niſi in litteris viverem?* cum languidiſſime excuſum feratur, *haud poſſem vivere, niſi in litteris viverem.* Gebhardus.

Etſi minimum mihi eſt in cœna] Academici negant in rebus quicquam reperiri poſſe tam exigua magnitudine & augmine, quod non dividi porro queat. hoc conſtanter negant Epicurei. concideret enim omnis illorum doctrina de atomis, quas illi minimas eſſe in rerum natura voluerunt, dividi aut ſecari amplius non poſſe, æternas ac ſolidas. *Minimum* ergo admittebat Pætus. *Dio* fortaſſe Peripateticus. *Giffanius.*

Quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti] *Ponere quæſtionem* Cicero dixit frequenter pro *proponere quæſtionem*. 1 de Orat. *Mihi vos tanquam alicui Græculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto atque erudito, quæſtiunculam de qua meo arbitratu loquar, ponitis.* Senec. ep. 49. *Sederem otioſus ejuſmodi quæſtiunculas ponens.* Sic & ſimpliciter *ponere.* Cic. 1 Tuſc. 6. *Ponere jubebam de quo quis audire vellet.* Senec. Suaſor. VI. *Solent enim*

conferam non reperio. audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille, *quem adſpectabant, cujus ob os Graii ora obvertebant ſua?* Non mehercule ſuſpicatus ſum illam affore: ſed tamen ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit, cum eſſet objectum, habere eum Laida: *Habeo*, inquit, *non habeor a Laide.* Graece hoc melius. tu, ſi voles, interpretabere. Me vero nihil iſtorum ne juvenem quidem movit unquam, ne nunc ſenem. convivio delector. ibi

... *Scholaſtici declamatores ponere, an promittente ſalutem Antonio orationes ſuas* (Cicero) *combureret.* Græv.

Quem adſpectabant, &c.] Carmen Ennianum in Telamone. *Corradus.*

Sed tamen Ariſtippus quidem ille Socraticus non erubuit, — Habeo, inquit, &c.] Nulli veteres habent particulam ... negativam, quare nos cum Germ... codice, *ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit* ſcripſimus. ſere ... ſcriptum *quidem* ante ſe habet *ne*. Græca autem verba Ariſtippi quæ me ... viſa ... Ciceroni dictum illud exprimere, nos adferemus, ut poſſint ſtudioſi facile cum interpretatione Ciceronis conferre: ſunt autem apud Athenæum *δειπνοσοφιστῶν* lib. XII. ὁ δ' Ἀρίστιππος ὅτι τῆς Λαΐδος ἦν, Ἔχω, καὶ οὐκ ἔχομαι. *Victorius.* *Habeo, inquit, non habeor a Laide*] Sic omnes veteres libri, non ut Manutii iterum jam impreſſerunt. *Habeo, inquit, Laida, non habeor a Laide.* Suſpicari potius aliquis poſſet, ne ſemel quidem Laidis nomen ponendum eſſe, nedum bis collocari: nam in Græco Ariſtippi dicto, quod a nobis apud Athenæum inventum eſt, nuſquam eſt, & hæ voces, quanto magis breves, conciſæque ſunt, tanto magis elegantes, & acutæ videntur. Quod ex plurimis veterum apophthegmatibus facile intelligi poteſt: ſunt enim illa pronuntiata mira brevitate. Demetrius etiam ille Phalereus hoc aperte docet: ipſius enim verba ſunt in commentatio, περὶ ἑρμηνείας, Ἔστι δὲ ἀποφθεγματικὸν ἡ βραχύτης. præterea Cicero in Lælio, cum naturam apophthegmatis exprimeret, inquit: *Multa breviter & commode dicta memoriæ mandabam.* Et hæc fortaſſe cauſſa eſt, cur Cicero exiſtimarit, melius hanc ſententiam Græce dici poſſe, quam Latine, quod brevius, conciſiuſque eo ſermone enuncietur: niſi potius quia non eandem vim apud Latinos homines habet *habeo* quam apud Græcos ἔχω, & *habeor* quam ἔχομαι· doctiores hoc judicabunt. Clemens etiam ipſe in II Stromate vocem hanc Ariſtippi, non tam preſſe tamen concinneque eam protulit: hæc ipſius verba ſunt, ταύτῃ δῆλον ἐν τῇ δόξῃ καὶ Ἀρίστιππος ὁ Κυρηναῖος προσοίζαλλεν τὰ τὴν ἀλήθειαν αὐχοῦντος σοφιστοῦ· ὀνειδιζόμενος ἐν ὅτι τὸ συνεχὲς ὁμιλεῖν τῇ ἑταίρᾳ τῇ Κορινθίᾳ, ἔχω τὴν Λαΐδα καὶ οὐκ ἔχομαι ὑπ' αὐτῆς. Sententia igitur hic contentus fuit, verba non valde eleganter compoſuit. *Idem* in poſterior. Recidi illud *Laida* ex duobus Pall. Guilielmianis quatuor, editione primaria & Victorii. Vaticani excerpta plura decurtant, *habeo, inquit: non habeor. Græce:* quod mihi majorem in modum placet; eo magis, quum præceſſerit, *habere eum Laida:* quæ verba alias haberi jubebat pro gloſſa Gruterus noſter. *Gebhardus.*

Ne nunc ſenem] Sic Pall. Gruterian. tres Guilielm. [Amſtelod.] edit. prima & Victor. vulgo *nedum ſenem.* Gebhardus. *Ne* autem ponitur pro *nedum*, ut multis docuit exemplis Rivius ad Salluſtium.

ibi loquor, quod in ſolum, ut dicitur, & gemitum, & in riſus maximos transfero. An tu id melius, qui etiam philoſophum irriſeris? Cum ille, ſi quis quicquam quaereret, dixiſſet, coenam te quaerere a mane dixeris. Ille

Ibi loquor aliquid, quod in ſolum, ut dicitur, &c.] Locus obſcurus, & multis ſuſpectus: vetuſtioribus omnibus exemplaribus cum vulgata lectione convenit: verbum tantum *aliquid* non habent antiqua, quare neque nos recepimus. Ut fit, alii aliis modis dum corrigere volunt, locum hunc magis depravarunt. Quidam pro *ſolum*, *ſolatium* reponunt, conjectura ducti, & ea inani & falſa: utinam autem tam certa eſſet ſententia quam verba ſunt incorrupta: proverbium enim eſt, ſed rarum admodum, qua de cauſſa parum perſpicitur unde dictum ſit: a Cicerone tamen lib. 1 de Natura deorum iterum uſurpatum eſt, *Abuteris ad omnia atomorum regno & licentia: Hinc quodcunque in ſolum venit (ut dicitur) effingis atque efficis.* Nos nihil aliud poſſumus: tantum non temere evertendam eſſe hanc receptam cum antiqua conſentientem lectionem, admonemus, locumque alium indicavimus, quo Cicero hoc eodem proverbio uſus eſt. Quod autem iidem *genium* pro *gemitum* emendare voluerunt, a fide etiam in hoc antiquorum codicum diſceſſere. *Victorius.* *Quod in ſolum venit*] Vide Quaeſturam. *Corradus.* *Quod in ſolum venit*, eſt ut aliter dicitur, quod in buccam venit. Vid. Manut.

Et gemitum, & in riſus maximos transfero] Haec noſtra eſt in cunctis a nobis antiquis codicibus inventa lectio: alii *& gemitum etiam* emendant, quos nec reprehendo, nec laudo. locus ſane obſcurus eſt. Quare cum ante de omni hac parte accurate diſſeruerim, verbum de ea amplius non faciam. *Victorius.* Lectionem antiquorum codicum invitus ſollicito, niſi ſenſus flagitet. mihi videtur abundare copula, & ſcripſiſſe Cicero, *& gemitum in riſus maximos transfero.* hoc eſt, in conviviis a gemitibus & luctu propter perditam rempublicam & tempora mala, ad riſum & laetitiam me transfero. In Amſtelodamenſi ſane ter repetitur copula, *& gemitum & in riſus & maximos transfero*. ſicut hic bis in τὸ *&* repetendo peccarunt librarii, ſic in aliis codicibus ſemel. *Graevius.*

Qui etiam in philoſophum irriſeris] Eleganter quam non uſitate. ita Pall. Vaticanus, Victorii editio. quod, ut dixi, erat rarius, ſtatim homines perfrictae & imperitae frontis, praepoſitionem ſuſtulerunt *in*. Gebhardus. Fateor etiam in Amſtelodamenſi ſic ſcriptum eſſe, ut ediderunt Victorius & Gebhardus. In Menteliano vero, *in philoſophiam irriſerunt*. Sed quid eſt *irridere in aliquem*? ſtultum eſt velle librariorum errores defendere. Ex repetita ultima litera praecedentis vocis nata eſt haec vocula, quam merito ignorant multi antiqui libri & editiones. *Graevius.*

Coenam te quaerere a me dixeris] Mediceus ille pervetus codex *a mane* una cum Petrarchae libro: quare nos quoque eos ſecuti ita legimus. Sic etiam loquitur Plautus in Amphitryone:

Haec illu pugnata eſt pugna uſque a mane
ad veſperum.

Sic itidem Lucillius apud Firmianum libro x.

Nunc vero a mane ad noctem, feſto atque profeſto,
Totus idem pariterque dies populuſque patreſque
Jactare, &c.

Nec mihi difficile eſt credere, ſic etiam Ciceronem referentem familiarem Paeti ſermonem dixiſſe. *Victorius.* *A mane dixeris*] Ita ſane olim imprimi juſſimus, quam lectionem alii poſtea probarunt ac receperunt. verumtamen cum accuratius de hac re cogitaremus, animadvertimus omnibus in locis ubi *a mane* eſt, ſequi ſtatim *ad noctem* aut *ad veſperum*, quemadmodum Plautus ſaepe locutus

Ille baro te putabat quæſiturum, unum coelum eſſet, an innumerabilia. Quid ad te? At hercule cocna nunquid ad te?

[illegible] curus eſt. quod ſcrupulum mihi injecit, [illegible] cum id ſervatum hic non ſit, quendam inſit & num prior lectio accommodatior ſit. Hirtius tamen dixit, *præſertim cum milites a mane dies jejuni ſub armis ſtetiſſent defatigati*. Idem *in poſter.* [illegible] *qui quicquam quæreret, dixiſſet, cœnam te quærere a mane dixeris*] Sic ſingulis [illegible] bus optimus codex Palatinus [illegible]s, quemadmodum ex ſuis eruit [Victorius]: cujus adductis exemplis [illegible] Hirtium de bello Alexandrino, [illegible] *cum milites a mane diei jejuni ſub armis ſtetiſſent*. Palat. vero primus, *a me ne dixeris*. Doctus vir, cum eandem ſcripturam in veteri codice reperiſſet, c[illegible] *amare*, id eſt, ſalſe. Editum eſt, *cum ille, ſi quis quid quæreret, [illegible], cœnam te quærere a me dixeris*. [illegible]ardus. Sed recte ſe habet codicum [illegible] lectio. non vero hoc ſignificare, quod Manutius putat, ſe quærere cœnam quæ a mane inciperet. ſed ſe a mane quærere qui illum invitaret ad cœnam hora [illegible] inſtituendam; aut ſaltem *de die* [illegible] ſodales Catulliani qui in triviis quærebant vocationes. G[illegible] *ovius.*

Ille vero te putabat] Nos *ille Baro* ut in [illegible]dem probatiſſimis codicibus invenim[us]. quæ ſi rara eſt vox, non ideo repudianda & d[el]enda. Quantum autem de hac re [illegible]care poſſumus, *ille* fatuus [ſig]nificat & ſtultus. ſic enim & alibi hanc vocem acceptam vidimus, etſi fere ab omnibus ſua ſede mota & indigne [illegible]a eſt. Lib. II de Divinatione ante [illegible]am editionem ita in cunctis impr[eſſi]s locus hic legebatur, *hunc equidem Antichobare inquit, victum te eſſe mi vide?* mendoſe procul dubio. ſic [illegible] in multis manuſcriptis, & non[nulli]s antiquioribus vidimus. Illi quam [illegible]iam in prima voce corrigenda a ſtu[illegible] omnibus merito inire debebant, [illegible]unt, dum parum conſiderate po[illegible]otem, quæ integra erat, corrump[u]nt. nam quod pro *Antiche*, *Antipho* ſupplerunt, laudem meruerunt. Fuit enim Antipho, Athenienſis, quem nunc intelligit, conjector ſomniorum, & ut Græci dicunt ὀνειροκρίτης. ſcripſit autem quomodo debeant judicari ſomnia, de quo etiam Artemidorus lib. II. ὀνειροκριτικῶν cap. de Sepia loquitur, μέμνηται δὲ τοῦ βιβλίου τούτου καὶ Ἀντιφῶν ὁ Ἀθηναῖος. Quod autem pro *Baro*, *tu vero* repoſuerunt, culpam deprecari non poſſunt. Eſt autem valde ſimilis locus in Divinatione, de quo nunc locuti ſumus, huic quem in manibus habemus. Hanc eandem vocem (ut opinor) in cunctis manuſcriptis codicibus invenies lib. II de Finibus hoc loco, *Hæc cum loqueris, nos barones ſtupemus, tu videlicet tecum ipſe rides*. etſi in impreſſis *Varrones* male & mendoſe. Stolidos autem quoſdam videtur & hic innuere. Nam quod in epiſtolis ad Atticum incontaminata manet hæc vox, locum illum ſatis celebrem citare non neceſſe judicavimus; tot autem locis inventam, etſi raram, & obſoletam vocem errare amplius ſua regione pulſam paſſi non ſumus, doctiores conabuntur eam certius explicare: nos quod opera noſtra potuimus, non indiligenter fecimus. *Victor.* *Ille Varo*] Omnes fere libri manuſcr. habent *vero*. Unde Andr. Turnebus, collega & amicus noſter, legendum eſſe exiſtimat, *ille varo*. de quo loco lege ejus Adverſaria. Alii *Baro* repoſuerunt. *Lambin.* *Ille baro te putabat quæſiturum*] Et hic hunc locum incorruptum cuſtodivit laudatiſſimus codex Palatinus ſextus [nec non Amſtel.]: eruit primus P. Victorius. Ad hunc vero locum notat vir doctus: Recte Epicureos vocat Barones Cicero, & hic & ad Atticum. nam in veteri Gloſſario, *Baro* exponitur βάκηλος, id eſt, interpretibus Suida & Heſychio, fatuus ſimul & effœminatus. quare fruſtra ſunt, qui hic *Varro* malunt. hæc ille. peſſime editum eſt *ille vero*. Gebhard. Recte *baro*. hominem enim fatuum, ſtultum ſignificat. vide P. Pithœi I Adverſ. cap. 8.

te? ibi praeſertim. Sic igitur vivitur: quotidie aliquid legitur, aut ſcribitur: dein, ne amicis nihil tribuamus, epulamur una non modo non contra legem, ſi ulla nunc lex eſt: ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto. quare nihil eſt quod adventum noſtrum extimeſcas. Non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci. Vale.

Ibi praeſertim] Quidam libri habent *tibi praeſertim.* Lambinus.

Sed etiam intra legem] Legendum *infra legem*, ut recte judicat Johan. Paſſeratius. *Legem* autem, ſumtuariam ſcilicet. *Idem.* Hic Paſſeratius dormitavit. *Intra legem* eſt parcius & minus quam lex permittit. Superius lib. IV, epiſt. 4. *Modice hoc faciam aut etiam intra modum.* alia exempla complura in promtu ſunt. *Grav.*

Non multi cibi hoſpitem accipies, multi joci] *Sed* quod in multis interſeritur editionibus non agnoſcunt veteres libri tres Guilielm. nec Peckii excerpta, nec Gruterianus, nec Amſtelod. nec Mentel. nec editio Veneta; ſenſus tamen poſtulat ut ex aliis editionibus & libris inſeratur.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD CN. PLANCVM, ET CETEROS

LIBER X.

EPISTOLA I.

Argvmentvm.

Invehitur in Antonii immoderatam potentiam. Plancum, tranſalpinam Galliam adminiſtrantem, hortatur ut in remp. omni cogitatione ſtudioque incumbat; agit gratias de Furnio honorifice tractato. Antonio & Dolabella Coſſ.

CICERO PLANCO.

ET afui proficiſcens in Graeciam: & poſteaquam de meo curſu reip. ſum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui: cujus tanta eſt, non inſolentia, nam id quidem vulgare

CN. *PLANCO IMP. COS. deſ.*] Cum D. Bruto. *Corrad.*

Et abſus proficiſcens in Graciam] Unum eſt, quod quamvis parvi omnino ponderis fortaſſe multis videatur, cum plurimis in locis invenerim, hic potiſſimum adnotare volui. In Mediceo codice *aſui* ſcriptum eſt: quod ſemper ille ſervat: cum *ſ* ſequitur, ut poſteriorem præpoſitionis litteram abjiciat: cujus rei Grammatici, ſi cum cauſſa factum eſt, rationem invenient: ego tamen hanc animadverſionem ſpernere nolui. Ad Appium, *Ut cum tam longe aſuturus eſſem.* Ad Trebatium, *Sin fruſtra diutius aſueris.* Ad eundem,

Eram

gare vitium eſt, ſed immanitas, non modo ut vocem, ſed ne vultum quidem liberum poſſit ferre cujuſquam. Itaque mihi maximae curae eſt, non de mea quidem vita, cui ſatisfeci vel aetate, vel factis, vel, ſi quid etiam hoc ad rem pertinet, gloria: ſed me patria ſollicitat, in primiſque, mi Plance, exſpectatio conſulatus tui, quae ita longa eſt ut optandum ſit ut poſſimus ad id tempus reip. ſpiritum ducere. Quae poteſt enim ſpes eſſe in ea rep. in qua hominis impotentiſſimi atque intemperatiſſimi armis oppreſſa ſunt omnia? & in qua nec ſenatus, nec populus vim habet ullam? nec leges ullae ſunt, nec judicia, nec omnino ſimulacrum aliquod ac veſtigium civitatis? Sed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat quod ſingulis de rebus ſcriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua puc-

Eram enim afuturus menſe Decembri. Ad Cornificium. *ſi culpa a quibuſdam afuiſſet.* in epiſtola Lentuli, *tantum enim afuit.* & aliis omnibus in locis. In Pandectis etiam Florentinis idem ſemper obſervatum eſt, quo libro nullus nec antiquior nec integrior eſſe exiſtimatur. Hoc tantum variatum eſt hac parte, in antiquis quos vidi. nam non multo poſt vulgatam lectionem habent. *Victorius.* *Proficiſcens in Graec.*] Jure legationis libero. *Corradus.*

De meo curſu] Alii legunt, *de medio curſu.* qui fuit ultra Leucopetram. *Idem.*

Reip. ſua voce revocatus] Accepta M. Antonii concione, allato Bruti & Caſſii edicto, audita fama, ſenatum Kal. Sext. frequentem fore, & Antonium ad auctoritatem Senatus rediturum, & me deſiderari & ſubaccuſari. *Idem.*

Nunquam quietus fui] Id oſtendunt Philippicae. *Idem.*

Ut poſſimus ad id, reip. ſpiritum ducere] Vulgo *ad id tempus.* ſed τὸ *tempus* ut gloſſam ejeci, ſollicitatus auctoritate optimi codicis Palatini ſexti, quicum facit unus ex Guilielmianis. nemo mihi puto inde iraſcetur. Paullo poſt quoque ſcripſi, *ſed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar:* quandoquidem eſſet in Pal. ſexto *quia*, in codicibus aliis *quoniam* ſollemni mutatione. Illud miror, Victorium edidiſſe, *ſed quum quoniam acta omnia mitti.* vulgo *quando.* Gebhardus. Minime expungendum fuit τὸ *tempus*, contra tot aliorum codicum & optimarum editionum auctoritatem, quibus cum & mei aſſentiantur, repoſui eam vocem ſuum in locum. *Graevius.*

Hominis impudentiſſimi] Antiqua omnia exemplaria *impotentiſſimi.* *Impotens* autem ſaepe, ut a veteribus etiam Grammaticis notatum eſt, dicitur valde potens, pleruṁque tamen in malam partem: ut Impotens Sylla. Cicero Tuſculanatum lib. v. *Qui nihil metuant, nihil agant, nihil concupiſcant, nulla impotentia efferantur.* Eadem ratione appellavit elegantiſſimus poeta, *Freta impotentia.* Cicero in epiſtola ad Lepidum, *Sin iſta pax perditum hominem in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtitutura, hoc animo ſcito omnes ſanos, ut mortem ſervituti anteponant.* Victorius.

Ad

pueritia ſuſceptum non ſervavi ſolum, ſed etiam auxi, monere te atque hortari ut in temp. omni cogitatione curaque incumberes. Quae ſi ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio eſt. ut perducatur autem, magnae cum diligentiae eſt, tum etiam fortunae. Sed & te aliquanto ante, ut ſpero, habebimus, &, praeterquam quod reip. conſulere debemus, tamen tuae dignitati ita favemus ut omne noſtrum conſilium, ſtudium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillime & reip. quae mihi cariſſima eſt, & amicitiae noſtrae, quam ſanctiſſime nobis colendam puto, me intelligo ſatisfacturum. Furnium noſtrum tanti a te fieri, quantum ipſius & humanitas & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo; teque hoc exiſtimare volo, quidquid in eum judicii officiique contuleris, id ita me accipere ut in meipſum te putem contuliſſe.

Ad tuum tempus perducitur] Tui conſulatus tempus. *Corradus.*

Furnium] C. Furnium legatum. *Idem.*

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Excuſat ſe, quod in ſenatum, augendi illius honoris gratia, non venerit: officium autem ſuum pollicetur in iis rebus quae ſuam praeſentiam requirere videbuntur. Iiſdem conſulibus.

CICERO PLANCO S.

MEum ſtudium honori tuo pro neceſſitudine noſtra non defuiſſet, ſi aut tuto in ſenatum aut honeſte venire potuiſſem. Sed nec ſine periculo quiſquam libere de rep. ſentiens verſari poteſt in ſumma impunitate gladiorum: nec noſtrae dignitatis videtur eſſe, ibi ſententiam de rep. dicere, ubi me & melius & propius audiant armati, quam ſena-

Venire potuiſſem] Per Antonium. Epiſt. 2 lib. XII. *Corradus.*

Armati] Ab Antonio. *Idem.*

ſenatores. Quapropter in privatis rebus nullum neque officium neque ſtudium meum deſiderabis. ne in publicis quidem, ſi quid erit in quo me intereſſe neceſſe ſit, unquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuae. In iis autem rebus quae nihilominus, ut ego abſim, confici poſſunt, peto a te ut me rationem habere velis & ſalutis & dignitatis meae.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Veritus Cicero, id quod accidit, ne Plancus, relictis reipub. partibus, cum Antonio ſe conjungeret, crebro illum ad tuendam remp. hortatur. & quoniam, ut eſt in epiſt. ult. lib. XV, *plurimum valet ſi laudes eum quem cohortere, utitur hoc artificio, eumque ornat laudibus, & veterem neceſſitudinem commemorat. Hirtio & Panſa Coſſ. ut ex Planci, quae ſequitur, epiſtola intelligitur.*

CICERO PLANCO S.D.

CVm ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſime, tum hoc libentius, quod illum audiens te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in adminiſtranda provincia juſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit, & praeterea mihi non ignotam in conſuetudine & familiaritate ſuavitatem tuam adjunxit: praeterea ſummam erga ſe liberalitatem. Quae omnia mihi jucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, neceſſitudinem conſtitutam habui cum domo veſtra ante aliquanto quam tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua: confirmata jam aetate familiaritatem cum ſtudio meo tum judicio tuo conſtitutam. His de cauſſis mirabiliter faveo dignitati tuae, quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. Omnia ſum-

QVam mihi tecum ſtatuo eſſe communem] Mediceus liber *ſtatuo habere eſſe communem.* Ut arbitror legendum eſt *debere eſſe communem*: elegantius omni-

ſumma conſecutus es, Virtute duce, comite fortuna, eaque es adeptus adoleſcens, multis invidentibus, quos ingenio induſtriaque fregiſti. Nunc me amantiſſimum tui, nemini concedentem qui tibi vetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo reip. ſtatu acquires. Scis profecto, nihil enim te fugere potuit, fuiſſe quoddam tempus, cum homines exiſtimarent te nimis ſervire temporibus: quod ego quoque exiſtimarem, te ſi ea, quae patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed cum intelligerem quid ſentires, te arbitrabar videre quid poſſes. Nunc alia ratio eſt. omnium rerum tuum judicium eſt, idque liberum. Conſul es deſignatus, optima aetate, ſumma eloquentia, maxima orbitate reip. virorum talium. Incumbe, per deos immortales, in eam curam & cogitationem, quae tibi ſummam dignitatem & gloriam afferat. Vnus autem eſt, hoc praeſertim tempore, per tot annos rep. devexata, reip. bene gerendae curſus ad gloriam. Haec amore magis impulſus ſcribenda ad te putavi, quam quo arbitrarer te monitis & praeceptis egere. Sciebam enim ex iiſdem te haec haurire fontibus ex quibus ipſe hauſeram. Quare modum faciam. Nunc tantum ſignificandum putavi,

om[illegible]ino, quod tamen doctiores judica[illegible]nt. Nunquam fere tam deprava[illegible] hunc codicem inveni, quin aliquid commodi ex eo capi poſſit, ad [illegible]dos locos illos qui integri falſo [illegible]r. *Victorius.* Pal. ſext. & [illegible]rp. *quam mihi tecum ſtatuo* [illegible] *communem.* Amſtelod. Pal. prim & Græv. ſec. *quam mihi tecum ſtatuo habere communem.* quæ lectio non eſt contemnenda: eam corruperunt inſcito [illegible] qui non viderunt *mihi* pendere a [illegible] *communem.* hic enim ordo, *quam mihi communem tecum ſtatuo habere.* Græv. *Statuo eſſe communem*] Al. *ſtatuo habere communem.* Corradus.

Quoddam tempus] Sub Cæſare. *Idem.*

Nimis ſervire temporibus] Quia fuerat C. Cæſaris amicus ep. 23, & legatus.

Te ſi ea, qua patiebare, probare etiam arbitrarer] Recte ſic Pall. Hittorpianus, editio priſca ac Victorii. Intricatius editiones, *ſi te ea, quæ patiebare, probaſſe etiam arbitrarer.* Mox ſcripſi, *per tot annos rep. devexata:* quæ ſcriptura eſt in Palat. ſexto, editione Victorii. Palat. vero primus, editio vetuſta, ſextus ad exteriorem oram, duo Guilielmiani *dejecta* Editiones *divexata.* Iterum poſt ex duobus Palatinis, Hittorpiano, editione Victorii atque antiqua [quibus aſſentiuntur Amſtelod. Mentel. Græv. ſecund.] excudendum juſſi; *quam quo te arbitrarer monitis & præceptis egere.* Gebhard.

Nunc tantum ſignificand.] Al. *Hoc tantum.* Corrad.

Quod

vi, ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quam oſtentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſe diligenterque curabo.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Gratias agit Ciceroni quod eum ad veriſſimae gloriae ſtudium ſit adhortatus; & in reip. poteſtate ſe fore totum pollicetur. Hirtio & Panſa Coſſ.

PLANCVS CICERONI.

Gratiſſimae mihi tuae litterae fuerunt, quas ex Furnii ſermone te ſcripſiſſe animadverto. Ego autem praeteriti temporis excuſationem affero, quod te profectum audieram: nec multo ante rediſſe ſcivi quam ex epiſtola tua cognovi. Nullum enim in te officium, ne minimum quidem, ſine maxima culpa videor poſſe praeterire. in quo tuendo habeo cauſſas plurimas, vel paternae neceſſitudinis, vel meae a pueritia obſervantiae, vel tui erga me mutui amoris. Quare, mi Cicero, quod mea tuaque patitur aetas, perſuade tibi, te unum eſſe in quo ego colendo patriam mihi conſtituerim ſanctitatem. Omnia igitur tua conſilia mihi non magis prudentiae plena, quae ſumma eſt, videntur, quam fidelitatis, quam ego ex mea conſcientia metior. Quare ſi aut aliter ſentirem, certe admonitio tua me reprimere, aut, ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer quod tu optimum putares. Nunc vero quid eſt quod me in aliam partem trahere poſſit? Quaecunque in me bona ſunt, aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta, etſi a te propter amorem carius ſunt aeſtimata, tamen vel inimiciſſimi judicio tanta ſunt, ut praeter bonam famam

Quod te profectum audieram] Ut in Graeciam ires. *Corradus.*

Quam ego ex mea conſcientia metior] De tuo animo ex meo judico, ex animo meo tuum ſpecto.

Praeter bonam famam] Quam adeptus for-

mam nihil deſiderare videantur. Quare hoc unum tibi perſuade: quantum viribus eniti, conſilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne reip. ſemper futurum. Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus: neque, ſi facultas, optabilis mihi quidem, tui praeſentis eſſet, unquam a tuis conſiliis diſcreparem: nec nunc committam ut ullum meum factum reprehendere jure poſſis. Sum in exſpectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe menſe Ianuario geratur, ut ſciam. Interim maximam hic ſollicitudinem curamque ſuſtineo, ne inter aliena vitia hae gentes noſtra mala ſuam putent occaſionem. Quod ſi proinde, ut ipſe mereor, mihi ſucceſſerit, certe & tibi, cui maxime cupio, & omnibus viris bonis ſatisfaciam. Fac valeas meque mutuo diligas.

fortaſſe non ſum, cum ea geſſerim Caeſare dominante.

Movere potuero] Al. *monere potero*. Conrad.

In Gallia citeriore] Mutinae in Gallia Togata, cui praeerat D. Brutus.

Menſe Januario] Novis Conſulibus Hirtio & Panſa, qui Kal. Jan. magiſtratum inibant.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Hic quoque Plancum ad ſuſcipiendam tuendamque remp. gloriae ſtimulis incitat. Eodem anno.

CICERO PLANCO S.

Binas a te accepi litteras eodem exemplo: quod ipſum argumento mihi fuit diligentiae tuae. Intellexi enim te laborare ut ad me mihi expectatiſſimae litterae perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem ad judicandum, amoremne erga me tuum,

VT *ad me mihi expectatiſſimae litterae perferrentur*] Ita Palatinus primus, Hittorpianus [nec non Amſtelod. & Mentel.], editio primaria ac Victorii: quibus tamen omnibus praepono ſcripturam Palatini ſexti, *ut ad me exſpectatiſſimae litterae ferrentur*. vulgo, *ad me tuae exſpectatiſſimae*. Gebhardus.

Intro-

tuum, an animum in remp. pluris aeſtimandum putarem. Eſt omnino patriae caritas, meo quidem judicio, maxima: ſed amor voluntatiſque conjunctio plus certe habet ſuavitatis. Itaque commemoratio tua paternae neceſſitudinis, benevolentiaeque ejus quam erga me a pueritia contuliſſes, ceterarumque rerum, quae ad eam ſententiam pertinebant, incredibilem mihi laetitiam attulerunt. Rurſus declaratio animi tui quem haberes de rep. quemque habiturus eſſes, mihi erat jucundiſſima. eoque major erat haec laetitia, quod ad illa ſuperiora accedebat. Itaque te non hortor ſolum, mi Plance, ſed plane etiam oro, quod feci his litteris quibus tu humaniſſime reſpondiſti, ut tota mente omnique animi impetu in remp. incumbas. Nihil eſt quod tibi majori fructui gloriaeque eſſe poſſit: Nec quidquam ex omnibus rebus humanis eſt praeclarius, aut praeſtantius, quam de rep. bene mereri. Adhuc enim patitur tua ſumma humanitas & ſapientia me quod ſentiam libere dicere. Fortuna ſuffragante videris res maximas conſecutus: quod quanquam ſine virtute non potuiſſes, tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae temporibuſque tribuuntur. His temporibus difficillimis reip. quidquid ſubveneris, id erit totum & proprium tuum. Incredibile eſt omnium civium, latronibus exceptis, odium in Antonium. Magna ſpes in te, & in tuo exercitu magna exſpectatio. Cujus

Incredibilem mihi laetitiam attulerunt] Ita Palat. primus, Stewech. Hittorpianus, editio prima, Victorii. Palatinus ſextus, *protulerunt*, quod non negligendum eſſe judico. Lambin. legit *attulerat*. vulgo *attulit*. Lineis aliquot interjacentibus, Palatinus primus, Stewech. atque impreſſio prima ſcribunt, *quod tibi majoris fructus gloriaeque eſſe poſſit*. In fine epiſtolae, Palatinus primus, tres Guilielmio conſulti MSS. *ſic hortor, ut & propriam & amiciſſimum*. quemadmodum quoque eſt in editionum primaria: ad cujus oram hanc lectionem adpinxit Egnatius, *Sic hortor & pro patria propinquum & amiciſſimum*. Gebhardus.

Id erit totum & proprium tuum] Optime priſcus codex, quem Lambinus conſuluit, *id erit totum proprium & tuum*. vulgata nullius eſt pretii: copula ſane ſuo loco poſita non eſt. Venuſte autem, ut & apud alios ſcriptores, *proprium & tuum* tanquam *συνώνυμα* conjunguntur. Lambinus conjicit, *id erit totum proprie tuum*. Mox mallem cum Amſtelodamenſi *ſic hortor ut pro patria*, omiſſa copula. *Grav.*

Quo

ſus, per deos, gratiae gloriaeque cave tempus amittas. Sic moneo ut filium, ſic faveo ut mihi, ſic hortor ut & pro patria, & amiciſſimum.

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

Cum Plancus, litteris ad ſenatum ſcriptis, pacem cum Antonio faciendam ſuaſiſſet; conſilium illud Cicero improbat, pacemque armis, non pactione, quaerendam ait: ipſum autem Plancum, ut ſe a ſocietate malorum civium aliquando ſejungens, totum ad remp. transferat, propoſito conſulis officio cohortatur. Eodem anno.

CICERO PLANCO.

QVae locutus eſt Furnius noſter de animo tuo in remp. ea gratiſſima fuerunt ſenatui, populoque Rom. probatiſſima. quae autem recitatae litterae ſunt in ſenatu, nequaquam conſentire cum Furnii oratione viſae ſunt. Pacis enim auctor eras, cum collega tuus, vir clariſſimus, a foediſſimis latronibus obſideretur: qui aut poſitis armis pacem petere debent, aut, ſi pugnantes eam poſtulant, victoria pax, non pactione parienda eſt. Sed de pace litterae vel Lepidi, vel tuae, quam in partem acceptae ſint, ex viro optimo, fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoſcere. Me autem impulit tui caritas, ut, quanquam nec tibi ipſi conſilium deeſſet, & fratris Furniique benevolentia fideliſque prudentia tibi praeſto eſſet futura, vellem tamen meae quoque auctoritatis, pro plurimis noſtris neceſſitudinibus, praeceptum

QVa locutus eſt Furnius noſter] Planci legatus, Ciceronis ſtudioſiſſimus ep. 9 lib. VI. & 1 & 8 hujus libri.

Populoque Romano probatiſſima] In pleriſque MSS. deeſt *que*. Hinc facile crediderim Ciceronem ſcripſiſſe, ut praeſeſert primus Palatinus, *Senatui, populo plebique Romana probatiſſima*. Graev.

Cum collega tuus] D. Brutus tecum Coſ. deſ. *Corradus.*

Cum a foediſſimis latronibus] M. Antonio & ejus amicis, *obſideretur*] Mutinae. *Idem.*

Fratre tuo] Planco Plotio. *Idem.*

ceptum ad te aliquod pervenire. Crede igitur mihi, Plance, omnis quos adhuc gradus dignitatis conſecutus ſis, es autem adeptus ampliſſimos, eos honorum vocabula habituros, non dignitatis inſignia, niſi te cum libertate populi Rom. & cum ſenatus auctoritate conjunxeris. Sejunge te, quaeſo, aliquando ab iis cum quibus te non tuum judicium, ſed temporum vincla conjunxerunt. Complures in perturbatione reipub. conſules dicti quorum nemo conſularis habitus, niſi qui animo exſtitit in remp. conſularis. Talem igitur te eſſe oportet, qui primum te ab impiorum civium, tui diſſimillimorum, ſocietate ſejungas: deinde & ſenatui boniſque omnibus auctorem, principem, ducem praebeas: poſtremo, ut pacem eſſe judices non in armis poſitis, ſed in abjecto armorum & ſervitutis metu. Haec ſi & ages & ſenties, tum eris non modo conſul & conſularis, ſed magnus etiam & conſul & conſularis. ſin aliter, tua in iſtis ampliſſimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, ſed erit ſumma deformitas. Haec, impulſus benevolentia, ſcripſi paullo ſeverius, quae tu in experiendo in ea ratione quae te digna eſt, vera eſſe cognoſces. D. XIII Kal. Aprilis.

Sejunge te, quaeſo, aliquando ab iis] Caeſarianis. *Corradus.*

Qui animo extitit in remp. conſularis] Sic prim. & ſext. Pal. duo Guilielm. Amſtelod. Mentel. Graev. ſec. pluresque alii. vulgo, *qui animo extitit in remp. conſulari.* mox iidem codd. *deinde & ſenatui.* cum vulgati prae ſe ferant *deinde te ſenatui.*

Quae tu in experiendo in ea ratione, quae te digna eſt, vera eſſe cognoſces] *In*, abundat: ut ſit, *Quae tu in experiendo ea ratione, quae te digna eſt, vera eſſe cognoſces.* Haec vero tametſi levia ſunt, non omittimus tamen, quia quam politiſſimum habere atque omni menda perpurgatum hoc epiſtolarum opus cupimus. Itaque non tam docendi (quis enim haec neſcit, qui modo aliquid ſapit?) quam colligendi & nihil praetereundi gratia adnotamus. Eſt vero *ratione* hoc loco, pro negotio ac re: quomodo Cicero, aliique receptae auctoritatis auctores perſaepe uſi. Hujuſmodi eſt & quod initio litterarum, *gratiſſima probatiſſima*, ſine copula legitur. Ut vel, *mihi gratiſſima, S. P. Q. R. probatiſſima*, ſcribi debuerit: vel, *& probatiſſima.* Bernh. Rutil.

EPI-

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Exponit cur brevior ſit haec epiſtola, & cur ſuum in remp. ſtudium ſeriùs patefecerit: in extremo commendat dignitatem ſuam. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

PLura tibi de meis conſiliis ſcriberem, rationemque omnium redderem verboſius, quo magis judicares, omnia me reip. praeſtitiſſe quae & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi, non minus enim a te probari quam diligi ſemper volui; nec te magis in culpa defenſorem mihi paravi, quam praedicatorem meritorum meorum eſſe volui: ſed breviorem me duae res faciunt, una, quod publicis litteris omnia ſum perſecutus, altera, quod M. Variſidium, equitem Roman. familiarem meum, ipſum ad te tranſire juſſi, ex quo omnia cognoſcere poſſes. Non, mediusfidius, mediocri dolore afficiebar, cum alii occupare poſſeſſionem laudis viderentur: ſed uſque mihi temperavi dum perducerem eo rem ut dignum aliquid & conſulatu meo, & veſtra exſpectatione efficerem. Quod ſpero, ſi me fortuna non fefellerit, me conſecuturum, ut maximo praeſidio reipub. nos fuiſſe & nunc ſentiant homines, & in poſterum memoria teneant. A te peto ut dignitati meae ſuffrageris, &, quarum rerum ſpe ad laudem me vocaſti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minus poſſe te quam velle exploratum mihi eſt. Fac valeas, meque mutuo diligas.

Publicis litteris] Quae ſequuntur. *Corr.* *Cum alii occupare poſſeſſionem laudis viderentur*] Qui ante me bonam voluntatem in Remp. ſunt profeſſi. *Idem.*

Temperavi] Lege ſequentem epiſt. *Idem.* *Sed uſque mihi temperavi*] Forte, *ſed uſque eo mihi temperavi.* Lambinus.

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Cauſſas affert quibus adductus non ita mature, ut homines exſpectabant, defenſorem ſe libertatis publicae ſit profeſſus: deque exercitu ſuo & provinciae ſtatu ſignificat. Eodem anno.

PLANCVS IMP. COS. DES. COSS. PR. TRIB. PLEB. SEN. POP. PL. Q. R. S. D.

SI cui forte videor diutius & hominum exſpectationem & ſpem reipub. de mea voluntate tenuiſſe ſuſpenſam, huic prius excuſandum me eſſe arbitror, quam de inſequenti officio quidquam ulli pollicendum. Non enim praeteritam culpam videri volo redemiſſe, ſed optimae mentis cogitata jampridem, maturo tempore enuntiare. Non me praeteribat, in tanta ſollicitudine hominum, & tam perturbato ſtatu civitatis, fructuoſiſſimam eſſe profeſſionem bonae voluntatis, magnoſque honores ex ea re compluris conſecutos videbam. Sed, cum in eum caſum me fortuna demiſiſſet, ut aut celeriter pollicendo magna in ſpe ad proficiendum impedimenta opponerem: aut, ſi in eo mihi temperaviſſem, majores occaſiones ad opitulandum haberem, expeditius iter communis ſalutis quam meae laudis eſſe volui. Nam quis in ea fortuna quae mea eſt, & ab ea vita quam in me cognitam hominibus arbitror, & cum ea ſpe quam in manibus habeo, aut ſordidum quidquam pati, aut perniciofum concupiſcere poteſt? Sed aliquantum nobis

SPem reip. de mea voluntate tenuiſſe ſuſpenſam] *Plancus*, inquit Paterculus, *dubia fide, quarum eſſet partium, diu ſecum luctatus, ſenatuique ſe litteris venditans, mox D. Bruti proditor fuit.* Corradus. Vid. Vell. Paterc. II, 63.

Magna in ſpe ad proficiendum impedimenta opponerem] Etſi non inconcinna lectio. ego tamen vereor ne ſcriptum reliquerit Plancus, *magna mihi ipſe ad proficiendum.* Bern. Rutil. *Magna mihi ipſe ad proficiendum*] Sic videtur legendum potius, quam, quo modo alii libri habent, *magna in ſpe ad perficiendum.* ſeu, *ad proficiendum*, &c. *Lambinus.* Et ſic Faernum legiſſe teſtatur F. Urſinus. Sed a vulgata lectione ſtant omnes veteres codices. Vide Manut.

Sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multa impenſa opus fuerunt] Le-

bis temporis, & magni laboris, & multae impenſae opus fuerunt, ut quae reip. boniſque omnibus polliceremur, exitu praeſtaremus: neque ad auxilium patriae nudi cum bona voluntate, ſed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſaepe praemiis ſollicitatus, ut ab repub. potius moderata quam ab uno infinita ſperaret. Confirmandae complures civitates, quae ſuperiore anno largitionibus conceſſionibuſque praemiorum erant obligatae, ut & illa vana putarent, & eadem a melioribus auctoribus petenda exiſtimarent. Eliciendae etiam voluntates reliquorum qui finitimis provinciis exercitibuſque praefuerunt, ut potius cum pluribus ſocietatem defendendae libertatis iniremus, quam cum paucioribus funeſtam

Legendum videtur non *aliquantum* ſed *aliquanti*, &c. *Lambin.* Vulgo correxerunt *opus fuit*: puto quia eos non obvia ſtatim offendunt & ad temere mutandum præcipites agunt. Ita habet Palat. primus, ſextus, Vaticanus, tres Guilielmiani, & Hittorpianus. Lambinus quoque hic tacere potuiſſet. *Gebhardus.* Sic præter laudatos a Gebbardo Victorii quoque editio; vulgatæ editiones & Amſtelodam. Mentel. Græv. ſecund. *opus fuit.*

Præmiis ſollicitatus] A M. Antonio. *Corradus*

Largitionibus] Epiſtol. I. lib. XII. *Idem.*

Eliciendæ etiam voluntates] Sic quatuor Guilielm. omnes Pall. Amſtelodam. Mentel. Græv. ſecund. prima & Vict. edd. vulgo *alliciendæ etiam voluntates.* Cic. pro Cornel. Balbo, *Si Imperatoribus noſtris, ſi Senatui, ſi populo Romano non licebit, propoſitis præmiis elicere ex civitatibus ſociorum, atque amicorum, fortiſſimum atque optimum quemque ad ſubeunda pro ſalute noſtra pericula: ſumma utilitate, ac maximo ſæpe præſidio in periculis, atque aſperis temporibus carendum erit.* Sic & aliis in locis *elicere* pro *allicere.*

Quam cum paucioribus funeſtam orbi terrarum victoriam pateremur] Sic omnes impreſſi; nos *partiremur* cum vetuſtis fere exemplaribus. Illi enim unius litteræ defectu *pateremur.* *Partiri* autem *cauſſas* habes apud hunc auctorem. Nam quod Germani in ſuo codice emendarunt *pararemus*, minus mihi ſatisfacit ea lectio. parare enim nobis potius dicimus rem cupitam & optatam. Nulli præterea codices antiquiores vocem eam habent: *partiri* autem *cum paucioribus* recte dictum eſt. Malui, inquit, plures ſocios habere, indeque minorem laudem adipiſci ejus victoriæ, quam cum paucis, ut majorem gloriam, ſi recte res ceſſiſſet, conſequerer, partiri & dividere victoriam. jacturam enim potius æquo animo laudis facere volui (defendendæ reipub. ſocios quærens, cum pluribuſque victoriam communicans) quam cum paucioribus perículoſe nimis & temerarie eam dividere. etſi enim eam adeptus cum paucioribus, majorem gloriam acquirerem: nimis magno tamen reipublicæ damno id feciſſem, funeſta enim victoria fuiſſet. *Victorius.*

Victoriam partiremur] Cum docuiſſem in Mediceo, & aliis vetuſtis *patiremur* ſcriptum eſſe, non video cur nonnulli me ex ingenio *partiremur* legere dicant: nam quod iidem rationes, quibus uſus ſum, parum firmas appellant, non

ſtam orbi terrarum victoriam partiremur. Muniendi vero noſmetipſi fuimus, aucto exercitu auxiliiſque multiplicatis, ut, cum praeferremus ſenſus aperte, tum etiam, invitis quibuſdam, ſciri quid defenſuri eſſemus non eſſet periculoſum. Ita nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum conſiliorum pervenirem, & ſimulaſſe invitum, & diſſimulaſſe cum dolore: quod praematura denuntiatio boni civis imparati quam periculoſa eſſet ex caſu collegae videbam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti atque ſtrenuo, plura etiam verbo quam ſcriptura mandata dedimus: ut & tectius ad vos perferrentur, & nos eſſemus tutiores: quibuſque rebus & communem ſalutem muniri, & nos armari conveniret, praecepimus. Ex quo intelligi poteſt, curam reip. ſummae defendundae jampridem apud nos excubare. Nunc, cum deum benignitate ab omni re ſumus paratiores, non ſolum bene ſperare de nobis homines, ſed explorate judicare volumus. Legiones habeo V ſub ſignis, & ſua fide virtuteque reipub. conjunctiſſimas, & noſtra liberalitate nobis obſequentes. Provinciam omnium

nium

ſunt fortaſſe tam inanes, quam putant: non poſſunt autem hæc oſtendi γεωμετρικῶς, etſi argumentis (ut illi dicunt) uſus non ſum, ſed potius auctoritate priſcorum codicum. Addam exemplum Ciceronis, quod aliquam vim habet ad hoc confirmandum in Philipp. *Partirenturque inter ſe, qui Capitolium, qui Hoſtia, qui urbis portas occuparent.* Idem *in poſter. Victor. pararemus*] Al. *pateremur.* Rectius alii legunt *partiremur.* Corradus. *Victoriam partiremur*] Secutus ſum P. Victorii conjecturam, qui ex *pateremur* & *patiremur*, fecit *partiremur.* Nonnulli tamen cod. manuſcr. habent *pararemus.* quo modo & aliquot vulgati. Alii quidam *pareremus*: quod poſtremum magis probo. *Lambinus. Partiremur*] Ita Palatinus ſextus, Hittorpianus, Victorii editio. Palatinus vero primus, Stewechianus [nec non Amſtelodam. Mentel. & Græv. ſecund.], editio princeps *pateremur*, unde Guilielmius, forte *potiremur*: ſed nihil opus ad hanc noſtram, vulgo *pararemus* ex gloſſa, alii *pareremus.* Gebhardus.

Ex caſu collegæ] D. Bruti in Mutinenſi obſidione. *Corradus.*

Curam reip. ſumma defendenda] Sic recte Manutianæ. Mirum Gebhardum vulgatas ſequi, quæ præ ſe ferunt *curam reipublica ſumme defendenda.* Quid eſt *ſumme defendere*? *Cura reip. ſummæ defendendæ* eſt cura defendendi ſummam rempublicam. *Summa reſpublica* eſt quæ pertinet ad univerſam rempublicam, in qua ſalus reipublicæ vertitur. Cic. I ad Att. *Rogatus ego ſententiam multa dixi de ſumma republica.* Sueton. Cæſ. cap. 28. *M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de ſumma ſe republica acturum.* vide quæ de iſto loquendi genere ad hunc locum Suetonii notavit Torrentius, & inprimis Gronovium ad Liv. XXVI, 10.

Provinciam] Re & nomine. *Corrad.*

Ipſo

nium civitatum conſenſu paratiſſimam, & ſumma contentione ad officia certantem: equitatus auxiliorumque tantas copias, quantas hae gentes ad defendendam ſuam ſalutem libertatemque conficere poſſunt. Ipſe ita ſum animo paratus, ut vel provinciam tueri, vel ire quo reſpub. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque, vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem, ſi modo meo caſu aut confirmare patriae ſalutem, aut periculum poſſim morari. Haec ſi jam expeditis omnibus rebus, tranquilloque ſtatu civitatis polliceor, in damno meae laudis reip. commodo laetabor. ſin ad ſocietatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam, conſilia mea aequis judicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendo. Mihi quidem ipſi fructus meritorum meorum in reip. incolumitate ſatis magnus eſt paratus: Eos vero qui meam auctoritatem & multo magis veſtram fidem ſecuti, nec ulla ſpe decipi nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur.

Ipſe ita ſum animo paratus, vel provinciam tueri, &c. ut vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem] Hiulca eſt haec periodus, & ſenſus ejus abſurdus, ſi animum advertas. Duo MSS. Hittorp. & ſext. Palat. *Ipſe ſum animo paratus, ut vel provinciam tueri, &c. vel omnem impetum beli in me convertere non recuſem.* at hic etiam non agnoſcit pr. Pal. nec Amſtelodam. nec Mentel. & ſane non ſuo loco poſitum eſt. Sic enim hic locus ſcribendus. *ipſe ita ſum animo paratus, ut vel provinciam tueri, &c. vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem.* In Stewech. deſunt *non recuſem.* Vereor ne ſit cento aſſutus ab imperito aut ex interpretatione adſcripta margini irrepſerit in ipſa Ciceronis verba. Videtur Plancus ſcripſiſſe, *Ipſe ſum animo paratus vel provinciam tueri, &c. vel omnem impetum belli in me convertere, ſi modo meo caſu aut confirmare patria ſalutem, aut periculum poſſim morari.* Vides quam omnia ſint rotunda. ſed ſine ſuffragatione vetuſtioris libri non auſus ſum haec recidere. *Gravius.*

Eos vero] Milites. *Corrad.*

Nec ulla ſpe decipi] Ab Antonio. *Idem.*

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Suum ſtudium erga remp. prae ſe fert: modeſte dignitatem ſuam commendat: quid egerit, acturuſve ſit, qualemque ducat exercitum, ſignificat. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI S.

NIhil me tibi temere, aut te ceteris de me fruſtra recepiſſe lactor. Certe hoc majus habes teſtimonium amoris mei, quo maturius tibi, quam ceteris, conſilia mea volui eſſe nota. In dies vero meritorum meorum fieri acceſſiones praevidere te ſpero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero, ita ab imminentibus malis reſpub. me adjuvante liberetur, ſic honores praemiaque veſtra ſuſpicio, conferenda certe cum immortalitate, ut ſine his nihil de meo ſtudio perſeverantiaque ſim remiſſurus. Niſi

Nihil me tibi temere, aut te ceteris de me fruſtra recepiſſe lator] Verbum *ſcripſiſſe*, quod fuerat interjectum inter *temere* & disjunct. *aut*, ego fretus manuſcr. librorum auctoritate, delevi. Nam verbum *recepiſſe*, etiam huc pertinet, & eſt commune. quod non intelligentes indocti, verbum *ſcripſiſſe* adjecerant de ſuo. ſic enim habent libri vulg. *nihil me tibi temere ſcripſiſſe, aut te ceteris*, &c. *Lambinus.* Firmant hanc lectionem Amſtelod. & Mentel. pluresque alii.

Pravidere te ſpero] Non video quid hic agat vulgatum *pervidere*: noſtram & tres & quatuor MSS. Palatinus primus, ſextus, Hittorpianus, Stewechianus, priſca editio. [his accedunt Amſtelodam. Mentel. & Graev, ſecund.] Initio epiſtolæ delevi verbum *ſcripſiſſe* inficiantibus illud Palatinis, Stewechiano, Hittorpiano, Vaticano & Victoriana editione. *Gebhardus.*

Ita ab imminentibus malis reſpublica me adjuvante liberetur] Eſt hoc jurandi & affirmandi genus non invenuſtum. Auguſtus in epiſt. ad Tiberium apud Sueton. *Jucundiſſime, & ita ſim felix, vir fortiſſime, & dux νομιμώτατε.* Cicer. IV Catilin. *Ita mihi ſalva republica vobiſcum perfrui liceat, ut ego, quod in hac cauſſa vehementior ſum, non atrocitate animi moveor.* Id. XVI ad Att. epiſt. 15. de Octavio, *Jurat, ita ſibi parentis honores conſequi liceat.* Idem epiſt. 12 hujus libri, *Ita te victorem complectar rep. recuperata, ut magnam partem mihi laetitia tua dignitas affert.* Sic enim recte iſte locus ex antiquis codd. a Manutio & Victorio reſtitutus eſt. Miror glandibus hic veſci Gebhardum, qui *afferat* retinuit, quod nullius eſt ſenſus. *Gravius.*

Sic honores] Quos tu mihi tua ſententia decreviſti. *Corrad.*

Niſi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit ſingularis, & opera praecipua, nihil ad meam dignitatem accedere volo ſuffragatione veſtra. Concupiſco autem nihil mihi, contra quod ipſe pugno, & temporis & rei te moderatorem facile patior eſſe. Nihil aut ſero aut exigue a patria civi tributum poteſt videri. Exercitum a. d. ſextum Kal. Maias Rhodanum trajeci, magnis itineribus. Vienna equites mille via breviore praemiſi. Ipſe, ſi ab Lepido non impediar, celeritate ſatisfaciam: ſi autem itineri meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam. Copias adduco & numero & genere & fidelitate firmiſſimas. Te ut diligas me, ſi mutuo me facturum ſcis, rogo. Vale.

Contra quod ipſe pugno] Quid ſi? *contraque me ipſe pugno.* vel *contraque ipſe pugno.* Atque his verbis verecunde praemia poſtulat. Inſequentium litterarum aut mendoſa dies, aut non ſuo loco poſita. ait enim ſuperioribus Plancus, *exercitum ad ſextum Kalend. Maias Rhodanum traject.* Bern. Rutil.

Si a Lepido non impediar] Ep. 35 hujus libri. *Corrad.*

Si autem itineri meo ſe oppoſuerit] Elegantiſſima lectio uſurpata Victorio, & ex Vaticano codice eruta. Vulgo, *ſin autem in itinere meo ſe oppoſuerit.* in fine epiſtolae edidi, *ſi mutuo te facturum ſcis* ex Palatinis, Vaticani excerptis, editione principe ac Victoriana. Alias viſitur, *ſi mutuo me facturum id ſcis.* Gebhard. Sed vellem explicaſſent, quid ſibi velint hoc loco, *ſi mutuo te facturum ſcis.* Ego ſane ſenſum commodum nullum ex iis elicio. praeſtat igitur ſcribere cum vulgatis, *ſi mutuo me facturum ſcis.* hoc eſt, ſi mutuo me te diligere credis. *Gravius.*

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Laudat Plancum de optima voluntate ſtudioque adjuvandae reip. praemiaque illum a ſenatu ſperare jubet honorificentiſſima: in quo ſuam operam pollicetur. clauſula eſt, cohortatio ad opem reip. ferendam. Eodem anno.

CICERO PLANCO.

ETſi ſatis ex Furnio noſtro cognoram quae tua voluntas, quod conſilium de repub. eſſet, tamen, tuis litteris lectis, liquidius de toto ſenſu tuo judicavi. Quamobrem,

obrem, quanquam in uno proelio omnis fortuna reipub. diſceptat, quod quidem, cum haec legeres, jam decretum arbitrabar fore, tamen ipſa fama, quae de tua voluntate percrebruit, magnam es laudem conſecutus. Itaque ſi conſulem Romae habuiſſemus, declaratum eſſet ab ſenatu cum tuis magnis honoribus, quam gratus eſſet conatus & apparatus tuus. Cujus rei non modo non praeteriit tempus, ſed ne maturum quidem etiamnunc, meo quidem judicio, fuit. Is enim denique honos mihi videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficii, ſed propter magna merita claris viris defertur & datur. Quare, ſit modo aliqua reſpub. in qua honos elucere poſſit, omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis. Is autem, qui vere appellari poteſt honos, non invitamentum ad tempus, ſed perpetuae vir-

IN *uno prœlio omnis fortuna reip. diſceptat*] *In uno prælio* alii habent codices, quod ego ſequor potius. illo ſcilicet quod Hirtius Panſaque & Octavius ad Mutinam cum M. Antonio habuerunt. *Bern. Rutil.*

Jam decretum] Hirtio & Panſa Coſſ. & Octavio Cæſare Propræt. contra M. Antonium. *Corrad.* *Quod quidem cum hæc legeres jam decretum fore arbitrabar*] Hoc eſt, jam depugnatum eſſe; ac conſtare, cui fortuna adjudicaverit victoriam. *Decernere* enim & *cernere*, eſt prœlio certare. Cœlius ſuperius VIII, epiſt. 14. *quamdiu civiliter ſine armis certetur.* Idem eod. libro ep. 16: *Eligas cenſeo aliquod oppidum vacuum a bello, dum hæc decernuntur.* Salluſt. Catilin. *Se contra latrones inermes pro patria, pro liberis, pro aris atque focis ſuis cernere.* Cic. VII ad Att. epiſt. 3. *Hic omnia facere omnes, ne armis decernatur.* Liv. *Itaque haud magna vis certaminis fuit: primus clamor atque impetus rem decrevit.* rem incertam dijudicavit, & oſtendit penes quem ſit victoria. Hinc & *judicare* in eadem notione ponitur. Cic. Philipp. XI, 13. *Quid omnino rectius fuerit, dicere non eſt neceſſe: præſertim cum contra, ac Dejotarus ſenſit, victoria belli judicarit.* Cæſar II de Bell. Gall. *τῇ incerta fortunæ* opponit *dijudicatam jam belli fortunam.* Tacit. III Hiſt. 70. *Dum inter Veſpaſianum ac Vitellium prœliis legionum, captivitate urbium, deditionibus cohortium judicatur.* Grævius.

Si Coſ. Romæ habuiſſemus] Ambo enim jam contra M. Antonium exierant: ſine quorum altero ea res agi non poterat. *Corradus.*

Ne maturum quidem etiamnunc] In veteribus libris hic & alibi fere ſemper legitur *etiam nunc.* Idem.

Is enim denique] *Denique* elegantcr eſt, ut uno verbo dicam, ſive paucis dicam, ex quibus reliqua colligi poſſint. Auctor belli Alexand. *Interim legati a Pharnace reſponſa referunt, Cappadocia ſe deceſſiſſe, Armeniam minorem recepiſſe, quam paterno nomine jure obtinere deberet, denique ejus regni cauſſa integra Cæſari ſervaretur.* Flor. I, 16. *Nihil mollius cœlo, denique bis floribus vernat.* vide quæ de hoc loquendi genere notavit J. Schulting. ad declam. XI Calpurn. *Græv.*

Si modo aliq. reſp.] Al. *ſi modo erit a. r.* Corrad.

Non invitamentum ad tempus] Videtur reſpexiſſe ad illud Thucydidis in procemio hiſtoriæ, κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται. Urſinus.

Vt

virtutis eſt praemium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem, ſubveni patriae, opitulare collegae, omnium gentium conſenſum & incredibilem conſpirationem adjuva. Me tuorum conſiliorum adjutorem, dignitatis fautorem omnibus in rebus tibi amiciſſimum, fideliſſimumque cognoſces. Ad eas enim cauſſas quibus inter nos amore ſumus, officiis, vetuſtate conjuncti, patriae caritas acceſſit, eaque effecit ut tuam vitam anteferrem meae. III Kalendas Aprilis.

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Gratias agit pro Ciceronis erga ſe officiis; omniaque de ſuo in remp. ſtudio pollicetur. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

IMmortales ago tibi gratias, agamque dum vivam. nam relaturum me affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mi reſpondere poſſe: niſi forte, ut tu graviſſime diſertiſſimeque ſcripſiſti, ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes cum memoria tenebo. Si de filii tui dignitate eſſet actum, amabilius certe nihil facere potuiſſes. Primae tuae ſententiae infinitis cum muneribus, poſteriores ad tempus arbitriumque amicorum meorum compoſitae, oratio aſſidua & perpetua de me jurgia cum obtrectatoribus propter me notiſſima mihi ſunt. non mediocris adhibenda mihi eſt cura, ut reipub. me civem dignum tuis laudibus praeſtem, in amicitia tua memorem atque gratum. Quod reliquum eſt, tuum munus tuere, & me, ſi, quem eſſe voluiſti, eum exitu rebuſque cognoſcis, defende

UT me referre gratiam putes] Forte, ut tum me referre. Lamb. *Cum exitu rebuſque cognoſcis*] Hoc eſt, ſi ipſis factis me talem praeſtem, qualem tu me eſſe omnibus teſtatus es.

Ovid. III Metam.

Vana diu viſa eſt vox auguris: exitus illam
Reſque probat.

Cic. I Tuſc. *His & talibus auctoribus uſi,* con-

de ac ſuſcipe. Cum Rhodanum copias trajeciſſem, fratremque cum tribus millibus equitum praemiſiſſem, ipſe iter ad Mutinam dirigerem, in itinere de proelio facto, Brutoque & Mutina obſidione liberatis, audivi. Animadverti nullum alium receptum Antonium reliquiaſque quae cum eo eſſent habere niſi in his partibus, duaſque ei ſpes eſſe propoſitas, unam Lepidi ipſius, alteram exercitus. Quod quaedam pars exercitus non minus furioſa eſt quam qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi. Ipſe in Allobrogibus conſtiti, ut proinde ad omnia paratus eſſem ac res moneret. Si nudus huc ſe Antonius conferet, facile mi videor per me ſuſtinere poſſe, remque publicam ex veſtra ſententia adminiſtrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. ſi vero copiarum aliquid ſecum adducet, &, ſi decima legio veterana, quae noſtra opera revocata cum reliquis eſt, ad eundem furorem redierit, tamen, ne quid detrimenti fiat, dabitur opera a me: idque me praeſtaturum ſpero, dum iſtinc copiae trajiciantur, conjunctaeque nobiſcum facilius perditos opprimant. Hoc tibi ſpondeo, mi Cicero, neque animum nec diligentiam mihi defuturum. Cupio meher-

confirmant cauſſam rebus a diis immortalibus judicatam. hoc eſt, ipſo facto dii declararunt. Ovid. II Faſt.

Nil opus eſt verbis, credite rebus, ait.

De praelio facto] Ab Hirtio & Panſa Coſſ. & Octavio Cæſare Propræt. *Corradus.*

Unam Lepidi, ipſius alteram exercitus] Ita puto legi debere, *unam Lepidi ipſius, alteram exercitus:* nam elegantior multo hæc eſt lectio, & nullo periculo corrigi poteſt. nulla enim depravatio in verbis, in diſtinctione tantum peccatum fuerat. *Victorius.* Hanc diſtinctionem liquido firmat Amſtelodamenſis, in quo ſcribitur, *duaſque ei ſpes eſſe propoſitas: unam Lepidi ipſius: alteram exercitus.*

Quod quaedam pars exercitus] Ep. 35 hujus libri. *Corrad.*

Ut proinde ad omnia paratus eſſem] Sic MSS. vulgo *perinde.* Sed *proinde* ſæpe idem ſignificat. Inferius lib. XII, epiſt. 28. *Proinde ac ſi jam vicerint obitum ejus reip. eſſe utilem.* ſic ex MSS. Victor. & Manut. ediderunt. vulgati *perinde ac ſi jam vicerint.* Terent. Heaut.

proinde quaſi nemo ſiet,
Ita tute attente illorum officia fungere.

Sic & Plautus frequenter. *Grav.*

Ex veſtra ſententia] Al. *ex noſtra ſententia.* Corrad.

Si decima legio] Quæ olim ab Antonio regi ſolita, tunc erat in exercitu Lepidi. *Idem.*

Dum iſtinc] Ex Gallia Ciſalpina. *Idem.*

Neque animum nec diligentiam mihi defuturam] Sic Pall. prim. & ſext. quam lectionem & in ſuo codice priſco ſe ſepe-

hercules nullam reſiduam ſollicitudinem eſſe. Sed ſi fuerit, nec animo, nec benevolentiae, nec patientiae cujuſquam pro vobis cedam. Do quidem ego operam ut etiam Lepidum ad hujus rei ſocietatem incitem, omniaque ei obſequia pollicear, ſi modo remp. reſpicere volet. Vtor in hac re adjutoribus, interpretibuſque, fratre meo, & Laterenſe, & Furnio noſtro. Non me impedient privatae offenſiones, quo minus pro reip. ſalute etiam cum inimiciſſimo conſentiam. Quod ſi nihil profecero, nihilominus maximo ſum animo, & majore fortaſſe cum mea gloria vobis ſatisfaciam. Fac valeas, meque mutuo diligas.

[illegible] Rivius teſtatur in caſtigationibus [illegible] A[illegible]el hos Terent. Act. IV, ſc. 4. [illegible] *neque quid me faciam, nec quid agam certum ſit.* C[illegible] Vett. *Tametſi de abſolutione* [illegible] *neque ipſe jam ſperat, nec populus Romanus metuit.* Idem in Bruto, *Sed* [illegible] *multis, nec ſatis verſatus in* [illegible]. Sic alias ſæpe. Tacitus, *Quæ* [illegible] *neque in vitiis numerantur.* Joan. Rivius. Reſtitui hanc quoque [illegible]am ex codice Hittorp. Pal. [illegible] & Amſtelod. epiſt. 27 hujus libri, *quæ neque ſenatui, nec populo, neque unquam bono probatur.* Cic. Philipp. 2. *Nec enim te de cælo ſervaſſe dixiſti, neque hodie dicis.* ſic vett. codd. Repoſui quoque hoc loco ex vetere codice Stewechiano *defuturum.* vide ad epiſt. 21 hujus libri. *Gravius.*

Interpretibuſque] *Interpretes* frequenter ſunt internuntii, qui quæ alios ſcire volumus ad eos perferunt, & viciſſim eorum reſponſa & ſententiam nobis renuntiant. Inferius ep. 17. *Studium in eare mihi ſuum Lucius Gellius præbavit, quo ego interprete noviſſime ad Lepidum uſus ſum.* Græv.

Laterenſe] M. Juventio Laterenſe Lepidi legato. *Corrad.*

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Quam gratae ſenatui fuerint ejus litterae de apparatu ſtudioque defendendae reip. quidque ex ejus litteris actum ſit, exponit. poſtrema eſt ad recuperandam libertatem accurata cohortatio. Eodem anno.

CICERO PLANCO.

ETſi reipub. cauſſa maxime gaudere debeo, tantum ei te praeſidii, tantum opis attuliſſe extremis paene temporibus

ETſi reip. cauſſa maxime gaudere debeo] Hanc epiſtolam arbitror illi, quæ eſt ad ſenatum populumque Rom. a Planco ſcripta, ſubjungi debere: tum huic

poribus; tamen ita te victorem complectar rep. recuperata, ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas afferт, quam & eſſe jam & futuram ampliſſimam intelligo. Cave enim putes ullas unquam litteras graviores quam tuas in ſenatu eſſe recitatas. Idque contigit cum meritorum tuorum in rempub. eximia quadam magnitudine, tum verborum ſententiarumque gravitate. Quod mihi quidem minime novum, qui & te noſſem, & tuarum litterarum ad me miſſarum

huic eo loco ſitæ eam quæ incipit, *Nihil me tibi:* poſt eam vero addi ſuperiorem, cujus initium *Immortales ago tibi gratias.* Nam eam quidem quæ incipit, *Etſi ſatis ex Furnio*, vel omnibus hiſce quas modo nominavimus, atque adeo illi ipſi quæ ſic inchoatur, *Plura tibi*, puto præponendam, ut ſit numero ſeptima. Hoc arbitror ad ſententiam litterarum conſequendam percipiendamque pertinere: in quo jam vel Tyronis culpa eſſe poteſt. Quod ſi quis etiam eam quæ ſequitur, præponat huic Planci, quam ultimam hactenus fecimus, cujus initium, *Immortales ago*, non inepte meo judicio fecerit: atque etiam eas quæ incipiunt, *O gratam famam:* nam ne interpres quidem abſurde eſt, quantum intelligo, ratiocinatus de conjungendis duabus iſtis Planci epiſtolis. *Bernh. Rutil.*

Tua dignitas adferat] In Mediceo *adfert* ſcriptum eſt, *affert* igitur legi debet: contaminata ab imperito vera lectio fuit, qui dum credidit ſe emendare, corrupit, quod Paullus etiam animadvertit. *Victorius.* Vide ſuperius ad epiſt. 9.

Quam tuas] Octavas hujus lib. *Corradus.*

Et tuarum litterarum ad me miſſarum promiſſa] Sic omnes veteres & novi codices, quos vidi, habent. Cœlius tamen quidam Rhodiginus, homo multæ lectionis, *praemiſſa* corrigit ex antiquis (ut ipſe ait) exemplaribus, intelligitque *praemiſſa* primitias quaſdam. Sic etiam legit locum Plinii contra Hermolai emendationem, *Oleique, ac vini praemiſſa remeans ſecum tuliſſet.* quod non reprehendo. nimis tamen mihi durum videtur, & epiſtolarum claritate alienum hic *praemiſſa* legere, eſſet enim obſcurior, & non parum violenta translatio. Nam quantum ad antiquorum codicum fidem, habuimus nos miræ vetuſtatis Mediceum. Vellem autem eos, qui antiquis exemplaribus nituntur, ubi ſint hæc egregia vetuſtatis monimenta, notum facere. Quamvis enim nullius eruditi viri fidem condemnemus, nihil tamen nobis non ſuſpectum eſſe debet, cum homines plerumque omnia tentent, ut ſuis opinionibus fidem acquirant. *promiſſa* autem intelligit ea quæ in ſuis litteris Plancus facturum ſe eſſe promiſerat. *Victorius. Promiſſa meminiſſem*] Epiſt. 4 hujus lib. Quidam tamen legunt *praemiſſa:* exponuntque, primitias quaſdam. Ita ſane in manuſcriptis libris ſæpius leges. *Corradus.*

Litt. ad me miſſ. promiſſa meminiſſem] Tuentur hanc contra Rhodiginum & Victorius, & duo Palatini, optimi codices. Et mihi nullo modo videtur aliquid mutandum. Primogenita tamen editio *praemiſſa.* & Stewechianus codex *praemiſſa meminerim:* quæ addidimus, non ut Rhodiginum, quem novimus mirificum emendationum & explicationum cocum omnia jura confundentem, adjuvemus: ſed ut diverſitatem hanc a libris eſſe conſtaret; quam in ſuis non invenerat poſt Politianum doctiſſimus Hetruriæ ſux. *Gebhardus. Promiſſa meminerim*

rum promiſſa meminiſſem, & haberem a Furnio noſtro tua penitus conſilia cognita. ſed ſenatui majora viſa ſunt quam erant exſpectata, non quo unquam de tua voluntate dubitaſſet; ſed nec quantum facere poſſes, nec quo progredi velles, exploratum ſatis habebat. Itaque cum a. d. VII Idus April. mane mihi tuas litteras M. Variſidius reddidiſſet eaſque legiſſem, incredibili gaudio ſum elatus: cumque magna multitudo optimorum virorum & civium me domo deduceret, feci continuo omnes participes meae voluptatis. Interim ad me venit Munatius noſter, ut conſuerat: at ego ei litteras tuas: nihil dum enim ſciebat. nam ad me primum Variſidius, idque ſibi a te mandatum eſſe dicebat. Paullo poſt idem mihi Munatius eas litteras legendas dedit quas ipſi miſeras, & eas quas publice. Placuit nobis ut ſtatim ad Cornutum praetorem urb. litteras deferremus, qui, quod conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum. Senatus eſt continuo convocatus, frequenſque convenit propter famam, atque exſpectationem tuarum litterarum.

meminerim Graevii ſecundus cum Stewech. codice. Amſtelodam. *promiſſa meminiſſem.* perperam tamen & corrupte. recte *promiſſa* tuetur Victorius aliique, quod & in Menteliano reperitur.

Quam erant exſpectata] Duo Palatini, prima editio, Peckio excepta, Stewech. *ſenatui majora viſa ſunt, quam erant ſpectata.* ut epiſtola 14. Pall. duo Guilielmi, *equidem ſpectabam jam tuas litteras.* Gebhardus.

Ut conſuerat: at ego ei litteras tuas: nihil dum &c.] Ita Pall. Stewech. Hittorpian. priſca editio [ſic & Amſtelodam.] Vulgo, *ut conſueverat, & ego ei litteras tuas dedi.* paullo item poſt ex Palatino ſexto & Hittorpiano edidi, *quas ipſi miſeras, quas publice.* licet publicetur, *& eas quas publice.* Delevi itidem ex eiſdem libris *τὸ nobis.* Iterum nos liberatius legerem ex duobus Guilielmianis, *ſenatus continuo convocatus, frequens convenit* recisis voculis nihili. *Idem.*

Et eas, quas publice] Sic Amſtelod. Graevii ſecundus aliique fere omnes tam editi typis quam calamo. perperam Gebhardus ex duobus codicibus, quibus & Mentelianus adſtipulatur, expunxit *& eas*, cum voculas has poſtulet ratio, etſi in vetuſtis libris non exterent. nec delendum fuit ex iiſdem duobus codicibus non optimis, *nobis*, quod Mediceus & omnes, quos ego vidi, libri agnoſcunt. *Grav.*

Ad Cornutum Praetorem] M. Cornutum. *Corrad.* *CAECILII CORNUTI* Praetoris Urbani mentio eſt in vetere apud me inſcriptione, cujus alibi meminimus. *Urſinus.*

Continuo convocatus] Ut ad aem novam. Epiſt. 28. lib. XII. *Corradus.*

Oblata

rarum. Recitatis litteris, oblata religio Cornuto eſt, pullariorum admonitu, non ſatis diligenter eum auſpiciis operam dediſſe. idque a noſtro collegio comprobatum eſt. Itaque res dilata eſt in poſterum. Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio; qui cum gratia effeciſſet ut ſua ſententia prima pronuntiaretur, frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit, meaeque ſententiae, quae ſecunda pronuntiata erat, cum frequenter aſſentiretur ſenatus, rogatu Servilii P. Titius interceſſit. Res in poſterum dilata. Venit paratus Servilius, Iovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione Titium interceſſorem abjecerim, ex aliorum te litteris malo cognoſcere. Vnum hoc ex meis: ſenatus gravior, conſtantior, amicior tuis laudibus eſſe non potuit quam tum fuit. Nec vero tibi ſenatus amicior quam cuncta civitas. Mirabilitet enim populus R. univerſus, & omnium generum ordinumque conſenſus ad liberandam remp. conſpiravit. Perge igitur, ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati: Atque haec omnia quae habent ſpeciem gloriae, collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus, contemne, brevia, fugacia, caduca

Oblata religio Cornuto eſt] Hoc eſt, religione, auſpiciis impeditus fuit ne in ſenatu quicquam ageretur. *Religio* eſt metus deorum, qui inhibet facere quæ velis. Plaut, Mercator, v. 2.
Religionem illic objecit: recipiam me illuc. hoc eſt, ex obſervatione ominis *δεισιδαιμονίαν* incuſſit. Chriſtiani dicerent *ſcrupulum conſcientiæ injecit* ne hoc vel illud faciat.

A noſtro collegio] Augurum. *Corrad.*

Cum Servilio] De quo ad M. Brutum in epiſtolis, quæ ſunt a Germanis nuper inventæ, ſic ſcribit, *In Planci cauſſa Servilius exarſit, mecumque per biduum contendit.* Item, *Acerbiſſime tulit Servilius, aſſenſum eſſe mihi de Planco.* Idem.

P. Titius] Tribunus plebis. *Idem.*

Quæ habent ſpeciem gloriæ, collectam ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus] Sic habent duo codices Memmiani: neque video cur hanc ſcripturam rejicere debeamus, cum ſit longe, meo quidem judicio, vulgatæ anteponenda. *Lambinus.* Sed vide ſequentem notam Gebhardi.

Brevia, fugacia & caduca exiſtima] Antiquiores codices, Mediceus inquam, & qui Petrarchæ fuit, hac parte luxati ſunt & manci: ſic enim habent *brevia fugato caduca exiſtima*: quam rem propter librorum dignitatem & probitatem, nullo modo ſilentio præterire potui. quanquam receptam lectionem rectam & veram eſſe judico: nec

duca exiſtima. Verum decus in virtute poſitum eſt, quae maxime illuſtratur magnis in remp. meritis. Eam facultatem habes maximam, quam quando complexus es, tene, perfice, ut ne minus reſp. tibi quam tu reip. debeas. Me tuae dignitatis non modo fautorem ſed etiam amplificatorem cognoſces. Id cum reip. quae mihi vita eſt mea carior, tum noſtrae neceſſitudini debere me judico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munatii prudentiam, & fidem, magis etiam perſpexi in ejus incredibili erga te benevolentia & diligentia. III Idus Apriles.

nec video quomodo veterem tueri ſi velim poſſim: credendum igitur eſt hoc erratum fuiſſe librarii. Cum raro autem accidere ſoleat ut peccet, non alienum mihi viſum eſt hoc etiam teſtari. Præter deformatam illam dictionem *fugacia* conjunctio non eſt in antiquioribus. *Victorius.* *Brevia, fugacia, caduca*] Receptam jampridem lectionem retinendam cenſeo, etſi fuit cum & ipſe *fucata* legi poſſe exiſtimarim, quod tamen nunc non valde probo: hæc enim ſententia eſt (ut opinor) hujus loci, ut oſtendat inanem gloriam ὀλιγοχρόνιον eſſe & parvo tempore perdurare: cum enim ſupra inquit, *atque hac omnia qua habent ſpeciem gloria:* intellexit res fucatas, & quæ ſplendidæ, ac honeſtæ videntur, non tamen habent veram ac ſolidam gloriam, neque veram dignitatem, quas omnes imbecillas recte dixit, & facile evolare e manibus. Si enim hic *fucata* legeretur, cum verba illa, *qua habent* inanem *ſpeciem gloria*, nihil ſignificent niſi quæ fucata ſunt (ſi quis μετεωρολογικῶς loqui vult), diceret Cicero quæ fucata ſunt, fucata ſunt, quod probari nullo pacto poteſt. *Idem* in poſtea. *Brevia, fugacia, caduca*]

Sic habent omnes fere libri vulgati: ſed videtur P. Victorio legendum *fucata:* & item Manutio: cum neuter, ut arbitror, de alterius ſententia quidquam audiſſet. Teſtatur autem P. Victorius, in optimo illo quo uſus eſt codice, ſcriptum fuiſſe, quanquam litteris obſcurioribus, *fugata.* *fugacia* tamen, quod eſt in libris vulgatis, non videtur rejiciendum. *Lambin.* *Brevia, fucata, caduca exiſtima*] Elegantiores mihi gratias agent ob reſtitutum hunc ex Palatino ſexto locum: ſic enim exſertis litteris, ſyllabis, conceptum habet. Hittorpii quoque liber *fucata* agnoſcit. Palatinus vero primus *fugatoria.* vulgo, *brevia, fugacia & caduca exiſtima.* ſuperius ſtatim edidi ex Pall. duobus Guilielmianis, editione Victorii, *qua habent ſpeciem gloria collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus.* ut arguam lectionem Lambini aſſerentis, ex binis, ut ait, Memmianis *collectam ex inaniſſimis* Gebhard. Rationes quibus vulgatam tuetur Victorius, graviores ſunt, quam ut contra eas valeant duo codices non optimi, præſertim cum pleræque omnes aliæ membranæ etiam Amſtelodamenſes, Mentelianæ & Gravianæ ſtent pro vulgata.

EPISOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Scribit de SC. in ſuam ſententiam facto, ad augendam Planci dignitatem, hortaturque ut Antoniani belli reliquias conficiat.

CICERO PLANCO.

VT primum poteſtas data eſt augendae dignitatis tuae, nihil praetermiſi in te ornando quod poſitum eſt aut in praemio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipſo ſenatuſconſulto poteris cognoſcĕre. ita enim eſt perſcriptum ut a me de ſcripto dicta ſententia eſt, quam ſenatus frequens ſequutus eſt ſummo ſtudio, magnoque conſenſu. Ego quanquam ex tuis litteris, quas mihi miſiſti, perſpexeram te magis judicio bonorum quam inſignibus gloriae delectari: tamen conſiderandum exiſtimavi, etiam ſi tu nihil poſtulares, quantum tibi a repub. deberetur. Tu contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, ſed Vlyſſem appellavit πτολίπορθον.

EX tuis litteris] Octavis hujus lib. *Corradus.*

Vlyſſem appellavit πτολίπορθον] *Semper*, inquit, Strabo. Nam Achillem interdum etiam appellavit. *Vlyſſes* vero apud Ovidium etiam quæ ab Achille ſunt geſta, ſibi, quod illum a ſe inventum ad bellum perduxerit, quaſi ſuo jure accepta referri poſtulat. Vide præterea, quæ libro 11 Iliad. ſcribit interpres Homeri: ne dicam finem reſpici oportere. *Idem.* Quidam libri manuſcr. habent πτολιπόρθιον· atque ita edidit P. Victorius. *Lambinus.*

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Laudat Plancum de ſtudio reip. defendendae, & ea celeritate qua uſus erat ut collegae ſuo Bruto auxilia ferret. Hortatur ut belli reliquias exſtinguat. Eodem anno.

CICERO PLANCO S.

O gratam famam biduo ante victoriam, de ſubſidio tuo, de ſtudio, de celeritate, de copiis. Atque etiam hoſtibus fuſis, ſpes omnis in te eſt. Fugiſſe enim ex proelio Mutinenſi dicuntur notiſſimi latronum duces. Eſt autem non minus gratum extrema delere, quam prima depellere. Equidem exſpectabam jam tuas litteras, idque cum multis. Sperabamque etiam Lepidum, reipub. temporibus admonitum, tecum & reipub. ſatis eſſe facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne quae ſcintilla teterrimi belli relinquatur. Quod ſi erit factum: & remp. divino beneficio affeceris, & ipſe aeternam gloriam conſequere. D. III Non. Mai.

ANte victoriam] Apud Mutinam. *Corradus.*

Latronum duces] M. Antonius & ejus amici. *Idem.*

Exſpectabam jam tuas litteras] Sic recte [illegible]gatz, & Mentelian. ac meus ſecundus. Mirum Gebhardum recepiſſe ex [illegible]torpiano & Stewech. quibus & [illegible]it Amſtelodamenſis, *ſpectabam* [illegible] *litteras*, invitis Muſis & Gra[illegible]. *Grav.*

[illegible] *reip. temporibus admonitum, [illegible] & reip. ſatis eſſe facturum*] Sic [illegible] ex quatuor MSS. & Victoriana Gebhardus. Sed non poſſum mihi perſuadere *reip.* bis paucis interjectis verbis incommodiſſime a Cicerone iteratum. *Satis* non extat in Hittorp. & Pal. ſext. *& reip.* ex ſuperiore verſu huc irrepſit. Nam in Mentel. & aliis nonnullis codd. ſcribitur *Lepidum et. reip. temporibus.* Itaque hunc locum ſic repurgandum cenſeo; *Lepidum reip. temporibus admonitum tecum eſſe facturum:* Lepidus cogitans de graviſſimo reip. periculo, a tuis partibus ſtabit, tecum conſentiet in tuenda republica. *Gravius.*

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Quid egerit, quidque paret, ut opprimatur Antonius, exponit. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

HIs litteris ſcriptis, quae poſtea accidiſſent, ſcire te, ad rempub. putavi pertinere. Sedulitas mea, ut ſpero, & mihi & reipub. tulit fructum. Namque aſſiduis internuntiis cum Lepido egi, ut, omiſſa omni contentione, reconciliataque voluntate noſtra, communi conſilio reipub. ſuccurreret: ſe, liberos, urbemque pluris quam unum perditum abjectumque latronem putaret: obſequioque meo, ſi ita faceret, ad omnis res abuteretur. Profeci itaque per Laterenſem internuntium. fidem mihi dedit, ſe Antonium, ſi prohibere provincia ſua non potuiſſet, bello perſecuturum: me, ut venirem copiaſque conjungerem, rogavit: eoque magis, quod & Antonius ab equitatu firmus eſſe dicebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat. Nam etiam ex paucitate ejus, non multis ante diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me tranſierunt. Quibus rebus ego cognitis cunctatus non ſum, in

curſu

H*Is litteris ſcriptis*] Vndecimis hujus libri. *Corradus.*

Abjectumque latronem] Quia jam prœlio Mutinenſi fractus erat M. Antonius.

Cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum: Lepidum adjuvandum putavi] Interpunctiones non ſuo loco collocatae, ut puto, corrumpunt elegantiſſimam ſententiam: ipſe enim prorſus ita legendum exiſtimo, *Quibus rebus ego cognitis, cunctatus non ſum: in curſu bonorum conſiliorum Lepidum adjuvandum putavi.* Quamvis omnia nunc plana & aperta eſſe opiner, praeclareque intelligi, ac probari etiam judicium meum, tamen ſenſum meae lectionis breviter exponam: quibus rebus cognitis, ſummam celeritatem adhibui, putavique officium meum eſſe Lepidum adjuvare, dum bona ac Reip. utilia conſilia animo verſaret: quod non ſaepe ille faciebat. Nam ſi legemus quemadmodum ante in cunctis impreſſis erat, *Cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum* aut nullus aut durus & inſulſus prorſus ex hac lectione ſenſus elicietur. *Victorius.* Sic hic locus etiam interpungitur, ut interpungendum recte vidit Victorius, in Menteliano.

L. An-

curſu bonorum conſiliorum Lepidum adjuvandum putavi. Adventus meus quid profecturus eſſet vidi: vel quod equitatu meo perſequi atque opprimere equitatum ejus poſſem: vel quod exercitus Lepidi eam partem quae corrupta eſt & ab repub. alienata, & corrigere & coercere praeſentia mei exercitus poſſem. Itaque in Iſara, flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, ponte, uno die facto, exercitum a. d. quartum Idus Maii traduxi. Cum vero mihi nunciatum eſſet, L. Antonium praemiſſum cum equitibus & cohortibus ad Forum Iulii veniſſe, fratrem cum equitum quattuor millibus, ut occurreret ei, miſi a. d. v Idus Maii. Ipſe maximis itineribus cum quattuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu ſubſequar. Si nos mediocris modo fortuna reipub. adjuverit, & audaciae perditorum & noſtrae ſollicitudinis hic finem reperiemus. Quod ſi latro, praecognito noſtro adventu, rurſus in Italiam ſe recipere coeperit, Bruti erit officium, occurrere ei, cui ſcio nec conſilium nec animum defuturum. Ego tamen, ſi id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui ſequatur, Italiam a vaſtatione defendat. Fac valeas, meque mutuo diligas.

L. Antonium] M. Antonii fratrem, conſulem. | *Forum Julii*] Oppidum Narbonenſis provinciae. lege Plin. lib. III, c. 4.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Gratiſſimas ſenatui fuiſſe Planci litteras, & eam a ſe dictam ſententiam cui plane omnes aſſenſerint, factumque SC. ſignificat: deinde ſuadet ut in ſubitis rebus conſilium ſenatus ne expectet, ipſe a ſeſe conſilium capiat. Eodem anno.

CICERO PLANCO.

Nihil poſt hominum memoriam glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo opportunius accidere

vidi, quam tuas, Plance, litteras. Redditae ſunt enim frequenti ſenatu Cornuto, cum is frigidas ſane & inconſtantis recitaſſet litteras Lepidi. ſub eas ſtatim recitatae ſunt tuae, non ſine magnis quidem clamoribus. Cum rebus enim ipſis eſſent & ſtudiis beneficiiſque in rempub. gratiſſimae, tum erant graviſſimis verbis & ſententiis. Flagitare ſenatus inſtitit Cornutum ut referret ſtatim de tuis litteris. Ille ſe conſiderare velle. Cum ei magnum convicium fieret cuncto a ſenatu, quinque tribuni plebi retulerunt. Servilius roga-

TUm erant graviſſimis verbis ac ſententiis] Ità hunc locum emendavimus, cum in omnibus impreſſis ſententiis plena legeretur: id autem fecimus, ſecuti fidem priſcorum codicum, in quibus poſtremæ vocis veſtigium nullum reperitur: & Quintiliani auctoritatem, qui affirmat, Ciceronem ita ſemper hoc verbo uſum eſſe, ut diceret plenum vini, & non vino, ut poſteriores fecerunt: non dixiſſet igitur plena verbis ac ſententiis Cicero. Quemadmodum autem ſine ea voce ſenſus manere poſſit, obſcurum non eſt. Quod in Catone majore Cicero inquit, Haud magna cum re, ſed fide plenus, non eſt ſeptimus caſus fide, neque contra teſtimonium Quintiliani hoc facit: ſed ita ab eo dictum eſt, ut in epiſtola quæ hanc ſequitur a Planco dictum fuit, quo obſide fide illius ac felicitatis. Quod nos olim accurate adnotavimus, nullam hujus loci mentionem feciſſemus, niſi Manutius in poſteriore, quemadmodum in priore ſua editione fecerant, verbis, ac ſententiis plena legerent. Victorius. Sententiis plena flagitare] Al. ſententiis graviſſima. flagitare. al. ſententiis. flagitare. Corrad. Tum e. gr. v. & ſentent. perſcripta] Cum antea vulgo legeretur & ſententiis plena: Victorius ex auctoritate quorundam librorum vocem plena delevit: & recte. Ego autem cum in uno atque altero reperiſſem vocem perſcripta, quamvis non auſim aſſeverare Ciceronis eſſe, ſed ſuſpicer eſſe ſubdititiam, tamen non putavi mihi negligendam, aut rejiciendam. Lambin. Et ſententiis. Flagitare] Alii ſententiis plena. Lambinus perſcripta, pro plena. ſed illud vocabuli ſubdititium & Ciceronis non eſſe fatetur; rejiciendum tamen aut negligendum non arbitratur. Quid non Tulliana in Tullio? ô ſtuporem hominis; abdicant id certe Pall. Stewech. Hittorp. Vatic. atque dudum Victorius. ſicut & illud ait vel dicit ſtatim poſt. Gebhardus. Victorii quoque ſcripturam firmat Amſtelodam.

Flagitare ſenatus inſtitit Cornutum] Hoc eſt, cœpit flagitare. Liv. lib. XXIV. *Pro ſe precibus, puellis ſaltem ut parcerent, orare inſtitit.* Terent. Hecyr. III, 3.

Hanc habere orationem mecum principio inſtitit.

Reſtituenda eſt hæc vox Gellio, lib. XII, cap. I. *Ubi percunctatus eſt, quam diutinum puerperium, & quam laborioſi nixus fuiſſent: puellamque defeſſam labore ac vigilia ſomnum capere cognovit, fabulari inſtituit prolixius.* leg. *fabulari inſtitit prolixius.* Sicut autem eleganti periphraſi *cœpi hoc facere* pro feci Græcis Latiniſque dicitur, ut apud Phædrum I, 2.

Quoniam grave
Omnino inſuetis onus, & cœpiſſent queri,

hoc eſt, quererentur, & ſic ille aliique frequenter; vide & Lucam Act. Apoſtol. I, 1. ſic & *flagitare inſtitit*, eſt flagitavit, *habere orationem inſtituit* eſt orationem habuit. *Grævius.*

Ven-

rogatus rem diſtulit. ego eam ſententiam dixi, cui ſunt aſſenſi ad unum. ea quae fuerit, ex ſenatuſconſulto cognoſces. Tu, quanquam conſilio non eges, vel abundas potius, tamen hoc animo eſſe debes, ut nihil huc rejicias: neque in rebus tam ſubitis, tamque anguſtis a ſenatu conſilium petendum putes. Ipſe tibi ſis ſenatus. quocunque te ratio reip. ducet, ſequare. Cures ut ante factum aliquod a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid a te erit factum, id ſenatum non modo ut fideliter, ſed etiam ut ſapienter factum, comprobaturum.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Praeſentem belli ſtatum deſcribit, cum excuſatione fratris a ſe dimiſſi, & commendatione ſuae dignitatis. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

Antonius Id. Maii ad Forum Iulii cum primis copiis venit. Ventidius bidui ſpatio abeſt ab eo. Lepidus ad Forum Voconii caſtra habet, qui locus a Foro Iulii quattuor & viginti millia paſſuum abeſt, ibique me exſpectare conſtituit, quemadmodum ipſe mihi ſcripſit. Quod ſi omnia mihi integra & ipſe & fortuna ſervarit, recipio vobis celeriter me negotium ex ſententia confecturum. Fratrem meum aſſiduis laboribus concurſationibuſque confectum gravi-

Ventidius] Tres legiones habens. Corradus. Vid. ep. 18, 33 & 34. & ep. 1 hujus libri.

Quatuor & viginti millia paſſuum] Mirum recentiores Victorium & Gebhardum, *viginti millia paſſus*. MSS. quidem plurimi, in his meo habent *viginti millia paſſus*. ſic Medicaeum. & meus ſecundus, & duo Pal. & duo Guielm. Sed cum ſcribae librorum Latinae linguae candorem infuſcant, non eſt ut iis obtemperemus. *Millia* ſemper ſecundum caſum deſiderare dupondii norunt. Idem error in antiquos libros irrepſit inferius in epiſtola 30 hujus libri, quem merito Manutius & Corradus emendarunt. *Gravius.*

Quod ſi omnia mihi integra & ipſe ſervarit] Quod ſi nihil ab ipſo peccatum ſit.

graviter ſe habuiſſe, antea tibi ſcripſi: ſed tamen cum primum poſſe ingredi coepit, non magis ſibi quam reipub. ſe convaluiſſe exiſtimans, ad omnia pericula princeps eſſe non recuſabat. Sed ego cum non ſolum hortatus ſum, verum etiam coegi iſto proficiſci: quod & illa valetudine magis conficere ſe quam me juvare poſſet in caſtris: & quod acerbiſſimo interitu conſulum rempub. nudatam, tali cive praetore in urbanis officiis indigere exiſtimabam. Quod ſi qui veſtrum non probabit, mihi prudentiam in conſilio defuiſſe ſciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tamen, quod ego deſiderabam, fecit ut Apellam ad me mitteret, quo obſide fide illius & ſocietatis in repub. adminiſtranda uterer. Studium mihi ſuum L. Gellius, de tribus fratribus Sex.

Iſte proficiſci] Romam. *Corradus.*

Quod illa valetud.] Al. *quod ex illa*, al. *quod etiam illa.* Idem.

Quam me tueri poſſet in caſtris] Nos *juvare* ex antiquo codice!, quod etiam Germani adnotarunt. Decepit hoc loco (ut opinor) eos, qui ab antiquis deſcripſerunt, quod hoc verbum per unum tantum *u*, in illis eſt, aliter ac nunc ſcribimus. Nam ſi *juvare* legiſſent, nunquam commiſiſſent ut ejus loco *tueri* ſcriberent. *Victorius.* *Me juvare poſſet*] Non receperunt hanc a me reſtitutam lectionem Manutii, quæ mihi valde probatur: aperui antea unde mendum, quod impreſſos codices occupaverat, ortum eſſe poſſet: in antiquis enim libris *juare* ſemper ſcriptum eſt: ut in loco, de quo paullo ante egimus, *In curſu honorum conſiliorum Lepidum adjuvandum putavi.* Idem in poſterior.

Interitu conſulum] Hirtii & Panſæ. *Corradus.*

Quo obſide fide illius, & ſocietate in rep. adm. ut.] Nonnulli genitivo caſu recte *fidei illius, & ſocietatis* emendarunt: uno tamen diſſentiunt ab antiquis codicibus, quod in illis *fide* eſt, non *fidei*, ut fortaſſe eadem ratione dictum ſit qua Verg. *Libra die, ſomnique* dixit. Et in Rolis, *Ad primi radios interitura die.* Quam lectionem confirmat, quod in vulgatis omnibus *fide* etiam legebatur, etſi illi ablativo caſu intelligebant, ideoque pro *ſocietatis*, *ſocietate* emendarant improbe omnino, & imperite, quia ſinceram lectionem non intellexerunt. *Victorius.* Jampridem mihi viſus erat hic locus legendus *quo obſide fidei illius*: aliquot autem poſt annis cognovi Errico Stephano, viro doctiſſ. idem videri. Alii retinent lectionem vulgatam *fide illius*, &c. & tamen *fide* pro *fidei* poſitum eſſe volunt, ut ſit antiquus generandi caſus. *Lambinus.* *Quo obſide fide illius & ſocietatis*] Ita Palatinus primus. Sextus tantum *fidei*, ſed cum nota expunctionis elementi *i*. Miror Lambinum hoc loco Victorii emendationem veriſſimam & eruditiſſimam, quum omnia alia ejuſdem abſtulerit, ignoraſſe. Quid multis? Ita quoque Vaticani excerpta. vulgus, imperitiæ ſuæ velificans obſignavit, *fide illius & ſocietate*, &c. *Gebhard.*

Studium mihi ſuum L. Gell. de trib. fratribus Segaviano probavit] Vereor ſane ne aliqua macula hunc locum fœdaverit: ſed cum ita in cunctis MSS. legatur, & negotium de quo agitur obſcurum ſit, periculoſum eſſe puto aliquid immutare. *Victorius.* Leg. *Sex. Gaviano.* Hunc commemorat in oratione pro

Sextio

Sex. Gaviano probavit, quo ego interprete noviſſime ad Lepidum ſum uſus. Amicum cum reip. cognoſſe videor, libenterque ei ſum teſtimonio, & omnibus ero qui bene merentur. Fac valeas, meque mutuo diligas, dignitatemque meam, ſi mereor, tuearis, ſicut adhuc ſingulari cum benevolentia feciſti.

Sextio M. Tullius. *Lambin.* Lego ex Tullianis editione & Palatino primo, *ſtudium mihi ſuum L. Gellius, de tribus fratribus Segaviano probavit:* cum ſextus habeat, *In ea re ſtudium mihi ſuum L. Gellius d. t. fr. eganiano.* Vaticanus, *ſtudium mihi L. Gellius.* editiones vero, *ſtudium in ea re ſuum mihi L. Gellius de tribus fratribus Segavianis.* Gebhardus. Sane in Grævii ſecundo & Amſtelod. eſt *ſe Gaviano.* ut recte Manutius & Lambinus emendatint *Sex. Gaviano.*

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Narrat, quibus cauſſis ad Lepidum proficiſcatur. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

QVid in animo habuerim cum Laevus Nervaque diſceſſerunt a me, & ex litteris quas eis dedi, & ex ipſis cognoſcere potuiſti, qui omnibus rebus conſiliiſque meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti & cupido ſatisfaciendi reipub. boniſque omnibus accidere ſolet, ut conſilium ſequerer periculoſum magis, dum me probarem, quam tutum, quod habere poſſet obtrectationem. Itaque poſt diſceſſum legatorum, cum binis continuis litteris & Lepidus me ut venirem rogaret, & Laterenſis multo etiam magis prope implorans obteſtaretur, non ullam rem aliam extimeſcens quam eandem quae mihi quoque facit timorem, varietatem atque infidelitatem exercitus ejus: non dubitandum putavi quin ſuccurrerem, meque communi peri-

QVid in animo habuerim, cum Lævius] Quidam legunt *Lernus*, vel *Lerinus*, nos vetuſtam ſcripturam repoſuimus *Lævus*: eundemque credimus eſſe hunc & illum de quo ſic non multo poſt, *Lævo Ciſpio dabo perferenda.* Victor.

Poſt diſceſſum legatorum] Lævi Ciſpii & Nervæ. *Corradus.*

periculo offerrem. Sciebam enim, etſi cautius illud erat conſilium, exſpectare me ad Iſaram, dum Brutus trajiceret exercitum, & cum collega conſentiente, exercitu concordi, & bene de rep. ſentiente, hoſtibus obviam ire: tamen ſi quid Lepidus bene ſentiens detrimenti cepiſſet, hoc omne aſſignatum iri aut pertinaciae meae, aut timori videbam, ſi aut hominem offenſum mihi, conjunctum cum repub. non ſublevaſſem, aut ipſe a certamine belli tam neceſſarii me removiſſem. Itaque potius periclitari volui, ſi poſſet mea praeſentia & Lepidum tueri, & exercitum facere meliorem, quam nimis cautus videri. Sollicitiorem certe hominem non ſuis contractis neminem puto fuiſſe. Nam, quae res nullam habebat dubitationem, ſi exercitus Lepidi abſit, ea nunc magnam affert ſolli-

Sciebam enim, etſi cautius illud erat conſilium, &c.] Multa hic immutata ſunt, partim conjectura, partim ex auctoritate codicum MS. Primum *etſi cautius*, &c. pro *& cautius*, ex vetere codice edendum curavi: deinde totum illud *ſicut milites faciunt*, pro meo jure delevi: quia clamat ſe non eſſe Ciceronis: poſtremo illa, *exercitu concordi, & bene de rep. ſentiente*, ſunt item a vetere codice. Jam verbum *videbam*, tametſi ſupervacaneum videatur, cum verbum *ſciebam* ſatis ſuperque ſit, tamen non ſuſtuli: quia credibile eſt a M. Tullio eſſe poſitum, propterea quod multa ſunt interpoſita inter verbum *ſciebam*, & illud *hoc omne aſſignatum iri*, propter hyperbatum ſcilicet. Ita poſuit verbum *videbam*, quaſi verbum *ſciebam* non ſit initio poſitum, ut conſulat memoriæ lectoris. Si quis tamen delere volet, per me licebit, neque repugnabo. *Lambinus.* ſed adde Var. Lect. *Sciebam en. & caut.*] Manutius probavit Lambinianam emendationem hujus loci, & ſic eum edendum curavit. Cui hercle & nos ſubſcriberemus, ſi priſci codices eſſent ſubſidio. Sed nec Medic. nec Vatican. nec Pall. nec Guilielm. nec Amſtelodam. nec meus ſecund. hic a vulgatis abeunt editionibus. N. Scelſi tamen vetus liber, *dum Brutus trajiceret exercitu concordi, & bene ſentiente.* Hinc non auſi ſumus Lambinum hæc interpolantem, ut nunc eſt, ſequi. Sed nec illud nobis perſuadere poſſumus, *conſentiente, bene ſentiente, bene ſentiens* in tam paucis verſibus Plancum repetiiſſe. Hujus enim epiſtola eſt, non Tullii. Verbum vero *videbam*, quamvis ſupervacuum ſit, non tamen delendum eſſe recte vidit Lambinus. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, *hoc, inquam, videbam*, ſeu *ſciebam*. Vide quæ de hujus generis locis notavit I. Fr. Gronovius ad Senecam de ira 1, 3. *Græv.*

Trajiceret exercitum] Alpes vel Iſaram. *Corradus.*

Sicut milites] Bruti & mei. *Idem.*

Faciunt] Conſentiunt. *Idem.*

Si quid Lepidus bene ſentiens] Nunc, vel fingens ſe bene ſentire. *Idem.*

Si poſſem mea præſentia] Optime Vat. & Amſtel. *ſi poſſet mea præſentia.* Grævius.

Non ſuis contractis] Nulla ſua culpa, ex iis quæ ipſe non contraxit. Et ſic ad Q. Fr. lib. 1, ep. 1.

Si exercitus Lepidi abſit] Nulla enim tunc infidelitas mihi timorem faciat. *Corradus.*

Ven-

ſollicitudinem, magnumque habet caſum. Mihi enim ſi contigiſſet ut prior occurrerem Antonio, non mehercules horam conſtitiſſet: tantum ego & mihi confido, & ſic perculſas illius copias Ventidiique Mulionis caſtra deſpicio. Sed

Ventidiique Mulionis caſtra deſpicio] De admirabili hujus fortuna plurimi veteres auctores locuti ſunt: nota ſunt omnibus quæ Gellius, quæ Dion, quæ alii quoque tradidere: cum infimo loco natus eſſet, conſecutum fuiſſe ſummos honores: & gentem, cui nulli antea Romani Imper. pares fuerant, eum profligaſſe, ac tribus maximis prœliis viciſſe. quemadmodum neceſſe erat, hæc res inuſitata ac nova invidiam illi faciebat: & non ſine ſtomacho, quibus cognita erat obſcuritas parentum ipſius, videbant eum in maximis honoris ac dignitatis gradibus collocatum. Plures in illum verſus facti ſunt, quorum nonnullos etiam A. Gellius adponit, qui graviter eum perſtringerent. Puto etiam elegantiſſimum epigramma, quod poſt luſus in Priapum Vergilii nomine ſcribitur, eundem accuſare: quamvis enim nomen ejus in quem factum eſt, poſitum non ſit, ſi quis tamen acute perſpiciat, videbit omnia illa mirifice Ventidio huic convenire. intelligo epigramma cujus initium eſt, *Sabinus ille.* quod imitatione nobiliſſimi illius Iambi Catulli factum eſt,

Phaſelus ille, quem videtis hoſpites.

Cujus is enim ingenii vir, quicunque is fuit, verbis pæne Catulli & ignobilitatem generis, & ſordidiſſimam artem objecit. Quod Sabinum ipſum appellat, exiſtimo a regione, in qua natus erat, ita appellatum fuiſſe. nam Gellius Picentem illum tradit, qui populi vicini Sabinis ſunt. Neque repugnabit, ut arbitror, quod teſtes adducit, qui epigramma confecit, Galliæ Ciſalpinæ urbes ſordium illius, & viliſſimæ artis quam tractaverat: quamvis enim in Sabinis ortus eſſet, in Gallia Ciſalpina artem *mulionicam* exercere potuit: vel ſi non in illis locis exercere, illac ſaltem ſæpe iter facere, ut incolæ eorum locorum ipſum hunc quæſtum facientem videre potuerint. Gellius tradit, ipſum curandis *mulis* victitaſſe: nam quæ in fine epigrammatis exponuntur, de altiſſimo dignitatis gradu ab ipſo occupato, reſpondent felicitati illius, & mire quadrant iis quæ ab aliis de ipſo tradita ſunt. Sunt maculæ plures in epigrammate, quarum nonnullæ facile tolli poſſunt, aliæ ægre, ut puto, ſed omnia doctiores acutioreſque viri accuratius conſiderabunt. Poſtquam autem mentio ſemel elegantiſſimi carminis facta eſt, non malum erit locum in eo depravatum reſtituere: omnem enim occaſionem ſtudioſos adjuvandi arripiendam puto. In Iambo igitur cujus initium eſt, *Quid hoc negotii eſt?* ita hic verſiculus legitur,

Vvaque quales flava non legit Crete.

legi autem debet,

Vvaque quales flava legit Arete.

Hanc veriorem eſſe lectionem dicimus, nam in MSS libris eam invenimus, & habemus etiam non parva argumenta quibus confirmetur: quemadmodum enim ſi ita legamus, omnia conveniunt, ita ſi modo repoſitam ſequamur, nonnulla parum reſpondent. nomen in primis quod ad *Crete* adjunctum eſt, non bene quadrat provinciæ, mulieri autem aptiſſimum eſt: neque, quamvis nunc Cretenſe vinum in honore ſit, quæ optimum vinum fundunt vites, eædem uvas τρωξίμους, ita enim appellant Græci edules, gignunt. Sed iis argumentationibus relictis, concinnior eſt hæc ſententia, & poetæ familiarior. *Areté* enim uxor Alcinoi Phæacum regis fuit, cujus horti nobiles erant, & ab omnibus poetis decantati. nam in iiſdem his luſibus duo illi verſiculi leguntur,

Si quot habes verſus, tot haberes poma,
Priape,

Eſſes

Sed non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri curarique poſſit. Sed certe niſi uno loco me tenerem, magnum periculum ipſe Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret quae bene de rep. ſentit. Magnam etiam perditi hoſtes acceſſionem ſibi feciſſent, ſi quas copias a Lepido abſtraxiſſent. Quae ſi adventus meus repreſſerit, agam gratias fortunae, conſtantiaeque meae, quae me ad hanc experientiam excitavit. Itaque a. d. XII Kalend. Iun. ab Iſara caſtra movi: pontem tamen, quem in Iſara feceram, caſtellis duobus ad capita poſitis, reliqui praeſidiaque ibi firma poſui, ut venienti Bruto exercituique ejus ſine mora tranſitus eſſet paratus. Ipſe, ut ſpero, diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copiis me conjungam.

Eſſes antiquo ditior Alcinoo. Acuti ingenii ac politæ eruditionis vir, hæc olim epigrammata caſtigavit, ac multa ex ipſis menda ſuſtulit: hunc tamen locum dum corrigere voluit, niſi fallor, depravavit. *Victorius.* *Ventid. Mulionis*] Plinius lib. VII, c. 43. *Corradus.*

Si quid intra cutem ſubeſt vulneris] Delicium quondam ſuæ Galliæ Cl. Puteanus, malebat *ulceris*; jureque præterea carpit Lambinum, paullo antereponentem, *hominem rationibus ſuis male contractis*, plane contra Planci ſententiam. *Gebhardus.*

Niſi uno loco me tenerem] Quid ſi? *niſi uno loco metaremur.* Bern. Rutil. *Me tener.*] Ut exercitum Lepidi in officio continerem, quamvis cum Lepido nondum me conjunxerim. epiſt. 23 hujus libri. *Corradus.*

Ad XII Kal. Junii] Medic. codex *A. D. X. II. K. Junis.* quemadmodum in lapide Colotiano legi ante oſtendimus, EX A. D. V. K. DEC. Id eſt, ante diem XII K. Jun. Quam interpretationem harum litterarum Paullus quoque probat. Ex his locis intelligi facile poteſt integritas ac fides Medicei codicis. *Victorius.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Officium Planci in gratiarum actione, quanquam a ſe minime exſpectatum, gratiſſimum tamen ſibi fuiſſe non negat: litteris ejus mirabiliter ſenatum eſſe delectatum ſignificat: poſtremo loco, ut ad exſtinguendas belli reliquias incumbat omni ſtudio, cohortatur. Eodem anno.

CI-

CICERO PLANCO.

QUanquam gratiarum actionem a te non deſiderabam, cum te re ipſa atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen, fatendum eſt enim, fuit ea mihi perjucunda. ſic enim vidi, quaſi ea quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper equidem, ſed nunquam illuſtrius. Litterae tuae mirabiliter gratae ſunt ſenatui, cum rebus ipſis, quae erant graviſſimae & maximae, fortiſſimi animi ſummique conſilii: tum etiam gravitate ſententiarum atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe ut belli extrema perficias. in hoc erit ſumma & gratia & gloria. Cupio omnia reipub. cauſſa: ſed, mehercules, in ea conſervanda jam defatigatus, non multo plus patriae faveo quam tuae gloriae: cujus maximam facultatem tibi dii immortales, ut ſpero, dedere: quam complectere, obſecro. Qui enim Antonium oppreſſerit, is hoc bellum teterrimum periculoſiſſimumque confecerit.

GRatiarum actionem] Epiſt. 11 hujus libri. *Corradus.*

Quae erant graviſſima & maxima] Sic omnino ſcribendum eſſe ipſa ratio jubet etſi omnes libri repugnarent: quod & Lambinus & Manutius praeceperunt, a poſterioribus editoribus non auditi. ſed in Menteliano ſic etiam legitur. Amſtelodam. autem & meus ſecund. *graviſſime* & *maxime.* qui error ſaepe in priſcis codicibus manu deſcriptis occurrit. *Grav.*

Confecerit] Ep. 13 hujus libri. *Corradus.*

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

Incertam eſſe de Lepidi fide ac voluntate opinionem ſignificat: quod autem Plancus affirmaverit, id certum fore. Hortatur ut Antonium opprimat: quod ſi effecerit, majora in illum ſtudia & graviora pollicetur. Eodem anno.

CICERO PLANCO.

ITa erant omnia quae iſtinc afferebantur, incerta, ut quid ad te ſcriberem, non occurreret. Modo enim quae vellemus

lemus de Lepido, modo contra nuntiabantur. De te tamen fama conſtans, nec decipi poſſe, nec vinci: quorum alterius fortuna partem habet quandam: alterum, proprium eſt prudentiae tuae. Sed accepi litteras a collega tuo, datas Idibus Maiis: in quibus erat, te ad ſe ſcripſiſſe, a Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, ſi tu ad nos idem ſcripſeris. ſed minus audes fortaſſe propter inanem laetitiam litterarum ſuperiorum. Verum, ut errare mi Plance potuiſti, quis enim id effugerit? ſic decipi te non potuiſſe, quis non videt? Nunc vero etiam jam erroris cauſſa ſublata eſt. Culpa enim illa, *Bis ad eundem*, vulgari reprehenſa proverbio eſt. Sin, ut ſcripſiſti ad collegam, ita ſe res habet, omni cura liberati ſumus: nec tamen erimus prius

Quorum alterius] Nec vinci. *Corradus.*

Alterum] Nec decipi. *Idem.*

Accepi litteras] Ep. 14 lib. xi. *Idem.*

Te ad ſe ſcripſiſſe] Pal. prim. Amſtelod. & Vict. ed. *te adſcripſiſſe.* Mentel. & meus ſecund. *te ſcripſiſſe.* ſed retinenda vulgata lectio. *ſe* enim ſequens ſyllaba in *ſcripſiſſe* abſorpſit. *Gravius.*

Litterarum] Epiſt. 17, & 28 hujus libri, quibus ſcripſiſti Lepidum (ita enim credebas) bene ſentire, teque brevi cum illo conjuncturum. *Corradus.*

Verum ut errare, mi Plance, potuiſti &c.] Negare non poſſum, eam eſſe ſcripturam antiquam, quam defendit P. Victorius, *Verum ut errarem, id Plance voluiſti.* ſic enim habent & Memmiani codices. Verumtamen vulgatam lectionem amplector, ut valde probabilem, & cum iis quae ſequuntur congruentem & conſentaneam. *Lambinus.*

Verum ut errarem, id Plance noluiſti] *Voluiſti* arbitror melius: *Quis enim id effugerit? ſic decipi te non potuiſſe, quis non videt?*] Arbitror rectius, *quis enim id fugerit. ſic decipi te non potuiſſe? quis non videt?* Eſt enim, puto, ſenſus: Voluiſti me ſuperioribus illis litteris quaſi per jocum in errorem inducere. non enim tu deceptus es. Jam vero alteris litteris noluiſti errorem meum confirmare, quod tibi turpe fuiſſet. Siquidem bis amicum fallere, etiam vulgari proverbio vetamur. Id enim puto dici potius quam quod ait interpres. *Volui* etiam Clericus videtur habuiſſe in ſuo exemplari. *Bern. Rutel.*

Verum, ut errarem, id Plance voluiſti] Defendat vulgatam & amplectatur Lambinus, *verum ut errare, mi Plance, potuiſti*, mihi illa potior eſt, quam reperi in Palatino primo (nam in ſexto aliquot harum epiſtolarum deſunt) & Vaticani excerptis: quam, cum ſic in Mediceo incidiſſet, Egnatius legebat, *Verum ut errans id Plance voluiſti, qui enim id te fugeret, aut ſic decipi te non potuiſſe quis non videt.* additque ſenſum eſſe ironicum & a contrario. *Gebhard.* Sed velim qui hanc veterem ſcripturam tuentur, ejus ſententiam expoſuiſſent, quae abſurda eſt & ab hoc loco aliena. Tutiſſimum eſt Manutium ſequi, quem vide.

Erroris cauſſa ſublata eſt] Cognito Lepidi conſilio. *Corrad.*

Bis ad eundem] *Lapidem offendere, turpe eſt.* Idem.

Sin ita ſe res habet] A Lepido non recipi Antonium. *Idem.*

Scri-

prius quam ita eſſe tu nos feceris certiores. Mea quidem, ut ad te ſaepius ſcripſi, haec ſententia eſt: Qui reliquias hujus belli oppreſſerit, eum totius belli confectorem fore: quem te & opto eſſe, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certe nulla eſſe majora potuerunt, tibi tam grata eſſe quam ego putavi fore, minime miror, vehementerque laetor. Quae quidem tu ſi recte iſtic erit, majora & graviora cognoſces. IIII K. Iun.

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Perfidiam Lepidi, conjunctionemque cum Antonio nunciat; novarum copiarum ſubſidium poſtulat: dignitatem ſuam commendat. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

PVderet me inconſtantiae mearum litterarum, ſi non haec ex aliena levitate penderent. Omnia feci, quare Lepido conjuncto ad remp. defendendam, minore ſollicitudine veſtra, perditis reſiſterem. Omnia ei petenti recepi, & ultro pollicitus ſum, ſcripſique tibi biduo ante, confidere me, bono Lepido eſſe uſurum, communique conſilio bellum adminiſtraturum. Credidi chirographis ejus, affirmationi praeſentis Laterenſis, qui tum apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem, orabat. Non licuit diutius bene de eo ſperare. Illud certe cavi, & cavebo, ne mea credulitate reip. ſumma fallatur. Cum in Iſara flumine uno die ponte effecto, exercitum traduxiſ-

Scripſique tibi] Epiſtola 18 hujus lib. Corradus.

Reip. ſumma fallatur] Leg. *reip. ſumma fallatur*. Lambin.

Cum Iſaram flumen, uno die ponte effecto, exercitum traduxiſſem] Amſtelod. *Cum Iſara flumine uno die ponte effecto exercitum traduxiſſem*. Mentel. *Cum Iſara flumen*. Alius codex, quem Corrad. vidit, *ſin quum Iſara flumine uno d. p. e. e. t.* Hinc plane probo emendationem Corradi, *Cum in Iſara flumine uno die ponte effecto, exercitum traduxiſſem*. Sup. epiſt. praecedente 25. *Itaque in Iſara flumi-*

duxiſſem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per litteras ipſe, ut maturarem venire, praeſto mihi fuit ſtator ejus cum litteris, quibus ne venirem denuntiabat, ſe poſſe per ſe conficere negotium, interea ad Iſaram exſpectarem. Indicabo temerarium meum conſilium tibi, nihilominus ire decreram, exiſtimans eum ſocium gloriae vitare. Putabam poſſe me nec de laude jejuni hominis delibare quidquam, & ſubeſſe tamen propinquis locis, ut, ſi durius aliquid eſſet, ſuccurrere celeriter poſſem. Ego non malus homo hoc ſuſpicabar. At Laterenſis, vir ſanctiſſimus, ſuo chirographo mittit mihi litteras, in ciſque deſperans de ſe, de exercitu, de Lepidi fide, querenſque ſe deſtitutum: in quibus aperte denuntiat, videam ne fallar: ſuam fidem ſolutam eſſe, reipub. ne deſim. Exemplar ejus chirogra-

flumine maximo, quod in finibus Allebrogum, ponte facto, exercitum ad quartum Idus Maias traduxi. Fallor aut *flumine* hic ex gloſſa, ut loquuntur, irrepſit. Nam cum *in Iſara* legeretur adſcriptum fuit interpretationis cauſſa *flumen*, quod in multis extat libris, quæ vox cum ab imperitis librariis poſtea inſerta eſſet ipſis Planci verbis, deletum eſt *in* & ex *Iſara* factum *Iſaram*. In multis libris antiquis ſcribitur *Yſara* & *Hyſara*. Grævius.

Nec de laude jejuni hominis delibare quidquam] Si noſtri omnes codices manuſcr. habent *deliberare*, ut habent: ſi ſemper ubicunque vulgati libri habent *delibare*, in manuſcriptis ſcriptum eſt *deliberare*, aut *delimare*, (quod admonui in commentariis Lucretianis,) nunquamne intelligent homines, in omnibus libris, talibus locis eſſe reponendum *delibrare*, pro *delibare*? ut *delibrare* intelligamus poſitum, pro *detrahere* & *deminuere*. Lambin. *Nec de laude jejuni hominis delibare*] Sic edidit Victorius, extatque hæc lectio in Palatino primo. vulgo *deliberare*, unde Lambinus *delibrare* magno applauſu fecit, exponitque *delibrare* pro detrahere & deminuere. *Gebhardus*. Recte edidiſſe Victorium etiam Mentelianus liber teſtatur, in quo ſcriptum eſt *delibare*. Cic. II de Divinat. *Nonne de ſua gloria, cum pari præmio tales homines affici videant, delibari putent.* Utitur Cicero hoc verbo pro detrahere, minuere ſæpius.

Jejuni hominis] Non eſt laudem appetentis, ſed maligni, qui quicquid in alium laudis & gloriæ confertur, ſibi decedere exiſtimat. Sic ſupra lib. II, epiſt. 17. *Illud vero puſilli animi & ipſa malevolentia jejuni atque inanis, quod Ariobarzanem, quia ſenatus per me regem appellavit, mihique commendavit, iſte in litteris non regem, ſed regis Ariobarzanis filium appellat.* Sic alibi dicit *animum nimis anguſtum & jejunum.*

Mittit litteras mihi, in ciſque deſperans] Al. *litteras mihi, meiſque deſperans.* Quod mihi placet, ne verbum, vel potius Latinam locutionem deſideres. *Corradus*. *Mittit mihi litteras, mei que deſperans de ſe*] Sic Amſtelodam. meus ſecund. Victor. & Gebhard. edd. ſed recte Mentelianus codex & Manutius, *in eiſque deſperans.* duæ litteræ *in* conſluerant in *m* inde hæc labes, quæ non erat adſpergenda editionibus. *Grævius.*

Levo-

tographi Titio miſi. Ipſa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea quibus fidem non habendam putavi, Laevo Ciſpio dabo perferenda, qui omnibus his interfuit rebus. Acceſſit eo, ut milites ejus, cum Lepidus concionaretur, improbi per ſe, corrupti etiam per eos qui praeſunt Canidios, Rufrenoſque, & ceteros, quos cum opus erit ſcietis, conclamarint viri boni, pacem ſe velle, neque eſſe cum ullis pugnaturos, duobus jam conſulibus ſingularibus occiſis, tot civibus pro patria amiſſis, hoſtibus denique omnibus judicatis, boniſque publicatis. neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut ſanarat. Hoc me venire, & duobus exercitibus conjunctis objicere exercitum fideliſſimum, auxilia maxima, principes Galliae, provinciam cunctam, ſummae dementiae & temeritatis eſſe vidi: mihique, ſi ita oppreſſus eſſem remque publicam mecum prodidiſſem, mortuo non modo honorem, ſed miſericordiam quoque defuturum.

Itaque

Laevo Ciſpio dabo perferenda] Alii legunt *Lavo Ciſpio*. forte legendum eſt *L. Ciſpio*. de quo in commentariis Oppius meminit. *Corrad.*

Duobus jam Conſulibus ſingularibus occiſis] *Singularibus* Hittorpianus non agnoſcit, & vereor ne ex *conſulibus* ſit corruptum. Nec enim video quem hic locum commode poſſit habere, & cur milites illos conſules appellarint ſingulares. Lambinus mallet *ſingularibus* [illegible] ſed praeſtat *ſingularibus* recidere. Graev.

Hoſtibus denique omnibus judicatis] Marco Antonio, Ventidio & eorum militibus. *Corrad.*

Hoc me venire] Sic Hittorp. Pal. pr. Amſtelodam. pro vulgato *huc*. Sic & paulo poſt Hittorp. & prim. ac ſext. Pal. *hoc ſubmittatis*. veteres enim *hoc* pro *huc* dixiſſe docet Servius ad VIII Æn. v 114

[illegible] omnipotens coelo deſcendit ab alto. Vide & quae Joannes Rivius, & Georgius Fabricius notarunt ad Terent. Adelph. Act. 1, ſcen. ſec. Hic ibi tradit in hac eadem epiſtola in veteri codice legi, *exercitum hoc trajiciendum quam primum cures*. & ſic in eod. libro ſcribi inferius in epiſt. 10 lib. XI. (cui accedit Palatinus primus & Hittorpianus,) *hoc acceſſit manus Ventidii*. Plancus videtur hoc Archaiſmo delectatus eſſe. Ex iiſdem duobus codicibus repoſui hanc vocem in epiſtola Lentuli lib. XII, 14. *Nam quod hoc properent in magiſtratu venire*. Ejus ignoratio cauſſam praebuit deſcriptori Menteliani in hoc loco graviter hallucinandi, qui cum ſic expreſſit, *nam ex hoc properent in magiſtratum venire*. Graev.

Miſericordiam quoque defuturum] Hoc loquendi genus dudum A. Gellius, eleganter & erudite hic quoque Victorii ſagacitas aſſeruit, invenioque ſic in excerptis. Quod moneo, ne quis in talia noſtrae editionis incidens, σφάλματα typothetarum exiſtimet. vulgo *defuturam*. ſicut epiſtola ſequenti, *Tantum eſſe apud omnes bonos tui caritatem* ex Vaticani excerptis & editione Victorii reſtitui. vulgo, *tantam*, Gebhardus. In epiſtola quoque 11 hujus libri in Stewechiano legitur, *nec diligentiam*

Itaque rediturus ſum, nec tanta munera perditis hominibus dari poſſe ſinam. Vt exercitum locis habeam opportunis, provinciam tuear, etiam ſi ille exercitus deſcierit, omniaque integra ſervem, dabo operam, quoad exercitus huc ſummittatis, parique felicitate remp. hic vindicetis. Nec depugnare, ſi occaſio tulerit, nec obſideri, ſi neceſſe fuerit, nec mori, ſi caſus inciderit, pro vobis, paratior fuit quiſquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc trajiciendum quam primum cures, & matures prius quam hoſtes magis corroborentur & noſtri perturbentur. In quo ſi celeritas erit adhibita, reſpublica in poſſeſſione victoriae, deletis ſceleratis, permanebit. Fac valeas, meque diligas. Fratrem meum tibi, fortiſſimum civem & ad omnia paratiſſimum, excuſem litteris, qui ex labore in febriculam incidit aſſiduam & ſatis moleſtam. Cum primum poterit iſtuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco reip. deſit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. Concupiſcere me nihil oportet. habeo te & amantiſſimum mei, &, quod optavi, ſummae auctoritatis. Tu videris, quantum & quando tuum munus apud me velis eſſe. Tantum te rogo in Hirtii locum me ſubdas, & ad tuum amorem & ad meam obſervantiam.

gentiam mihi defuturum. nec dubito ſic Plancum ſcripſiſſe. Vnde enim hæc librariis in mentem potuiſſent venire? Plancus autem archaiſmorum eſt ſtudioſiſſimus: ſic *hoc* pro *huc* ſæpe ſcripſit, *impetu* pro *impetui*, & talia multa. vid. Gell. 1, cap. 7. & Sanctii Minerv. lib. III, cap. 11. *Gravius.*

Ille exercitus] Lepidi. *Corrad.*

Hic vindicetis] Vt Mutinæ & alibi. *Idem.*

Excuſem litteris] Leg. *excuſem litteris, qui ex labore in febriculam incidit aſſiduam & ſatis moleſtam?* Lambin.

In Hirtii locum] Tui alumni cariſſimi. *Corrad.*

Ad meam obſervantiam] Forte, *ad meam in te obſervantiam.* Lambin.

EPI-

EPISTOLA XXII.

ARGUMENTUM.

Agris dividendis praeſici Plancus cupiebat. ea de re Cicero reſpondet. Eodem anno.

CICERO PLANCO.

IN te & in collega omnis ſpes eſt, diis approbantibus. Concordia veſtra, quae ſenatui declarata litteris veſtris eſt, mirifice & ſenatus & cuncta civitas delectata eſt. Quod ad me ſcripſeras de re agraria ſi conſultus ſenatus eſſet, ut quiſque honorificentiſſimam de te ſententiam dixiſſet, eam ſecutus eſſem: qui certe ego fuiſſem. Sed propter tarditatem ſententiarum moramque rerum, cum ea, quae conſulebantur, ad exitum non pervenirent, commodiſſimum mihi Plancoque fratri viſum eſt uti eo, quod ne noſtro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci litteris cognoviſſe. Sed ſive in ſenatuſconſulto, ſive in ceteris rebus deſideras aliquid, ſic tibi perſuade, tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem, ut nullum genus ampliſſimae dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Litteras tuas vehementer exſpecto, & quidem talis qualis maxime opto. Vale.

IN *te & in collega*] Epiſt. 8, 18, 20 hujus libri.

De re agraria] Epiſt. 23 hujus libri, & lib XI, ep. 20.

Eam ſecutus eſſem, qui certe ego fuiſſem] Eſt in his verbis ἀνακόλουθον, legi recte loquendi adverſum. Forte Cicero ſcripſit: *qui eam ſecutus eſſet, certe ego fuiſſem.* Græv.

Quis fuerit impedimento] Fortaſſe Servilius, epiſt. 12 hujus lib. *Corradus.*

Tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem] Victorius & eum ſecutus Gebh. ediderunt, *tantum eſſe apud omnes bonos tui caritatem.* quam ſcripturam tuentur præſidio Vaticani, Medicei & Palatini primi. Sed profecto librorum auctoritas, quæ apud me valet plurimum, non poteſt contra rationem & Latinæ linguæ integritatem valere. repoſui itaque lectionem vulgatam, quam & ii quos ego vidi libri aſſerunt. Sic & epiſt. 24. ex Vatican. cui ſuffragantur Hittorp. recepit Victorius, *quod ſi, quantum debeo, habuero apud eum auctoritatem.* Sed Amſtel. Mentel. meus ſecund. Manut. ed. aliæque vulgatæ recte, *quod ſi, quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem.*

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Excuſat ſe quod Lepido crediderit: ſuam diligentiam declarat in copiis tuto reducendis, audita Lepidi & Antonii conjunctione: quo in periculo ſubſidium poſtulat exercitus Octavii. Eodem anno.

PLANCVS CICERONI.

NVnquam mehercules, mi Cicero, me poenitebit maxima pericula pro patria ſubire, dum, ſi quid acciderit mihi, a reprehenſione temeritatis abſim. Confiterer imprudentia me lapſum, ſi unquam Lepido ex animo crediſſem. Credulitas enim error eſt magis quam culpa, & quidem in optimi cujuſque mentem facillime irrepit. Sed ego non hoc vitio paene ſum deceptus. Lepidum enim pulchre noram. Quid ergo eſt? Pudor me, qui in bello maxime eſt periculoſus, hunc caſum coegit ſubire. Nam ſi uno loco eſſem, verebar ne cui obtrectatorum viderer & nimium pertinaciter Lepido offenſus, & mea patientia etiam alere bellum. Itaque copias prope in conſpectum Lepidi Antoniique adduxi, quadragintaque millium paſſuum ſpatio relicto conſedi, eo conſilio ut vel celeriter accedere, vel ſalutariter recipere me poſſem. Adjunxi haec, in loco eligendo,

HOc vitio] Credulitate. *Corradus.*

Lepidum pulchre noram] Hoc loquendi genere ſæpius veteres utuntur. Phædrus lib. III.

Qua genus utrumque noſſet cum pulcherrime.

Idem,

Quid judicare cogitet livor modo,
Licet diſſimulet, pulchre tamen intelligo.

Mea patientia] *Mea pertinacia*, aliis magis placet. *Corradus.*

Conſedi] Hoc eſt, caſtra metatus ſum. Cæſar III de Bell. Gall. cap. 17. *Cum Viridorix contra eum duum millium ſpatio conſediſſet.* & in lib. V, cap. 9. *Ubi ex captivis cognovit, quo in loco hoſtium copiæ conſediſſent* A. Buchnerus.

Vel cum ſalute recipere me poſſem] Aliquantum mendi hoc loco habent antiquiores codices, *ſalutari* enim legunt pro *ſalutariter*, ni fallimur: eſt autem Planco familiare adverbium. Sequenti enim epiſtola in vulgatis etiam, nedum veteribus & melioribus libris, *nihil enim me non ſalutariter cogitare ſcio.* Et nos igitur *ſalutariter* ſcripſimus. Uſurpavit etiam Cicero hoc adverbium. *Victorius.*

Vocon-

gendo, flumen oppoſitum ut haberem, in quo mora tranſitus eſſet: Vocontii ſub manu ut eſſent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus, deſperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, ſe cum Antonio conjunxit a. d. IV Kal. Iunias, eodemque die ad me caſtra moverunt: viginti millia paſſuum cum abeſſent, res mihi nuntiata eſt. Dedi operam deum benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic diſceſſus nihil fugae ſimile haberet: non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum omitteretur, aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur. Itaque pridie Nonas Iunias omnes copias Iſaram traject, pontesque, quos feceram, interrupi, ut ſpatium ad colligendum ſe homines haberent, & ego me interea cum collega conjungerem, quem triduo, cum has dabam litteras, exſpectabam. Laterenſis noſtri & fidem & animum ſingularem in remp. ſemper fatebor. Sed certe nimia ejus indulgentia in Lepidum ad haec pericula perſpicienda facit eum minus ſagacem. Qui quidem cum in fraudem ſe deductum videret, manus, quas juſtius in Lepidi per-

Vocontii] Plin. lib. III, cap. 4. *Corradus.*

Sub manu eſſent] Hoc eſt, ad manum, parati. Sueton. Auguſt. cap. 49. *Et quo celerius ac ſub manum annunciari, cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur.*

Per quorum loca mihi fideliter pateret iter] Nihil hic mutandum: licet Palatinus ſextus initio tenuerit, *mihi pater & frater*, quemadmodum fuiſſe in Hittorpiano adnotavit Guilielmius, & inde legit: *Per quorum loca mihi fidelia iter pateret, & frater.* Utinam adjunxiſſet rationem; nam parati eramus eas cernere. In Medio ferme epiſtolæ quoque cancellis, *in quo auſu tamen interpellatur* Gebhardus.

Quem non mediocriter captabat] Quamvis ante denunciaſſet, ne venirem, epiſt. 21 hujus libri. *Corradus.*

Aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur] Mediceus codex & Petrarchæ liber, Germanicus item impreſſus, qui ſæpe antiquam lectionem in margine adpoſitam habet, omnes conveniunt; & pro *furentibus*, *ferventibus* legunt. Nos igitur hunc conſenſum probatiſſimorum codicum aſpernari non potuimus: nam quod paullo ſupra hac ipſa epiſtola Lepido *offenſus*, cum antea *infenſus* legeretur, ſcripſimus, veterum in hoc etiam codicum auctoritatem ſecuti ſumus. *Victorius.* *Aut ab illis ferventibus latron.*] Sic habent fere omnes libri manuſcripti: *furentibus* tamen non damno, quod eſt in vulgatis: præſertim cum ſequatur non longo poſt intervallo, *veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati.* Lambin.

Homines haberent] Provinciales. *Corradus.*

perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. In quo caſu tamen interpellatus & adhuc vivit & dicitur victurus. Sed tamen de hoc mihi parum certum eſt. Magno cum dolore parricidarum elapſus ſum his. veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati. Iracundias autem harum rerum recentis habebant: quod Lepidum caſtigare non deſtiteram, ut exſtingueret bellum: quod colloquia facta improbabam: quod legatos fide Lepidi miſſos ad me in conſpectum venire vetaveram: quod C. Catium Veſtinum, tribunum militum, miſſum ab Antonio ad me cum litteris, exceperam. In quo hanc capio voluptatem, quod certe, quo magis me petiverunt, tanto majorem his fruſtratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc feciſti idem praeſta ut vigilanter nervoſeque nos, qui ſtamus in acie, subornes. Veniat Caeſar cum copiis quas habet firmiſſi-

Adhuc vivit, & dicitur victurus] Non vixit tamen. *Corradus.*

Magno cum dolore parricidarum elapſus ſum his] Paullus Manutius legit *elapſ. ſum his*, quanquam libri omnes habent *elapſus ſum iis*, aut certe *his*. Lambin. Friget hic *iis*, ut bene olim Manutius vidit in Scholiis (quanquam in Commentario *iis* retineat & explicet) aliique. Forte Plancus ſcripſit, *Magno cum dolore parricidarum elapſus ſum. ii veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam incitati.* Sed ſine vetuſtis libris nihil affirmo. *Gravius.*

Quod colloquia facta improbabam] *Improbaram*, fortaſſe melius. *Corrad.*

Quod legatos fide Lepidi miſſos ad me in conſpectum venire vetaveram] Antea *Lepidi dimiſſos*. Quis non videat, qui attente legat, ita ſcribendum eſſe, mendumque ortum, quod negligenter librarius poſtremam ſyllabam *Lepidi* bis ſcripſerit. Exponit Plancus, cur tantopere ſibi Antonius ac Lepidus infenſi ſint, & in aliis rebus narrat ſibi illos valde iratos, quod Antonii legatos ad ſe miſſos Lepidi fide, nedum audire voluerit, in conſpectum ſuum venire prohibuit. *Lepidi* autem *fide*: quia fidem ſuam Lepidus interpoſuerat, a Planco illos violatum non iri. *Legatos miſſos*, ut paullo poſt inquit, *C. Catienum miſſum ab Antonio ad eum cum litteris.* Victorius. Vt edidit Victorius ita & Palatinus primus. nam quod vulgo *Lepidi dimiſſos* vitioſum eſt, praecedentiſque vocabuli extrema ſyllaba adhaeſit poſteriori. Vulgo excuſum eſt, *dimiſſos, ad me in conſpectum venire vetueram.* Paullo poſt, ex Palatino primo, ex editione Victoriana (nam ex Mediceo hanc lectionem attulit, quam ad primam quoque impreſſionem notat Egnatius,) ex Hittorpiano lego, *miſſum ab Antonio ad me cum litteris exceperam.* quanquam in Palatino ſexto, primo erat, *acceperam*, ſed *exceperam* rectius. Videtur Caeſar libro I Bell. civilis. idem lib. III. Virgil. Buc. II.

Nonne ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidiis.

Vulgatum eſt, *miſſum ab Antonio ad eum cum litteris interceperam.* Gebhardus.

Caeſar] C. Octavius Caeſar. *Corrad.*

Cujus

miſſimas: aut, ſi ipſum aliqua res impedit, exercitus mittatur: cujus ipſius magnum agitur periculum. Quidquid aliquando futurum fuit in caſtris perditorum contra patriam, hoc omne jam convenit. Pro urbis vero ſalute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? Quod ſi vos iſtic non defueritis, profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde reipub. ſatisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies, mehercules, habeo cariorem: ſollicitudineſque meas quotidie magis tua merita exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex judicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat jam, praeſenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere jucundiora. Octavo Idus Iun. Civrone, ex finibus Allobrogum.

Cujus ipſius magnum agitur periculum] Ut qui Antonium fugarit. *Corrad.*
Civarone, ex finib. Allobrog.] Alii legunt *Avenione.* *Civarum* in ea regione ſcriptores agnoſcunt. *Idem.* *Cuvarone*] Scaliger conjicit *Curalone*; idemque monuit Gruterum per epiſtolam Lindebrogius, alluduntque MSS. in quibus *Cularone.* Gebhardus. *Cularo* nominatur in Tabula Itineraria Peutingeri, & in Notitia Imperii, quæ Tribunum cohortis primæ Flaviæ *Cularone* in Sabaudia ſtationem habuiſſe docet. Vnde muri *Cularonenſes* hodieque leguntur in antiqua inſcriptione portæ civitatis. Poſtea ab Imperatore Gratiano dicta Gratianopolis. In epiſtola L. Planci ad Ciceronem, quæ eſt 23 libri x ad Famil. legendum jam olim cenſuimus in ultimis verbis *Cularone* in finibus Allobrogum, non *Civarone* ut vulgo edi ſolet. *Fines Allobrogum* facit Gratianopolim, quia ad Iſaram poſita eſt, qui Allobroges claudit, ſeparatque a Vocontiis. Sirmondus. Sed vulgatam ſcripturam tuetur Honoratus Bonge lib. III Hiſt. Provinciæ cap. 7, qui docet etiam nunc prætorium ad Iſaram in Sabaudis eſſe, quod dicatur *Civron.*

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Pollicetur ſe memorem beneficiorum; ſuas copias narrat; ſubſidium aut Octaviani Caeſaris copiarum, aut Africani exercitus poſtulat: Octavianum quaſi parum reipub. amantem carpit. Eodem anno.

PLANCVS IMP. COS. DESIGN. CICERONI S. D.

FAcere non poſſum quin in ſingulas res meritaque tua tibi gratias agam. Sed mehercules facio cum pudore. Neque enim tanta neceſſitudo, quantam tu mihi tecum eſſe voluiſti, deſiderare videtur gratiarum actionem. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis: & malo praeſens obſervantia, indulgentia, aſſiduitate, memorem me tibi probare. Quod ſi mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates, in tua obſervantia, indulgentia, aſſiduitate vincam. Amor enim tuus, ac judicium de me, utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie ſit allaturus, non facile dixerim. De militum commodis fuit tibi curae: quos ego non potentiae meae cauſſa nihil enim me non ſalutariter cogitare ſcio, ornari volui a ſenatu, ſed primum, quod ita meritos judicabam: deinde, quod ad omnes caſus conjunctiores reip. eſſe volebam: noviſſime, ut ab omni omnium ſollicitatione averſos eos, tales vobis praeſtare poſſem quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra ſuſtinuimus. Quod conſilium noſtrum, etſi quanta ſit aviditas hominum, non ſine cauſſa, talis victoriae, ſcio, tamen vobis probari ſpero. Non enim, ſi quid in his exercitibus ſit offenſum, magna ſubſidia reſp. habet expedita, quibus ſubito impetu ac latrocinio parri-

cida-

Pias propinquitates in tua obſervantia] Al. *in tui obſervantia.* Corrad. Leg. *pias propinquitates tui obſervantia.* Lamb. Sed refragantur omnes veteres libri.

Quotidie ſit allaturus] De hac locutione in Quaeſtura leges: etſi ſuſpicamur, *ſit allaturum*, legi debere. *Corradus.*

De militum commodis] Per Decemviros dandis, ep. 20 lib. 11. *Idem.* *Commoda* proprie dicuntur in re militari dona & praemia, quae militibus praeter ſtipendium tribuuntur. Ovid. 1 de Arte am.

Romule militibus ſciſti dare commoda ſolus.

Omnia integra ſuſtinuimus] Non pugnavimus. *Corradus.*

Quibus ſubito impetui, ac latrocinio parricidarum reſiſtat] Nos ut in veterrimo Mediceo codice invenimus *impetu* ſcripſimus, ut etiam in epiſtola ad P. Servilium, *ut intelligat hanc commendationem ſibi magno uſu atque adjumento fuiſſe.*

Saepe

cidarum reſiſtat. Copias vero noſtras notas tibi eſſe arbitror. In caſtris meis legiones ſunt veteranae tres, tironum vel luculentiſſima ex omnibus una: in caſtris Bruti una veterana legio, altera bimā, octo tironum. Ita univerſus exercitus numero ampliſſimus eſt, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tironi ſit committendum, nimium ſaepe expertum habemus. Ad hoc robur noſtrorum exercituum, ſive Africanus exercitus, qui eſt veteranus, ſive Caeſaris acceſſiſſet, aequo animo ſummam remp. in diſcrimen deduceremus. Aliquanto autem propius eſſe, quod ad Caeſarem attinet, videbamus. Nihil deſtiti cum litteris hor-

Saepe autem ſic protuliſſe hujuſcemodi nomina tertio caſu Virgilium, notatum eſt. ut in IV Georgico, *Quod nec concubitu indulgent.* &, *Teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro*, & aliis locis. Quod diligentiſſimus vir Joannes Pierius in ſuis Virgilianis caſtigationibus adnotat. Nam quod hunc locum ut Ciceronis citat, cum ſit ex epiſtola L. Planci, μνημονικὸν ἁμάρτημα· vel potius ſequitur nonnullorum morem qui cunctas epiſtolas quae his voluminibus continentur, quia non valde ſtylo inter ſe diverſae ſunt, ut ſi Ciceronis eſſent, adducunt. Ne minimum probi & eruditi hominis [illegible]tum cum maxima ejuſdem laude [illegible]gam: docetque ille Caeſarem [illegible]m tam minutarum rerum aucto[illegible] hujuſcemodi nominibus i litte[illegible] cenſuiſſe abjiciendam. *dominatu* & *ornatu*, & reliqua hujuſmodi & [illegible]bendum & proferendum eſſe. *Vi*[illegible] *impetus*] Al. *impetu*, eodem caſu quod ego tamen in poetis potius, [illegible] in oratoribus probarim. *Corrad.* [illegible] *impetu ac latrocinio parrici*[illegible]*r*] Ita elegantiſſime ac pro[illegible]me [illegible]s ſextus, Hittorpianus, Stewechianus [nec non Amſte[illegible]m. Graev. ſecund.] ut ex Mediceo annotat quoque P. Victorius. Propertius libro II

Tantalea poteris tradere poma manu.

& plura apud Paſſeratium, Pierium, alioſque. ſic Virgilius *curru* pro *curruі*. vulgo *impetus*. Gebhardus.

Octo tyronum] Quidam legunt, *octo millia tyronum*. Epiſt. enim 33 hujus lib. videmus legiones duas nec frequentes agnoſci, licet Appianus X ſcribat. *Corradus.*

Africanus exercitus] Cui T. Sextus & Q. Cornificius praeerant. *Idem.*

Sive Caeſaris] Octavii. *Idem.*

Aliquanto autem propius eſſe, quod ad Caeſarem attinet, videbamus] *Aliquanto illum propius eſſe a rep. eſſe videbamus.* Sic mihi viſus eſt hic locus eſſe reſtituendus, cum eſſet corruptiſſimus. Nam primum hoc totum, *quod ad Caeſarem attinet*, quod reperitur in omnibus libris vulgatis, fuerat fruſtra & temere inculcatum. quod conjeci ex unius codicis antiqui ſcriptura, quae eſt talis, *aliquanto illum propius eſſe.* Nam pronomen *illum*, ſatis demonſtrat & ſignificat Caeſarem ſine illa acceſſione: deinde verbum *videbamus* facile indicat aliqnid deeſſe. Quid autem aliud deeſſe dici poſſit, quam quod repoſuimus? quod ſcilicet ejectum fuerat, receptis illis verbis, *quod ad Caeſarem attinet*: quae nata fortaſſe ſunt vel ex iis quae ſequuntur, *quod ad Caeſaris amorem attinet*: vel ex eo quod pronomen *illum* (quod reperimus in duobus codicibus antiquis,) ſublatum eſſet: vel

hortari, neque ille intermiſit affirmare, ſe ſine mora venire: cum interim averſum illum ab hac cogitatione ad alia conſilia video ſe contuliſſe. Ego tamen ad eum Furnium noſtrum cum mandatis litteriſque miſi, ſi quid forte proficere poſſet. Scis tu, mi Cicero, quod ad Caeſaris amorem attinet, ſocietatem mihi eſſe tecum: vel quod in familiaritate Caeſaris, vivo illo, jam tueri eum & diligere fuit mihi neceſſe: vel quod ipſe, quoad ego noſſe potui, moderatiſſimi atque humaniſſimi fuit ſenſus: vel quod ex tam inſigni amicitia mea atque Caeſaris, hunc filii loco & illius & veſtro judicio ſubſtitutum, non proinde habere turpe mihi videtur. Sed quidquid tibi ſcribo, dolenter mehercule magis quam inimice facio. Quod vivit Antonius hodie, quod Lepidus una eſt, quod exercitus habent non contemnendos, quod ſperant, quod audent, omne Caeſari

ex annotatione ad vocem *illum* adſcripta: cum lector aliquis adſcripſiſſet *Cæſarem.* Doctus quidam tamen ſic hunc locum legendum exiſtimat, *aliquanto autem propius eſſe Cæſarem volebamus.* Lambinus. Emendationi Lambini haut inviti ſubſcriberemus, niſi omnes veteres libri quos Guilielmius, Gruterus aliique evolverunt, adverſarentur.

Ad alia conſilia] Triumphi & Conſulatus petitionem. *Corrad.*

Ad Cæſaris amorem] Octavii. *Idem.*

Societatem mihi eſſe tecum] In hoc Octavii amore. *Idem.*

In familiaritate Cæſaris] Julii Cæſaris. *Idem.*

Atque Cæſaris] Julii Cæſaris. *Idem.*

Hunc] Octavium. *Idem.*

Et illius] Julii Cæſaris in teſtamento. *Idem.*

Veſtro judicio] Teſtimonio adoptionis publicæ a Prætoribus ex more deſcripto, & illo *Cæſaris* nomine, & tot honoribus ornato. *Idem.*

Non proinde habere] Sic recte reſtituit Victorius, adſtipulantibus Pall. Vatic. Amſtelodam. vulgo *perinde.* ut & in ep. 31 hujus libri ex antiquis codd. quibus noſtri ſubſcribunt, emendatum eſt a Victorio, *quem tametſi nemo eſt, qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus eſt, oderunt homines.* vulgati *perinde*, ſed *proinde* ſæpe hoc ſenſu capitur, quod ignorarunt ſcioli. Cic. pro Milon. *Proinde quaſi Appius ille Cæcus viam munierit.* Inferius epiſt. 34 hujus libri, *Etſi omni tempore ſumma ſtudia officii mutuo inter nos certatim conſtiterunt, pro noſtra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conſervata ſunt.* hoc eſt, perinde diligenter. Terent. Heaut. I, I.

Proinde quaſi nemo ſiet
Ita tute attente illorum officia fungere.

Plaut. Amph. II, 2.

eo ſit, quia mihi
Plurimum credo, & ſcio iſta hac facta proinde ut proloquor.

ſic frequenter Comici. *Grævius.*

Quod vivit Antonius hodie] Similis ſententia aliis verbis exprimitur lib. VII, ep. 29. & lib. I. ad Att. ep. 12.

Id omne Cæſari acceptum referre poſſunt] Octavio, qui nec D. Bruto reconciliari vo-

ri acceptum referre poſſunt. Neque ego ſuperiora repetam. Sed ex eo tempore quo ipſe mihi profeſſus eſt ſe venire, ſi venire voluiſſet, aut oppreſſum jam bellum eſſet, aut in adverſiſſimam illi Hiſpaniam cum detrimento eorum maximo extruſum. Quae mens eum, aut quorum conſilia a tanta gloria, ſibi vero etiam neceſſaria ac ſalutari, avocarint, & ad cogitationem conſulatus bimeſtris, ſummo cum terrore hominum, & inſulſa cum efflagitatione tranſtulerint, exputare non poſſum. Multum in hac re mihi videntur neceſſarii ejus, & reip. & ipſius cauſſa proficere poſſe, plurimum, ut puto, tu quoque, cujus ille tanta merita habet,

quanta

voluit, nec Antonium fugientem perſequi. *Corrad.*

In adverſiſſimam illi Hiſpaniam] Lepido ante decretam: *adverſiſſimam* propter Aſinium Pollionem, qui ibi habet exercitum. *Idem.* *Adverſ. illi*] Sic Amſtelodam. aliique veteres codices. Alii, *adverſiſſimam illis*, alii *averſiſſimam*. perperam.

Cum detrimento eorum maximo detruſum] MSS. pleríque *cum detrimento eorum maximo & rurſus*, ſive *& rurſum*. quæ argumento ſunt legendum eſſe, uti in Palatino ſexto & Hittorpiano leguntur: *extruſum* ex Italia ſcilicet & Galliis in Hiſpanias. vidit & Manutius. *Gravius.*

Conſulatus bimeſtris] Poſt Hirtii & Panſæ mortem. *Corradus.* Poteſt id quidem per extenuationem eſſe dictum. Quid tamen ſi *quinmeſtris* legas? quod tot eſſent ad Januarium ab initio Sextilis menſes. Hæc enim ad v Kal. Sext. ſcripta apparet. Illud addo, æſtimari oportere, quæ ſunt libro quarto ad Cn Plancum litteræ, huicne ſcriptæ fuerint, atque ita in hunc librum ſuo ſcilicet loco ex temporum ratione retrahendas. Tres certe in volumine ad Atticum legimus ad hunc Plancum: quas qui libri hujus initio adjunxit, belle & rerum cognitioni, & neſcio cui elegantiæ conſuluerit. Quis enim dubitat quin & in his colligendis nonnihil Tyro peccarit, & multum ſit de illius diligentia temporum injuria derogatum atque detractum? Quis enim credat, quæ eſt paullo poſt ad Appium, ab illo in tam alienum locum collocatam, tamque ab aliis quæ juſtum volumen confecere, disjunctam? Itaque & ea apud alias ad eundem ponenda eſt, meo judicio. Cæterum, quo minus idem Plancus hic atque ille exiſtimetur, impedimento eſſe poteſt, quod ille inimicus Julii Cæſaris fuiſſe videtur ex illis epiſtolis. At hic ſupra, *Scis tu, mi Cicero, quod ad Cæſaris amorem attinet, ſocietatem mihi eſſe tecum: vel quod in familiaritate Cæſaris, vivo illo, jam tueri eum & diligere mihi fuit neceſſe: vel quod ipſe, quoad ego noſſe potui, moderatiſſimi atque humaniſſimi fuit ſenſus: vel quod ex tam inſigni amicitia mea atque Cæſaris hunc filii loco & illius & noſtro judicio ſubſtitutum non perinde habere, mihi turpe videtur.* Sed & Cicero idcirco nimis eum ſerviſſe temporibus ſcribit: ut tamen mutari potuerit, & ex Pompeiano ad Cæſarem cum fortuna ſimul inclinare. Itaque æſtimandum relinquimus. *Bern. Rutil.*

Cujus ille tanta merita habet] In Philippicis leges. *Corrad.* Ut etiam Ciceronem M. Brutus ob eam cauſſam in epiſtola quadam graviter increpet.

quanta nemo, praeter me. nunquam enim obliviſcar, maxima ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. Quod ſi quantam debeo habuero apud eum auctoritatem, plurimum ipſum juvero. Nos interea duriore conditione bellum ſuſtinemus, quod neque expeditiſſimam dimicationem putamus, neque tamen refugiendo commiſſuri ſumus ut majus detrimentum reſp. accipere poſſit. Quod ſi aut Caeſar ſe reſpexerit, aut Africanae legiones celeriter venerint, ſecuros vos ab hac parte reddemus. Tu, ut inſtituiſti, me diligas rogo, proprieque tuum eſſe, tibi perſuadeas. v Kal. Sextil. ex caſtris.

Ut exigeret cum eo] Fruſtra Lambinus *ut ageret cum eo*. Atqui hoc ipſum eſt *exigeret cum eo*. Senec. epiſt. 28. *Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar; in ſecretum te meum admitto, & te adhibito mecum exigo*. Plin. lib. v, epiſt. 12. *Ex illis enim vel praecipue ſentio, quantopere me diligas, cum ſic exegeris mecum, ut ſolitus cum tuo filio*. lib. IX, ep. 28. *Sed confodias licet, dummodo jam nunc deſtines diem, quo & de illis & de his coram exigere poſſimus*. Liv. XXII, cap. 49. *Hac exigentes prius turba fugientium civium, deinde beſtios oppreſſere*. Gronovius.

Plurimum ipſum juvero] Hittorp. *tuero*. in quo veſtigia verae lectionis ſunt, quam prae ſe fert Palat. ſex: *plurimum ipſum juero*. Notum illud Poetae.

O Tite, ſi quid ego adjuero, curamve levaſſo
Ecquid erit pretii?

Sed & alia exempla in promtu ſunt. Graevius.

Quod ſi aut Caeſar ſe reſpexerit] Si ſibi conſuluerit, ſuaeque ſalutis rationem habuerit. Terent. Heaut. I, I.

——— *denique*
Nullum remittis tempus, neque te reſpicis.

Graevius.

Africanae legiones] Quae erant in Africa.

v *Kal. Sex. ex caſtris*] Prim. Pal. Amſtelod. & nonnulli alii, quos vidit Corradus, ſcribunt v *Kal. ex caſtris*. probavit Lambinus. Sane haec ſubſcriptio non convenit cum *bimeſtri conſulatu*, cujus ſuperius meminit, ut pridem docti monuerunt.

EPISTOLA XXV.

ARGUMENTUM.

Modeſte reprehendit in Furnio praeproperam adipiſcendae praeturae feſtinationem.

CICERO FURNIO S. D.

Si intereſt, id quod homines arbitrantur, reip. te, ut inſtituiſti atque feciſti, navare operam, rebuſque maximis,

FURNIO] Planci legato. Corradus.

mis, quae ad exſtinguendas reliquias belli pertinent, intereſſe, nihil videris melius, neque laudabilius, neque honeſtius facere poſſe. Iſtamque operam tuam, navitatem, animum in remp. celeritati praeturae anteponendam cenſco. Nolo enim te ignorare, quantam laudem conſecutus ſis, mihi crede, proximam Planco, idque ipſius Planci teſtimonio, praeterea fama, ſcientiaque omnium. Quamobrem ſi quid operis tibi etiam nunc reſtat, id maximo opere cenſeo perſequendum. Quid enim honeſtius, aut quid honeſto anteponendum? Sin autem ſatisfactum reip. putas, celeriter ad comitia, quando mature futura ſunt, veniendum cenſeo: dummodo ne haec ambitioſa feſtinatio aliquid imminuat ejus gloriae quam conſecuti ſumus. Multi clariſſimi viri, cum reipub. darent operam, annum petitionis ſuae non obierunt. Quod eo facilius nobis eſt, quod non eſt annus hic tibi deſtinatus, ut, ſi aedilis fuiſſes, poſt biennium tuus annus eſſet. Nunc nihil praetermittere videbere uſitati, & quaſi legitimi temporis ad petendum. Video autem, Planco conſule, etſi etiam ſine eo rationes expeditas haberes, tamen ſplendidiorem petitionem tuam, ſi modo iſta ex ſententia confecta eſſent. Omnino plura me ſcribere, cum tuum tantum conſilium judiciumque ſit, arbi-

Celeritati praturæ anteponendam] Sic veteres libri plerique omnes. nonnulli *anteponendum.* meus ſecundus *anteponendo.* lege *anteponenda.* Grævius. Furnius autem ad petendam præturam contendere cupiebat, cum nondum ipſius annus eſſet.

Sin autem ſatisfactum reip. putas] Non fruſtra in Hittorp. & ſex. Pal. legitur, *ſin autem ſatisfactum officio, reip. ſatisfactum putas.* Ciceronem exiſtimo ſcripſiſſe: *ſin autem ſatisfactum officio, ſatisfactum reip. putas.* Græv.

Quando mature futura ſunt] Sic omn. libri quos Guilielmius, Gruterus, Grævius viderunt. Victorius ſolus, *quam mature futura ſunt*, quem ſequitur Gebhardus.

Dummodo ne quid hæc ambitioſa feſtinatio aliquid imminuat ejus gloriæ] Sic Victorius ex MSS. Sane in omnibus fere hæc extat ſcriptura, quam tamen mendoſam eſſe facile vident omnes. Manutius aliique omiſerunt *aliquid.* ſed rectius Hittorp. & ſext. Pal. *ne hæc ambitioſa feſtinatio aliquid imminuat ejus gloriæ.* Græv.

Si ædilis fuiſſes] Atqui non fuiſti, ſed Trib. pleb. tantum, L. Paullo & C. Marcello Coſſ. *Corradus.*

Nihil prætermittere videbere] Etiamſi petitionem Præturæ in ſequentem annum differes. *Idem.*

Planco Conſule] In ſequentem annum jam nunc deſignato. *Idem.*

Illud

arbitrabar non ita neceſſe: ſed tamen ſententíam meam tibi ignotam eſſe nolebam. Cujus eſt haec ſumma, ut omnia te metiri dignitate malim, quam ambitione: majoremque fructum ponere in perpetuitate laudis, quam in celeritate praeturae. Haec eadem locutus ſum domi meae, adhibito Q. fratre meo, & Caecina, & Calviſio, ſtudioſiſſimis tui, cum Dardanus, libertus tuus, intereſſet. omnibus probari videbatur oratio mea. ſed tu optime judicabis.

EPISTOLA XXVI.

ARGVMENTVM.

Et de periculo vitato, quod ex Narbonenſi pugna impendere ſcripſerat Furnius, & de Planci Brutique concordia gratulatur. Diſſuadet, ne ad petendam praeturam eat: comitia tamen, non tam ejus quam reipub. cauſſa, protrahi a ſe, quantum in ipſo ſit, in Ianuarium menſem, ſignificat. Eodem anno.

M. CICERO FVRNIO S.D.

LEctis tuis litteris, quibus declarabas, aut omittendos Narbonenſes, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui: quod vitatum non moleſte fero. Quod de Planci & Bruti concordia ſcribis, in eo vel maximam ſpem pono victoriae. De Gallorum ſtudio nos aliquando noſcemus, ut ſcribis, cujus id opera maxime excitatum ſit. Sed jam, mihi crede, cognovimus. Itaque jucundiſſimis tuis litteris ſtomachatus ſum in extremo. Scribis enim, ſi in Sextilem comitia, cito te: ſin jam confecta, citius, ne diutius cum periculo fatuus ſis. O mi Furni, quam tu cauſſam tuam

ILlud magis timui] Dimicare cum periculo. *Cornel.*

Cognovimus] Tua opera excitatum. *Id.*

Stomachatus ſum in extremo] Stewech. *in extremis*, ut conjecerat Lambinus. Recte *in extremo*. Sic. VII, 16.

Quam tu cauſſam tuam non noſti, qui alienas tam facile diſcis] *Docere cauſſam* dicitur, qui pro ſe acturum patronum inſtruit, *diſcere*, qui defenſurus eſt. Cicer. II de Orat. *Nihil eſt negotii hujuſmodi cauſſam cognoſcere. Recte igitur de cauſſa diſcenda nihil praecipitur.* Et rurſum, *Niſi forte exiſtimatis a Manio Curio cauſſam didiciſſe L. Craſſum.* Sic & *docere.* Auguſtinus VI de Civit. Dei, cap. 10. *Sunt qui ad vadimonia ſua deos advocent: ſunt qui libellos offerant, & illos cauſſam ſuam*

*[illegible]*am non noſti, qui alienas tam facile diſcas! Tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curras: aut, ſi jam confecta, domi tuae ſis: ſcilicet ne cum maximo periculo, ut ſcribis, ſtultiſſimus ſis. Non arbitror te ita ſentire. omnis enim tuos ad laudem impetus novi. Quod ſi ut ſcribis, ita ſentis, non magis te, quam de te judicium reprehendo meum. Te adipiſcendi magiſtratus leviſſimi & divulgatiſſimi, ſi ita adipiſcare, ut plerique, praepropera feſtinatio abducet a tantis laudibus, quibus te omnes in coelum jure & vere ferunt? Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima praetor fias, non ut ita de repub. mereare, omni honore ut digniſſimus judicere? Vtrum neſcis quam alte aſcenderis? an pro nihilo id putas? Si neſcis, tibi ignoſco, nos in culpa ſumus. Sin intelligis, ulla tibi eſt praetura, vel officio, quod pauci, vel gloria, quam omnes ſequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Calviſius, homo magni judicii tuique amantiſſimus, te accuſamus quotidie. Comitia tamen, quum ex his pendes, quantum facere poſſumus, quod multis de cauſſis reipub. arbitramur conducere, in Ianuar. menſem protrudimus. Vince igitur, & vale.

ſuos non doceant. Plin. lib. III, ep. 9. *Legatos interrogabam, docuiſſentne me aliquid, quod reprehendi poſſe confiderent.* Gronovius.

Domi tua ſis, ne cum maximo periculo] Ita hunc locum Victorius edidit, exturbato vocabulo *ſcilicet* quod poſt *ſis* & ante *ne* injectum hæſerat. At Stewech. & Palatinus primus τὸ *ſis* jugulant. [ut & Amſtelodam. & Mentel.] Mihi, ut facit Palatinus ſextus, hæc verba omnia unco contrahenda videntur, *ſcilicet ne cum maximo periculo, ut ſcribis, ſtultiſſimus ſis.* nam ex ſuperioribus ab aliquo ſciolo confecta, & huc invecta ſunt. *Gebhardus.* *Scilicet*, quod tot libri agnoſcunt vetuſti, non erat extrudendum. Si in quibuſdam non extat culpa librariorum factum, qui hoc vocabulum hac nota *ſ.* exprimunt, ut Mentelianus. Denique non incommode meus ſecundus, *domi tua ſis. ſcilicet ne cum maximo periculo ſtultiſſimus ſis.* Iſta particula *ſcilicet* ironiæ ſervit imprimis, qua hic Tullius utitur. *Gravius.*

Si ita adipiſcare] Ambitioſe, & reip. incommodo. *Corradus.*

Nos in culpa ſumus] Qui id tibi non ſignificavimus. *Idem.*

In Januar. menſem protrudimus] Coactus ſum cedere majori conſenſui in hac lectione admittenda, videlicet Palatino primo, Stewechiano, Vaticani excerptis, editioni Victorianæ: [his accedit Amſtelodam. & Mentel.] & revera aptius eſt quam vulgatarum editionum *protendimus*, retinente tamen illud Palatino ſexto, & Hittorpiano profitente *producimus.* Gebhardus.

EPISTOLA XXVII.

Argumentum.

Lepidum quaſi molli brachio objurgat, quia, ſummis honoribus a ſenatu ornatus, gratiarum agendarum officium neglexerat: deinde, pacem inter Antonium, bonoſque cives conciliare cupientem hortatur, ne ſe interponat. Eodem anno.

CICERO LEPIDO S.

QVod mihi, pro ſumma erga te benevolentia, magnae curae eſt, ut quam ampliſſima dignitate ſis, moleſte tuli, te ſenatui gratias non egiſſe, cum eſſes ab eo ordine ornatus ſummis honoribus. Pacis inter civis conciliandae te cupi-

C*Um eſſes ab eo ordine ornatus ſummis honoribus*] Statua equeſtri inaurata in roſtris inter alia donatus. *Corradus.* Ejus Senatuſconſulti quinta Philipp. verba hæc ſunt, *Cum a M. Lepido Imper. Max. Pont. ſæpenumero reſp. & bene feliciter geſta ſit, populuſque Ro. intellexerit ei dominatum regium maxime diſplicere: cumque ejus opera, virtute, conſilio, ſingularique clementia & manſuetudine bellum acerbiſſimum civile ſit reſtinctum, Sextuſque Pompeius Cn. F. Magnus hujus ordinis auctoritate ab armis diſceſſerit, & a M. Lepido Imp. Max. Pont. ſumma ſenatus populique Ro. voluntate civitati reſtitutus ſit: Senatum populumque Rom. pro maximis plurimiſque in remp. M. Lepidi meritis, magnam ſpem in ejus virtute, auctoritate, felicitate reponere, otii, pacis, concordiæ, libertatis: ejuſque in remp. meritorum ſenatum populumque Rom. memorem fore, eique ſtatuam equeſtrem inauratam in roſtris, aut quo alio loco in foro vellet, ex hujus ordinis ſententia ſtatui placere. Qui honos P. C. mihi maximus videtur primum, quia juſtus eſt: non enim ſolum datur propter ſpem temporum reliquorum, ſed pro ampliſſimis meritis redditur. nec vero cuiquam poſſumus commemorare hunc honorem a ſenatu tributum judicio Senatus ſoluto, & libero.* Et decimatertia de eodem, *Itaque ei & honores decrevi, quos potui ampliſſimos, in quibus vos mihi eſtis aſſenſi, nec unquam de illo,* &c. Interpres vero neſcio quid garrit imperite, ſcilicet de imperio ei, contraque Antonium bello deſtinato. Idem ad Marcum Brutum, *At in Lepido reprehendimur, cui quum ſtatuam in roſtris ſtatuiſſemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore ſtuduimus a furore revocare, vicit amentia leviſſimi hominis noſtram prudentiam: nec tamen tantum in ſtatuenda Lepidi ſtatua factum eſt mali, quantum in evertenda boni.* Litteras vero, quibus ſignificatum ſenatui eſt a M. Lepido pacem inter cives quæri, id eſt, Antonio cum republica, non arbitror eas eſſe, quæ hoc libro paullo poſt leguntur, de quibus quid ſentiam, ſuo loco dicemus: ſed eas potius, de quibus Cicero Philippica XIII. longiſſime; & ad Plancum, *Sed de pace litteræ vel Lepidi, vel tuæ, quam in partem accepta ſint, ex viro optimo fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoſcere.* Bern. Rutil.

Pacis inter civis] Epiſt. 6 hujus libri. *Corrad.*

Pe-

cupidum eſſe laetor. eam ſi a ſervitute ſejungis, conſules & reipub. & dignitati tuae. Sin iſta pax perditum hominem in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtitutura eſt, hoc animo ſcito omnes ſanos, ut mortem ſervituti anteponant. Itaque ſapientius, meo quidem judicio, facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones, quae neque ſenatui, nec populo, neque cuiquam bono probatur. Sed haec audies ex aliis, aut certior fies litteris. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu ſit videbis.

Perditum hominem] M. Antonium. *Corrad.*

Itaque ſapientius facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones] Hittorp. & Pal. ſex. *faceres.* Stewech. Pal. prim. & ſex. Amſtelodam. *interponeres.* Scripſit credo Cicero, *itaque ſapientius faceres, ſi te in iſtam pacificationem non interponeres.* quamvis & vulgata non ſit repudianda. *Gravius.*

EPISTOLA XXVIII.

ARGUMENTUM.

Dolet, ſe participem non fuiſſe conjurationis in Caeſarem, quia ſuperſtes Antonius exitium reip. moliatur; deinde ſuum libertatis recuperandae ſtudium declarat. Eodem anno.

CICERO TREBONIO S.

QVam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis invitaſſes! reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum his tantum negotii eſt ut veſtrum illud divinum in rempub. beneficium nonnullam habeat querelam. Quod vero a te, viro optimo ſeductus eſt, tuoque beneficio adhuc

TREBONIO] Aſiam conſulari imperio obtinenti, qui paullo poſt Smyrnæ a Dolabella eſt interfectus. Hujus epiſtola eſt 16 lib. XII. *Corradus.*

Ad illas pulcherrimas epulas] Cæſaris cædem: cœnam vocat ep. 14 lib. XII. *Idem.*

Reliquiarum nihil haberemus] Quoniam Antonium interfeciſſemus, ut vos etiam primo conſtituiſtis, ſed M. Brutus prohibuit. *Idem.*

Quod a te, viro optimo ſeductus eſt] Sic Philip. 2. *Te Cæſaris interficiendi Narbonæ conſilium cum C. Trebonio cepiſſe notiſſimum eſt: & ob ejus conſilii ſocietatem, quum interficeretur Cæſar, tum te a Trebonio vidimus ſevocari.* Idem.

huc vivit haec peſtis, interdum, quod mihi vix fas eſt, tibi ſubiraſcor. Mihi enim negotii plus reliquiſti uni, quam praeter me omnibus. Vt enim primum poſt Antonii foediſſimum diſceſſum ſenatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reverti priſtinum, quem tu cum civi acerrimo, patre tuo, in ore & amore ſemper habuiſti. Nam cum ſenatum a. d. XIII Kalendas Ianuarias tribuni pleb. vocaviſſent deque alia re referrent, totam remp. ſum complexus, egique acerrime, ſenatumque jam languentem & defeſſum ad priſtinam virtutem conſuetudinemque revocavi, magis animi quam ingenii viribus. Hic dies, meaque contentio atque actio, ſpem primum populo R. attulit libertatis recuperandae. Nec vero ipſe poſtea tempus ullum intermiſi de repub. non cogitandi ſolum, ſed etiam agendi. Quod niſi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipſe perſcriberem, quanquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognoſces ex aliis, a me pauca, & ea ſummatim. Habemus fortem ſenatum, conſulares partim timidos, partim male ſentientes. Magnum damnum factum eſt in Servio. L. Caeſar optime ſentit: ſed, quod avunculus eſt, non acerrimas dicit ſententias. Conſules egregii: praeclarus D. Brutus: puer egregius Caeſar, de quo ſpero equidem reliqua. Hoc vero certum habeto, niſi ille veteranos celeriter conſcripſiſſet, legioneſque duae de

exer-

Fœdiſſimum diſceſſum] Ex urbe in Galliam Ciſalpinam. *Corrad.*

Deque alia re referrent] De præſidio Coss. deſignatorum, epiſt. 6 lib. XI. *Idem.*

Conſulares partim] Epiſt. 5 lib. XII. *Idem.*

In Servio] Servius Sulpitius perierat. vid. Philip. IX.

Quod avunculus eſt] M. Antonii. *Corrad.*

Conſules egregii] Hirtius & Panſa. *Idem.*

Puer egregius Cæſar] Indigniſſime tulit Octavius, ſe *puerum* appellari, & inter præcipuos prætextus bellorum civilium hic fuit, teſte Dione lib. XLVI. Hinc ſenatus decrevit, ne Octavius vocaretur *puer*, ut notavit Servius ad Virgil. Eclog. I, v. 44. vid. Caſaub. ad Sueton. Auguſt. c. 12. & Cic. Philip. XIII, cap. 11. Novendecim annorum erat Octavius cum hoc bellum ſuſciperet contra Antonium. *Grav.*

Veteranos celeriter conſcripſiſſet] In Campania, Antonio Brunduſium tunc profecto. *Corradus.* Cic. Philip. V, c. 8. & 16. Sueton. Aug. c. 10. Hæc legio *Evocatorum* fuit appellata, quod miſſi facti a militia rurſus ad eam convocarentur. Dion lib. XLV.

Legioneſque duæ] Martia & quarta. *Id.*

Vid.

exercitu Antonii ad ejus ſe auctoritatem contuliſſent, atque is oppoſitus eſſet terror Antonio, nihil Antonium ſceleris, nihil crudelitatis praeteriturum fuiſſe. Haec tibi etſi audita eſſe arbitrabar, volui tamen notiora eſſe. Plura ſcribam, ſi plus otii habuero.

Vid. Vell. Paterc. II, 61. Cic. Philip. V, 11. & XI, 8. *Grav.*

Contuliſſent] Relicto M. Antonio, Brunduſium revertente. *Corrad.*

EPISTOLA XXIX.

ARGUMENTUM.

Scribit de ſuo ſtudio erga ſalutem Ampii exſulantis; bonamque ſpem habere illum jubet. Non conſtat de anno: ſed, cum ſit is ad quem lib. VI *ſcribitur epiſtola, quae incipit,* Gratulor, *eodem haec anno, quo illa, videtur eſſe conſcripta, id eſt, Caeſare tertium, & Lepido Coss. In MSS. haec epiſtola Appio inſcribitur vid. not. Corradi.*

CICERO AMPIO SAL.

De meo ſtudio erga ſalutem & incolumitatem tuam, credo te cognoſſe ex litteris tuorum: quibus me cumulatiſſime ſatisfeciſſe certo ſcio: nec his concedo, quanquam

CICERO APPIO] Exiſtimant docti eundem eſſe *Appium* ad quem epiſtolæ lib. III ſunt ſcriptæ: a quibus cur in præſentia diſſentiam, nihil habeo. quin dies adſcripta id magis verum oſtendit. ſiquidem hæc data eſt epiſtola pr. No. Quint. Cicero vero ad No. Sext. ex provincia deceſſit. *Corr. In poſterioribus notis ſic commentatur:* Vide, ne ſit alius ab illo conſulari, qui provinciam Ciliciam ante Ciceronem Proconſul obtinuerit, paterque ejus fone de quo libro proximo ad D. Brutum Cicero, *Cum Appio Claudio C. F. ſumma mihi neceſſitudo eſt, multis ejus officiis & meis mutuis conſtituta.* Et infra, *Magno tibi erit ornamento, nobiliſſimum adoleſcentem beneficio tuo eſſe ſalvum, cujus quidem cauſſa hoc nobilior debet eſſe, quod pietate adductus propter patris reſtitutionem, me cum Antonio conjunxit.* APPIO] De hoc Appio Claudio nihil admodum comperti habemus, niſi quod exſulem fuiſſe, & ejus cauſſam D. Bruto diligenter a Cic. commendatam libro ſequenti legimus. Nam interpretes, qui volunt hunc eſſe App. Claudium Pulchrum, ad quem ſunt epiſtolæ lib. III ſcriptæ, hoc ipſo convincuntur erroris. quod ipſe in bello civili ante pugnam Pharſalicam mortem obiit, quomodo videre eſt apud Lucanum.

 Hunc

quam ſunt ſingulari in te benevolentia, ut te ſalvum malint quam ego. Illi mihi neceſſe eſt concedant, ut tibi plus, quam ipſi, hoc tempore prodeſſe poſſim: quod quidem nec deſtiti facere, nec deſiſtam: & jam in maxima re feci, & fundamenta jeci ſalutis tuae. Tu fac bono animo magnoque ſis, meque tibi nulla re defuturum eſſe cónfidas. Pridie Nonas Quintiles.

Hunc autem tempore belli Mutinenſis ſuperſtitem fuiſſe, ac epiſtolam hanc tum datam conſtat. *Glandorp.* Ampio legit Manutius, Lambinus, aliique.

Prodeſſe poſſim] Vt Procos. in mea provincia. Quid autem id eſſet, dictum eſt lib. III. Si quis tamen aliter ſentiat, non adverſor, ne ſi velit quidem eum eſſe, qui in epiſt. 22 lib. XI. *Corrad.*

EPISTOLA XXX.

Argvmentvm.

Galba proelium exponit ad Mutinam factum, victoriamque de Antonio relatam. Hirtio & Panſa Coss.

GALBA CICERONI SAL.

XVII Kalend. Maii, quo die Panſa in caſtris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obviam proceſſeram

SERGIVS GALBA M. CIC.] Hic Cæſaris in Gallia fuit legatus & poſtea in eum cum reliquis conjuravit. *Corradus.* *SER. GALBA*] Sic legendum, non, *Sergius Galba.* *Ser.* autem valet Servius: quod eſt prænomen. Galbæ enim erant Sulpiciæ gentis, non Sergiæ. Itaque hic dicebatur *Ser. Sulpicius Galba* prænomine, nomine, cognomine. *Lambinus.* *GALBA CICERONI SAL.*] Hanc inſcriptionem ſic invenimus in optimis codicibus noſtris, neque aliter edidit Petrus Victorius. Alii *Sergius Galba* ſcribunt. Lambinus, *Ser. Galba.* Nos nihil neque a libris neque a Victorio [cui adſtipulatur Amſtelod. & Mentel.] decedere voluimus. *Gebhardus.*

Decimo ſeptimo Kal. Maii] Mediceus codex in hoc loco, *Galba Ciceroni Sal.* XVII K. Mai. in indice, *Galba Ciceroni Sal. ad* XVII *K. Mai.* parvo omnino diſcrimine, ſed quod adnotari debuit. *Victorius.* Sane Galbam, ſi non uſus eſt notis, ſcripſiſſe *ſeptimo decimo*, non *decimo ſeptimo*, nemo Latinæ linguæ mediocriter peritus poteſt ignorare.

Quo die Panſa in caſtris Hirtii] Qui poſt habitum delectum Roma veniebat, Hirtio multo ante profecto. *Corrad.* Vatic. *in caſtris & Hirtii.* Mentel. *in caſtris Hirtius.* Stewech. & Græv. ſec. *in caſtris & Hirtius.*

ram millia paſſuum centum, quo maturius veniret, Antonius legiones eduxit duas, ſecundam, & quintam & triceſimam, & cohortes praetorias duas, unam ſuam, alteram Silani, evocatorum partem. Ita obviam venit nobis, quod nos quattuor legiones tironum habere ſolum arbitrabatur. Sed noctu, quo tutius venire in caſtra poſſemus, legionem Martiam, cui ego praeeſſe ſolebam, & duas cohortes praetorias miſerat Hirtius nobis. Cum equites Antonii apparuiſſent, contineri neque legio Martia neque cohortes praetoriae potuerunt, quas ſequi coepimus coacti, quum eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum ſuas copias continebat, neque ſciri volebat, ſe legiones habere, tantum equitatum & levem armaturam oſtendebat. Poſteaquam vidit ſe invito legionem ire Panſa, ſequi ſe duas legiones juſſit tironum. poſtea quam anguſtias paludis, & ſilvarum tranſivimus, acies eſt inſtructa a nobis duode-

Hirtius. quod non temere ſpernendum. praeſtat tamen vulgata.

Millia paſſus centum] *Millia paſſuum*, ex veteribus libris, & Latina locutione legem. *Corrad.*

Cohort. praetorias] Erant grandes & edecumatae, quae circa Imperatorem erant, inſtitutae primo a P. Scipione. vide Feſtum *Praetoria cohors*. Olim autem tantum unam habebat Imperator, ſed per bella civilia auctae ſunt hae cohortes, & unus plures habebat. vide J. Lipſ. lib. 11 de Milit. Rom. dialog. 4.

Duas cohortes] Vnam ſuam, alteram Caeſaris Octavii. *Corrad.*

Alteram Syllani, evocatorum partem] Qui in Italiam ſine mandatis a Lepido miſſus, ad Antonium venerat, arbitratus id eſſe Lepidi conſilium. Sunt tamen libri veteres, in quibus ſcriptum ſic eſt, *S. illam evocatorum partem*. Et ſane, ſi Dioni credimus haec pugna ante facta eſt, quam M. Syllanus ſe cum Antonio conjungeret. *Idem*. *Evocati*, ſunt veterani, qui expletis ſtipendiis ſponte in gratiam Conſulum aut Ducum militiam ſumebant, & precibus, litteris, ac nunciis evocabantur, non in dilectu ſcribebantur, ideo dicti ſunt *evocati*. vid. Lipſ. 1 de Milit. Rom. Dial. VIII.

Quattuor legiones] Pro *quattuor* Ant. Auguſtinus putat legendum *duas*. *legionum* autem Antonii, quae in hac & ſequentibus epiſtolis nominantur, mentio eſt in antiquis ejus denariis a prima uſque XXXIV. *Cohortium* item *Praetoriarum*, & *Speculatorum*. Vrſin.

Cui ego praeeſſe ſolebam] Caeſaris (ſic enim arbitror) legatus. *Corrad.*

Forum Gallorum] Cujus veſtigia eſſe ea volunt docti, quae ſunt prope caſtrum Francum in Aemylia via: a quibus nec Blondus diſſentit. *Idem*. Immo id ipſum caſtellum, quod nunc vocatur *Caſtel Franco*, eſſe *Forum Gallorum*, vicum olim, quem celebrem reddiderint bella civilia, oſtendit Cluverius lib. 1, cap. 28.

Legionem ire] Martiam. *Corrad.*

duodecim cohortium. Nondum venerant legiones duae. Repente Antonius in aciem ſuas copias de vico produxit, & ſine mora concurrit. Primo ita pugnatum eſt, ut acrius non poſſet ex utraque parte pugnari: etſi dexterius cornu, in quo eram cum Martiae legionis cohortibus octo, impetu primo fugaverat legionem triceſimam quintam Antonii, ut amplius paſſus * ultra aciem, quo loco ſteterat, proceſſerit. Itaque cum equites noſtrum cornu circuire vellent, recipere me coepi & levem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne averſos noſtros aggrederentur. Interim video me eſſe inter Antonianos, Antoniumque poſt me eſſe aliquanto. repente equum immiſi ad eam legionem tironum quae veniebat ex caſtris, ſcuto rejecto. Antoniani me inſequi, noſtri pila conjicere velle. Ita neſcio quo fato ſum ſervatus, quod ſum cito a noſtris cognitus. In ipſa AEmilia, ubi cohors Caeſaris praetoria erat, diu pugnatum eſt. Cornu ſiniſterius, quod erat infirmius, ubi Martiae legionis duae cohortes erant, & cohors praetoria, pedem refer-

Duodecim cohortium] *Decem*, quæ legionem faciebant, & *duarum*, quæ erant prætoriæ. *Corrad.*

Legiones duæ] Tyronum. *Idem.*

Ut amplius paſſus centum ultra aciem, &c.] Nos *paſſuum* numerum in nullis manuſcriptis invenimus: notam igitur mendi appoſuimus, quæ ſignificet numerum deſiderari. *Victorius.* In Mediceo, & in aliis vetuſtis libris numerus defecit: alii repoſuerunt *quingentos*, qui nullum locum lacerum videri volunt: nobis diverſum ſtudium atque illis eſſe, jam omnibus manifeſtum eſſe potuit: magnopere nos laboramus, nequid commentitium ac novum in his epiſtolis legatur: illi non ſine cauſſa omnia integra videri volunt, quaſi non multis in locis & apud Græcos, & apud Latinos auctores. & numeri & notæ ponderum defecerint: melius autem nobiſcum ageretur, ſi ut ſunt manci illi & laceri, a typographis traderentur. In apophthegmatibus Plutarchi, quis non videt, qui ſubtiliter illum locum animadvertit, notas defeciſſe, quæ pondus ſignificarent? verba ſunt ex epiſtola Alexandri Magni ad Leonidam pædagogum, *ἀπέσταλκά σοι τάλαντα λιβανωτοῦ καὶ κασίας.* hic enim prorſus pondus eſſe debebat; in ipſius vita idem auctor cum pondus ponere nollet, aliter locutus eſt, *ἀπέσταλκά σοι λιβανωτὸν ἄφθονον καὶ σμύρναν· miſimus*, inquit, *tibi magnam vim & uberem copiam thuris & myrrhæ.* Sexcenta alia exempla hujus erroris afferre poſſemus. *Idem.* Corradus etiam teſtatur ſe in manuſcriptis libris numerum paſſuum non inveniſſe. nec extat in Pall. nec in Amſtelod. nec Græv. ſecundo. Mentelianus tamen codex ſubſcribit duobus, quos Manutius evolvit. In eo enim legitur *paſſus quingentos.*

Cohors prætoria] Hirtii. *Corrad.*

C. ASI-

referre coeperunt, quod ab equitatu circuibantur, quo vel plurimum valet Antonius. Cum omnes ſe recepiſſent noſtri ordines, recipere me noviſſimus coepi ad caſtra. Antonius, tanquam victor, caſtra putavit ſe poſſe capere. Quo cum venit, complures ibi amiſit, nec egit quidquam. Audita re, Hirtius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in ſua caſtra occurrit, copiaſque ejus omnes delevit, fugavit, eodemque loco ubi erat pugnatum ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta ſe in caſtra ſua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea caſtra rediit unde Panſa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quae ab Antonio erant oppugnatae. Sic partem majorem ſuarum copiarum Antonius amiſit veteranarum. Nec id tamen ſine aliqua jactura cohortium praetorianarum noſtrarum, & legionis Martiae fieri potuit. Aquilae duae, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonii. Res bene geſta eſt. A. D. XII Kalendas Maii, ex caſtris.

EPISTOLA XXXI.

ARGVMENTVM.

Excuſationem affert praeteriti temporis, quod ſtudium erga remp. ſuum litteris nondum declaraverit; ſeque libertatis cupidum oſtendit. Eodem anno.

C. ASINIVS POLLIO CICERONI S.D.

Minime mirum tibi debet videri, nihil me ſcripſiſſe de rep. poſtea quam itum eſt ad arma. Nam ſaltus Caſtulonenſis, qui ſemper tenuit noſtros tabellarios, etſi nunc frequen-

C. *ASINIVS POLLIO*] Hiſpaniæ a Julio Cæſare adhuc vivo præfectus. *Corrad.*

Itum eſt ad arma] Poſt Cæſaris mortem. *Idem.*

Saltus Caſtulonenſis] Plin. lib. III, cap. III. & Cæſar lib. I de Bello Civili. *Idem.* *Caſtulo* fuit Oretanorum urbs maxima, Bæticæ finis verſus Orientem, ſita ad Bætis ripas, hodie *Caſlona*, de qua vide Ludovici Nonii Hiſpan. antiq. cap. 64. & Sam. Bochardi, Geograph. ſacræ partem ſecund. lib. I, cap. 34. Hæc urbs *Saltui*

I 4 *Caſta-*

frequentioribus latrociniis infeſtior factus eſt, tamen nequaquam tanta in mora eſt, quanta qui locis omnibus diſpoſiti ab utraque parte ſcrutantur tabellarios, & retinent. Itaque niſi nave perlatae litterae eſſent, omnino neſcirem quid iſtic fieret. Nunc vero nactus occaſionem, poſteaquam navigari coeptum eſt, cupidiſſime, & quam creberrime potero, ſcribam ad te. Ne movear ejus ſermonibus, quem tametſi nemo eſt qui videre velit, tamen nequaquam proinde ac dignus eſt, oderunt homines, periculum non eſt. Adeo eſt enim inviſus mihi, ut nihil non acerbum putem quod commune cum illo ſit. Natura autem mea & ſtudia trahunt me ad pacis & libertatis cupiditatem. Itaque illud initium civilis belli ſaepe deflevi. Cum vero non liceret mihi nullius partis eſſe: quia utrobique magnos inimicos habebam, ea caſtra fugi in quibus plane tutum me ab inſidiis inimici ſciebam non futurum. compulſus eo quo minime volebam, ne in extremis eſſem, plane pericula non dubitanter adii. Caeſarem vero, quod me in tanta fortuna modo cognitum vetuſtiſſimorum familiarium loco habuit, dilexi ſumma cum pietate & fide. Quae mea ſententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quiſque maxime probarit. quod juſſus ſum eo tempore, atque ita feci, ut appareret invito imperatum eſſe. Cujus facti injuſtiſſima invidia erudire me potuit, quam jucunda libertas, & quam miſera ſub dominatione vita eſſet. Ita, ſi id agitur, ut rurſus in poteſtate omnia unius ſint, quicunque is eſt, ei me profiteor inimi-

Caſtulonenſi nomen dedit. Cæſar 1 de Bell. Civ. ſcribit. M. Terentium Varronem Pompeii legatum, Hiſpaniæ Bæticæ regiones tenuiſſe a Saltu Caſtulonenſi ad Anam. hodie vocatur *Portus S. Stephani* ut docet Hieron. Surita ad Itinerar. Auguſt. p. 552, quem vide.

Ne moveare ejus ſermonibus] Balbi Quæſtoris. Vel Antonii, aut Lepidi, ſi *movear* legas, ut quidam. *Corrad.*

Civilis belli] Inter Cæſarem & Pompeium. *Idem.*

Ea caſtra fugi] Pompeii. *Idem.*

Inſidiis inimici] Fortaſſe Catonis, quem altero & viceſimo ætatis ſuæ anno accuſavit. *Idem.*

Compulſus eo] In Cæſaris Caſtra. *Idem.*

Injuſtiſſima invidia] Odium adverſus me injuſte concitatum.

Ei me profiteor inimicum] Mox tamen ſe

inimicum. Nec periculum eſt ullum / quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. Sed conſules neque ſenatuſconſulto, neque litteris praeceperant mihi quid facerem. Vnas enim poſt Idus Martias demum a Panſa litteras accepi, in quibus hortatur me, ut ſenatui ſcribam, me & exercitum in poteſtate ejus futurum. Quod, cum Lepidus concionaretur, atque omnibus ſcriberet, ſe conſentire cum Antonio, maxime contrarium fuit. Nam quibus commeatibus, invito illo, per illius provinciam legiones ducerem? aut, ſi cetera tranſiſſem, num etiam Alpis poteram tranſvolare, quae praeſidio illius tenentur? Adde huc, quod perferri litterae nulla conditione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur a Lepido tabellarii. Illud me Cordubae pro concione dixiſſe, nemo vocabit in dubium, provinciam me nulli, niſi qui ab ſenatu miſſus veniſſet, traditurum. Nam de legione trigeſima tradenda quantas habuerim conciones, quid ego ſcribam? Qua tradita, quanto pro rep. infirmior futurus fuerim, quis ignorat?

ſe cum Antonio conjunxit. Vell. Paterc. II, 63.

Quod pro libertate aut refugiam aut deprecer] Vet. cod. Lambini, *quod pro libertate aut fugiam aut deprecer*. Forte, *quod pro libertate ac rep. fugiam aut deprecer*. Guilielm.

Conſules] Hirtius & Panſa. *Corradus.* Sed vide Manutium, qui docet Antonium & Dolabellam intelligi.

Poſt Idus Martias] Poſt Cæſaris mortem. *Corrad.*

In poteſtate futurum] Facturum quæcunque mihi imperarent, quæcunque vellent. Cic. I ad Att. ep. II. *Ac ne illud mirere, cum ego antea ſignificarem tibi per litteras, me ſperare, illum in noſtra poteſtate fore.* hoc eſt, illum facturum quæ vellemus. Ep. 2 lib. XI. *Cum ipſi in tua poteſtate fuerimus.*

Maxime contrarium fuit] Scribere, *me & exercitum in Senatus poteſtate futurum*, ut volebat Panſa. Sed potius tegendum fuit conſilium, ut Antonium & Lepidum fallerem. *Corradus.* *Quod cum Lepidus concion. a. o. ſcr. ſe c. c. Ant. max. contrar. f.*] Si hoc ſignificat Aſinius, hoc ſibi maxime obfuiſſe, maximeque adverſarium fuiſſe, nempe, ſcribere ſenatui, *me & exercitum in poteſtate ejus futurum*, inſolens locutio eſt: ſin aliud, quæro quid? Ego putabam locum eſſe mendoſum, & ita legendum, *cui quod Lep. conc. a. o. ſ. ſ. c. c. A. m. c. ſ.* Lambin.

Per illius provinciam] Narbonenſem in qua tunc erat Lepidus. *Corradus.*

De legione trigeſima tradenda] Sequenti epiſt. *Idem.*

Quantas habuerim conciones] P. Manutius emendavit, *quantas habuerim contentiones*. Cui aſſentior. nam vulgo legitur *contiones*. Lambinus. MSS. tamen omnes, quos Victorius, Guilielm. Gebhard. Græv. viderunt, *conciones* ſcribunt.

rat? Hac enim legione noli acrius aut pugnacius quidquam putare. Quare eum me exiſtima eſſe, qui primum pacis cupidiſſimus ſim, omnes enim cives plane ſtudeo eſſe ſalvos: deinde, qui & me, & remp. vindicare in libertatem paratus ſim. Quod familiarem meum tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius eſt. Invideo illi tamen quod ambulat & jocatur tecum. Quaeres quanti aeſtimem: ſi unquam licuerit vivere in otio, experieris. Nullum enim veſtigium abs te receſſurus ſum. Illud vehementer admiror, non ſcripſiſſe te mihi, manendo in provincia, an ducendo exercitum in Italiam, reip. magis ſatisfacere poſſim. Ego quidem, etſi mihi tutius ac minus laborioſum eſt manere, tamen quia video tali tempore multo magis legionibus opus eſſe, quam provinciis, quae praeſertim recuperari nullo negotio poſſunt, conſtitui, ut nunc eſt, cum exercitu proficiſci. Deinde ex litteris, quas Panſae miſi, cognoſces omnia. nam tibi earum exemplar miſi. XVII Kal. April. Cordubae. Vale.

Quidquam putare] Delevi auctoritate codicis Amſtelodamenſis *eſſe*. quanquam mallem cum Stewechiano, *noli acrius aut pugnacius quicquam exiſtimare*. Graevius.

Familiarem meum] Cornelium Gallum. *Corradus*. *Quod f. meum tuorum numero habes*] Sic duo Pall. duo Guilielmii, tres, quos ego conſului. vulgo *in tuorum numero*. Graevius.

Qua res quanti aſtimem] Culpa librariorum primae voces disjunctae in noſtris ſunt, quod niſi *quares* legi debere vidiſſem, nunquam receptam lectionem, quae commodum habet ſenſum, rejeciſſem, ut hanc non bene ſibi haerentem reponerem. Eadem locutio eſt in epiſt. ad Catonem, *Quares fortaſſe quid ſit quod ego hoc, neſcio quid gratulationis & honoris, a Senatu, tanti aſtimem*. Victor. *Quod quanti aſtimem*] Alias *quas res qu. aſt*. Corrad.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

ARGVMENTVM.

Exponit primum Balbi, quaeſtoris ſui, flagitia: deinde ſubjungit de ſuo in remp. ſtudio. Eodem anno.

C. ASINIVS POLLIO CICERONI.

BAlbus quaeſtor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, majore argenti coacto de publicis exactionibus, ne ſtipendio quidem militibus reddito, duxit ſe a Gadibus, & triduum tempeſtate retentus ad Calpen, Kal. Juniis trajecit ſeſe in regnum Bogudis, plane bene peculiatus. His rumoribus utrum Gadis referatur, an Romam, ad ſingulos enim nuntios turpiſſime conſilia mutat, nondum ſcio. ſed praeter furta, & rapinas, & virgis caeſos ſocios, haec quoque fecit, ut ipſe gloriari ſolet, eadem quae C. Caeſar: Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum, hiſtrionem, ſummo ludorum die anulo aureo donatum, in XIIII ſeſſum deduxit. tot enim fecerat ordines equeſtris loci.

B*Albus Quaeſtor*] Cornelius Balbus minor, niſi prorſus nos conjectura fallit. *Corrad.*

Ad Calpen] Eſt mons praealtus Hiſpano littori freti Gaditani adjacens, cui opponitur in Africa *Abyla*, qui crediti ſunt eſſe Herculis Columnae. vid. Pomp. Mel. II, 6. & Bochardi Geograph. ſacrae Tom. II, lib. I, c. 34.

Bogudis] Regis Mauritaniae Tingitanae, quae *Bogudiana* olim eſt dicta, quam diu in ea rerum potiebatur Bogud. Illo autem pulſo a Boccho, Tingitanae Provinciae nomen accepit. Extenditur a fluvio Mulucha, qui perperam Chylemath dicitur, uſque ad Oceanum. vid. Iſaac. Voſſ. ad Pomp. Mel. I, 5.

His rumoribus] De bello contra Antonium. *Corrad.*

Utrum Gadis] Inſula Hiſpaniae extra fretum, quod ab ea *Gaditanum*, & a Columnis Herculis Herculeum dicitur, nunc *Eſtrecho di Gibraltar*. Inſula vero *Gades* hodie appellatur *Cadix*.

Eadem quae C. Caeſar. Ludis Herennium hiſtrionem, &c.] Caeſar Laberium, cum mimum ſuum egiſſet, annulo aureo donavit & quingentis ſeſtertiis. vid. Sueton. Jul. cap. 39.

Quos Gadibus fecit] Quaſi in patria. Nam Balbus major *Gadibus* natus fuerat. *Corrad.* Vid. Manut. qui oſtendit hunc Balbum minorem Gadibus fuiſſe natum.

Annulo aureo] Equeſtris ordinis inſigni. *Corrad.*

In quartumdecimum ſeſſum deduxit] Melius *quatuordecim* ex veteribus libris

&

loci. Quattuorviratum ſibi prorogavit, comitia biennii biduo habuit, hoc eſt, renuntiavit quos ei viſum eſt: exſules reduxit, non horum temporum, ſed illorum quibus a ſeditioſis ſenatus trucidatus aut expulſus eſt, Sex. Varo proconſule. Illa vero jam ne Caeſaris quidem exemplo: quod ludis praetextam de ſuo itinere ad L. Lentulum proconſulem ſollicitandum poſuit. Et quidem cum ageretur, flevit, memoria rerum geſtarum commotus. Gladiatoribus autem ob

& loquendi more. *Corrad.* *In* XIIII] Sic veteres libri. hoc eſt, in equeſtria ſubſellia theathri, hoc eſt, equeſtri dignitate donavit. Ordines quatuordecim ſubſelliorum in theatro aſſignati erant equeſtri ordini, quæ & *equeſtria* dicebantur. vid. Suet. Jul. 39. vid. & Torrent. ad iſtum locum.

Quatuorviratum] In multis municipiis quatuorviri ſummum gerebant magiſtratum ut Romæ Conſules, alii vero dicebantur *decemviri*, qui Romæ *Senatores*. Interdum tamen erant *duumviri*, interdum *ſeviri*. vid. Thom. Reineſ. epiſt. XXXI ad Rupert.

Sibi prorogavit] Sicut Cæſar dictaturam, & alios magiſtratus. *Corrad.*

Comitia biennii biduo habuit] Ut Cæſar ordinaverat in quinquennium teſte Appiano II Bell. Civ. quod imitari voluit Gallus apud Tac. II Ann. 36.

Renuntiavit] Magiſtratus Gaditanos declaravit. *Corradus.*

Exſules reduxit] Ut Cæſar, qui omnes fere præter Milonem reſtituit. *Idem.*

Senatus] Gaditanus. *Idem.*

Varo Proconſ.] In Mediceo ſunt hæc verba, & in cunctis quos vidi manuſcriptis: hoc autem adnotavi, quia nonnulli tradunt ſe vetuſtiſſimum codicem habere, in quo non legantur. *Victor.* *Sex. Varo Procoſ.*] An is *Accius Varus* ſit, qui, quo tempore Pompeii filii bellum inſtaurabant, circum Caſtella, ut ſcribit Oppius, in Hiſpania præfuit: vel *Sext. Quintilius Varus*, qui contra Curionem in Africa pugnaverat, videant doctiores. *Corradus.* Vid. Plin. II, c. 45.

Prætextam] Fabulam, in qua induceretur Lentulus *prætextatus*, quod Procoſ. eſſet. *Corrad.*

De ſuo itinere ad L. Lentulum] Cornelius Balbus minor, quum L. Lentulum Coſ. in principio belli civilis convenire in Italia non potuiſſet, ſequenti anno ad Dyrrhachium hoſtium caſtra clam ingreſſus, illum jam Procoſ. ut cum Cæſare ſentiret, ſollicitavit. Si vero iter Italicum intelligas *Coſ.* legas oportet. hac de re tota fabulam edidit. *Idem.*

Cum ageretur] Illa fabula. *Idem.*

Gladiatoribus autem Fadium quendam militem Pompeianum, quia cum depreſſus ——— auctore ſeſe, &c.] Sic omnes vulgati *gladiatorib. autem*, uno excepto, qui nuper Venetiis impreſſus eſt, *gladiatoriis* enim habet, proculdubio male. Nec enim (ut puto) invenies dici *ludis gladiatoriis*. *gladiatoribus* autem in uſu erat, id eſt, die illo, quo munera gladiatorum dabantur: ut *ludis* etiam dicebatur, quo die ludi committebantur. Cicero ad Atticum multis locis hoc oſtendit, maxime lib. II. de Clodio loquens, *Qui etiam cum candidatum deducerem, is quærit ex me, num conſueſſem Siculis locum gladiatoribus dare.* Id eſt, eo die quo pugnarent gladiatores. In IX etiam Philippica circa finem, *Circumque eam ſtatuam locum gladiatoribus, ludiſque liberos, poſteroſque ejus, quoquo verſus pedes V habere.* Item pro P. Seſtio, *Etenim tribus locis ſignificari maxime populi Rom. judicium ac voluntas poteſt: concione, comitiis, ludorum, gladiatorumque conſeſſu.* Quod autem paullo poſt

ob Fadium quendam, militem Pompeianum, quia, cum depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctore ſeſe nolebat, & ad populum confugerat, primum Gallos equites immiſit in populum: collecti enim lapides ſunt in eum, cum abriperetur Fadius: deinde abſtractum defodit in ludo, & vivum conbuſſit: cum quidem pranſus, nudis pedibus, tunica ſoluta, manibus ad tergum rejectis, inambularet, & illi miſero quiritanti, C. R. natus ſum, reſponderet:

poſt *auctorari ſeſe nolebat* legunt iidem, repudiantes receptam & eandem veterem lectionem, quæ eſt *auctore ſeſe nolebat*, in hoc quoque judicium eorum non probo. ægre enim tulit Balbus, quod cum ante bis ille gratis pugnaſſet, poſtea auctore ſeſe noluit, ideoque eum multis modis excruciatum necavit. Quod ſi dictio illa *depreſſus* mutanda ſit, *deprehenſus* malim quam aliter: vetuſti tamen codices vulgatam lectionem retinent. *Victor. Gladiatoribus*] Quo die *gladiatores* ſunt commiſſi. *Corrad. Gladiatoribus aut. Fad.*] Sic legendum eſſe, multi jam docti viri admonuerunt, non *gladiatoriis*. ſignificatur dies quo die gladiatores commiſſi ſunt. *Lambin. Pompeianum, quia*] Alii, *Pompeianum abjecit, quia.* Corrad. Legendum, *Gladiatoribus autem ob Fadium quendam, militem Pompeianum, (quia, cum depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctore ſeſe nolebat, & ad populum confugerat) primum Gallos equites emmiſit in populum.* Optimæ vulgatæ male expunctum habent τὸ *ob*, ſine quo non conſtat ſenſus. Peſſime autem cum ſuo vet. cod. Titus Popma, *Gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, objecit.* Homines quod non intelligerent τὸ *gladiatoribus* (Titus a Victorio diſcere potuiſſet) intruſo verbo alieno Pollionem neſcio quid faciunt barbariſantem. Neque enim ut *beſtiis objici* ita & *gladiatoribus objici* dicebant. Gronovius IV de Pec. Vet. cap. 1. *Cum depreſſus in ludum*] Bene codices antiqui *depreſſus*. pro quo Sueton. in Aug. c. 32. *ſuppreſſus* dicit, *Rapti per agros viatores ſine diſcrimine, liberi ſervique, ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebantur.* Grævius. *Auctore ſeſe*] Hoc eſt, jubente ipſo Balbo ut depugnaret. *Corradus. Nolebat*] Depugnare, quum bis ante gratis depugnaſſet. *Idem.*

Collecti enim lapides ſunt in eum] Antiquiores nonnulli *collecti*. Quod tamen erratum puto librarii, communemque lectionem *conjecti* potiorem eſſe judico: nam & ad Atticum, lib. IV. *Q. Fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area mea.* Niſi aliquis intelligere velit multitudinem lapides collegiſſe, ut in illum conjiceret, non tamen conjeciſſe. *Victorius.* Veteres tamen codices omnes habent *collecti*.

C. R. natus ſum] Ita in Mediceo hic locus ſcriptus eſt. Ingenioſus & eruditus juvenis Hieronymus Corrigienſis ſuſpectum hunc locum, ut audio, habet, neque, ut ego arbitror, ſine cauſſa: cum aliis in locis, in quibus Cicero induxit aliquos quiritantes, & hanc vocem edentes, *natus* non ediderit. cum tamen in noſtris, ut omnes videre jam poſſunt, non contemnendis, ut in impreſſis legatur, videndum eſt an ideo ſe *natum* Fadius *civem Roman.* diceret, ut magis Galbam abſterreret: quod majore ſcelere, ei qui civis Ro. natus eſſet, manus afferretur, quam illi qui factus: nam plurimis, variiſque de cauſſis cives Ro. fiebant, ut omnibus planum eſt: & in oratione pro L. Balbo diligentius de hac re diſputatur. Domitius etiam Coſ. No-

voco-

ret: Abi nunc, populi fidem implora. Beſtiis vero civis Romanos, etiam in his circulatorem quendam auctionum, notiſſimum hominem Hiſpali, quia deformis erat, objecit. Cum hujuſcemodi portento res mihi fuit. Sed de illo plura coram. Nunc, quod praeſtat, quid me velitis facere, conſtituite. Tres legiones firmas habeo, quarum unam viceſimam octavam cum ad ſe initio belli arceſſiſſet Antonius hac pollicitatione, quo die in caſtra veniſſet, denarios quingenos ſingulis militibus daturum: in victoria vero eadem praemia quae ſuis legionibus, quorum quis ullam finem, aut modum futurum putavit? inci-

vocomenſem pulſavit, beneficio C. Cæſaris civem Roma. factum, ut oſtenderet, quod a malo auctore factus eſſet, illum civem Ro. non eſſe, & in beneficiis Cæſaris nullam vim eſſe. *Idem.* P. Victorius edidit *civis Ro. natus ſum:* quo modo & aliquot Memm. codices habent. ſed Manutium & Ferrarium ſequor, qui delent vocem *natus.* Lambinus. Sed veteres omnes, præter illum unicum, quo Manutius eſt uſus, habent *natus.*

Circulatorem quendam auctionum] Pro *auctionum* alii *Anthionum*, ut ſit viri nomen. *Corrad.* *Aventronum* eſt in manuſcripto, pro *auctionum*; ut ſit proprium nomen, quo appellaretur *circulator*, de quo ſcribit. *Urſin.* *Circulat. qu. auction.*] Ita Pall. & vulgatæ editiones. Victorius edidit *actionum*, nec video ab eo reddi rationem. At Urſinus nobis ex aliquo libro protrudit *Aventronum*, videturque ei nomen proprium fuiſſe ejus de quo loquitur. utinam libri noſtri adſentirentur. *Gebhard.* Mentelian. *circulatorem quendam Antonium.* quæ lectio hercle non contemnenda. Alii *Anthionum*, quæ proxime ei accedit. *Circulator auctionum* eſt, qui omnes auctiones obit, qui in omnibus auctionibus eſt præſto. Sic *circulatores* ICtis dicuntur medici circumforanei, qui omnia oppida & fora cum medicamentis, quæ venditant, circumeunt. *Gravius.*

Hiſpali] *Hiſpalis* Bæticæ urbs, hodie *Sevilla*, de qua vide Bochard. Geograph. ſacræ Tom. II, lib. I, cap. 34. & Ludov. Non. Hiſpan. veter. c. 16.

Nunc, quod praſtat] Libri aliquot veteres habent *quod praſtas*, & item multa exempla vulgata. ego *quod reſtat*, teneo. *Lambin.* Hittorp. Pal. prim. & ſec. Amſtelod. & Victor. ed. *praſtat.*

Arceſſiſſet] Sic jampridem emendavi, cum in omnibus libris vulgaris legeretur partim *acceſſiſſet*, partim *accerſiſſet.* Lambinus.

Denarios quingenos] Codex vetuſtus qui *quingentos* habet, mendoſus eſt, & conjectura, quam nonnulli ſequuntur, inanis: quamvis enim grandis illa pecunia ſit, tamen non ſine magna mercede legiones a Senatu defeciſſent, & imperatorem ſuum prodidiſſent. Quam aperte autem decepti ſint, hic locus e libro XVI ad Att. oſtendit, de Octaviano puero ſermo eſt, *Veteranos qui Caſilini, & Calatiæ, perduxit ad ſuam ſententiam, nec mirum, quingenos denarios dat.* Victorius.

Ullum finem —— putavit] *Ullam* veteres codices: eſt enim & poetis, & iis qui proſa oratione ſcripſerunt, incerti generis hæc vox. Lucretius lib. II.

Et latere ex utroque ſuperque, infraque per omne
Nulla eſt finis.

Cicero in principio ſtatim libri ad Caſſium

incitatiſſimam retinui, aegre mehercules: nec retinuiſſem, ſi uno loco habuiſſem, utpote cum ſingulae quaedam cohortes ſeditionem fecerint. Reliquas quoque legiones non deſtitit litteris, atque infinitis pollicitationibus incitare. Nec vero minus Lepidus urſit me & ſuis & Antonii litteris, ut legionem trigeſimam mitterem ſibi. Itaque quem exercitum neque vendere ullis praemiis volui, nec eorum periculorum metu, quae victoribus illis portendebantur, diminuere, debetis exiſtimare retentum & conſervatum reip. eſſe: atque ita credere, quodcunque imperaſſetis, facturum fuiſſe, ſi, quod juſſiſtis, feci. Nam & provinciam in otio, & exercitum in mea poteſtate tenui, finibus meae provinciae nuſquam exceſſi. Militem non modo legionarium, ſed ne auxiliarium quidem ullum quoquam miſi: &, ſi quos equites decedentes nactus ſum, ſupplicio affeci. Quarum rerum fructum ſatis magnum republica ſalva tuliſſe me putabo. Sed reſpubl. ſi me ſatis noviſſet, & major pars ſenatus: majores ex me fructus tuliſſet. Epiſtolam quam Balbo, cum etiamnunc in provincia eſſet, ſcripſi, legendam tibi miſi: etiam Praetextam, ſi voles legere, Gallum Cornelium, familiarem meum, poſcito. VI Idus Iunias, Corduba.

Cum in melioribus codicibus, *Finem nullam facio mihi crede Caſſi de te, & de Bruto noſtro, id eſt, de tota Rep. cogitando.* Victorius. Cum quidam libri pro *putavit* ſcribant *putaret.* Balbum exiſtimo ſcripſiſſe, *quis ullam finem aut modum futurum putarit.* Guilielmius mallet *putabit?* Graev.

Singula quadam cohortes] Al. *ſingula quandam coh.* Corrad.

EPI-

EPISTOLA XXXIII.

ARGVMENTVM.

Deplorat acceptam proelio Mutinenſi reip. calamitatem: venturum ſe in Italiam, ut communi ſuccurrat incendio, ſignificat. Eodem anno.

POLLIO CICERONI S.P.

S. V. B. E. E. Q. V. Quo tardius certior fierem de procliis apud Mutinam factis Lepidus effecit, qui meos tabellarios, novem dies retinuit: tametſi tantam calamitatem reip. quam tardiſſime audire optandum eſt, ſed illis, qui prodeſſe nihil poſſunt neque mederi. Atque utinam eodem ſenatuſconſulto quo Plancum & Lepidum in Italiam arceſſiſtis, me quoque juſſiſſetis venire. profecto non accepiſſet reſp. hoc vulnus. quo ſi qui laetantur in praeſentia, quia videntur & duces & veterani Caeſaris partium interiiſſe, tamen poſtmodum neceſſe eſt doleant, cum vaſtitatem Italiae reſpexerint. Nam & robur, & ſuboles militum interiit, ſi quidem quae nuntiantur ulla ex parte vera ſunt. Neque ego non videbam, quanto uſui reipub. eſſem futurus, ſi ad Lepidum veniſſem: omnem enim cunctationem ejus diſcuſſiſſem, praeſertim adjutore Planco. Sed ſcribenti ad me ejuſmodi litteras, quas leges, & concionibus, videlicet quas Narbone habuiſſe dicitur, ſimilis, palpa-

A*Pud Mutinam*] *Mutina* civitas eſt Galliae togatae, hodie *Modena*.

Sed illis quidem prodeſſe nihil poſſum, neque mederi] Al. *ſed illis, qui prodeſſe nihil poſſunt, neque mederi.* Corradus.

In Italiam arceſſiſtis] Sic habent noſtri libri veteres omnes. quod eo adſcripſi, ut deſinant tandem hoc opinari viri docti (nam de indoctis non laboro,) verbum *arceſſo*, ſignificare accuſo: *Acceſſo* vero, advoco, aut venire jubeo. Nam hoc certiſſimum eſt, *acceſſo* non eſſe verbum Latinum: & *arceſſo*, duo illa ſignificare. *Lambinus.*

Nam & robur & ſuboles militum interiit] Quamvis jampridem admonuerim ſcribendum eſſe *ſuboles*, non *ſoboles*: admoneo tamen iterum hoc loco, tum quia ita ſcriptum eſt in quinque libris manuſcr. tum quia ita edidit P. Victorius. *Idem.*

Narbone] *Narbo Martius* caput provinciae

palparer plane neceſſe erat, ſi vellem commeatus, per provinciam ejus iter faciens, habere. Praeterea verebar, ne ſi ante quam ego incoepta perficerem proelium confectum eſſet, pium meum conſilium raperent in contrariam partem ob-

vinciæ Galliæ Tranſalpinæ, quæ & *Narbona* dicitur, & etiamnunc eodem appellatur nomine.

Simularem plane neceſſe erat] Miror nullos hunc locum, ut mendoſum, animadvertiſſe, atque notaſſe. præter enim antiquam ſcripturam, quæ omnino diverſiſſima eſt; unde, ſi ita legas, dictio illa *ſcribenti* pendet, quomodo autem altera *concionibus* regitur? Utinam tam facile poſſemus locum ſuæ integritati reſtituere, quam facile poſſumus plurimis argumentis corruptum eum eſſe convincere. Quamvis autem non confidamus locum nos plane illuſtraturos, non pœnitebit tamen, neque ingratum fortaſſe erit ſtudioſis viris, receptam lectionem inanem præſertim, & nove ſuppletam coarguiſſe & damnaſſe: alii fortaſſe, quod nobis non licuit, præſtabunt: aperta enim purgataque plaga, facilius poteſt medicus artem ſuam explicare & remedia adhibere. Non parvam huic claritatem adfert locus in prima Pollionis epiſtola, eandem rem tractans. quare qui eum cum hoc contulerit, non parvum habebit aditum ad hujus loci reſtitutionem. eſt autem hic, *Unas enim poſt Idus Martias demum a Panſa litteras accepi, in quibus hortatur me ut ſenatui ſcribam, me & exercitum in poteſtate ejus futurum. Quod cum Lepidus concionaretur, atque omnibus [illegible] et ſe conſentire cum Antonio, contrarium [illegible] uit. Nam quibus commeatibus*, &c. Purgat ſe quod non Panſæ litteris paruerit, ſenatuique ſcripſerit: conſilium enim ejus non ſapiens eſſe vult, [illegible]cæque inutile, & maxime contrarium rationibus ejus, qui ſe quæ polliceretur ſenatui, poſſe præſtare & ad exitum perducere vellet. cum enim reſpublica ſuo exercitu in Italia indigeret, Lepidusque cum Antonio conſentiret, ſi ipſe Pollio tam aperte ſenatui ſcripſiſſet ſe in ejus fore poteſtate, auctoritatemque ejus velle defendere, non potuiſſet ſuas copias in Italiam per Lepidi provinciam trajicere: nec enim commeatus ſuppeditaſſet Lepidus ei, qui contrariis partibus palam auxilio veniret. Cum igitur quod Panſa ſuadebat, contrarium eſſe velit, docet ſe recte texiſſe conſilium ſuum bonaque mente ſemper Lepido oſtendiſſe, ſe Antonii ſalutis rationem habiturum, ut rempublicam juvare poſſet, & ut Lepidum falleret. His argumentis & teſtimoniis veterum codicum ductus vulgatam lectionem improbavi & ejeci, veteremque quamvis inquinatam, reſtitui. Quod autem poſtea mihi in mentem venit, & tantopere mihi ſe ex omni parte probavit, ut niſi jam liber excuſus eſſet, ſic ut ſcriberent mandaturus fuerim, nunc exponam. Suſpicor pro *palmarer* in quo tantum verbo mendoſi ſunt priſci codices, *palparer* legi debere: parva omnino licentia opus eſt, unius enim tantum litteræ immutatione totus locus illuſtratur. Quod autem *palpare*, & *palpari* indifferenter pro adulari & ſubblandiri μεταφορικῶς dicitur, planum eſt, & a diligentiſſimis grammaticis animadverſum & notatum, tertioque caſui *ſcribenti* pulchre reſpondet. Sic enim & Horatius libro ſecundo Sermonum, Satyra prima de Cæſare Auguſto loquens, hoc ipſo verbo utitur,

Cui male ſi palpere, recalcitrat undique tutus.

Et Plautus in Amphitryone,

Obſervatote quam blande mulieri palpabitur.

Nam quin *ſimilis* legendum ſit, nullus (niſi fallor) revocabit in dubium. Dicit autem litteras ſimiles, & conſen-

obtrectatores mei, propter amicitiam quae mihi cum Antonio, non major tamen quam Planco, fuit. Itaque a Gadibus menſe Aprili binis tabellariis in duas naves impoſitis, & tibi, & conſulibus, & Octaviano ſcripſi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimum poſſem prodeſſe reip. Sed, ut rationem ineo, quo die proelium Panſa commiſit, eodem a Gadibus naves profectae ſunt. Nulla enim poſt hiemem fuit ante eam diem navigatio. Et hercules longe remotus ab omni ſuſpicione futuri civilis tumultus, penitus in Luſitania legiones in hibernis collocaram. Ita porro feſtinavit uterque confligere, tanquam nihil pejus timerent, quam ne ſine maximo reip. detrimento bellum componeretur. ſed, ſi properandum fuit, nihil non ſummi ducis conſilio geſſiſſe Hirtium video. Nunc haec mihi ſcribuntur ex Gallia Lepidi, & nuntiantur, Panſae exercitum conciſum eſſe, Panſam ex vulneribus mortuum, eodem

proe-

tientes concionibus, quas habebat, ut loco ſupra citato inquit, *cum Lepidus concionaretur, atque omnibus ſcriberet ſe conſentire cum Antonio.* nec enim aliud Pollioni Lepidus ſcribebat, aliud in concionibus loquebatur, ſed ſemper in eadem mente ſe eſſe oſtendebat, ſibi convenire ſocietatemque eſſe cum Antonio. Quo magis cum tam aperte id omnibus & ſcriberet, & loqueretur, dicit ſibi opus fuiſſe Pollio, ut poſſet reipublicæ opitulari, ſe a Lepido non alienum eſſe oſtendere, ſed illi ſubblandiri & adulari, ut poſſet ad finem optimas ſuas cogitationes perducere. *Victorius.* Recte meo judicio Victorius legit *ſimilem, palparer:* quum in veteribus libris omnibus legatur *palmarer.* Corradus. *Simulo, palmarer plane neceſſe erat*] Extat hæc ſcriptura in Palatino primo ac Gruteriano, quam ex ſuis quoque indicavit Victorius: quem miror, alias tam librorum & antiquitatis religioſum, hic ſibi tantum licentiæ ſumpſiſſe, ut illegitimum, quia rarum eſt, putaret; iretque obtruſum nobis *palparer*, quod illico Lambinus, in textum recipit. Adhæreo ergo hic Manutio. Vulgatum eſt, *ſimilem: ſimularem plane neceſſe erat.* Stewechianus quoque & Palat. ſext. *palma rer.* priſca editio *palma rerum.* Gebhardus. Rationes Manutii nihili ſunt, neque enim ut *palpus* ſic *palma* uſquam ponitur pro adulatione, itaque aut legendum eſt cum Victorio *palparer*, aut ex Menteliano codice *parere ei neceſſe eſt.* hoc eſt, omnia quæ vult, & ſcribit jubetve, facere, ita tamen ut ei deleatur. Sed præſtat Victoriana emendatio. *Grav.*

Prælium Panſa commiſit] Epiſt. 30 hujus libri. *Corrad.*

In Luſitania] Nunc vulgo *Portugallia*, quamvis Luſitaniæ veteris & Portugalliæ non iidem ſint fines & termini.

Ex Gallia Lepidi] Eſt ea Gallia, quam tum Lepidus tenebat. Non audiendus hic Manutius.

L. Fa-

proelio Martiam legionem interiſſe, & L. Fabatum, & C. Peducaeum, & D. Carfulenum. Hirtiano autem proelio & quartam legionem, & omnes peraeque Antonii caeſas: item Hirtii. Quartam vero, cum caſtra quoque Antonii cepiſſet, a quinta legione conciſam eſſe. Ibi Hirtium quoque periiſſe, & Pontium Aquilam: dici etiam Octavianum cecidiſſe. Quae ſi, quod dii prohibeant, vera ſunt, non mediocriter doleo: Antonium turpiter Mutinae obſeſſionem reliquiſſe, ſed habere equitum * legiones ſub ſignis armatas tres, & P. Bagienni unam, inermes bene multos. Ventidium quoque ſe cum Legione ſeptima, octava, nona

L. Fabatum] *Fabatus* Rosciæ gentis cognomen Lanuvio municipio oriundæ. *L.* autem hic FABATVS deſcriptus eſt in argenteo quodam denario. *Vrſinus.*

Carfulenum] Qui cohortem prætoriam Cæſaris Octavii, & Martiam legionem ad Panſam venientem deduxerat. *Corrad.*

Omnes peraque] Al. *omnes præter equites.* al. *omnes per equites.* Urſin.

Pontium Aquilam] Hic unus eſt ex interfectoribus Cæſaris: quem D. Bruti legatum hoc prœlio cecidiſſe his verbis narrat Dion. hiſtoriarum Romanarum libro XLVI. Ὡς δ' ἂν ταῦτ' ἐγένετο, καὶ Πόντιος Ἀκύλας, εἷς τῶν σφαγέων ὤν, καὶ τοῦ Δεκίμου ὑποστρατηγῶν, Τίτον Μουνάτιον Πλάγκον ἀντιπολεμοῦντα αὐτῷ μάχαις ἐνίκησε, &c. paulloque infra de decretis propter hanc victoriam Romæ loquens inquit, Καὶ τὸν Ἀκύλαν ἀποθανόντα, ἐν τῇ μάχῃ εἰκόνι ἐτίμησαν καὶ χρήματα ἃ ἐς τὴν παρασκευὴν τι Δεκίμου στρατιωτῶν εἰσεδεδώκει τοῖς κληρονόμοις αὐτοῦ ἀπέδωκαν. Victorius. *Pontium Aquilam*] D. Bruti legatum, cui poſtea ſenatus ſtatuam decrevit. *Corrad.*

*Sed habere equitum * legiones*] Antiqua exemplaria *equitum*: deeſt autem nota numeri equitum: nam *equitatum* [illegible] male in excuſis legitur. requiſit enim hic numerum copiarum: locum cum in nullo veteri exemplari invenerimus, notam quæ deeſſe ſignificet, adpoſuimus. *Victorius.* Nihil addimus ad ea, quæ olim hoc in loco a nobis diſputata ſunt, præſertim cum non multo ante de ſimili loco diligenter diſſeruerimus. *Idem* in poſterior. *Sed hab. equitatum ac legiones*] Al. *equitum legiones*: ut *equites* per *legiones* numeret. & ſane unam tantum legionem habuiſſe peditum, teſtis eſt Lepidus epiſt. ſequenti. *Corradus.* Recte legitur in manuſcripto, *ſed habere equitum* CCIↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ. *ac legiones.* Urſinus.

Et pupilli Bagienni unam] Nos emendavimus *P. Bagienni*: etſi veteres etiam codices *pupilli* habent. Sed mirum eſt quam ſint fœde corrupti omnes quos vidimus in his compendii notis: ut locus ille in ſecunda epiſtola ad Lentulum, *Cui Lupus Trib. pleb. quod ipſe de Pompeio retuliſſet*, &c. in Mediceo etiam cæteris probatiore, legitur *Cui lupus tyrannus Publio Lentulo quid ipſe*, &c. Et ſic quotieſcunque imperitus ille & audax quiſquis fuerit notas illas compendii interpretari voluit: quemadmodum ſæpe *C.* Conſul interpretatur, ut eo loco ad Appium, *Ego C. Pomptinum legatum meum Brunduſii expectabam.* habent enim antiqui, *Ego Conſul Pomptinum.* & ſic in Mediceo titulus epiſtolarum ad C. Curionem eſt, *Incipit ejuſdem ad Conſulem Curionem.* item in ultima epiſtola ejuſdem libri C. Cœlio

nona conjunxiſſe: ſi nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema, & non modo nationes, ſed etiam ſervitia concitaturum: Parmam direptam: L. Antonium Alpes occupaſſe. Quae ſi vera ſunt, nemini noſtrum ceſſandum eſt, nec exſpectandum quid decernat ſenatus. Res enim cogit huic tanto incendio ſuccurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique pop. Rom. ſalvum volunt eſſe. Brutum enim cohortes XVII. & duas non frequentes tironum legiones, quas conſcripſerat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito quin omnes, qui ſuperſint de Hirtii exercitu, confluant ad eum. Nam in delectu non multum ſpei puto eſſe: praeſertim cum nihil ſit periculoſius quam ſpatium confirmandi ſeſe Antonio dari. Anni autem tempus libertatem majorem mihi dat, propterea quia frumenta aut in agris, aut in villis ſunt. Itaque proximis litteris conſilium meum expedietur. Nam neque deeſſe, neque ſupereſſe reipub. volo. Maxime tamen doleo adeo & longo & infeſto itinere ad me veniri, ut die quadrageſimo poſt, aut ultra etiam, quam facta ſunt, omnia nuntientur.

ſcripta locus ille, *quod item C. Virginius propinquus tuus* &c. ſic in eodem legitur, *quod item Conſul Virginius*, &c. Quod tamen mendum turpiter omnes fere vulgatos codices occupaverat. quis enim ea tempeſtate *Conſul* hoc nomine extitit? Sed quantum ad *pupillum*, alibi etiam in eo codice pro *T. pupillus* depravate legitur, ut in epiſtola qua commendat Bruto L. Titium Strabonem his verbis, *Huic in tua provincia pecuniam debet pupillus Cornelius.* cum tamen vulgati omnes eo loco *P. Cornelius* habeant. quare nos tuto viſi ſumus receptum licet errorem rejicere & aſpernari. Rem autem pluribus verbis explicavimus, ut intelligant ſtudioſi unde hæc in prænominibus errata, quæ ſæpe mirifice lectorem perturbant, orta ſint. *Victor.*

Parmam direptam] A L. Antonio. *Corrad.*

EPI-

EPISTOLA XXXIV.

ARGVMENTVM.

Narrat, adveniente Antonio quid egerit: & agit gratias, quod iniquis de ſe rumoribus fidem non habuerit. Eodem anno.

M. LEPIDVS IMP. ITER. PONT. MAX. M. T. C. S. P. D.

S. V. B. E. E. V. Cum audiſſem Antonium cum ſuis copiis, praemiſſo L. Antonio cum parte equitatus, in provinciam meam venire: cum exercitu meo ab confluente Rhodano caſtra movi, ac contra eos venire inſtitui. Itaque continuis itineribus ad Forum Vocontium veni,

LEPIDVS IMP. ITEM PONT.] Nos antiquam ſcripturam in Mediceo vix conſervatam reſtituimus: erat enim etiam in illo prima littera ejus dictionis *iter* contaminata in omnibus his Lepidi titulis, ſed rubrica tantum circumducta, ut prior Lectio evidenter appareret. Petrarca vero, ſive quis alius, qui ab eo exemplari librum qui eſt in Divi Marci bibliotheca deſcripſit, majorem quam debuit importunæ illicafligationi fidem habuit, *ter* enim ſemper habet: nos vetuſtiorem illam recepimus, & ſinceram putamus. *Iter* autem ut in antiquis omnibus monumentis pro *iterum* ſcriptum eſſe credimus. conjungitur autem cum priore dictione *Imperator.* Nam quoties felici aliquo prælio facto Imperatores ab exercitu appellati eſſent, toties in memoriis titulisque notabant. Quod ex numiſmatibus, & lapidibus antiquis tam clarum & teſtatum eſt, ut non neceſſe ſit id magis confirmare: nam ad ſequentem dignitatem nullo modo pertinet. non enim acceptum ſemel id ſacerdotium aliquis niſi morte amittebat. Quod in Lepido hoc manifeſtum eſt: cum enim eum provincia, exercitu, omnique dignitate ſpoliaſſet Auguſtus, nunquam auſus eſt pontificatum ei eripere, quem illo mortuo ſibi ſtatim aſſumpſit. *Victorius.* *M. LEPIDVS IMP. ITERVM*] Inſcriptio hujus epiſtolæ & ſequentis, in manuſcripto aliter legitur, *M. Lepidus Imperator Pont. Max.* In denariis certe quos ipſi vidimus, *M. Lepidus Imp. iterum* nunquam appellatur. *Urſinus.*

PONT. MAX.] In Cæſaris locum furto creatus. *Corrad.*

Ab confluente Rhodano] Ubi Araris incidit in Rhodanum. Ad illum confluentem ſita Lugdunum, nunc *Lion.*

Ad Forum Vocontium] Al. *Vocontii.* nonnulli vero legunt *Vocontiorum.* forraſſe legendum *Voconii*, ut in epiſt. 17. hujus libri. *Corradus.* *Forum Vocontium* eſt *Vaſio*, caput Vocontiorum, hodie *Vaiſon.*

veni, & ultra, caſtra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci. P. Ventidius ſuas legiones tres conjunxit cum eo, & ultra me caſtra poſuit. habebat antea legionem ſecundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, ſed inermorum. Equitatum habet magnum. Nam omnis ex proelio integer deceſſit, ita ut ſint amplius equitum*. Itaque ad me complures milites, & equites ab eo tranſierunt, & in dies ſingulos ejus copiae minuuntur. Silanus & Culleo ab eo diſceſſerunt. Nos etſi graviter ab his laeſi eramus, quod contra noſtram voluntatem ad Antonium ierant, tamen noſtrae humanitatis & neceſſitudinis cauſſa, eorum ſalutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur, neque in caſtris habemus, neque ulli negotio praefecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec ſenatui, nec reip. deerimus. quae poſtea egerimus, faciam te certiorem. Etſi omni tem-

Ad flumen argenteum] Fluvius Galliæ Narbonenſis, in mare Mediterraneum exiens, nunc *Argiens*, ad cujus oſtium ſita *Forum Julii* nunc *Friul*.

Contra Antonianos feci] Lectionem hanc, utpote veriſſimam, debemus excerptis Vaticani: cum Victorius ediderit *Antonios*, exſtetque vulgo *Antonianos*. Sic epiſtola præcedente *Hirtino prælio*, præ quo vulgatum *Hirtiano*. Sic libro XII, ep. 14. ut videbimus. *Gebbardus*. Amſtelod. *Antonios*. Mentel. *Antonianos*, quod præſtat.

P. Ventidius] Sup. ep. 17. & 33.

Legiones tres] Ep. præced. 33. *Corradus*.

Sed inermium] *Inermorum* habent omnes vetuſti codices, ut etiam in Ciceronis epiſtola ad D. Brutum eo loco, *Cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antonium*: etſi eo etiam loco vulgati codices *inermibus* habeant contra omnium veterum fidem. *Victorius*. Sic & præced. epiſt. quidam veteres codices, *inermos bene ...*

Ita ut ſint amplius equitum triginta millia] In nullis manuſcriptis paullo antiquioribus hunc numerum, aut alium equitum Antonii invenire potui. Quapropter notam quæ illum ſignificaret, a librariis negligenter omiſſam, arbitratus ſum: eam autem ego, quæ defectum indicaret, adpoſui, quam etiam Mediceus codex omnibus his locis, quibus numerus deſideratur, etſi non ſimilem noſtræ, ſuam tamen quandam, & ſemper eandem habet. *Victorius*. *Equit. trig. mill.*] Al. legunt *tria millia*: ſed in antiquis libris nullus eſt hic numerus, etſi deſcriptus cum eo melius convenit, quem ſupra ſcripſit Aſinius, ſi modo ibi tres equitum legiones dici probamus. *Corradus*. *Equitum* $\overline{XXX}$ Manuſcriptus habet CCIↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ. *Urſinus*.

Sylanus] Ep. 30 hujus libri. *Corrad*. M. hic *Silanus* in argenteis M. Antonii denariis frequens eſt. *Urſin*.

Culleo] Qui a me ad Alpes cuſtodiendas miſſus, ad Antonium transfugerat. *Corrad*.

tempore ſumma ſtudia officii, mutuo inter nos certatim conſtiterunt, pro noſtra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab utroque conſervata ſunt, tamen non dubito, in tanto & tam repentino reipub. motu quin nonnulla de me falſis rumoribus a meis obtrectatoribus, me indigna, ad te delata ſint, quae tuum animum magno opere moverunt, pro tuo amore in remp. Ea te moderate accepiſſe, neque temere credendum judicaſſe, a meis procuratoribus certior ſum factus: quae mihi, ut debent, gratiſſima ſunt. Memini enim & illa ſuperiora, quae abs tua voluntate profecta ſunt ad meam dignitatem augendam & ornandam: quae perpetuo animo meo fixa manebunt. Abs te, mi Cicero, magnopere peto, ſi meam vitam, & ſtudium diligentiſſime ſuperioribus temporibus in rep. adminiſtranda, quae Lepido digna ſunt, perſpecta habes, ut paria aut eo ampliora reliquo tempore exſpectes: & proinde tua auctoritate me tuendum exiſtimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. D. xi Kalendas Iunias, ex caſtris, ex Ponte Argenteo.

Illa ſuperiora] Ut ſtatuam equeſtrem inauratam, mihi tua ſententia decretam. *Corradus.*

Ex Ponte Argenteo] Ab aliis legitur *Argenteí*: fluvius enim, in quo pons erat, *Argenteus* dicebatur. *Idem.*

EPISTOLA XXXV.

ARGVMENTVM.

Recepti Antonii cauſſam in ſuos milites confert, diſſenſionem civium inique ferentes. Eodem anno.

LEPIDVS IMP. ITER. PONT. MAX. SENAT. POP. PL. Q. R. S. D.

S. V. liberique veſtri V. B. E. E. Q. V. Deos, hominesque teſtor, patres conſcripti, qua mente & quo animo ſemper in remp. fuerim, & quam nihil antiquius communi ſalute ac libertate judicarim: quod vobis brevi

probaſſem niſi mihi fortuna proprium conſilium extorſiſſet. Nam exercitus cunctus conſuetudinem ſuam in civibus obſervandis communique pace, ſeditione facta, retinuit: meque tantae multitudinis civium Romanorum ſalutis atque incolumitatis cauſſam ſuſcipere, ut vere dicam, coegit. In qua re ego vos, patres conſcripti, oro atque obſecro, ut privatis offenſionibus omiſſis, ſummae reip. conſulatis, neve miſericordiam noſtram, exercituſque noſtri, in civili diſſenſione, ſceleris loco ponatis. Quod ſi ſalutis omnium ac dignitatis rationem habueritis, melius & vobis & reip. conſuletis. Data III Kal. a Ponte Argenteo. Valete.

IN *civibus conſervandis*] Nos quam in cunctis reperimus antiquioribus exemplaribus dictionem, non negleximus. non enim temere omnes uno conſenſu *obſervandis* legunt, nec ſemper oportet cunctas rariores & infrequentiores voces condemnare & explodere: nimis enim anguſte laros Latinæ linguæ terminos contraheremus, quos majores noſtri eruditiores, & meliore judicio præditi, ſemper ſummo ſtudio proferebant. *Victorius.* *Obſervandis* etiam legitur in Amſtelod. Mentel. Græv. ſec. Hittorp. Gruter. Alius vet. cod. quo Lambinus uſus *ſervandis*. Sed *obſervare* videtur hic poſitum pro ſimplici *ſervare*.

Seditione facta retinuit] Lælio quodam, & Clodio meretricio habitu emiſſis, qui juberent Antonium mea caſtra oppugnare, niſi reciperetur; quoniam intus multi eſſent parati illum recipere, & me, ſi ille juberet, trucidare: ſic enim fere ſcribit Plutarchus in Antonio. *Corrad.*

Ut vere dicam coegit] Non enim exercitui ita volenti repugnare potui. *Idem,* Hoc & Dio & Velleius & alii prodiderunt. Hoſtis tamen Lepidus eſt judicatus.

M. TVL.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD BRVTVM; ET BRVTI AD CIC. &c.

LIBER XI.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

D. Brutus habitum cum Hirtio, conſule deſignato, ſermonem exponit; poſtulatam a ſe liberam legationem ſignificat: ſuum conſilium oſtendit, tutam in urbe manſionem non eſſe, migrandum ex Italia; vel poſtulandum, ut ipſi, & M. Bruto, & Caſſio liceat eſſe in urbe publico praeſidio. Antonio & Dolabella Coſſ.

D. BRVTVS BRVTO SVO ET C. CASSIO S.

QVo in ſtatu ſimus cognoſcite. Heri veſperi apud me Hirtius fuit: qua mente eſſet Antonius, demonſtravit, peſſima ſcilicet & infideliſſima. Nam ſe neque mihi provinciam dare poſſe ajebat, neque arbitrari, tuto in urbe eſſe quenquam noſtrum, adeo

D. *Brutus*] Decimus Brutus Albinus. *Corrad.*

Hirtius] Conſul cum Panſa deſignatus in annum ſequentem.

Neque mihi provinciam dare poſſe] Galliam Ciſalpinam. *Corrad.*

Quod

adeo eſſe militum concitatos animos & plebis. Quorum utrumque eſſe falſum, puto vos animadvertere: atque illud eſſe verum, quod Hirtius demonſtrabat, timere eum, ne, ſi mediocre auxilium dignitatis noſtrae habuiſſemus, nullae partes iis in repub. relinquerentur. Cum in his anguſtiis verſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi reliquiſque noſtris, ut aliqua cauſſa proficiſcendi honeſta quaereretur. Haec ſe impetraturum pollicitus eſt: nec tamen impetraturum confido: tanta eſt hominum inſolentia & noſtri inſectatio. Ac ſi dederint quod petimus, tamen paullo poſt futurum puto ut hoſtes judicemur, aut aqua & igni interdicamur. Quid ergo eſt, inquis, tui conſilii? dandus eſt locus fortunae, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquo terrarum arbitror. Si melior caſus fuerit, revertemur Romam: ſi mediocris, in exſilio vivemus: ſi peſſimus, ad noviſſima auxilia deſcendemus. Succurret fortaſſe hoc loco alicui veſtrum, cur noviſſimum tempus exſpectemus potius, quam nunc aliquid moliamur? Quia ubi conſiſtamus non habemus, praeter Sex. Pompeium, & Baſſum Caecilium, qui mihi videntur, hoc nuntio de Caeſare allato, firmiores futuri. Satis tempore ad eos accedemus, ubi quid valeant ſcierimus.

Quod utrumque eſſe falſum] Amſtelodam. Pal. prim. Mentel. meus ſecundus, *quorum utrumque eſſe falſum*. Horum ſequor conſenſum. *Grav.*

Timere eum] Antonium. *Corrad.*

Nulla partes iis in rep.] Cæſarianis, vel Antonio & Antonianis. *Idem.* Legendum videtur, *nulla partes ſibi in rep.* Lambin.

Ut poſtularem legationem liberam mihi] Ut cum aliqua dignitate exire quolibet poſſem. Ob id enim liberæ legationes petebantur. *Corrad.* Vide de legatione libera Samoſc. lib. 1 de Senatu Romano, & h. l. Manut.

Reliquiſque noſtris] Cæſaris interfectoribus. *Corradus.*

Pollicitus eſt] Hirtius. *Idem.*

Tanta eſt hominum inſolentia] Fort. *omnium.* Lambin.

Ac ſi dederint quod petimus] Scribendum *aut ſi dederint.* Urſinus.

Aut aqua & igni interdicamur] Non potui non hanc lectionem probare injicientibus eam nobis tribus MSS. Palatino tertio, Gruteriano, Stewechiano. Editum eſt, *aut aqua & igni nobis interdicatur.* Gebhardus. Pal. accedit Amſtelodamenſis.

Præter Sex. Pompeium] Magni F. in Iberia. *Corradus.*

Baſſum Cæcilium] In Syria, epiſt. 11 lib. XII. *Idem.*

De Cæſare] De Cæſaris morte. *Idem.*

Satis tempore] Sic Amſtelodam. duo Pall. duo Guilielm. Vict. editio. vulgo

rimus. Pro Caſſio, & te, ſi quid me velitis recipere, recipiam. Poſtulat enim hoc Hirtius, ut faciam. Rogo vos, quam primum mihi reſcribatis. nam non dubito quin his de rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me ſit facturus, quem in locum convenire poſſimus. Quo me velitis venire reſcribite. Poſt noviſſimum Hirtii ſermonem, placitum eſt mihi poſtulare, ut liceret nobis eſſe Romae publico praeſidio: quod illos nobis conceſſuros non puto. magnam enim invidiam iis faciemus. Nihil tamen non poſtulandum putavi, quod aequum eſſe ſtatuerem.

go *ſatis in tempore.* Sed hæc ellipſis frequens eſt præſertim apud Comicos. Plaut. Aſin. *Ut tempore opportuneque obtulit ii.* pro quo & *tempori* (quod malebat F. Urſinus) dicunt, hoc eſt, tempeſtive. *Gravius.*

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Petunt ab Antonio conſule Brutus & Caſſius praetores, an ipſos putet in urbe, magna veteranorum militum frequentia, tutos fore. Eodem anno.

BRVTVS ET CASSIVS PRAETT. M. ANTONIO COS.

De tua fide & benevolentia in nos niſi perſuaſum eſſet nobis, non ſcripſiſſemus haec tibi: quae profecto, quum iſtum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis magnam veteranorum multitudinem Romam conveniſſe jam, & ad Kalendas Iunias futuram multo majorem. De te ſi dubitemus aut vereamur, ſimus noſtri

Non *conſcripſiſſemus hæc tibi*] Nullus dubito quin in Mentelian. & Hittorp. recte ſcribatur, *non ſcripſiſſemus hæc tibi.* illudque *con* natum ſit ex præcedente vocula *non*, cujus prima littera, ut ſæpe fit, omiſſa, iſtud *conſcripſiſſemus* peperit. præterea *non* ex alio codice fuit additum, ſententia poſtulante. Exiſtimat Nicol. Rubenius, qui Regi Sueciæ fuit a bibliotheca, vir doctiſſimus, vulgatam poſſe defendi. Sic enim Ciceronem locutum eſſe lib. XII ad Att. ep. 9: *De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conſcripſit.* Græv.

In

ſtri diſſimiles. Sed certe, cum ipſi in tua poteſtate fuerimus, tuoque adducti conſilio dimiſerimus ex municipiis noſtros neceſſarios, neque ſolum edicto, ſed etiam litteris id fecerimus, digni ſumus quos habeas tui conſilii participes, in ea praeſertim re quae ad nos pertinet. Quare petimus a te, facias nos certiores tuae voluntatis in nos: puteſne nos tutos fore in tanta frequentia militum veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: quod velle te & probare vix quiſquam poſſe videtur, qui nos ſalvos & honeſtos velit. Nos ab initio ſpectaſſe otium, nec quidquam aliud libertate communi quaeſiſſe, exitus declarat. Fallere nemo nos poteſt niſi tu, quod certe abeſt a tua virtute & fide: ſed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credidimus, & crédituri ſumus. Maximo timore de nobis afficiuntur amici noſtri: quibus etſi tua fides explorata eſt, tamen illud in mentem venit, multitudinem veteranorum facilius impelli ab aliis quolibet, quam a te retineri poſſe. Reſcribas nobis ad omnia rogamus. Nam illud valde leve eſt ac nugatorium, ea re denuntiatum eſſe vete-

In tua poteſtate fuerimus] A te, & a Lepido hoſpitio accepti poſtquam e Capitolio deſcendimus. *Corrad.* Immo *in tua poteſtate fuerimus*, eſt cum fecerimus, quæ tibi placebant, quæ ſuadebas; ut ad libri x, ep. 31 notatum. *Grav.*

De reponenda ara] Cæſari. *Corradus.* Vid. Manut.

Quod velle te probare vix quiſquam poſſe videtur] Al. *velle probare.* Alii tamen legunt, *velle & probare.* Sed quum hic & mox varie ſcribatur, fortaſſe locus hic ita eſt legendus, *quod velle probare vix quiſquam credi poteſt, qui nos ſalvos & honeſtos velit.* Corradus. *Qu. v. te prob. v. qu. poſſ. vid.*] Repræſentavi ſcripturam editionis Victorianæ. Palatinus vero tertius ac Stewechianus, *quod velle probare vix quis poſſe credere videtur.* Lambinus, cum quo facit codex Hittorpianus, *quod velle & probare vix quiſquam poſſe videtur.* In Mediceo codice erat, ut notat Egnatius, *quod vellet & probare vix quiſquam poſſe videtur.* Vulgo, *quod velle te probare vix quiſquam credere poſſe v.* Gebhard. Hittorpiani codicis lectio, aliis melior eſt & efficacior.

Aliud libertate] Phædrus præfat. lib. III.

Quod ſi accuſator alius Sciano foret.

Impelli ab aliis quolibet] Quantivis pretii hæc lectio eſt, præ vulgata, *impelli ab alio quolibet*, licet exigua mutatione converſa. Habemus eam ex Hittorpiano codice, Vaticani excerptis, atque editione Victoriana. *Gebhard.*

Ea de re denuntiatum eſſe veteranis, quod de, &c.] Videtur aliquid deeſſe poſt vocem *veteranis*: nempe tale quiddam *ut venirent.* Lambin. Imo nihil deſideratur. *denuntiare* enim Latinis eleganter eſt arceſſere, jubere, rogare præſto

veteranis, quod de commodis eorum menſe Iunio laturus eſſes. Quem enim impedimento futurum putas, cum de nobis certum ſit nos quieturos? Non debemus cuiquam videri nimium cupidi vitae, cum accidere nobis nihil poſſit ſine pernicie & confuſione omnium rerum.

ſto eſſe. Lib. XIII, ep. 77. *Ut hoc tui neceſſarii ſciant, hoc me animo erga te eſſe, velim facias eos certiores, ut ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi jure ſuo denuntiare.* Id. in Verr. *Domino denuntiatum eſt, cauſſa dicta damnati ſunt.* Lib. II ad Att. epiſt. 22. *Velitat, furit, nihil habet certi, multis denuntiat: quod fors obtulerit acturus videtur.* Sic hoc loco *denuntiare veteranis* eſt eos accire in urbem.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Expoſtulatio ad contumelioſas & minaces Antonii litteras. Eodem anno.

BRVTVS ET CASSIVS PRAETT. ANTONIO COS. S.D.

S.V.B.E. litteras tuas legimus, ſimillimas edicti tui, contumelioſas, minaces, minime dignas quae a te nobis mitterentur. Nos, Antoni, te nulla laceſſiimus injuria, neque miraturum credidimus, ſi praetores & ea dignitate homines aliquid edicto poſtulaſſemus a conſule. Quod ſi indignaris auſos eſſe id facere, concede nobis ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto & Caſſio tribui. Nam de dilectibus habitis, & pecuniis imperatis, exercitibus ſollicitatis, & nuntiis trans mare miſſis, quod te queſtum eſſe negas,

Simillimas edicti tui] Quo idem ſupplicium minabatur optimis civibus, quod Cicero de ſceleratiſſimis ſumpſiſſet, ut in Philippica tertia legitur. *Corradus.*

Edicto poſtulaſſemus] Quo teſtati ſumus, nos in exilio libenter victuros, dum R. P. conſtaret concordia. *Idem.* Mal. vide Manut.

Nam de delectib. habitis] A noſtris. *Id. De dilectibus* eſt antiqua ſcriptura, atque ita ſine dubio legendum. Mendoſe autem hic operæ fecerant *delectibus.* Lambin.

Nuntiis trans mare miſſis] Præſertim in Aſiam ad Trebonium, & in Bithyniam ad Tullium Cimbrum. *Corradus.*

Cum

negas, nos quidem tibi credimus optimo animo te feciſſe, ſed tamen neque agnoſcimus quidquam eorum, & te miramur, cum haec reticueris, non potuiſſe continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caeſaris objiceres. Illud vero quemadmodum ferendum ſit tute cogita, non licere praetoribus concordiae ac libertatis cauſſa per edictum de ſuo jure decedere, quin conſul arma minetur. Quorum fiducia nihil eſt quod nos terreas. Neque enim decet, aut convenit nobis, periculo ulli ſubmittere animum noſtrum. Neque eſt Antonio poſtulandum, ut iis imperet quorum opera liber eſt. Nos ſi alia hortarentur, ut bellum civile ſuſcitare vellemus, litterae tuae nihil proficerent. Nulla enim minantis auctoritas apud liberos eſt. Sed pulchre intelligis non poſſe nos quoquam impelli: & fortaſſis ea re minaciter agis, ut judicium noſtrum metus videatur. Nos in hac ſententia ſumus, ut te cupiamus in libera rep. magnum atque honeſtum eſſe, vocemus te ad nullas inimicitias, ſed tamen pluris noſtram libertatem quam tuam amicitiam aeſtimemus. Tu etiam atque etiam vide quid ſuſcipias, quid ſuſtinere poſſis: neque quam diu vixerit Caeſar, ſed quam non diu regnarit fac cogites. Deos quaeſumus, conſilia tua reipub. ſalutaria ſint, ac tibi. ſi minus, ut ſalva atque honeſta repub. tibi quam minimum noceant optamus. Pridie Nonas Sext.

Cum hac reticueris] Nihil queſtus fueris. *Corrad.*

De ſuo jure decedere] Quod nos a te, prætores a Coſ. noſtro edicto petebamus, ut vitandæ ſeditionis cauſſa abeſſemus. *Idem.* *Decedere*] *Decernere* vetus liber. *Urſinus.* Non decedebant de ſuo jure, ſed edicto illo petebant, ut illis liceret cum ſenatu de ſuo jure *decidere*, & ſic legendum, hoc eſt, tranſigere, paciſci, ut legibus ſolverentur, & concordiæ cauſſa illis liceret abeſſe. Nam hoc eſt *decidere*, ut apud Juſtin. lib. xxxi. *Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratia dari, neque de jure patria decidi poſſe.* Cic. in Orat. pro Q. Roſcio, *de re tota decidiſti. Ergo huc univerſa cauſſa deducitur, utrum Roſcius cum Flavio de ſua parte, an de tota ſocietate fecerit pactionem.* de hoc loquendi genere Gronovius in Obſervat. lib. II, c. 6. pluribus egit. *Gravius.*

Judicium noſtrum] Fugiendi belli. *Corradus.*

Non diu regnarit] Quatuor annos. *Idem.*

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Res a ſe geſtas exponit: pro quibus, Ciceronem rogat, ut ſibi ſua ſententia ſupplicationes decernat. Eodem anno.

D. BRVTVS IMP. COS. DESIGN. CICERONI S.D.

SI de tua in me voluntate dubitarem, multis a te verbis peterem ut dignitatem meam tuerere. ſed profecto eſt ita, ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curae. Progreſſus ſum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quam cupiens militibus ſatisfacere, firmoſque eos ad tuendas noſtras res efficere, quod mihi videor conſecutus. Nam & liberalitatem noſtram & animum ſunt experti. cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi, multa caſtella cepi, multa vaſtavi. Non ſine cauſſa ad ſenatum litteras miſi. Adjuva nos tua ſententia: quod cum facies, ex magna parte communi commodo inſervieris.

COſ. deſign.] Cum L. Planco. *Corradus.*

Progreſſus ſum ad tranſalpinos] Veteres omnes codices, præterea Germanicus *inalpinos*. Nos etiam longe meliorem hanc lectionem putantes *inalpinos* legimus: non enim alpes tranſiit Brutus, ut cum gentibus trans alpes ſitis bellum gereret, ſed cum feris populis alpes colentibus pugnavit, eorumque caſtella expugnavit. In vetuſtis etiam codicibus ſic ſcriptus eſt hic locus Suetonii in Augusto, *Item Rhetiam & Vindelicos, ac Salaſſos gentes inalpinas coercuit.* Nec deſunt qui ita quoque verſum hunc Tibulli legant,

Teſtis inalpinis Epas pernatus in armis.

quamvis in impreſſis codicibus longe aliter legatur. *Victorius.* *Tranſalpinos*] Al. *inalpinos*: ut in Quæſtura diximus. Sed quid ſi hæc epiſtola multo ante Cæſaris mortem ſit ſcripta, ut *tranſalpinos* retineamus, quibus olim Cæſar hunc Brutum præfecerat? nam & in hujus epiſtolæ præſcriptione in aliis libris *Coſ. Deſ.* non legitur. Hoc tamen ex conjectura ſit dictum. *Corradus.* *Progreſſus ſum ad Inalpinos*] Quod haberi in ſuis Victorius, id quoque ego de Palatinis primo ac tertio, Siewechiano ac Hittorpiano, Vaticano. *Inalpini* ſunt qui alpibus inhabitant. Vulgo *tranſalpinos*, male, &, ut Victorius recte adnotavit, contra hiſtoriæ fidem. Mox in Palatino primo ac Vaticani excerptis reperi. *cum omnium bellicoſis bellum.* Gebhardus.

EPI-

EPISOLA V.

Argumentum.

Excuſat ſe, quod Bruti litteris non reſponderit: hortatur ad libertatem recuperandam: ſua ſtudia officiaque pollicetur. Eodem anno.

M. CICERO D. BRVTO IMP. COS. DES. S.

LVpus familiaris noſter cum a te veniſſet, cumque Romae quoſdam dies commoraretur, ego eram in iis locis in quibus maxime me tuto eſſe arbitrabar. Eo factum eſt ut ad te Lupus ſine meis litteris rediret, cum tamen curaſſet tuas ad me perferendas. Romam autem veni a. d. v Idus Decembris, nec habui quidquam antiquius quam ut Panſam ſtatim convenirem, ex quo ea de te cognovi quae maxime optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, ſi ne illa quidem in re, quae a te geſta eſt poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti. Illud tamen breviter ſignificandum videtur, populum Rom. omnia a te exſpectare, atque in te aliquando recuperandae libertatis omnem ſpem ponere. Tu, ſi dies noctesque memineris quod te facere certo ſcio, quantam rem geſſeris, non obliviſcere profecto, quantae tibi etiam nunc gerendae ſint. Si enim iſte provinciam nactus erit, cui quidem ego ſemper amicus fui ante quam illum intellexi non modo aperte, ſed etiam libenter cum rep. bellum gerere, ſpem reliquam nullam

EGo eram in iis locis] Epiſt. 1 lib. x. *Corrad.*

Romam autem veni] Ex Leucopetra rediens. *Idem.*

In illa quidem re] In Cæſaris morte. *Idem*

Illud tamen breviter] Forte, *tibi breviter*. Lambin.

Si enim iſte] M. Antonius, qui Bruto provinciam conabatur eripere.

Provinciam nactus] Galliam citeriorem, cui tu præfectus es. *Corrad.*

Cui quidem ego ſemper amicus fui] Idque nonnullo ejus officio debere eſſe, præ me ſemper tuli. id vero illi in petitione quæſturæ maxime oſtendi. *Idem.*

Spem reliquam nullam video ſalutis] Hiſ-

lam video ſalutis. Quamobrem te obſecro iiſdem precibus quibus S. P. Q. R. ut in perpetuum remp. dominatu regio liberes, ut principiis conſentiant exitus. Tuum eſt hoc munus, tuae partes, a te hoc civitas vel omnes potius gentes non exſpectant ſolum, ſed etiam poſtulant. quanquam cum hortatione non egeas, ut ſupra ſcripſi, non utar ea pluribus verbis: faciam illud quod meum eſt, ut tibi omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes pollicear, quae ad tuam laudem & gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita perſuadeas, me cum reip. cauſſa, quae mihi vita mea eſt carior, tum quod tibi ipſe faveam tuamque dignitatem amplificari velim, tuis optimis conſiliis, amplitudini, gloriae, nullo loco defuturum. Vale.

Hittorpianus codex optimus, ut in duobus hiſce libris expertum, *bellum gerere; reliquiam nullam video ſalutis*, erudire ac priſce, ſi plures codices accederent. Palatinus vero tertius *ſpem nullam video ſalutis* ut pateat, locum, ut vulgo legitur, non ſic a Cicerone eſſe profectum. *Gebhard.*

Pollicear quae ad tuam laudem] Forte, *pollicear in iis, quae ad tuam laudem.* Lamb.

Quod tibi ipſe faveam] Sic optime Amſtelodam. duo Pall. & Stewech. vulgati *tibi ipſi faveam.* Saepiſſime hoc loquendi genus corruptum eſt, ut pridem docti viri monuerunt, & nos alibi. *Graevius.*

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

Suam dignitatem Brutus commendaverat. reſpondet Cicero, ſibi eam etiam atque etiam curae fore, idque jam in ſenatu declaratum. Eodem anno.

M. CICERO D. BRVTO IMP. COS. DES. S.

LVpus noſter cum Romam ſexto die Mutina veniſſet, poſtridie me mane convenit; tua mihi mandata diligentiſſime expoſuit, & litteras reddidit. Quod mihi tuam digni-

Lupus noſter] Epiſt. 1 lib. 1. ſi modo idem ſit. *Corradus.*

dignitatem commendas, eodem tempore exiſtimo te mihi meam dignitatem commendare, quam mehercule non habeo tua cariorem. Quare mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Cum tribuni plebis edixiſſent, ſenatus adeſſet a. d. XIII Kal. Ian. haberentque in animo de praeſidio conſulum deſignatorum referre: quanquam ſtatueram in ſenatum ante Kal. Ian. non venire: tamen, cum eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi aut ita haberi ſenatum ut de tuis divinis in remp. meritis ſileretur, quod factum eſſet, niſi ego veniſſem, aut, etiam ſi quid de te honorifice diceretur, me non adeſſe. Itaque in ſenatum veni mane: quod cum eſſet animadverſum, frequentiſſimi ſenatores convenerunt. Quae de te in ſenatu egerim, quae in concione maxima dixerim, aliorum te litteris malo cognoſcere. Illud tibi perſuadeas velim, me omnia quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum & defenſurum: quod quanquam intelligo me cum multis eſſe facturum, tamen appetam hujus rei principatum.

Coss. deſignatorum] Hirtii & Panſæ. *Corrad.*

Edictum tuum propoſitum eſſet] Quo pollicebaris te provinciam Galliam retenturum in S. P. Q. R. poteſtate. *Idem.*

Quae de te in ſenatu egerim] Philippica tertia. *Idem.*

In concione maxima] Ad Quirites Philippica quarta. *Idem.*

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Suadet Bruto, ne in ſalute populi R. conſervanda ſenatus auctoritatem exſpectet, ſed voluntatem ſenatus pro ejus auctoritate habeat. Eodem anno.

M. CICERO D. BRVTO IMP. CONS. DES. S. D.

CVm adhibuiſſet domi meae Lupus me & Libonem & Servium, conſobrinum tuum, quae mea fuerit ſententia, cognoſſe te ex M. Scio arbitror, qui noſtro ſermoni interfuit. Reliqua, quanquam ſtatim Scium Graeceius eſt ſubſecutus, tamen ex Graeceio poteris cognoſcere. Caput autem eſt hoc, quod te diligentiſſime percipere & meminiſſe volam, ut ne in libertate & ſalute pop. R. conſervanda auctoritatem ſenatus exſpectes nondum liberi, ne & tuum factum condemnes, nullo enim publico conſilio temp. liberaſti, quo etiam eſt res illa major & clarior, & adoleſcentem, vel puerum potius, Caeſarem judices temere feciſſe, qui tantam cauſſam publicam privato conſilio ſuſce-

CVm adhibuiſſet domi mea Lupus me] Omnes hic vulgari codices cum veteribus concordant, quare locum ſilentio præteriiſſem, niſi quidam attentare auſi eſſent, & puram lectionem inquinare, *aduiſſet* legendo, pro *adhibuiſſet*, ut noſtra fert opinio, male. hic enim *adhibere* ſignificat quod alibi plenius *in conſilium adhibere*. Coegerat autem familiaris D. Bruti Lupus Ciceronis domi conſilium amicorum Decimi, ut illorum ſententias de re Bruti exquireret, in quod etiam Ciceronem adhibuerat, id eſt, admiſerat & receperat. ſic ad Atticum lib. 11. *De muro imperavi Philotimo, ne impediret quo minus id fieret quod tibi videretur; ut cenſeo tamen adhibeas Vectium.* id eſt, in conſilium voces, rem cum ipſo deliberes: erat enim Vectius Cyri architecti libertus, ut quicquid de ædificando ſtatuendum eſſet, optime reſpondere poſſet. In prima epiſtola ad A. Torquatum plenius, *De te autem ipſo Torquate tuum eſt ſic agitare animo, ut non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem aut timorem.* Victorius.

Percipere & meminiſſe velam] Ita Palatinus primus, Hittorpianus, Vaticani excerpta: Mediceus, ut notat Egnatius, atque ex eo Victorius in editione ſua. vulgo *meminiſſe velim*: plebeie, ut ſolet ubi antiquitati honor non tribuitur. *Gebhardus.* Mentelianus, *meminiſſe volumus.* quam ſcripturam non improbem. Facile enim ſequens *us* ultimam *u* potuit abſorbere, indeque *u* in *a* mutari, qui in MSS. ſæpiſſime occurrit error. Amſtelod. cum vulgatis *velim*, neque tamen improbo Medicei codicis aliorumque librorum ſcripturam. Nam ſic & Cic. ad Attic. *Velam illum ſcire ex te, me id feciſſe.* Grævius.

Nondum liberi] Propter Conſulares, ep. 5 lib. 1. *Corrad.*

Ne tuum factum condemnes] Nunc demum ſenatus auctoritatem expectans. *Idem.*

Vel puerum potius] Nondum annorum 19. *Idem.*

Tantam cauſſam publicam privato conſilio ſuſceperit] Veteranis contra M. Antonium conſcriptis. *Idem.*

ſuſceperit: denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos viros, civiſque optimos, dementes fuiſſe judices, primum milites veteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quae ſuum conſulem hoſtem judicaverunt, ſeque ad ſalutem reip. defendendam contulerunt. Voluntas ſenatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu. Poſtremo ſuſcepta tibi cauſſa jam bis eſt, ut non ſit integrum; primum Idibus Martiis, deinde proxime exercitu novo & copiis comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus ſeu animatus debes eſſe, non ut nihil facias niſi juſſus, ſed ut ea geras quae ab omnibus ſumma cum admiratione laudentur.

Commilitones tuos] Olim ſub Cæſare. *Corrad.*

Legionem quartam] In Hittorp. deeſt *quartam.* forte leg. *quartamque qua.* Guilielm.

Suum Conſulem] M. Antonium. *Corradus.*

Hoſtem judicaverunt] Illum relinquentes & Octavium ſequentes, ep. 28 lib. x. *Idem.*

Primum Id. Mart.] In Cæſaris cæde. *Idem.*

Deinde proxime] In Galliam citeriorem profecto. *Idem.*

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Scribit de legatis ad Antonium de pace miſſis, quaeque ſit omnium de Bruto exſpectatio, conſenſioque ad libertatem recuperandam. Hirtio & Panſa Coſs.

M. CICERO D. BRVTO IMP. COS. DES. S.

EO tempore Polla tua miſit ut ad te ſi quid vellem darem litterarum, cum quid ſciberem non habebam. Omnia

POlla tua] Id eſt, Valeria Paulla, uxor tua. *Polla* autem & Paulla dicebant veteres ἀδιαφόρως, ut Caupo, Copo: Olla, Aula: Ploſtrum, Plauſtrum, &c. *Lambin.*

Eo tempore Polla tua miſit ad me, ut ad te, &c.] Nulli veteres codices *ad me* habent, quare nos eorum auctoritatem ſecuti eam partem neglexímus. Sæpe autem *miſit* notum fecit, certiorem reddidit, ſignificat. Cicero ad Tironem, *Curio miſi, ut medico bonos haberetur.* Ad Atticum lib. XIII. *Miſi equidem ei nuntiari te quoad potuiſſes exſpectaſſe ejus adventum.* etſi hoc eodem libro inquit, *Mitte ad Lupum noſtrum, ut is* nobis

Omnia enim erant ſuſpenſa propter exſpectationem legatorum, qui quid egiſſent nihil dum nuntiabatur. Haec tamen ſcribenda exiſtimavi: primum, S.P.Q.R. de te laborare, non ſolum ſalutis ſuae cauſſa, ſed etiam dignitatis tuae. admirabilis enim eſt quaedam tui nominis caritas, amorque in te ſingularis omnium civium. Ita enim ſperant atque confidunt, ut antea rege, ſic hoc tempore regno te remp. liberaturum. Romae dilectus habetur, totaque Italia, ſi hic dilectus appellandus eſt, cum ultro ſe offerunt omnes: tantus ardor occupavit animos hominum deſiderio libertatis, odioque diutinae ſervitutis. De reliquis rebus a te jam exſpectare litteras debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Caeſar meus: quos ſpero brevi tempore ſocietate victoriae tecum copulatos fore. Reliquum eſt, ut de me id ſcribam, quod te ex tuorum litteris & ſpero & malo cognoſcere, me neque deeſſe ulla in re, neque unquam defuturum dignitati tuae.

nobis eas centurias conficiat. Et ad Att. lib. IV. *Id cujuſmodi ſit, aut nunc ſi ſcies, aut cum in Romam veneris, ad me mittas velim.* Victorius.

Expectationem legatorum] L. Piſonis, L. Philippi & Servii Sulpitii, qui ad Antonium erant profecti. *Corrad.*

Dilectus habetur] A Panſa Coss. *Id.*

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Rogat Ciceronem, proſpiciat, ne, utroque conſule ad Mutinam amiſſo, hoſtes reip. convaleſcant, monetque quid agendum judicet. Eodem anno.

D. BRVTVS M. CICERONI S. D.

Panſa amiſſo, quantum detrimenti reſp. acceperit, non te praeterit. nunc auctoritate & prudentia tua proſpicias oportet, ne inimici noſtri, Coss. ſublatis, ſperent ſe convaleſcere poſſe. Ego, ne conſiſtere poſſit in Italia Antonius,

Inimici noſtri] Antoniani. *Corradus.*

Coss. ſublatis] Hirtio & Panſa in Mutinenſi proelio. *Idem.*

tonius, dabo operam: ſequar eum confeſtim. utrumque me praeſtaturum ſpero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. In primis rogo te, ad hominem ventoſiſſimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare poſſit, Antonio ſibi conjuncto. Nam de Pollione Aſinio puto te perſpicere quid facturus ſit. multae & bonae & firmae ſunt legiones Lepidi & Aſinii. Neque haec idcirco tibi ſcribo quod te non eadem advertere ſciam, ſed quod mihi perſuaſiſſimum eſt, Lepidum recte facturum nunquam, ſi forte vobis id de hoc dubium eſt. Plancum quoque confirmetis oro, quem ſpero, pulſo Antonio, reip. non defuturum. Si ſe Alpes Antonius trajecerit, conſtitui praeſidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. III Kal. Maii, ex caſtris Regii.

Ventidius elabatur] Ex Piceno treis legiones ducens. *Corrad.*

Redintegrare] Sic legendum, non *reintegrare*. Idem.

Pollione Aſinio] Qui praeerat Hiſpaniae Citeriori. vid. praeced. lib. ep. 31, 32 & 33.

Mihi perſuaſiſſimum eſt, Lepidum] In vett. libris legimus, *m. perſuaſi Aſinium & Lepidum*. Corrad.

Si ſe Alpes Antonius trajecerit] Videtur ſcribendum, *ſi non Alpes Antonius trajecerit*. Urſin.

Ex caſtris Regii] Sic optime MSS. & Victorii edit. male vulgo *Rhegii*, aut ut nonnulli codices ſcribunt *Regiis*. *Regium* cognomento *Lepidum*, ante *forum Lepidi* appellatum, unde etiam Ciceroni *regium Lepidi* dicitur, eſt oppidum Galliae Ciſpadanae in via Aemilia, etiamnunc clarum, hodie *Reggio*. Scribendum autem eſſe *Regium* docet Feſtus, *Rhegium ſignificare oportet, ait Verrius, id municipium, quod in freto e regione Siciliae eſt: quoniam id dictum eſt a rumpendo, quod eſt Graece ῥηγνῦναι, eo quidem magis, quia in Gallia Ciſalpina, ubi Forum Lepidi fuerat, Regium vocatur.* vide pluribus de hoc oppido diſputantem Ph. Cluver. Ital. antiq. lib. 1, c. 27.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Queritur de quorundam malevolentia, & reip. periculum exponit. Eodem anno.

D. BRVTVS M. CICERONI S.D.

NOn mihi remp. plus debere arbitror, quam me tibi. gratiorem me eſſe in te poſſe, quam iſti perverſi

ISti perverſi] De iis ad M. Brutum ſic ſcribit, *Quo die decrevi, ut D. Bruti nomen in faſtis adſcriberetur, cognovi paullo plures in Senatu malevoles eſſe, quam gratos.* Corrad.

Si

verſi ſint in me, exploratum habes: Si tamen hoc temporis videatur dici cauſſa, malle me tuum judicium, quam ex altera parte omnium iſtorum. Tu enim a certo ſenſu

Si autem hoc tempore ab his videatur dici cauſſa ſimulationis, &c.] Nos hunc locum mendoſum exiſtimamus: ſed tamen quia in veteribus nonnihil ſcrupuli erat, receptam lectionem non delevimus: adpoſita tamen nota quaſi damnavimus, & non ſine præjudicio quodam huc ad cauſſam dicendam injecimus. Semel jam auditis utriuſque rationibus, in alteram partem magis propenſi ſumus. Impreſſa lectio omnibus expoſita & aperta eſt: vetus ut eſt, huc transferetur, *ſit an hoc tempore ut videantur dici cauſſa malle me*, &c. Nos, ſi paullum eam adjuves, ſinceriorem veterem judicamus: arbitramur autem ex duabus illis dictionibus, *temporeis*, unam faciendam ſecundo caſu ab hoc recto, tempus, antiqua nec infrequenti ſcriptura in hoc codice, ut ad Tyronem, *Dei benei quanto mihi illud erit amabilius*. Et ad Plancum, *Qui aut armis poſiteis pacem petere debent*. retinet enim Mediceus codex veterem ſcripturam: ut hac etiam epiſtola, quod in infinitis marmoribus notatum eſt, *libere* pro *livere* poſitum eſt. Hoc autem conceſſo, vel ut *hac* pro *hoc* legas, vel contra ſingulariter, quod eſt in antiquo numero multitudinis *videantur*, omnem hunc locum (ut arbitror) non incommode reſtitueris. Dictiones autem quædam in vulgatis ſuppletæ, niſi fallor, abundant. Quod ſi duriuſculus eſt hujus loci ſenſus, conciſiorque verborum ſtructura, hujus viri ſcriptioni attribues, qui imitabatur λακωνισμόν. Victorius. Qui dum liber ederetur purgari non potuit locus, quomodo reſtitui deberet in caſtigationibus noſtris perſcriptum eſt: quem tamen nonnulli videri volunt ope ſe aliorum librorum caſtigaſſe, cum puſilla tantum in re, ac fortaſſe ſine cauſſa, a me diſſentiant. *temporis cauſſa* ſæpe etiam Cicero dixit, ut ad Q. Fratrem 270. *Si temporis cauſſa conſtituerentur, levis*. Et in Verrem, 102. *Fingi a me totum temporis cauſſa putaretis*. Idem *in poſter*. *Si autem hoc* &c.] Ut omittam, quicquid ab aliis hoc loco dicitur, ſic mihi ex vetere libro, & ſenſu videtur legendum, *Si tamen hoc temporis non videatur dici cauſſa, mallem mehercule*, &c. *Corrad.*

Malim me hercule tuum judicium, &c.] Hoc loco ſecutus ſum libros vulg. nam manuſcr. aliquot habent, *malle me tuum judicium, quam ex*, &c. Et ſic reſtituit Paull. Manutius multos abhinc annos, ſive conjectura ductus, ſive codicis alicujus veteris auctoritate fretus. Sic poſtea edidit & P. Victorius, optimum illum codicem & antiquiſſimum Florentinum ſecutus. ego tamen ſcripturam vulgatam probo: quam & nonnulli veteres confirmant. Quod ad ſuperiora attinet, P. Victorii & Paulli Manutii conjecturam ſecutus ſum. *Lambinus*. Sed vide notas Manut.

Si tamen hac temporis videantur dici cauſſa malle me tuum judicium] Anton. Auguſtinus ita legit hunc locum, *ſi tamen hoc tempore videatur dicu cauſſa mallem tuum judicium*. & paullo poſt, *vaci vitas* pro *vacuitas*. Vrſinus. *Si autem hoc tempore ab his videatur dici cauſſa ſimulationis, mallem mehercule tuum judicium*] Nihil diſceſſi a vulgata lectione, quam & in ſua editione exhibuit P. Victorius. Palatinus primus ita hunc locum concipit, *Sit an hoc tempore u videantur dici cauſſa malle me tuum judicium quam ex alt*. Tertius vero, *Si tamen hoc tempore ab iu videantur dici ea mallem me hercule*. Lambinus ex conſenſu Manutii imo ductu (nam hic præiit) legit, *Si tamen hac temporis videantur dici cauſſa, malim meh.* Guilielmius, puto, Siewechianum reſpiciens, qui ferme Palatino tertio reſpondet, legendum ducit, *Sit, an hoc temporis videatur, dici cauſſa*. Antonius Auguſtinus, teſtante Vrſino, malebat, *Si tamen hoc tempore*

 videa-

ſenſu & vero judicas de nobis, quod iſti ne faciant ſumma malevolentia & livore impediuntur. Interpellent me quo minus honoratus ſim, dum ne interpellent quo minus reſp. a me commode adminiſtrari poſſit. Quae quanto ſit in periculo quam potero breviſſime exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus conſulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas non te fugit. Satis me multa ſcripſiſſe, quae litteris commendari poſſint, arbitror. Scio enim cui ſcribam. Revertor nunc ad Antonium: qui ex fuga cum parvulam manum militum haberet inermium, ergaſtula ſolvendo, omneque genus hominum arripiendo, ſatis magnum numerum videtur effeciſſe. Hoc acceſſit manus Ventidii, quae trans Apenninum itinere facto difficillimo ad Vada pervenit,

videatur dicis cauſſa mallem tuum judicium. Hæc collegi, ut ſtudioſus lector ad ſuum guſtum eligeret quod lubet: nos temerarii in mutando non potuimus eſſe. *Gebhardus.* Miror ego Victorii emendationem ſpretam fuiſſe a Gebhardo, quia Victorius non inſeruit ſuæ editioni, quod ſe invito factum eſſe teſtatur. Approbarunt autem emendationem Victorii Manutius & Lambinus. *Grævius.*

Obitus conſulum] Hirtii & Panſæ. *Cervadus.*

Injiciat novitas] Omnes veteres codices *vacuitas*, omnino melius, id eſt, ſpoliatam eſſe remp. Conſulibus: nondum enim *novi* creati erant. *Victorius.*

Cupiditatem hominibus injiciat vacuitas] Sic eſt in Vaticani excerptis, item Mediceo, ut ex eo edidit Victorius. Palatinus tamen primus, Scewechianus, Hittorpianus, *iniciat (vel initiat) vacuvitas*: ut Plautus dixit *vacuvas ædes aurium* pro *vacuas*. Palatinus tertius hic totus mendis adopertus eſt, *hominibus incitat novitas*. ſicut prima editio, *iniciat tua rerum novitas*. Vulgo *injiciat novitas*. Gebhardus. Ad hanc lectionem *injiciat vacuvitas* ducunt nos veſtigia fere omnium librorum, qui aut *civitas*, aut *novitas* præ ſe ferunt. Quem conſenſum librorum cur repudiemus non eſt, Plautus Curcul.

Ita tibi vacuvitate venio laxis lactibus. ſic *ædes vaciva* & *aures vaciva*. Græv.

Litteris commendari] Eſt litteris mandari, credi. Suſpicionem autem de Octaviano ſignificat: qui conſulatum petiit, non adeptus patriæ bellum intulit.

Cum parvulam manum militum haberet] Sic ex Palatino primo & tertio, ac meo ſecundo reſcripſi, vulgo *peditum*. Sed *milites* ſæpe pedites per excellentiam notant. Superius lib. x, epiſt. 34. *Itaque ad me complures milites & equites ab eo tranſierunt.* Et epiſt. 23. *Non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur.* Cæſar, *Tripartito milites equitesque in expeditionem miſit.* Sed de hac ſignificatione τῦ *miles* pridem pluribus egit exemplis Gronovius ad Livium. In Menteliano legitur, *cum parvulam manum haberet inermium.* Grævius.

Hoc acceſſit manus] Sic MSS. vide quæ notavi ſuperius ad lib. x, ep. 21.

Ad Vada] Epiſt. 13. hujus libri. & Stra-

nit, atque ibi ſe cum Antonio conjunxit. Eſt numerus veteranorum & armatorum ſatis frequens cum Ventidio. Conſilia Antonii haec ſint neceſſe eſt: aut ad Lepidum ut ſe conferat, ſi recipitur, aut Apennino Alpibuſque ſe teneat, & decurſionibus per equites, quos habet multos, vaſtet ea loca in quae incurrerit, aut rurſus ſe in Etruriam referat, quod ea pars Italiae ſine exercitu eſt. Quod ſi me Caeſar audiſſet atque Apenninum tranſiſſet, in tantas anguſtias Antonium compuliſſem, ut inopia potius quam ferro conficeretur. Sed neque Caeſari imperari poteſt, nec Caeſar exercitui ſuo. quod utrumque peſſimum eſt. Cum haec talia ſint: quo minus, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut ſupra ſcripſi, non impedio. Haec quemadmodum explicari poſſint, aut, a te cum explicabuntur, ne impediantur, timeo. Alere jam milites non poſſum. Cum ad remp. liberandam acceſſi, HS mihi fuit pecuniae CCCC amplius. Tantum abeſt ut meae rei familiaris liberum ſit quidquam, ut omnes jam meos amicos aere alieno obſtrinxerim. Septenum numerum nunc legionum alo, qua difficulta-

Strabo lib. IV. *Corrad.* *Ad vada pervenit* ſcilicet *Sabatia*, ſeu *Sabatorum*. Sabata erat oppidum maritimum in ora Genuenſi præcipuum non longe Savona diſtans, cui adjacent campi paluſtres, qui *Vada* dicuntur & *Vada Sabatorum*, ſeu *Sabatia*, quæ deſcribit Lucan. lib. I.

Quaque jacet littus dubium, quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus, cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis ſe fluctibus aufert.

Ibi etiam *portus* fuit *Vadorum Sabatiorum*, cujus meminit Plin. III, 5. is hodie dicitur *Vado*, ſive contracte *Vai*, vulgo *Ve*. vid. Cluver. Ital. antiq. lib. I, cap. 8.

Decurſionibus per equites] Forte, *excurſionibus*. Lambin.

Neque Caeſari imperari poteſt] Qui ne mecum quidem colloqui voluerit. *Cortatius*.

Nec Caeſar exercitui ſuo] Immo poterat imperare etiam cupienti, ſi vera ſcribunt hiſtorici. Quare vel hoc in Cæſaris Octavii contemptionem eſt dictum, vel quia veterani interfectores Cæſaris oderant, nec poterant adduci ut cum his eſſe vellent. *Idem*.

Mihi fuit HS quattuor millibus amplius] Al. *pecuniae* CCCC. unde mendoſum eſſe locum quidam ſuſpicantur. *Idem*.

HS CCCC] Seſtertium quadringenties, hoc eſt, decies centies mille coronati ſeu Philippæi, decem tonnæ, ut vulgo loquuntur, ſeu millio coronatorum.

Septenum numerum nunc legionum alo] Multi legunt *ſeptem*. Corradus. *Nec ſeptena legiones*, nec *ſeptenus numerus* hic priſci Quirites agnoſcerent. Hittorp. *Septem nunc numerum legionum alo.* Sane τὸ *nunc* in nullo meo, in nullo Palatino, in nullo Guilielmiano poſt numerum ponitur. legendum itaque cenſeo, *ſeptem nunc numeros legionum*. *Numeri* ſunt cohortes, uti ſæpe apud Tacit. Sic

cultate, tu arbitrare. Non, ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem. Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, ſi hoc idem me in te facere ſenſeris. III Non. Maii, ex caſtris Dertona.

& legend. in epiſtola Caſſii in lib. XII, ep. 13. *Ex quibus utriſque civitatibus, Græcorum militum numeros, ſpeciem exercitus effecit.* vulgo, *Græcorum militum numero.* ſed hoc etiam Guilielmius vidit. Nicolaus Heinſius quoque reſtituit Ovidio in epiſtola Hermiones,

Nec tu mille rates ſinuoſaque vela parâris;
Nec numeros Danai militis: ipſe veni.

vide quæ ibi vir ſummi ingenii notavit. Extat apud me inſcriptio antiqua, in vicino agro Wiltenburgenſi eruta,

D. M. VALENTI
BITI TRALI
EX. N. ALÆ I
...ACHVM H. M. P.

hoc eſt, Numero alæ primæ Thracum, pro quo ſcribitur *Trachum*, ut *Trachia* pro Thracia in codice Juſtinianeo. Nicolaus Rubenius non rejiciendum eſſe *ſeptenum* cenſet. Sic *duodena* pro duodecim apud Virgil. I Georg.

Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

Sic *bina, terna littera* apud Tullium, pro duæ, tres. *Gravius.*

Si Varronis theſauros haberem] De quibus fortaſſe loqueretur Varro in eo libro quem περὶ πλούτου inſcripſerit: nam M. Varro inter divites non eſt numeratus. niſi aliter fuerit. *Corrad.*

Suſtinere ſumptum] Veteres omnes *ſubſiſtere ſumptu* habent. Quam lectionem & recepimus & probavimus. intelligimus enim, *ſubſiſtere ſumptui*, pares eſſe ſumptui, poſſe in ſumptibus qui fiunt manere & perdurare: ita quaſi me fortem præbere his ſumptibus, ut eos regam, nec eorum preſſu corruam. *Victorius.* *Subſiſtere ſumptu poſſem*] Elegantiſſime ſic Palatini duo, pr. tert. Vaticani excerpta, Stewechianus, Hittorpianus; idque ex Medic. in ſua impreſſione ſecutus eſt Victorius. Ex gloſſa in editionibus ſequius legitur, *ſuſtinere ſumptum poſſum.* Gebhardus.

Ex caſtris Dertona] Plinius ſane lib. III, cap. 5. *Dertonam coloniam* his locis memorat, cujus eadem & una eſt (ut putamus) quæ Decimi *Derthona.* nam quantum ad ejus verum nomen *Dertonane*, an *Derthona* fuerit, maluimus nos hac parte antiquorum codicum fidem ſequi, quos admirandæ vetuſtatis habuimus, quam vulgatos Plinii codices. Quod ſi Strabonis orthographiæ fidem habeamus, recte vetera exemplaria aſpirationem retinent: melius tamen impreſſi codices *Dertona* non *Dertomam* habent: ab eo enim *Derthon* appellatur, ἔστι δὲ ὁ Δέρθων πόλις ἀξιόλογος κειμένη κατὰ μέσην τὴν ὁδὸν τὴν ἀπὸ Γενούας εἰς Πλακεντίαν, ἑκατέρας διέχουσα σταδίους υ'. Nam quod nonnulli: *de Rhetonia*, rem claram confundunt. *Victorius.* *Derthona*] Urbe inter Genuam & Placentiam a ſcriptoribus poſita. Strabo lib. V. *Corradus.* Scribendum *Dertona*, quæ urbs Liguriæ fuit inter Genuam & Placentiam ſita, Colonia Romanorum. In inſcriptione antiqua dicitur *Julia Dertona.* hodie *Tortona.* vide Cluver. Ital. antiq. lib. I, cap. 10. qui ibi hunc locum laudans, ſcripſit *Ex caſtris Dertona.*

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Merita Ciceronis erga ſe attingit: Antonii profectionem ad Lepidum, dubiam Planci fidem, ſuum in remp. ſtudium ſignificat. Eodem anno.

D. BRVTVS IMP. COS. DES. M. CICERONI S.D.

EOdem exemplo a te mi litterae redditae ſunt quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere exiſtimo quantum perſolvere difficile eſt. Scripſi tibi quae hic gererentur. in itinere eſt Antonius, ad Lepidum proficiſcitur, ne de Planco quidem ſpem adhuc abjecit, ut ex libellis ſuis animadverti, qui in me inciderunt. In quibus quos ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat. Ego tamen non habui ambiguum, & ſtatim ad Plancum miſi: & biduo ab Allobrogibus & totius Galliae legatos exſpecto, quos confirmatos domum remittam. Tu quae iſtic opus erunt adminiſtrari proſpicies, ut ex tua voluntate, reique publicae commodo fiant. Malevolentiae hominum in me, ſi poteris, occurres. ſi non poteris, hoc te conſolabere, quod me de ſtatu meo nullis contumeliis deterrere poſſunt. Pridie Nonas Maii, ex caſtris, finibus Statiellenſium.

UT *ex libellis ejus animadverti*] Palat. prim. & tert. Stewech. Amſterodam. Mentel. meus ſecund. *ut ex libellis ſuis animadverti.* quod procul dubio ſciolus, deceptus vulgarium Grammatiſtarum præceptiunculis immutavit. Sed jam pridem docti viri & rationibus & exemplis oſtenderunt promiſcue *ſuus* & *ejus* poni, ſi ambiguitas non obſtet. de quo præcipue Sanctius in Minervæ lib. II, cap. 12 videndus. *Grævius.*

Ab Allobrogibus] Allobroges hodie Genevenſes & pars Sabaudorum.

Statiellenſium] Plin. lib. III, cap. 5. & lib. XXXI, cap. 2. *Corrad.* *Finibus Statiellenſium*] Hoc eſt, in agro, ſeu, ut barbari loquuntur, ditione Statiellenſium. *Aqua Statiella*, ſeu *Aqua Statiellorum* urbs Liguriæ, inter Dertonam, & Vada Sabatia, hodie vulgari vocabulo appellatur *Acqui*, & ab incolis *Aich.* Cives hujus urbis *Statiellenſes*, tota vero gens *Statiellates*, poſterioribus ſcriptoribus *Aquenſes*. vid. Cluver. lib. I de Ital. antiq. cap. 10.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Ita queritur bellum ab Antonio renovatum, ut in eo nonnullam Bruti culpam videatur agnoſcere.

M. CICERO D. BRVTO IMP. COS. DES. S.

TRis uno die a te accepi epiſtolas, unam brevem, quam Flacco Volumnio dederas, duas pleniores: quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me miſit Lupus. Ex tuis litteris, & ex Graeceii oratione, non modo non reſtinctum bellum, ſed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem pro tua ſingulari prudentia quin perſpicias, ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius, omnia tua illa praeclara in remp. merita, ad nihilum eſſe ventura. Ita enim Romam erat nuntiatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antonium. Qui ſi ita ſe habet, ut, quemadmodum audiebam de Graeceio, confligi cum eo ſine periculo non poſſit, non ille mihi fugiſſe a Mutina videtur, ſed locum belli gerendi mutaſſe. Itaque homines alii facti ſunt, nonnulli etiam queruntur, quod perſecuti non ſitis. opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant. Omnino eſt hoc populi, maximeque noſtri, in eo potiſſimum abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. Sed tamen providendum eſt, ne quae juſta querela eſſe poſſit. Res ſe ſic habet: Is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit. Hoc quam

SEd *locum belli gerendi mutaſſe*] Guilielm. Veriſimil. lib. III, cap. 2. ex Stewechii libro legit, *ſed ſolum belli gerendi mutaſſe.* ut & paullo poſt, *homines alii fatiſcunt:* pro quo in libris manuſcr. *alii facti ſunt.* in editionibus *alii fracti ſunt.* Nos noſtram fidem unius codicis auctoritate fundare noluimus. *Gebhardus.* Non inepte Stewech. *ſolum belli gerendi mutaſſe.* Cic. pro Quint. *Quo vertendi, hoc eſt, mutandi ſoli cauſſa venerant.* Utitur hoc loquendi genere in aliis etiam locis, Tullius. *Graevius.*

In eo potiſſimum abuti libertate] Id eſt, in eum liberrime loqui.

Jam

quam vim habeat, te exiſtimare malo, quam me apertius ſcribere.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Tarditatem ſuam excuſat in Antonio perſequendo: quo res in ſtatu ſit, exponit. Eodem anno.

D. BRVTVS M.T.C. S.D.

IAm non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre poſſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri. Attendere te volo, quae in manibus ſunt. Qua enim prudentia es, nihil te fugiet, ſi meas litteras diligenter legeris. Sequi confeſtim Antonium his de cauſis, Cicero, non potui. eram ſine equitibus, ſine jumentis: Hirtium periſſe neſciebam: Caeſari non credebam prius quam conveniſſem & collocutus eſſem.

I*Am non ago tibi gratias*] Poſt hanc D. Bruti epiſtolam alia ejuſdem erat, quæ vetuſtate, aut negligentia librariorum periit. Ejus autem initium fuit, *Parmenſes miſerrimos*. Cognovimus hoc ex indice libri, de quo ſæpe antea mentionem fecimus: poſt titulum enim & initium hujus, *Jam non ago tibi gratias*, ita in eo ſcriptum eſt, *D. Brutus Coſ. deſig. M. Ciceroni S. D. Parmenſes miſerrimos.* In libro autem ipſo, ubi eſſe debuit, nullum veſtigium illius apparet. Credimus omnino hanc D. Bruti epiſtolam amiſſam eſſe, neque temere initium illius in indice Medicei libri ſcriptum fuiſſe. Id etiam res ipſa declarat: ſcimus enim Parmenſes ab Antoniis his temporibus magnis incommodis affectos eſſe. In Philip. XII. *Quæque eſſet facturus in hac urbe, niſi eum hinc ipſe Jupiter ab his mœnibus repuliſſet, declaravit in Parmenſium calamitate.* Et non multo poſt, *refugit animus P. C. atque reformidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & conjugibus effecerit.* Sed etiam Aſinius in epiſt. ad Ciceronem ſcripſit, ſe audiſſe Parmam direptam: quod tamen potuit falſum eſſe, quemadmodum nonnulla alia, quæ rumor ad illum pertulerat. *Victor.*

Sine jumentis] Hoc eſt, equis. Sic per excellentiam ſæpe dicuntur.

Hirtium periſſe neſciebam: Cæſari non credebam] Non inepte Hittorpianus, quem Guilielmius olim evolvit, *Hirtium periſſe neſciebam, Aquilam periſſe neſciebam, Cæſari non credebam.* Pontius Aquila fuit inter eos, qui in Cæſarem conjurarunt. In Mutinenſi prœlio periit. Videtur autem repetitio τῦ *periſſe neſciebam* hic miram habere ἐνέργειαν. Grævius.

Cæſari non credebam] Ut inimico, propter patris, id eſt, Cæſaris mortem. *Corrad.*

Collocutus eſſem] Quod fortaſſe ſtatim fecit, ſed paullo poſt victoriam Octavius colloquium fugit. *Idem.*

Ita

eſſem. Hic dies hoc modo abiit. Poſtero die mane a Panſa ſum arceſſitus Bononiam. Cum in itinere eſſem, nuntiatum mihi eſt eum mortuum eſſe. Recurri ad meas copiolas. ſic enim vere eas appellare poſſum. Sunt extenuatiſſimae, & inopia omnium rerum peſſime acceptae. Biduo me Antonius anteceſſit, itinera fecit multo majora fugiens, quam ego ſequens. Ille enim iit paſſim, ego ordinatim. Quacunque iit, ergaſtula ſolvit, homines arripuit, conſtitit nuſquam prius quam ad Vada venit. Quem locum volo tibi eſſe notum. Iacet inter Apenninum & Alpes, impeditiſſimus ad iter faciendum. Cum abeſſem ab eo millia paſſuum triginta, & ſe jam Ventidius conjunxiſſet, concio ejus ad me eſt allata, in qua petere coepit a militibus, ut ſe trans Alpes ſequerentur, ſibi cum M. Lepido convenire. Succlamatum eſt, & frequenter a militibus Ventidianis, nam ſuos valde quam paucos habet, ſibi aut in Italia pereundum eſſe, aut vincendum. Et orare coeperunt, ut Pollentiam iter facerent. Cum ſuſtinere eos non poſſet, in poſterum diem iter ſuum contulit. Hac re mihi nuntiata: ſtatim

Hic dies] Quo fugit Antonius. *Corradus.*

Itinera multo majora fugiens, quam ego ſequens] *Ire viam* Latine dicitur, ſed *fugere viam* ſeu *iter* in hac quidem notione, pro *fugere in itinere*, ut Manutius vult, ſeu *per viam*, quis credat Latinos unquam dixiſſe? & merito improbatur poſt ab ipſo Manutio. Praeterea ſi attendas, nihil videbis unde pendeat *ſequens*. Non poſſum itaque non utraque manu amplecti ſcripturam Hittorpiani & Menteliani codicis, *itinera fecit multo majora fugiens, quam ego ſequens.* Graev.

Iit paſſim] Huic opponitur *pilatim ire*. Sempronius. *Quartum ſignum accedebat, ſive pilatim, ſive paſſim iter facere volebat.* Paſſim eſt expanſo in latum agmine, *pilatim* denſato & ſtricto. Pilatum enim agmen eſt, quod fronte anguſtiore oblongum, &, ut Varro ait, inter ſe denſum eſt. vid. Hermanni Rhabodi Scheelii cap. 11 de Itinere, inter additiones ad notas in Hyginum & Polybium de Caſtris Romanorum.

Impeditiſſimus ad iter faciendum] Quia coenoſus eſt & paluſtris. Strabo lib. IV. Ἄρχονται δὲ αἱ Ἄλπεις οὐκ ἀπὸ Μονοίκου λιμένος, ὡς εἰρήκασί τινες, ἀλλ' ἀπὸ τῶν αὐτῶν χωρίων ἀφ' ὧνπερ καὶ τὰ Ἀπέννινα ὄρη κατὰ Γένουαν, καὶ τὰ καλούμενα Σαβάτων Οὔαδα, ἅπερ ἐστὶ τενάγη. *Incipiunt Alpes non a Monoeci portu, ut quidam tradiderunt; ſed ab iiſdem locis a quibus & Apenninus mons, circa Genuam, & quae vocantur Sabatorum Vada, quae ſunt loca coenoſa & paluſtria.*

Pollentia] Plin. lib. III, cap. 5. *Corradus.* Oppidum Liguriae ſupra Albam, haut procul Tanari ac Sturae confluentibus, nunc exiguus vicus, vulgo *Polenza.*

Tre-

tim quinque cohortes Pollentiam praemiſi, meumque iter eo contuli. hora ante praeſidium meum Pollentiam venit quam Trebellius cum equitibus. ſane quam ſum gaviſus. in hoc enim victoriam puto conſiſtere. In ſpem venerant, quod neque Planci quatuor legiones omnibus ſuis copiis pares arbitrabantur, neque ex Italia tam celeriter exercitum trajici poſſe credebant. quos ipſi adhuc ſatis arroganter Allobroges, equitatuſque omnis, qui eo praemiſſus erat a nobis, ſuſtinebant; noſtroque adventu ſuſtineri facilius poſſe confidimus. Tamen ſi quo etiam caſu Iſaram ſe trajecerint, ne quod detrimentum reip. injungant, ſumma a nobis dabitur opera. vos magnum animum optimamque ſpem de ſumma repub. habere volumus, cum & nos & exercitus noſtros ſingulari concordia conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos. Sed tamen nihil de deligentia remittere debetis, dareque operam, ut quam paratiſſimi & ab exercitu reliquiſque rebus pro veſtra ſalute contra ſceleratiſſimam conſpirationem hoſtium confligamus. qui quidem eas copias, quas diu ſimulatione reip. comparabant, ſubito ad patriae periculum converterunt.

Trebellius] Quem fraudatorem creditorum Cicero in Philippicis vocat. *Corrad.*

Sane quam ſum gaviſus] Vehementer, ſummopere ſum gaviſus. Lib. VIII, epiſt. 1. *Sane quam eos ſermones repreſſit, qui de eo tum fuerant.*

In ſpem venerant] Trajiciendi in Galliam ulteriorem, poſtquam Pollentiam capere non potuerant. *Corradus.*

Si Iſaram ſe trajecerint] Ubi erat Plancus, ep. 22 lib. X. *Idem.*

Ne quod detrimentum reip. injungant] Hoc eſt, inferant. Sic *injuriam*, *contumeliam injungere* apud Livium.

Cum & nos] Me & Plancum. *Corradus.*

EPI-

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Reſpondet Bruti litteris de decemviris creandis, de Octaviano ornando, de legionibus Martia & Quarta, de pecunia. Addit hominum admirationem propter bellum renatum: cujus exitus ne timeatur, ad ipſum Brutum pertinere dicit. Eodem anno.

M.T.C. D. BRVTO IMP. COS. DES. S.P.D.

MIrabiliter, mi Brute, lætor, mea conſilia, meaſque ſententias a te probari de decemviris, de ornando adoleſcente. Sed quid refert? mihi crede homini non glorioſo, plane jam, Brute, frigeo. ὄργανον enim erat meum ſenatus. id eſt jam diſſolutum. Tantam ſpem attulerat exploratae victoriae tua praeclara Mutina eruptio, fuga Antonii, conciſo exercitu, ut omnium animi relaxati ſint, meaeque illae vehementes contentiones tanquam σκιαμαχίαι eſſe videantur. Sed, ut ad rem redeam, legionem Martiam & quar-

DE *decemviris*] Ep. 20 hujus libri. *Corrad.*

De ornando adoleſcente] Octavio. *Idem.*

Meaque illa vehementes conciones] Nos *contentiones* ſcripſimus, ut invenimus in duobus illis maxime mihi probatis codicibus, quorum ope olim Politianus hac ipſa in epiſtola Græcas voces abolitas reſtituit: eoſdem enim habuimus, accurateque ſummo otio pertractavimus. Loca autem ab Angelo reſtituta, ab omnibus nunc recepta, nos quoque mirabiliter probamus. *Victorius.*

Tanquam σκιαμαχίαι eſſe videantur] Ruſticum nimis & illepidum ſordidumque adeo plane vocabulum Ciceronis epiſtolam hanc occupavit. Sic enim in ea legimus, *Meaque illa vehementes contentiones tanquam ſcientia adnihilata eſſe videantur.* Quod quidam tamen hactenus corrigunt, ut dicant, *tanquam ſi jam adnihilata eſſe videantur.* Conſulant, quæſo, eruditi peritique idoneorum verborum veterumque lectionum, conſulant ſuum quiſque judicium ſenſumque, ac tum demum credere audeant, *adnihilatas contentiones* ſcriptum fuiſſe a Cicerone. Nos in codicibus duobus Mediceæ familiæ, quorum ſupra quoque fidem allegamus, mendoſe id etiam: ſed tamen ut erroris adhuc veſtigium non ſit obolitum, ſic reperimus, *tanquam Sciamachalaa eſſe videantur.* Quare ſuſpicamur legendum *Sciamachia.* Sunt enim *Sciamachia* nihil ſane aliud quam umbratiles pugnæ. Sentit enim Cicero hoc utique, frigere jam ſe plane in ſenatu, non ſuccedentibus Bruto rebus,

quartam negant, qui illas norunt, ulla conditione ad te poſſe perduci. Pecuniae, quam deſideras, ratio poteſt haberi, eaque habebitur. De Bruto arceſſendo, Caeſareque ad Italiae praeſidium tenendo, valde tibi aſſentior. Sed, ut ſcribis, habes obtrectatores: quos equidem facillime ſuſtineo, ſed impediunt tamen. Ex Africa legiones exſpectantur. ſed bellum iſtic renatum mirantur homines. Nihil tam praeter ſpem unquam. Nam die tuo natali victoria nuntiata, in multa ſecula videbamus remp. liberatam. Novi timores retexunt ſuperiora. Scripſiſti autem ad me iis quas Idibus Maiis dediſti, modo te accepiſſe a Planco litteras, non recipi a Lepido Antonium. Id ſi ita eſt, omnia faciliora: ſin aliter, magnum negotium: cujus exitum non extimeſco: tuae partes ſunt. Ego plus quam feci facere non poſſum.

bus, ſuaſque illas vehementeis contentiones, *ſciamachias* videri. Vocabulum ipſum perquam eſt elegans apud Græcos & magnopere uſitatum. Quin Galenus quoque medicus lib. 11. *ὑγιεινῶν* ſic ait: *μεταβαίνειν δὲ καιρὸς ἐπὶ τὰ ταχέα χωρὶς εὐτονίας καὶ βίας. δρόμοι δέ εἰσι ταῦτα, καὶ σκιαμαχίαι.* Inter celeres exercitationes quæ tamen attentæ, violentæque non ſunt, etiam curſus numerat & ſciamachias. Denique vel Euſthathius in Odyſſeæ commentario Rhapſodiæ tertiæ, de verbo eo ſic meminit, *ὁμοίως δὲ καὶ τὸ μὴ μαχόμενον φαῦλον δῆλοι οὐδέν· ὁ μὴ τοι τὸ σκιαμαχεῖν.* Et M. Varro ſatyram unam e ſuis illis Menippeis *Sciamachiam* inſcripſit. Hæc enim eſt apud Gellium vera ex antiquis exemplaribus lectio: non ut quidam etiam ſcribunt *Cromachia*. Quin paullo etiam ſupra in epiſtola eadem Ciceronis, vocabulum alterum quod eſt *ὄργανον*, de Græca ſcriptura depravatum, migravit in Latinam. Nam pro eo quod erat *ὄργανον* factum jam *optanum*: neque autem hoc quoque ab ullo hactenus animadvertitur. Quare ſic legeris, *Plane jam Brute, ſic eſt: organon enim erat meum Senatus*: ut quo pro organo Cicero inſtrumentoque utebatur. *Ang. Politian.*

Σκιαμαχίαι eſſe videantur] Non ſuccedentibus tibi rebus: ut exponit Politianus. vel potius: illo priore animi mei impetu atque ardore hac victoriæ ſpe remiſſo. *Corrad.*

Negant ulla conditione ad te poſſe perduci] Ex. enim legiones, & milites veterani fere omnes, interfectores Cæſaris oderant. *Idem.*

De Bruto arceſſendo] De M. Bruto, qui erat in Macedonia. *Idem.*

Ex Africa legiones] Epiſt. 24 lib. x. *Idem.*

Retexunt ſuperiora] Al. *retexunt ſuperiores.* Idem. *Retex. ſuperiora*] Irrita faciunt, Sqvana. Cic. 11 in Verr. *Omnia erant Metelli ejuſmodi, ut totam illius præturam retexere videretur.* hoc eſt, illius acta reſcindere. Non male Hittorp. & Stewech. *Hi novi timores retexunt ſuperiora.* Græv.

Cujus exitum non extimeſco, tuæ partes ſunt.] Sic quidem Vatic. duo Pall. Amſtelod. Mentel. Græv. ſecund. Vict. & Gebhard. ed. Sed quorſum illud abruptum *tuæ partes ſunt*? Siccine ſolet Cicero loqui? Vulgata itaque, *cujus exitum ne extimeſcam tuæ partes ſunt*, ferenda, donec melior lectio fuerit eruta.

poſſum. Te tamen, id quod ſpero, omnium maximum & clariſſimum videre cupio.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Laudat officium & diligentiam Bruti; magnamque ex illius & Planci conjunctione laetitiam ſenatus & populi R. ſignificat: hortatur, ut in tuenda rep. ſe ipſum vincat. Eodem anno.

M. T. C. D. BRVTO IMP. COS. DES. S. P. D.

ETſi mihi tuae litterae jucundiſſimae ſunt, tamen jucundius fuit, quod in ſumma occupatione tua Planco collegae mandaſti, ut te mihi per litteras excuſaret quod fecit ille diligenter. mihi autem nihil amabilius officio tuo & diligentia. Conjunctio tua cum collega, concordiaque veſtra, quae litteris communibus declarata eſt, S. P. Q. R. gratiſſima accidit. Quod ſupereſt, perge, mi Brute, & jam non cum aliis, ſed tecum ipſe certa. Plura ſcribere non debeo, praeſertim ad te: quo magiſtro brevitatis uti cogito. Litteras tuas vehementer exſpecto, & quidem tales quales maxime opto.

C*Um collega*] Planco. *Corradus.*
Magiſtro brevitatis] Epiſt. 25 hujus libri. *Idem.*

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Commendat L. AElium Lamiam in petitione praeturae. Antonio & Dolabella Coss.

M. T. C. D. BRVTO IMP. COS. DES. S. P. D.

PErmagni intereſt quo tibi haec tempore epiſtola reddita ſit, utrum cum ſollicitudinis aliquid haberes, an cum

cum ab omni moleſtia vacuus eſſes. Itaque ei praecepi quem a te miſi, ut tempus obſervaret epiſtolae tibi reddendae. Nam quemadmodum coram qui ad nos intempeſtive adeunt, moleſti ſaepe ſunt: ſic epiſtolae offendunt non loco redditae. Si autem, ut ſpero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille, cui mandavi, ſatis ſcite & commode tempus ad te cepit adeundi, confido me, quod velim, facile a te impetraturum. L. Lamia praeturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimum. Magna vetuſtas, magna conſuetudo intercedit, quodque plurimum valet, nihil mihi ejus eſt familiaritate jucundius. Magno praeterea beneficio ejus magnoque merito ſum obligatus. Nam Clodianis temporibus, cum equeſtris ordinis princeps eſſet, proque mea ſalute acerrime propugnaret, a Gabinio conſule relegatus eſt: quod ante id tempus civi Romano contigit nemini. Hoc cum pop. Rom. meminit, me ipſum non meminiſſe turpiſſimum eſt. Quapropter perſuade tibi, mi Brute, me petere praeturam. Quanquam enim Lamia ſummo ſplendore, ſumma gratia eſt, uſus magnificentiſſimo munere aedilitio; tamen, quaſi ea ita non eſſent, ego ſuſcepi totum negotium. Nunc, ſi me tanti facis, quanti certe facis, quum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum noſtrum

N*On loco reddita*] Hoc eſt, non opportuno tempore. Vid. Manut.

Hoc ego utor uno omnium plurimum] Hoc eſt, *hoc ego utor uno omnium familiariſſime.* quo loquendi genere Cicero ſæpius uſus eſt in aliis locis.

Acerrime propugnaret] Ne ego mitterer in exilium. *Corrad.*

A Gabinio Conſule relegatus eſt] Hanc rem tangit hiſtoriarum Romanarum lib. XXXVIII. Dion, non tamen *Lamiam* nominat. Sunt autem hæc ejus verba, Ἀλλ' ἐν τοῖς τῶν ἀντισπευδόντων ἐγένετο, ὥστε ὁ Κλώδιος χρηματίζειν τι ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ Ννιννίου ἐπιχειρήσας, ὅτι Γαβίνιος τὸν ἀρέσαντα τοῖς ἱππεῦσιν ἐς τὸ κοινὸν ἔδωκε, ἀλλὰ καὶ ἵνα τινὰ αὐτῶν ὡς πολὺς ἐνέκειτο ἐν τῇ πολιτείας ἐξήλατο. *Victor.* *Relegatus eſt*] Cum L. Piſone. In Orat. pro Seſtio ſic ſcribit, *Equitem Romanum in concione Cos. lege relegavit, edixitque, ut ab urbe abeſſet M passus.* Corrad.

Quod ante id tempus civi Romano Roma contigit nemini] Malim cum Amſtelod. & Pal. tert. aliiſque nonnullis codicibus, *quod ante id tempus civi Romano contigit nemini.* Illud *Roma* videtur ex praecedente *Romano* natum eſſe. *Gratius.*

Mitte ad Lupum] Hoc eſt, ſcribe Lupo. vid. Manut.

M 2 Vt

noſtrum ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo quod ſentio: Nihil eſt, Brute, omnia cum a te exſpectum, quod mihi gratius facere poſſis.

Ut is nobis eas centurias conficiat] Ad ſuffragia. *Corradus.* Hoc eſt, impetret ut nobis ſuffragentur, ſive ſuis ſuffragiis Lamiam prætorem deſignent. Cic. in libello de petit. Conſulatus, *Magiſtratus; ex quibus maxime Conſules, deinde tribuns plebu ad conficiendas centurias, homines excellentis gratia.*

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Commendat eundem Lamiam. Et videtur hanc epiſtolam aliquanto poſt ſuperiorem ſcripſiſſe. Eodem anno.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. D.

LAmia uno omnium familiariſſime utor. Magna ejus in me non dico officia ſed merita, eaque ſunt pop. Rom. notiſſima. Is magnificentiſſimo munere aedilitatis perfunctus pétit praeturam, omneſque intelligunt nec dignitatem ei deeſſe, nec gratiam. Sed is ambitus exſtare videtur, ut ego omnia pertimeſcam, totamque petitionem Lamiae mihi ſuſtinendam putem. In ea re quantum me poſſis adjuvare, facile perſpicio: nec vero quantum mea cauſſa velis dubito. Velim igitur, mi Brute, tibi perſuadeas, nihil me majore ſtudio a te petere, nihil te mihi gratius facere poſſe, quam ſi omnibus tuis opibus, omni ſtudio, Lamiam in petitione juveris, quod ut facias vehementer te rogo.

PErfunctus] Sub Cæſaris victoriam, contra Pompeii filios. *Corrad.*

Is ambitus exſtare] Libri tres antiqui, quos ego conſului, & Pal. tert. ſuffragantur Manutii membranis quinque, in quibus ſcriptum fuit *is ambitus extare.* non ut Victorius ex nonnullis codicibus, *ambitus excitare.* unde poſtea natum in vulgatis, *exſtare.* Græv.

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Reprehendit in Decimo nonnullam timoris ſignificationem. Scripta eſt poſt interfectos Hirtium & Panſam conſules.

M. T. C. D. BRVTO IMP. COS. DES. S.D.

ETſi ex mandatis quae Galbae Volumnioque ad ſenatum dediſti, quid timendum ſuſpicandumque putares ſuſpicabamur, tamen timidiora mandata videbantur, quam erat dignum tua populique Rom. victoria. Senatus autem, mi Brute, fortis eſt, & habet fortes duces. Itaque moleſte ferebat ſe a te, quem omnium quicunque fuiſſent fortiſſimum judicaret, timidum atque ignavum judicari. Etenim cum, te incluſo, ſpem maximam omnes habuiſſent in tua virtute, florente Antonio, quis erat qui quidquam timeret profligato illo, te liberato? Nec vero Lepidum timebamus. Quis enim eſſet, qui illum tam furioſum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle ſe dixiſſet, is in optatiſſima pace bellum reip. indiceret? Nec dubito quin tu plus provideas. Sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine

Galba] Sergio Galbæ, ep. 30 lib. x. *Conrad.*

Volumnioque] Volumnio Flacco. *Id.*

Te incluſo] Mutinæ. *Idem.*

Pacem velle ſe dixiſſet] Lib. x, ep. 27. *Idem.*

Plus provideas] Forte *videas*. Lambinus.

Tam recenti gratulatione] Hoc eſt, gratiarum actione. Eſt proprium in hac re verbum, cum in ſupplicationibus diis gratias agunt. Cic. Philip. XIV. *Supplicationes decernitis, hoſtem non appellatis. Grata vero veſtra diis immortalibus gratulationes erunt, grata victima, cum interfecta ſit civium multitudo?* Id. Orat. de provinc. Conſul. *Supplicationem quindecim dierum decrevi ſententia mea; reipublica ſatis eſt tot dierum quot C. Mario a diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio.* Liv. lib. VIII. *Quam convenient eſſe propter Q. Fabii victoriam, civitatem in laetitia, in ſupplicationibus, in gratulationibus eſſe, cum propter quem deum delubra pateant, ac ſacrificiis fument, honore, donis, cumulentur, nudatum virgis lacerari.* Sic & *gratulari* pro diis gratias agere Cic. in v. in Verrem dixit. pro quo male Lipſius II Elect. cap. 6. *gratari* ſubſtituit. *Grav.*

mine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam moleſtiam afferebat. Quare velim equidem, id quod ſpero, ut plane abjectus & fractus ſit Antonius. Sin aliquid virium forte collegerit, ſentiet nec ſenatui conſilium, nec populo R. virtutem deeſſe, nec reip. te vivo imperatorem. XIIII Kal. Iun.

Ad omnia deorum templa fecimus] Propter victoriam Mutinenſem. *Corrad.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Reip. vicem timet: Vicetinos commendat. Eodem anno.

D. BRVTVS M. T. C. S. P. D.

AD ſenatum quas litteras miſi velim prius perlegas, & ſi qua tibi videbuntur commutes. Neceſſario me ſcripſiſſe ipſe animadvertes. nam cum putarem, Quartam & Martiam legiones mecum futuras, ut Druſo Paulloque placuerat, vobis aſſentientibus, minus de reliquis rebus laborandum exiſtimavi. Nunc vero cum ſim cum tironibus egentiſſimis, valde & meam & veſtram vicem timeam neceſſe eſt. Vicetini me & M. Brutum praecipue obſervant. His ne quam patiare injuriam fieri in ſenatu vernarum cauſſa a te peto. Cauſſam habent optimam, officium in rempub. ſummum, genus hominum adverſariorum ſedi-

NUnc vero] Quando legiones illæ ad me perduci noluerunt, ep. 14 hujus libri. *Corrad.*

Vicetini] *Vincentia* oppidum mediterraneum in Venetorum finibus, hodie *Vicenza.* incolæ in monumentis antiquis modo *Vicetini*, modo *Vincentini* dicuntur. Vid. Cluv. Ital. antiq. lib. I, cap. 18.

Genus hominum adverſariorum ſeditioſum & incertiſſimum] Libentius delevezim, de ſententia Palatini tertii, τὸ *hominum*; quod injectum mihi ab aliquo luxurioſo videtur. Idem codex habet *ſeditioſum & ineptiſſimum*: cum Palatinus primus, itemque Hittorpianus ſcribant *incertiſſimum.* ſed male omnes. *Gebhardus.* Immo valde blanditur quod in his duobus optimis libris, Hittorpiano & Palatino legitur *incertiſſimum.* hoc eſt, infidum, inconſtans. ut contra *amicus certus*, ut in illo trito, *Amicus certus in re incerta cernitur*, & *homo certus*, cui fidere poſſis tuto. Cic. II in Verr. *Propter virtutem & fidem cum Androne homine honeſtiſſimo & certiſſimo electus eſt.* Lib. V ad Attic. epiſt. ult. *Quintum Voluſium, tui Tiberii*

gene-

ſeditioſum , & inertiſſimum. XII Kalend. Iun. Vercellis.

generum , certum hominem & mirifice abſtinentem. Græv.

Vercellis] Plin. lib. III, c. 17. *Corrad.* *Vercellæ* oppidum Galliæ Tranſpadanæ caput Libiciorum , municipium Romanorum , hodie *Vercelli.*

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Timere ſe ait Ciceronis cauſſa ; eumque monet , ut veteranorum animos ſibi reconciliet. Eodem anno.

D. BRVTVS IMP. COS. DES. M. T. C. S. P. D.

QVod pro me non facio , id pro te facere meus in te amor tuaque officia cogunt , ut timeam. Saepe enim mihi cum eſſet dictum , neque a me contemtum , noviſſime Labeo Segulius , homo ſibi ſimillimus , narrat mihi apud Caeſarem ſe fuiſſe , multumque ſermonem de te habitum eſſe : ipſum Caeſarem nihil ſane de te queſtum , niſi dictum , quod diceret te dixiſſe , laudandum adoleſcentem , ornandum , tollendum : ſe non eſſe commiſſurum ut tolli poſſit. Hoc ego Labeonem credo illi retuliſſe , aut finxiſſe dictum, non ab adoleſcente prolatum. Veteranos vero peſſime loqui volebat Labeo me credere , & tibi ab iis inſtare periculum , maximeque indignari quod in decemviris neque Caeſar , neque ego habiti eſſemus , atque omnia ad veſtrum arbitrium eſſent collata. Haec cum audiſſem , & jam in itinere eſſem , committendum nondum putavi , prius ut Alpes tranſgrederer, quam quid iſtic ageretur ſcirem. Nam de

N*Iſi dictum*] Niſi verbum. *Corradus.* *Dictum* , hoc eſt, dicterium. Phædrus lib. II Præf. *Sed ſi libuerit interponere aliquid dictorum.* Suet. Jul. 45. *Unde emanaſſe Sullæ dictum , optimates ſæpe admonentis , ut male præcinctum puerum caverent.* Græv.

Tollendum] Ex ambiguo dictum. *Corradus.*

In decemviris] Creatis. ut quæ ſenatus legionibus exercitibuſque pollicitus erat , perſolverent , diſtribuerentque. *Idem.* Aliter Manut. quem vide.

de tuo periculo, crede mihi, jactatione verborum, & denuntiatione periculi ſperare eos, te pertimefacto, adoleſcente impulſo, poſſe magna conſequi praemia: & totam iſtam cantilenam ex hoc pendere, ut quam plurimum lucri faciant. Neque tamen non te cautum eſſe volo, & inſidias vitantem. Nihil enim tua mihi vita poteſt eſſe jucundius, neque carius. Illud vide, ne timendo magis timere cogare. Et quibus rebus poteſt occurri veteranis, occurras. Primum quod deſiderant de decemviris facias, deinde de prae-

Sperare eos] Veteranos. *Corradus.*

Te perterrefacto] Vetera omnia exemplaria *pertimefacto*, quæ vox, quia rara eſt, cum eam fortaſſe pro Latina non haberent, non hinc tantum indigniſſime dejecta eſt, ſed aliis etiam ſuis ſedibus deturbata. Invenimus nos in multis manuſcriptis Lucretii codicibus in proœmio ſecundi libri hanc vocem iterum eandem pœnam immerito paſſam, eo ſcilicet verſu,

His tibi cum rebus timefactæ religiones: ejus enim loco in vulgatis *tumefactæ* repoſitum eſt, priore dictione importune deleta, cujus criminis culpam putamus nos Marullum Byzantium ſuſtinere: vidimus enim ejus librum, qui cum *timefactæ* ante ſcriptum habuiſſet, in *tumefactæ* eam dictionem converſam habebat. Fuit autem Marullus admirabilis ingenii vir, & elegantiſſimus poeta: Lucretiique in primis ita ſtudioſus & admirator, ut fere nunquam e manibus dimitteret. magnam præterea operam in eo cum fœdiſſimis mendis ſcateret, purgando collocavit, multaque feliciter reſtituit. Quandoque tamen cum nimis ingenio ſuo indulgeret, nonnulla quæ corrigere voluit, depravavit: parum enim manuſcriptos codices, cum tam corruptos paſſim inveniret, ſequebatur: quæque ſuo judicio probaſſet, ea recta judicans, multis locis deceptus eſt. Quæ longius percurri, ægre ferens tam bonum poetam tot vulneribus conciſum jacere: cumque ab omnibus ametur & colatur, nullum tamen ei tam miſere temporum injuria manco & detrunco opem ferre, remediumve ullum adhibere. Quam rectius autem ibi *timefactæ* legatur, planum credo futurum omnibus qui accurate totum locum conſiderarint: cum enim ſupra docuerit, opes, nobilitatem, regna, non poſſe morbos e corpore tollere, neque perturbationes ex animo poſſe demere, vult: tollit tamen omnem, qua adverſarius uti potuiſſet, rationem, niſi forte inquiens metus mortis, ſuperſtitioneſque, quæ animi morbi ſunt, perterritæ aſpectu armorum militumque in umbratilibus pugnis concurſu fugiant, animumque cura, ſollicitudinibuſque vacuum relinquant. Si enim hoc accideret, tum magnum adferrent adjumentum divitiæ & imperia. verum hoc credere ridiculum & ſtultum eſt: nam metus mortis, aliæque animi perturbationes non metuunt vim militum, contemnuntque majeſtatem regum & imperatorum, audacterque inter eos verſantur, nec ſpecioſas veſtes reverentur, id eſt, nulla res eſt quæ illis timorem incutiat. Quæ omnia lectionem illam *timefactæ* confirmant. nam *sibi* quam vim hic habeat, puto manifeſtum eſſe, eandem ſcil. quam habet eo Ciceronis loco ad Atticum, *At ille ibi πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens pergit Brundiſium:* & aliis multis locis, ne longiores ſimus in re clara exempla adducendo. *Victorius.*

Primum quod deſiderant de decemviris facias] Vt ego & Cæſar in Decemviris ſimus. *Corrad.*

Video

praemiis. Si tibi videtur, agros eorum militum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos cenſeas ab utriſque nobis. De nummis, lente, ac ratione habita pecuniae: ſenatum de ea re conſtituturum: quattuor legionibus iis, quibus agros dandos cenſuiſtis, video facultatem fore ex agris Silanis & agro Campano. AEqualiter, aut ſorte agros legionibus aſſignari puto oportere. Haec me tibi ſcribere non prudentia mea hortatur, ſed amor in te, & cupiditas otii, quod ſine te conſiſtere non poteſt. Ego, niſi valde neceſſe fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturum ad omnes caſus, & impetus hominum. De exercitu quem Panſa habuit, legionem mihi Caeſar non remittit. Ad has litteras ſtatim mihi reſcribe, tuorumque aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meque ſcire opus eſſe putaris. Vale. IIX Kal. Ian. Eporedia.

Video facultatem fore ex agris Silani & agro Campano] Hæc eſt Medicei codicis & aliorum etiam manuſcriptorum lectio. nam in impreſſis *ex agris Syllanis* legitur. Accurate animadvertendum, utra lectio melior ſit. Non me fugit, de agris Syllanis in Senatu ſæpe actum eſſe, & qui eos poſſidebant, magnâ invidia eos tenuiſſe: neſcio tamen, an his temporibus cogitaverint eos veteribus poſſeſſoribus eripere: & quicquid de illis agendum fuit, veriſimile eſt multo ante conſtitutum fuiſſe. Quare cum meliores libri *Silani* habeant, videndum eſt, an intelligat Brutus Silanum illum Lepidi legatum: qui cum ab eo cum legionibus in Italiam miſſus eſſet, & ipſe & Culleo alter legatus, ad Antonium ierant, de quo in epiſtola ſua ad Ciceronem Lepidus queritur, *Silanus & Culleo ab eo diſceſſerunt*: nam ita eo loco ſcriptum eſt, non *Syllanus*, ut in impreſſis codicibus: veriſimile enim eſt, ob id factum hoſtem illum appellatum, & bonis multatum. Privati autem homines nonnulli magnas ſæpe poſſeſſiones habebant: dabat enim ſenatus agros eorum qui Antonium ſecuti eſſent, & a Repub. deſciviſſent, iis qui rempublicam & ſenatus auctoritatem defendiſſent. Res tamen obſcura, & de qua nihil certi tradi poſſit. *Victorius.*

IIX *Kal. Jan.*] Al. IX *Kal.* & ita legendum, ex epiſtola vigeſimatertia hujus libri cognoſcitur. *Corradus.*

Eporadia] Plin. lib. III, c. 17. *Idem.*

Eporedia] Colonia Romanorum in Tranſpadana Gallia, Sibyllinis libris a populo Romano condi juſſa in faucibus Salaſſorum vallis. inter duo altiſſima juga in edito vertice, munimentum contra Salaſſos, hodie *Ivrea* & *Invrea*, nonnullis *Lamporeggio*. Luithprando dicitur *Eporegia*. Sic & hoc loco ſcriptum eſt in Hittorpiano codice. In Palatino vero tertio & Amſtelod. Victor. ed. *Eporedia.* ſic & in aliis antiquis munimentis ſcribitur. Alii vero ſcribunt *Eporædia*. vid. Cluv. Ital. antiq. lib. I, c. 13.

EPISTOLA XXI.

Argumentum.

Reſpondet ſuperiori epiſtolae.

M. T. C. D. BRUTO IMP. S. P. D.

DIi iſti Segulio malefaciant, homini nequiſſimo omnium qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. Quid? tu illum tecum ſolum, aut cum Caeſare, qui neminem praetermiſerit, quicum loqui potuerit, cui non eadem iſta dixerit? Te tamen, mi Brute, ſic amo, ut debeo, quod iſtud quidquid eſſet nugarum, me ſcire voluiſti. Signum enim magnum amoris dediſti. Nam quod idem Segulius, veteranos queri, quod tu & Caeſar in decemviris non eſſetis, utinam ne ego quidem eſſem. Quid enim moleſtius? Sed tamen cum ego ſenſiſſem, de iis qui exercitus haberent, ſententiam ferri oportere, iidem illi, qui ſolent, reclamarunt. Itaque excepti etiam eſtis, me vehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui res novas quaerit: non quo veterem comederit, nullam enim habuit, ſed hanc ipſam recentem novam devoravit. Quod autem ſcribis, te, quod pro te ipſo non facias, id pro me, ut de me timeas aliquid, omni te, vir optime mihique cariſſime Brute, de me metu libero. Ego enim, quae provideri poterunt, non fallar in iis; quae cautionem non habebunt, de his non ita valde laboro. Sim enim impudens, ſi plus poſtulem quam ho-

SEntentiam ferri oportere] Ut ſcilicet hi demum, vel ex his quidam decemviri crearentur.

Iidem illi] Epiſt. 10 hujus lib. *Corradus.*

Qui res] Ex ambiguo dictum. *Idem.*

Hanc ipſam recentem novam] Videtur abundare vox *novam*, quae abeſt a vetere etiam libro, tanquam gloſſema verbi *recentem*. Urſinus. *Recentem novam*, nova hereditate acceptam.

Id pro me, ut de me timeas aliquid] Editum eſt, *id pro me facere ut de me t. al.* ſed verbum *facere*, neque exſtat in Palatino primo, tertio, [nec in Amſtelod.] neque adeo editione primaria aut Victoriana. *Gebhardus.*

Culpa

hominì a rerum natura tribui poteſt. Quod mihi praecipis ut caveam, ne timendo magis timere cogar, & ſapienter & amiciſſime praecipis. Sed velim tibi perſuadeas, cum te conſtet excellere hoc genere virtutis, ut nunquam extimeſcas, nunquam perturbere, me huic tuae virtuti proxime accedere. Quamobrem neque metuam quidquam, & cavebo omnia. Sed vide, ne tua jam, mi Brute, culpa futura ſit, ſi ego quidquam timeam. tuis enim opibus, & conſulatu tuo, etiam ſi timidi eſſemus, tamen omnem timorem abjiceremus, praeſertim cum perſuaſum omnibus eſſet, mihique maxime, a te nos unice diligi. Conſiliis tuis, quae ſcribis de quattuor legionibus, deque agris aſſignandis ab utriſque veſtrum, vehementer aſſentior. Itaque cum quidam de collegis noſtris agrariam curationem ligurrirent, diſturbavi rem, totamque vobis integram reſervavi. Si quid erit occultius, &, ut ſcribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te litterae perferantur. Pridie Nonas Iunii.

Culpa futura ſit] Qui in reliquum anni tempus loco Panſæ, vel Hirtii conſulatum non petas, quamvis in futurum annum ſis deſignatus. *Corrad.* Sed rectius Manutius exponit, quod Antonium non ſis perſecutus; quem vide.

Unice diligi] Singulariter, mirifice. Suet. *unicus Imperator* eſt ſummus, maximus, præſtantiſſimus omnium.

Agrariam curationem ligurirent] Ambirent. *Corradus.* *Agrariam curationem ligurrirent*] Sic habent omnes libri veteres. Quidam tamen legendum cenſent *agrariam rogationem.* Præterea *ligurrirent*, duplici *rr* reſcribendum, ut habent iidem libri veteres. *Lambinus.*

EPISTOLA XXII.

ARGUMENTUM.

Commendat Ap. Claudium. Eodem anno.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. P. D.

CVm Appio Claudio, C. F. ſumma mihi neceſſitudo eſt, multis ejus officiis & meis mutuis conſtituta. Peto a te majorem in modum, vel humanitatis tuae vel mea cauſſa,

cauſſa, ut cum auctoritate tua, quae plurimum valet, conſervatum velis. Volo te, cum fortiſſimus vir cognitus ſis, etiam clementiſſimum exiſtimari. Magno tibi erit ornamento, nobiliſſimum adoleſcentem beneficio tuo eſſe ſalvum. Cujus quidem cauſſa hoc melior debet eſſe, quod pietate adductus, propter patris reſtitutionem, ſe cum Antonio conjunxit. Quare etſi minus veram cauſſam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus poteſt hominem, ſummo loco natum, ſummo ingenio, ſumma virtute, officioſiſſimum praeterea & gratiſſimum, incolumem in civitate retinere. Quod ut facias, ita a te peto, ut majore ſtudio magiſve ex animo petere non poſſim.

Q*Va plurimum valet*] Quidam legi volunt *qua plurimum vales*. Lambinus.

Me cum Antonio conjunxit] Non habebant illud vulgare *ſe* Palatini, editio Victorii, omniumque princeps: quod dico, ne quis, ut vulgo, interpretetur, & praeterea ignarus meam fidem flagitet. *Gebhardus*. *Me* quoque prae ſe ferunt codices Amſtelod. Mentel. meus ſec. ſed quis ejus ſenſus? quae illa Ciceronis cum Antonio conjunctio? Sane vulgatorum librorum ſcripturam *ſe cum Antonio* conjunxit totius epiſtolae argumentum flagitare videtur, quae & merito a Manutio, Lambino, aliiſque recepta eſt. Forte autem in uno, ex quo reliqui derivati ſunt, antiquiſſimo codice *ſ* fuit in *ſe* omiſſum, inde *m* ex praecedente vocula illi adhaeſit. hinc haec labes in alios libros fuit propagata. *Gravius*.

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Hortatur Ciceronem ad bene de rep. ſperandum: & ſe litteras ejus exſpectare dicit. Eodem anno.

D. BRVTVS M. T. C. S. P. D.

NOs hic valemus recte, & quo melius valeamus operam dabimus. Lepidus commode de nobis ſentire videtur. Omni timore depoſito, debemus libere reipub. conſulere. Quod ſi omnia eſſent aliena, tamen tribus tantis exer-

Q*Vod ſi omnia eſſent aliena*] Apud Lepidum. *Corradus*. Si ſcilicet cum Antonio ſentiret.

Tamen tribus tantis exercitibus propriis] Caeſaris, Planci & meo. Videndum eſt tamen, an potius ſic exponi debeat. *Alio-*

exercitibus propriis reipub. valentibus, magnum animum habere debebas, quem & ſemper habuiſti, & nunc fortuna adjuvante augere potes. Quae tibi ſuperioribus litteris mea manu ſcripſi, terrendi tui cauſſa homines loquuntur. Si frenum momorderis, peream, ſi te omnes, quot ſunt, conantem loqui ferre poterint. Ego, tibi ut antea ſcripſi, dum mihi a te litterae veniant, in Italia morabor. IIX Kal. Iun. Eporedia.

Alüna, apud Cæſarem & veteranos, *Tribus*, meo, Planci, & Lepidi, qui tunc commode ſentire videbatur. quærit enim Ciceronem illo metu liberare, de quo ſcripſerat epiſtola 20 hujus libri. *Corrad.* Sed prior explicatio vera eſt.

Homines loquuntur] Ut Labeo Segulius. *Corradus.*

Si frenum momorderis] Te ferocem oſtenderis: ut, *Equus frena ferox ſpumantia mandit.* Idem.

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Si quid antea timoris fuerat, ademptum ait ſuperioribus Bruti litteris. addit, quid agendum ei ſit, & de pecunia decreta. Eodem anno.

CICERO D. BRVTO, S. P. D.

NArro tibi, antea ſubiraſcebar brevitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax eſſe videor. te igitur imitabor. Quam multa quam paucis! Te recte valere, operamque dare ut quotidie melius: Lepidum commode ſentire: tribus exercitibus quidvis nos oportere confidere. Si timidus eſſem, tamen iſta epiſtola mi omnem metum abſterſiſſes. Sed, ut mones, frenum momordi. etenim, qui te,

NArro tibi, antea ſubiraſcebar] Eadem complexione non ſemel ad Atticum uſus, lib. xv. *Narro tibi*, inquit, *hæc loca venuſta ſunt.* & ſecundo, *Narro tibi, plane relegatus mihi videor, poſteaquam in Formiano ſum.* & alibi: ſuavi ſane initio. *Bern. Rutil.*

Quam multa, quam paucis] Scilicet ſcribis ſuperiore epiſtola. *Corradus.* Id eſt, quam multas res quam paucis verbis complecteris ſcribendo, quum omnia hæc ſubjecta uno duobusve verſiculis explicueris. *Bern. Rutil.*

Habeo

te incluſo omnem ſpem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere; ſed ita ut ne deſim conſtantiae meae. Quod ſcribis in Italia te moraturum dum tibi litterae meae veniant, ſi per hoſtem licet, non erraris: multa enim Romae. ſin adventu tuo bellum confici poteſt, nihil ſit antiquius. Pecunia expeditiſſima quae erat, tibi decreta eſt. Habes amantiſſimum Servium. nos non deſumus. IIX Idus Iunias.

Habes amantiſſimum Servium] Sic Pall. ut & Hittorp. Stewech. Victor. ed. *Servium*] De *Servio* epiſt. 7 hujus libri. Alii legunt *Servilium*, qui Ciceronis actionibus eo tempore adverſabatur: etſi alter eſſe poterat. *Corradus.* Forte autem legend. *amantiſſimum tui.* Lambinus.

EPISTOLA XXV.

ARGVMENTVM.

Exſpectari a ſe Bruti litteras ait: ſibi nihil eſſe quod ſcriberet: reip. ſpem in ipſo & in ejus collega Planco omnem eſſe: De M. Bruto nihil certi. Eodem anno.

M. T. C. D. BRVTO S. P. D.

EXſpectanti mihi tuas quotidie litteras, Lupus noſter ſubito denuntiavit, ut ad te ſcriberem ſi quid vellem. Ego autem, etſi quid ſcriberem non habebam, acta enim ad te mitti ſciebam, inanem autem ſermonem litterarum tibi injucundum eſſe audiebam, brevitatem ſecutus ſum, te magiſtro. Scito igitur in te & in collega ſpem omnem eſſe. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum praecipis, privatis litteris ad bellum commune vocare non deſino. qui utinam jam adeſſet: inteſtinum urbis malum, quod eſt non mediocre, minus timeremus. Sed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum? altera jam pagella procedit. Vince, & vale. XIV Kal. Quintiles.

IN *Collega*] Planco. *Corradus.* *De Bruto*] De M. Bruto. *Idem.* *Privatis litteris*] Quæ extant. *Idem.*

Inteſtinum urbis malum] Senatorum diſſenſionem. *Idem.* Sed vide Manut.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

ARGVMENTVM.

Sollicitus ob Antonii cum Lepido conjunctionem, poſtulat ut legiones quamprimum ſibi ſtipendiumque mittatur. Eodem anno.

D. B. IMP. M. T. C. S. P. D.

IN maximo meo dolore hoc ſolatio utor, quod intelligunt homines, non ſine cauſſa me timuiſſe iſta quae acciderunt. Deliberent, utrum trajiciant legiones ex Africa, necne, & ex Sardinia: & Brutum arceſſant, necne: & mihi ſtipendium dent, an non decernant. Ad ſenatum litteras miſi. Crede mihi, niſi iſta omnia ita fiunt quemadmodum ſcribo, magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte quibus hominibus negotium detis qui ad me legiones adducant. & fide opus eſt & celeritate. III Non. Iun. ex caſtris.

ME *timuiſſe iſta*] Conjunctionem Lepidi cum M. Antonio. *Corrad.* *Brutum arceſſant*] Ex Macedonia. *Id.* *An non decernant*] Recte ſic ſcribitur in Amſtelod. Mentel. Pall. meo ſecundo: ſic & Manutius & Lambinus, poſtulante ſenſu. pro *nec ne*, quod bis reperierat, nunc dicit *an non decernant.* Victorius & Gebhardus, delerunt negandi particulam ſecuti fidem quorundam codicum priſcorum, inter quos ſunt Hittorpianus & Stewechianus. Sed ſi *non* expungatur, legendum eſt *ac decernant.* Cogitent eruditi. Equidem *an decernant*, quid ſibi velit ego non video. *Decernere ſtipendium* eſt ſtatuere, quantum pecuniæ ad bellum hoc gerendum ſit tribuendum Bruto. *Gravius.*

EPISTOLA XXVII.

ARGVMENTVM.

Queſtus erat Matius, accuſari ſe a Cicerone, tum quod in lege quadam Caeſaris ſuffragium tuliſſet, tum etiam quod ludos, Caeſari mortuo ab Octaviano datos, curaſſet. Cicero ita ſe purgat, ut alterum negari a ſe dicat, alterum defendi. Eſt autem purgatio in primis accurata, & ab exquiſito quodam artificio deprompta. nam voluntatis in Matium ſuae argumenta Cicero ſumit a vetuſtate, a mutua benevolentia, a

vete-

veteribus Matii beneficiis, a familiaritate, a recentibus officiis, praeterea ab ejuſdem fide, conſilio, gravitate, conſtantia, lepore, humanitate, litteris: deinde ad Matii querelam reſpondet. Antonio & Dolabella Coſſ.

M. CICERO MATIO S.

NOndum ſatis conſtitui, moleſtiaene plus an voluptatis attulerit mihi Trebatius noſter, homo cum plenus officii, tum utriuſque noſtrum amantiſſimus. Nam cum in Tuſculanum veſperi veniſſem, poſtridie ille ad me, nondum ſatis firmo corpore cum eſſet, mane venit. Quem cum objurgarem, quod parum valitudini parceret: tum ille, nihil ſibi longius fuiſſe, quam ut me videret. Num quidnam, inquam, novi? Detulit ad me querelam tuam: de qua prius quam reſpondeo pauca praeponam. Quantum memoria repetere praeterita poſſum, nemo eſt mihi te amicus antiquior: Sed vetuſtas habet aliquid commune cum multis, amor non habet. Dilexi te quo die cognovi, meque a te diligi judicavi. Tuus deinde diſceſſus, iſque diuturnus, ambitio noſtra, & vitae diſſimilitudo non eſt paſſa voluntates noſtras conſuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cum Caeſar eſſet in Gallia. Quod enim vehementer mihi utile eſſe putabas, nec inutile ipſi Caeſari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in ſuis. Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiariſſime dicta, ſcripta, communicata ſunt. graviora enim conſecuta ſunt. Et initio belli civilis cum Brundiſium verſus ires ad Caeſarem, veniſti ad me in Formia-

TRebatius noſter] Epiſt. 15 lib. VII. Corrad.

Tuus deinde diſceſſus] In Galliam cum Julio Caeſare. *Idem.*

Iſque diuturnus] Plus novem annis. *Idem.*

Veniſti ad me in Formianum] Sic ad Atticum ſcribit, *Venit ad me Matius quinquatribus, homo, ut mihi viſus eſt, temperatus & prudens. Exiſtimatus eſt quidem ſemper auctor otii.* Idem. *Formianum* eſt villa Ciceronis, in medio oppidorum Formiae & Caietae in littore poſita, unde etiam *Caieta* dicta eſt, & *villa Caietana*, in qua Cic. poſtea fuit caeſus. Etiamnunc hodie viſuntur ejus reliquiae & rudera, diciturque *la villa di Cicerone.* Cluver.

Lit-

mianum. Primum hoc ipſum quanti, praeſertim temporibus illis? Deinde oblitum me putas conſilii, ſermonis, humanitatis tuae? quibus rebus intereſſe memini Trebatium. Nec vero ſum oblitus litterarum tuarum, quas ad me miſiſti, cum Caeſari obviam veniſſes in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus eſt, cum me ad Pompeium proficiſci ſive pudor meus coegit, ſive officium, ſive fortuna. Quod officium tuum, quod ſtudium vel in abſentem me vel in praeſentes meos defuit? quem porro omnes mei & mihi & ſibi te amiciorem judicaverunt? Veni Brundiſium. oblitumne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento advolaris? quae tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei fracti communium miſeriarum metu? Tandem aliquando Romae eſſe coepimus. quid defuit noſtrae familiaritati in maximis rebus? Quonam modo me gererem adverſus Caeſarem, uſus tuo conſilio ſum. In reliquis officiis, cui tu tribuiſti, excepto Caeſare, praeter me, ut domum ventitares, horaſque multas ſaepe ſuaviſſimo ſermone conſumeres? tum, cum etiam, ſi meminiſti, ut haec φιλοσοφήματα ſcriberem, tu me impuliſti. Poſt Caeſaris reditum, quid tibi majori curae fuit quam ut eſſem ego illi quam familiariſſimus? quod effeceras. Quorſum igitur haec

Litterarum tuarum] Sunt illæ fortaſſe lib. IX ad Att. *Corrad.*

Cum Caſari obviam veniſſem] Al. *obviam veniſſes*: idque fortaſſe melius. nam Matius, cum Capua exiſſet ut iret ad Cæſarem, ex itinere ad Ciceronem ſcripſit. Cicero præterea non dubitaſſet de loco, ſi eo veniſſet ipſe. *Idem.*

In agro ut arbitror Trebulano] *Trebula* eſt oppidum in agro Sabino, hodie dicitur *Mons Leonis Sabinorum*; *Monte Leone della Sabina*, prope podium S. Laurentii non longe extra viam Salariam: Eſt & aliud hujus nominis oppidum inter Reate & Caſſiam, quod vulgo vocatur *Monte Liono della Lioneſſa*, quod perperam pro Trebula habet Cluverius lib. II Ital. antiq. c. 9. ut recte in animadverſionibus eruditis ad iſtos libros docuit L. Holſteinius.

Vel in abſentem me, vel in præſentes meos defuit? Sic editio omnium vetuſtiſſima ac Victoriana, Palatini duo primus ac tertius. [nec non Amſtelod.] Nihili eſt vulgata, *vel in abſentem me vel in præſentem defuit*. Gebhardus.

Veni Brunduſium] Victo Pompeio. *Corrad.*

Quid defuit noſtra familiaritati in maximis rebus? Quonam modo me gererem adverſus Cæſarem] Forte legend. *quid defuit noſtræ familiaritati? In maximis rebus quonam modo me gererem adverſus Cæſarem.* Lambinus.

Poſt Cæſaris reditum] Poſt victum Pharnacem. Etſi poſt victos Pompeii filios,

haec oratio longior quam putaram? quia ſum admiratus, te, qui haec noſſe deberes, quidquam a me commiſſum, quod eſſet alienum noſtra amicitia, credidiſſe. Nam praeter haec quae commemoravi, quae teſtata ſunt & illuſtria, habeo multo occultiora, quae vix verbis exſequi poſſum. Omnia me tua delectant: ſed maxima cum fides in amicitia, conſilium, gravitas, conſtantia, tum lepos, humanitas, litterae. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te ſuffragium tuliſſe in illa lege primum non credidi: deinde ſi credidiſſem, nunquam id ſine aliqua juſta cauſſa exiſtimarem te feciſſe. Dignitas tua facit ut animadvertatur quidquid facias: malevolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quam a te facta ſint, proferantur. Ea tu ſi non audis, quid dicam neſcio. equidem, ſi quando audio, tam defendo quam me ſcio a te contra iniquos meos ſolere defendi. Defenſio autem eſt duplex. Alia ſunt, quae liquido negare ſoleam, ut de iſto ipſo ſuffragio. alia, quae defendam a te pie fieri & humane, ut de curatione ludorum. Sed te, hominem doctiſſimum, non fugit, ſi Caeſar rex fuerit, quod mihi quidem videtur, in utramque partem de tuo officio diſputari poſſe: vel in eam, qua ego uti ſoleo, laudandam eſſe fidem & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriae vitae amici anteponendam. Ex his ſermonibus utinam eſſent delatae ad te diſputationes meae.

filios, exponere commode poſſimus. *Corrad.*

Contra iniquos meos ſolere defendi] Quamvis ſciam P. Victorium ediviſſe *iniquos meos*, ut eſt in vulgatis, ego tamen ſecutus libros manuſcr. Memm. *inimicos* repoſui. Neque tamen aut nego aut neſcio *iniquos* interdum uſurpatum eſſe a Cicerone pro inimicis. qua de re nos alibi plura. *Lambinus.* Sane *inimicos* extat etiam in Amſtelod. & Mentel. Sed Hittorp. Stew. & Graev. ſec. *contra iniquos.*

Qua liquido negare ſoleam] Cum in Mediceo fuiſſet *aliquando*, recte Egnatius emendavit *liquido*: idque Victorius in ſua editione eſt ſecutus, tum Manutius ac denique Lambinus. Ego non accedam tot ac tantis? præſertim tanta inconſtantia noſtrorum codicum, & præcipientibus Excerptis Vaticani, in quibus quoque *liquido*. pro eo editur *aliquando*. Gebhard.

De curatione ludorum] Epiſtola ſequenti. *Corrad.*

Cauſſam

meae. Illa vero duo, quae maxima ſunt laudum tuarum, quis aut libentius quam ego commemorat aut ſaepius: te & non ſuſcipiendi belli civilis graviſſimum auctorem fuiſſe, & moderandae victoriae: in quo qui mihi non aſſentiretur inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari noſtro, qui mihi dedit cauſſam harum litterarum: quibus niſi credideris, me omnis officii & humanitatis expertem judicaris: quo nec mihi gravius quidquam poteſt eſſe, nec a te alienius.

Cauſſam harum litterarum] Forte, *anſam harum litterarum*. Lambin.

EPISTOLA XXVIII.

ARGVMENTVM.

Reſpondet Matius egregia ſane epiſtola litteris Ciceronis, purgatque ſe adverſus vituperatores ſuos.

MATIVS CICERONI S.

MAgnam voluptatem ex tuis litteris cepi, quod, quam ſperaram atque optaram, habere te de me opinionem cognovi. De qua etſi non dubitabam, tamen, quia maximi aeſtimabam, ut incorrupta maneret laborabam. Conſcius autem mihi eram nihil a me commiſſum eſſe quod boni cujuſquam offenderet animum. Eo minus credebam, plurimis atque optimis artibus ornato tibi temere quidquam perſuaderi potuiſſe, praeſertim in quem mea propenſa & perpetua fuiſſet atque eſſet benevolentia. Quod quum, ut volui, ſcio eſſe, reſpondebo criminibus quibus tu pro me, ut par erat, tua ſingulari bonitate & amicitia noſtra, ſaepe reſtitiſti. Nota enim mihi ſunt, quae in me poſt Caeſaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quod mortem hominis neceſſarii graviter fero, atque eum, quem dilexi, periiſſe indignor. Ajunt enim, Patriam amicitiae praeponen-

AJunt enim patriam amicitia praeponendam eſſe] Nos veterem lectionem, quae multos primo aſpectu falleret, ob idque fortaſſe repudiata quondam

ponendam eſſe: proinde ac ſi jam vicerint, obitum ejus reipub. fuiſſe utilem. Sed non agam aſtute. Fateor me ad iſtum gradum ſapientiae non perveniſſe. Neque enim Caeſarem in diſſenſione civili ſum ſecutus: ſed amicum, re quanquam offendebar, tamen non deſerui: neque bellum unquam civile, aut etiam cauſſam diſſenſionis probavi: quam etiam naſcentem exſtingui ſumme ſtudui. Itaque in victoria hominis neceſſarii, neque honoris, neque pecuniae dulcedine ſum captus: quibus praemiis reliqui, minus apud eum quam ego cum poſſent, immoderate ſunt abuſi. Atque etiam res familiaris mea, lege Caeſaris diminuta eſt: cujus beneficio plerique, qui Caeſaris morte laetantur,

dam eſt, ſua ſede repoſuimus *patriæ amicitiam.* cum enim poſſumus antiquorum exemplariorum dignitatem auctoritatemque tueri, libenter facimus: ſæpius enim qui ea parvi fecerunt, deceptos vidimus: hancque eorum verborum ſententiam credimus eſſe. *Ajunt enim patriæ amicitiam præponendam eſſe*, ſcilicet amicitiæ neceſſariorum. Duo enim ſunt quæ quivis amare ſummo ardore debet, patria, & neceſſarii. fatetur hic ſe diſſentire ab illis, qui præponendum eſſe amorem patriæ dicebant, amori neceſſariorum & familiarium: cum enim nemo ſit qui non patriam diligat, & amicos ſalvos velit potius, uter amor præponendus ſit, diſputandum eſt. *Victorius.* *Patriæ amicitiam*] Si *amicitiam* appellavit amorem, ut nos credimus, Matius (nam Græci quoque φιλίαν ſæpe τὸ φίλτρον vocant,) non video cur priſca lectio rejici debeat. Quod ita olim ſcripſimus, dedimus id vetuſtati ac fidelitati librorum, cum quibus poſtea minoris auctoritatis codices conſentire cognovimus, vel potius in nullo aliter reperimus. Sed magnum negotium eſt receptam aliquam opinionem niſi prorſus abſurda ſit, ex animis hominum evellere. *Idem* in poſter. *Patriam amicitia*] Al. *patriæ amicitiam*, hoc eſt, erga patriam amorem. *Corrad.* *Ajunt enim, patriam amicitia præponendam eſſe*] Secutus ſum libros vulg. cum præſertim cum eis conſentiant nonnulli manuſcripti: atque ita locutus ſit oratione pro Rab. perduell. reo: ibi, *ut amicitiam patriæ præponeret.* Nam quod P. Victorius ex antiquis codicibus reponit, *ajunt enim, patriæ amicitiam præponendam eſſe:* hac ſententia, Ajunt, amicitiam patriæ, præponendam eſſe amicitiæ amicorum, probare non poſſum. Sic potius exiſtimarim eſſe legendum, ſi quid ſit mutandum, *ajunt enim, patriæ libertatem amicitiæ præponendam eſſe.* ſic enim fere in ſuperiore epiſtola Cicero, *libertatem patriæ vitæ amici præponendam.* Lambinus. *Patriæ amicitiam præponendam eſſe*] Adhæreſcimus MSS. quippe e quibus duo Palatini, Vaticani excerpta, editio omnium prima, hanc lectionem tuentur. *Gebhard.* His accedunt quidem Amſtelod. Mentel. & Grævii ſecundus: Sed nullus ſcriptorum Latinorum *amicitia patriæ* pro amor patriæ dixit. Merito igitur cum Lambino vulgatam, quam & codicibus non nullis firmari ait, præfero: *amicitia patriam præponendam*, aut ſcribendum cum J. F. Gronovio, *patriæ amicitiam poſtponendam.* Græv.

Lege Cæſaris] Hanc legem quærendam relinquimus. Niſi fortaſſe ea ſit quam Cæſar iterum Cos. tulit, de æſtimationibus per arbitros creditoribus traden-

tur, remanſerunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, aeque ac pro mea ſalute laboravi. Poſſum igitur qui omnes voluerim incolumes, cum a quo id impetratum eſt, periiſſe non indignari, cum praeſertim iidem homines illi, & invidiae & exitio fuerint? Plecteris ergo, inquiunt, quum factum noſtrum improbare audes. O ſuperbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunite licere! At haec etiam ſervis ſemper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent, ſuo potius quam alterius arbitrio: quae nunc, ut quidem iſti dictitant, libertatis auctores, metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius unquam periculi terroribus ab officio aut ab humanitate deſciſcam. Nunquam enim honeſtam mortem fugiendam, ſaepe etiam oppetendam putavi. Sed quid mihi ſuccenſent, ſi id opto, ut poeniteat eos ſui facti? Cupio enim Caeſaris mortem omnibus eſſe acerbam. At debeo pro civili parte remp. velle ſalvam. Id quidem me cupere, niſi & ante acta vita & reliqua mea ſpes, tacente me, probat, dicendo vincere non poſtulo. Quare majorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihique, ſi ſentis expedire recte fieri, credas nullam communionem cum improbis eſſe poſſe. An quod adoleſcens praeſtiti, cum etiam errare cum excuſatione poſſem, id nunc aetate praecipitata commutem, ac me ipſe retexam? Non faciam, neque quod diſpliceat committam, praeterquam quod hominis mihi conjunctiſſimi ac viri ampliſſimi doleo gravem caſum.

Quod

dendis, deque judiciis damnatorum lege Pompeia in integrum reſtituendis. *Corrad.*

Aliis ne dolere quidem impunite licere] Sic elegantius *impunite* quam vulgo *impune*. Gebhard.

At debeo pro civili parte] Quidam putant legendum *pro virili parte*. ſed ego nihil mutandum cenſeo. nam quemadmodum dicimus *pro virili parte*, ita & *pro civili parte*. Lambin.

Mihique, ſi ſentis expedire recte fieri] Alii legunt, *mihique, ſi ſentis expedire, & recte fieri.* Corradus. *Mihique, ſi ſentis expedire, recte fieri credas, nullam communionem*, &c.] Diſtingue melius, *mihique, ſi ſentis expedire recte fieri, credas communionem*, &c. Eſt autem *recte*

fieri,

Quod ſi aliter eſſem animatus, nunquam quod facerem negarem: ne & in peccando improbus, & in diſſimulando timidus ac vanus exiſtimarer. At ludos, quos Caeſaris victoriae Caeſar adoleſcens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad ſtatum reipubl. pertinet. Quod tamen munus & hominis amiciſſimi memoriae, ac honoribus praeſtare etiam mortui debui, & optimae ſpei adoleſcenti, ac digniſſimo Caeſare, petenti negare non potui.

fieri, in pace eſſe atque vivi ab omnibus. *Bern. Rutil.*

At ludos quos Caſaris victoria Caſar adoleſcens fecit, curavi] *Ludos* anniverſarios, qui VI Id. April. celebrabantur. *Caſaris victoria* contra Jubam. *Adoleſc. fecit* ut Apollonia rediit. *Corradus.* *At ludos*, &c.] De his Suet. Octav. c. 10. *Ludos autem victoria Caſaris non audentibus facere, quibus obtigerat id munus, ipſe edidit.* Varii ludi in memoriam victoriarum Cæſaris fuerunt celebrati, ut docet Dio & Appian. II Bell. civ. Sed hi inſtituti ſunt in memoriam victoriæ, quam Cæſar in Hiſpaniis, cæſis Pompeii liberis, eſt adeptus. Celebrati ſunt ex Sc. Palilibus in circo, quo die & ſacra fiebant, ut recte Torrentius vidit. Cui fruſtra Caſaubonus objicit, diem Paliliorum fuiſſe XI Kal. Maii, hos vero ludos adhuc paraſſe Matium XV Kal. Jun. nec niſi aliquanto tempore poſt fuiſſe editos. Cur enim ordinario Paliliorum die non fuerint editi, ſed aliquantum dilati, cum ex loco ſuperiore Suetonii, tum ex illo Dionis apparet lib. XLV. *Dein ludos ob perfectam Veneris genetricis ædem inſtitutos, quos vivo adhuc Caſare ſe celebraturos receperant, ſed tum, ſicut & equeſtre certamen Palilibus, negligebant, ipſe ſuis ſumptibus, tanquam ad ſe ratione generis pertinentes, ad captandam populi gratiam fecit.* nimirum Octavius, cum Apollonia Romam veniſſet. Meminit horum ludorum etiam Plin. II, 25. & Suet. Jul. Cæſ. 88. *Berneccerus.*

Curavi] Sic ad Atticum hac de re ſcribit, *Matius & Poſthumius mihi procuratores non placent: Saſerna collega dignus.* Corrad.

Quod tamen munus & hominis amiciſſime memoria, ac honoribus praſtare etiam mortui debui] Amſtelodamenſis cum pluribus aliis manuſcriptis, *Quod tamen munus & hominis amiciſſimi memoria, ac honoribus praſtare, etiam mortuo debui.*

Digniſſimo Caſari petenti] Mediceus liber, *Caſare repetenti.* quod Paulli lectionem adjuvat, ut tantum in librario peccatum ſit, quod extremam prioris vocis ſyllabam iterum ſcripſit: multæ hujuſcemodi maculæ in antiquis & in impreſſis libris inveniuntur. Simile huic erratum erat, de quo antea locuti ſumus, quod in cunctis libris *fide Lepidi dimiſſos* legebatur: cum *Lepidi miſſos* legi debeat. Apud Tacit. lib. IV. (volo enim a me quoque aliquid opis capere ſtudioſos litterarum) eodem modo peccatum fuit, *Circumgredi terga hoſtium jubet, qui jam acie compoſiti pelluntur: turmas ſociales, equitesque ſubſidio miſſos:* Legi enim debet, *pellunt turmas ſociales.* Vt Matius inquit, *digniſſimo Caſare, adoleſcenti:* ita etiam Cicero ad Allienum Procos. ejus filios *digniſſimos ille patre* dixit. *Victorius.* *Digniſſimo Caſari*] Digniſſimo, qui Cæſar appelletur. Etſi quidam *digniſſimo Caſare* legunt. *Corradus.* Videtur legendum *Caſare* pro *Caſari*, & ita eſt in manuſcripto. *Urſinus.* Veſtigia Medicei codicis legit. Mentelian. liber, *digniſſimo Caſare repetente.* quæ ſcriptura reperitur etiam in Stewech. Pal. primo & text.

CI-

potui. Veni etiam conſulis Antonii domum ſaepe, ſalutandi cauſſa: ad quem, qui me parum patriae amantem eſſe exiſtimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi cauſſa, frequentius ventitare reperies. Sed quae haec eſt arrogantia, quod Caeſar nunquam interpellavit, quin quibus vellem, atque etiam quos ipſe non diligebat, tamen iis uterer, eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me efficere conari, ne quos velim diligam? Sed non vereor, ne aut meae vitae modeſtia parum valitura ſit in poſterum contra falſos rumores: aut ne etiam ii qui me non amant, propter meam in Caeſarem conſtantiam, non malint mei, quam ſui ſimiles amicos habere. Mihi quidem ſi optata contingent, quod reliquum eſt vitae, in otio Rhodi degam: ſin caſus aliquis interpellarit, ita ero Romae ut recte fieri ſemper cupiam. Trebatio noſtro magnas ago gratias, quod tuum erga me animum ſimplicem atque amicum aperuit: & quod eum, quem ſemper lubenter dilexi, quo magis jure colere atque obſervare deberem, fecit. Bene vale, & me dilige.

EPISTOLA XXIX.

ARGVMENTVM.

Proficiſcens in Graeciam poſt Caeſaris obitum, res ſuas Oppio commendat, commemoratis ante beneficiis ab ipſo acceptis. Antonio & Dolabella Coss.

CICERO APPIO S.

DVbitanti mihi, quod ſcit Atticus noſter, de hoc toto conſilio profectionis, quod in utramque partem

CICERO APPIO S.] Vulgo *Oppio*. ſed nos illam inſcriptionem recepimus ex Palatino tertio, Stewechiano, ac editione Victorii. *Gebhard.* His adſentitur Mentelianus. Alii qui *Oppium* tuentur dicunt hanc epiſtolam ad C. Oppium ſcriptam eſſe, qui Cæſaris fuerit amicus: M. vero Oppium Pom-

tem in mentem multa veniebant, magnum pondus acceſſit ad tollendam dubitationem judicium & conſilium tuum. Nam & ſcripſiſti aperte, quid tibi videretur, & Atticus ad me ſermonem tuum pertulit. Semper judicavi in te & in capiendo conſilio prudentiam ſummam eſſe, & in dando fidem: maximeque ſum expertus, cum initio civilis belli per litteras te conſuluiſſem, quid mihi faciendum eſſe cenſeres, eundumne ad Pompeium, an manendum in Italia. Suaſiſti ut conſulerem dignitati meae. ex quo quid ſentires intellexi, & ſum admiratus fidem tuam, & in conſilio dando religionem: quod, cum aliud malle amiciſſimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quam illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi, & ſemper me a te diligi ſenſi: & cum abeſſem, atque in magnis periculis eſſem, & me abſentem & meos praeſentes a te cultos & defenſos eſſe memini. Et poſt meum reditum, quam familiariter mecum vixeris, quaeque ego de te & ſenſerim, & praedicarim, omnis, qui ſolent haec animadvertere, teſtes habemus. Graviſſimum vero judicium de mea fide & de conſtantia feciſti, cum poſt mortem Caeſaris & totum te ad amicitiam meam contuliſti. Quod tuum judicium, niſi mea ſumma benevolentia erga te, omnibuſque meritis comprobaro, ipſe me hominem non putabo. Tu, mi Appi, conſervabis amorem tuum, etſi more magis hoc quidem ſcribo, quam quo te admonen-

Pompeianum potius fuiſſe, quam Cæſarianum. *Corrad.*

Profectionis] Epiſt 1 lib. 1. *Idem.*

Suaſiſti] Seorſum a Balbo. nam cum illo ſcripſeras, non videri eam meam eſſe dignitatem, ut contra alterutrum arma ferrem. *Idem.*

Quid ſentires] Eundum ad Pompeium. *Idem.*

Et ſum admiratus fidem tuam, & in conſilio dando religionem] Videtur legendum quibuſdam, *ſumque admiratus & fidem tuam in conſilio dando & religionem.* Lambin.

Amiciſſimum] Cæſarem. *Corrad.*

In magnis periculis] Ne a Pompeianis, qui me veluti etiamnum Imp. reliquiis exercitus præficere volebant, interficerer. *Idem.*

Eſſem] Dyrrachii. *Idem.*

Poſt meum reditum] Victo Pompeio. *Idem.*

nendum putem, meaque omnia tuebere: quae tibi ne ignota eſſent, Attico mandavi: a me autem, cum paullum otii nacti erimus, uberiores litteras exſpectato. Da operam ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD C. CASSIVM, ET ALIOS,

LIBER XII.

EPISTOLA I.

Argvmentvm.

Dolabellae conſulis praeclarum facinus laudat: queritur, tyranno occiſo, tyrannidem tamen ſublatam non eſſe: Caſſium hortatur, ut una cum M. Bruto remp. omni perturbatione liberet. Antonio & Dolabella Coſſ.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

FInem nullam facio, mihi crede, Caſſi, de te & de Bruto noſtro, id eſt, de tota repub. cogitandi, cujus omnis ſpes in vobis eſt, & in D. Bruto. Quam quidem jam habeo ipſe meliorem, repub. a Dolabella meo praeclariſſime geſta. Manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego

FInem nullam facio] Non habet illud vulgo receptum *nullum*, Palatinus prim. Grut. Stewech. Medic. ut notat Baptiſta Egnatius. [his accedit Mentelian.] ſic ſupra lib. x, ep. 32. emendavi, ex Hittorp. Stewech. editione Victorii, *Quorum quis ullam finem aut modum futurum putavit.* Gebhard.

Praeclariſſime geſta] Epiſt. 14 lib. IX. *Corradus.*

Illud malum] Tumultus, a ſceleratis & ſervis de Cæſaris ſepultura & columna

ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano. Sed ita compreſſum eſt, ut mihi videamur omne jam ad tempus ab illo duntaxat ſordidiſſimo periculo tuti futuri. Reliqua magna ſunt ac multa: ſed poſita omnia in vobis. quanquam primum quidque explicemus. Nam, ut adhuc quidem actum eſt, non regno, ſed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, regios omnis nutus tuemur. Neque vero id ſolum, ſed etiam, quae ipſe ille, ſi viveret, non faceret, ea nos, quaſi cogitata ab illo, probamus. Nec ejus quidem rei finem video. Tabulae figuntur, immunitates dantur, pecuniae maxi-

lumna excitatus. *Corradus.* Vid. Suet. Jul. c. 85.

Sed ita compreſſa eſt] Ita Victorius edidit, & ſic Palatinus prim. atque adeo editio princeps, Grut. vero *comprehenſa eſt* ſollemni mutatione. *Gebhard.* Amſtelodamenſis quoque & meus ſecundus *compreſſa eſt*. Primus hanc lectionem ex Riccii codice, cui conſentit Mentelii liber, immutavit Manutius, & ſuppoſuit *compreſſum.* ſed *compreſſa* ſenſum reſpicit, non praecedentem vocem. Compreſſa eſt turba, & ſeditio hominum perditorum, qui tectis & templis & bonis viris minabantur. Hoc enim erat illud malum, quod ſerpebat in dies & gliſcebat. Sic in 1 ad fam. ep 9. *Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres ſorores.* ut bene reſtituit Victorius. *Graevius.*

Ab illo duntaxat ſordidiſſimo periculo tuti] Quidam legi volunt, *foediſſime periculo.* quod malim, ſi libri veteres adjuvent. *Lambinus.* Sed recte *ſordidiſſimo* exponit Corradus, ut a ſervis imminente.

Regios omnis nutus tuemur] Ea enim, quae ex commentariis ſe dicit referre Antonius, veluti acta Caeſaris probamus. *Corradus.* Qui non ceperunt elegantiam hujus dicti legerunt *intuemur.* ſed hoc magis vitreis fractis frivolum eſt. Gruterianus, *Regios omnes nutu tuemur:* neſcio quo ſenſu. mihi ſinceriſſima vulgata eſt. *Gebhardus.*

Ipſe ille] C. Julius Caeſar. *Corrad.*

Tabulae figuntur] Legum, de quibus & his item rebus quae ſequuntur, in prima Philip. leges. *Idem.*

Pecuniae maximae diſtribuuntur] Nos, ut in veteribus libris invenimus, contrario ſenſu *deſcribuntur* legimus. eſt autem *deſcribere pecunias*, frequens apud M. Tullium, id eſt, hanc huic, hanc illi pecuniae ſummam, quam ſolvere debeas, definire. In oratione pro L. Flacco, *Deſcripſit autem pecuniam ad Pompeii rationem, quae fuit accommodata L. Syllae deſcriptioni.* Item in epiſtola magna ad Q. Fratrem, *Nomen autem publicani aſpernari non poſſunt, qui pendere ipſi vectigal ſine publicano non potuerint, quod iis inaequaliter Sylla deſcripſerat.* Victorius. *Pecuniae maximae deſcribuntur*] Sic legendum, non *deſcribuntur*, neque *diſtribuuntur.* Lambin. *Diſtribuntur*] Hanc lectionem ex Mediceo notat Egnatius, licet Victorius ſe *deſcribuntur* reperiſſe affirmet. ſecutus quoque eſt Manut. & Lambin. Pal. prim. Hittorp. *deſcribuntur.* vulgati *diſtribuuntur.* Gebhardus. Sed audiendus hic eſt Victorius qui repoſuit *deſcribere*, quod hoc ſenſu frequentiſſimum Ciceroni aliiſque. In Orat. de leg. agrar. *duodena deſcribit in ſingulos homines jugera.* Caeſ. III de Bell. civ. 42. *Vecturaſque frumenti finitimis civitatibus deſcripſit.*

Exu-

maximae deſcribuntur, exſules reducuntur, ſenatuſconſulta falſa referuntur, ut tantummodo odium illud hominis impuri, & ſervitutis dolor depulſus eſſe videatur, reſpub. jaceat in his perturbationibus, in quas eam ille conjecit. Haec omnia vobis ſunt expedienda. nec hoc cogitandum, ſatis jam habere rempub. a vobis. Habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare, ſed contenta non eſt, &, pro magnitudine & animi & beneficii veſtri, a vobis magna deſiderat. Adhuc ulta ſuas injurias eſt per vos interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta vero ſua quae recuperavit? an quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cujus aera refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? at enim ita decrevimus. Fecimus id quidem, temporibus cedentes, quae valent in repub. plurimum: ſed immoderate quidam & ingrate noſtra facilitate abutuntur. Verum haec propediem & multa alia coram. Interim velim ſic tibi perſuadeas, mihi cum reipub. quam ſemper habui cariſſimam, tum amoris noſtri cauſſa, maximae curae eſſe tuam dignitatem. Da operam ut valeas.

Exules reducuntur] Ut Sex. Clodius P. F. *Corradus.*

Quod ei mortuo paret] Mortui commentariis. *Idem.*

Æra] Leges. *Idem.* *Cujus æra refigere debebamus*] Hæc ſcriptura ſolum eſt in Palatino tertio integra & Hittorpiano: nam primus, quartus, *ejus* pro *cujus*, in ceteris cum tertio facientes. ſecundus, *cujus ara refugere:* quint. *ejus era refugere.* Gruter. *ea era refrigere:* Guilielmius ex duobus ſibi Inſpectis, *eram reſtringere*, unde conjicit, *aram refringere:* quod tamen eidem non placet. Nos uſitatam ſcripturam non temere ſollicitandam exiſtimamus: propoſuimus autem librorum noſtrorum varietatem, ut ſi forte cui minus vulgata ſatisfacit, ulterius ſuam indaginem explicet. *Gebhardus.* *Æra refigere*] Leges antiquare, abrogare. Cic. Philip. 12. *Nunc figentur rurſus ea tabula, quas vos decretu veſtru refixiſtu?* Virgil.

Fixit leges pretio atque refixit.

Æra ſunt leges æneis tabulis inciſæ, proprie ipſæ tabulæ, quibus leges inſcriptæ. Tacit. IV Hiſt. *Qui æra legum vetuſtate dilapſa reficerent, figerentque.* Ovid. I Metam.

——— Non verba minantia fixo
Ære legebantur.

Ita decrevimus] Acta Cæſaris ſervanda. *Corradus.*

Temporibus cedentes] Ne ſeditio major naſceretur. *Idem.*

Immoderate quidam] Ut Antonius. *Idem.*

EPI-

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Invehitur in Antonii immoderatam potentiam: reip. ſtatum deſcribit. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

VEhementer laetor, tibi probari ſententiam & orationem meam, quaſi ſaepius uti liceret, nihil eſſet negotii, libertatem & remp. recŭperare. Sed homo amens & perditus, multoque nequior quam ille ipſe, quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti, caedis initium quaerit: nullamque aliam ob cauſſam me auctorem fuiſſe Caeſaris interficiendi criminatur, niſi ut in me veterani incitentur. Quod ego periculum non extimeſco, modo veſtri facti gloriam cum mea laude communicet. Ita nec Piſoni, qui in eum primus invectus eſt, nullo aſſentiente, nec mihi, qui idem triceſimo poſt die feci, nec P. Servilio, qui me eſt conſecutus, tuto in ſenatum venire licet. Caedem enim gladiator quaerit, ejuſque initium a. d. XIII Kalend. Octobr. a me ſe facturum putavit. At quam paratus venerat, cum in

O*Rationem meam*] Philippicam ſecundam. *Corradus.*
Homo amens] Antonius. *Idem.*
Primus invectus eſt] Kal. Sext. *Idem.*
Ad quem paratus venerat] Ita in manuſcriptis legimus: arbitramur tamen *at quam* legendum eſſe, unius tantum litteræ immutatione: nam *d* pro *t*, in antiquis libris frequenter ponitur, ut in C. Matii epiſtola hæc ipſa dictio bis eodem pacto ſcripta eſt, *Ad ludos, quos Caſaris victoria Caſar adoleſtens fecit, curavi, ad id.* & quæ ſequuntur, cum utroque in loco *at* intelligi debeat. nam quod nonnulli putant per *quam* cædem intelligi, hanc ipſorum interpretationem non probamus. in villa enim Metelli Antonius orationem commentatus erat, non cædem, & in dicendo ſe exercuerat, ut qui cogitaret Ciceronem accuſare, & contra eum in Senatu accurate dicere. Hoc aperte oſtendit Cicero in ſecunda Philip. cum inquit, *Hac ut colligeres, homo amentiſſime, tot dies in aliena villa declamaſti.* Ideo autem nunc inquit illum paratum veniſſe, quia commentatus erat: addit igitur, *Itaque omnibus eſt viſus vomere ſuo more, non dicere.* Huic ſimilis eſt locus ille ad Attic. *At quam iratus venit?* Nec non ille in ſecunda Philip. *At quam multos dies in ea villa turpiſſime es perbacchatus?* Victorius. *Ad quam paratus venerat*] Sic eſt legendum, &

in villa Metelli complures dies commentatus eſſet. Quae autem in luſtris & in vino commentatio potuit eſſe? Itaque omnibus eſt viſus, ut ad te antea ſcripſi, vomere ſuo more, non dicere. Quare quod ſcribis te confidere auctoritate

& ita habent duo codices manuſcripti. Unde tamen quidam legendum putant *at quam*, &c. nam *ad* valet *at*. Ego puto *ad quam*, rectam eſſe ſcripturam, ut ſubintelligamus cædem. Vulgati libri autem, qui habent *ad quem*, corrupti ſunt. *Lambin.* Sed merito hæc exploſerunt viri docti, & Victorii emendationem receperunt. *At quam par.*] Qui de ſcriptura dubitet, eum ego ſenſu communi carere putem. Nihil illa liquidius, nihil elegantius. Habetur illa in editione Victorii, Vatic. excerptis, probaturque Manutio. at Lambinus, ut cauſſam adnotandi & diſſentiendi haberet, poſuit *ad quam*. Libri alias *ad quem* ſicut Palatinus primus, Hittorpianus, Stewech. editio priſca. *Gebhard.*

In villa Metelli] In Tyburtino Q. Metelli Scipionis. *Corradus.*

Commentatus eſſet] Cum Sexto Clodio, ſuo rhetore. *Idem.*

Vomere ſuo more, non dicere] Multa a Cicerone dicta ſunt in Antonii ebrietatem, quæ omnibus nota & manifeſta ſunt: ſed nihil acerbius, quodque cum magis multis modis vulneraret, quam quod in XII Philippica de illo loquens, inquit, *Cujus acerbitas morum, immanitaſque naturæ, ne vino quidem permiſta temperari ſolet: ut cum multis detrimentis illum affecerit vinum, quemadmodum omnes facit, qui copioſius bibant: quod bonum in ſe illud habet, propter ſuaviſſimum ingenium Antonii nullum ei commodum afferre potuerit: vicit enim diritas illius & feritas morum vini ipſius vim.* Omnes autem auctores tradunt quod Cicero hic ſignificat vinum lenire mores, & omnem ingenii aſperitatem tollere. unde ſapiens vir Zeno, ille ſectæ Stoicæ princeps, ajebat vinum in ſe efficere, quod aqua in lupinis: quæ cum amara ſint, macerata dulcia redduntur. Hoc intellexit Vergilius, cum inquit *mitem Bacchum, mitem vindemiam*: & Catullus *mitem uvam*. accepta autem omnia ſunt ab Homero, qui primus vitem ἡμερίδα appellavit, ut gratiſſimam ſtirpem quemadmodum dignitas illius poſcebat ornaret. animadverſum enim hoc eſt a doctiſſimis hominibus, qui affirmant, Homerum amore fructus illius captum, ſummis laudibus eam extuliſſe. Plutarchus in elegantiſſimo ſermone, quem appellavit Ἐρωτικὸν, inquit, οὐδ᾽ ἦν Ὅμηρος ἡμερίδα τῶν φυτῶν προσεῖπεν. Ita autem ipſam appellavit quinto libro Odyſſeæ, ubi agit de Autro Calypſonis,

Ἡ δ᾽ αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπείους γλαφυροῖο
Ἡμερὶς ἡβώωσα, τεθήλει δὲ σταφυλῇσι.

Sed alio etiam in loco de hac voce Homeri Plutarchus egerat: verum ille ita depravatus eſt, ut omnes lateat. In commentario igitur, quo præparat adoleſcentes ad lectionem poetarum, cum docuiſſet Lycurgum ſtulte feciſſe, qui eum videret vinum lædere, vites inciderat, cum potius fontes admovere debuiſſet: temperamentum enim hoc pellere omne detrimentum poterat, & multas utilitates ejus retinere, inquit, Neque igitur nos poeticam amputemus ἡμερίδα Μουσῶν, neque ipſam penitus extinguamus, ſed ea remedia adhibeamus, quibus incommoda quæ afferre ſolet iis, qui imparati ad eam accedunt, evitemus, & fructus ipſius retineamus. Vocavit autem poeticam doctiſſimus vir, Muſarum vitem, propter ſuavitatem: pendet enim totus ſermo a ſuperiore illo exemplo Lycurgi, qui peſſimo conſilio vites ſuſtulerat. Multi autem

erant,

ritate & eloquentia noſtra aliquid profici poſſe, nonnihil, ut in tantis malis, eſt profectum. Intelligit enim pop. Rom. tris eſſe conſulares, qui, quia de rep. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum venire non poſſint. Nec eſt praeterea quod quidquam exſpectes. Tuus enim neceſſarius affinitate nova delectatur. Itaque jam non eſt ſtudioſus ludorum, infinitoque fratris tui plauſu dirumpitur. Alter item affinis novis commentariis Caeſaris delinitus eſt. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod eſt, qui veſtro anno filium ſuum conſulem futurum putet, ob eamque cauſſam ſe huic latroni deſervire prae ſe ferat. Nam L. Cotta familiaris meus, fatali quadam deſperatione, ut ait, minus in ſenatum venit. L. Caeſar, optimus & fortiſſimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpicius & ſumma auctoritate, & optime ſentiens, non adeſt. Reliquos exceptis deſignatis, ignoſce mihi, ſi non numero conſulares. Habes

erant. qui Lycurgum imitati, poeticam omnem ejicerent atque delerent: quos non minus quam Lycurgum ſtolide facere oſtendit Plutarchus. In impreſſis codicibus *μερίδα* legitur, quaſi particulam, cum manuſcripti, qui melioris notæ ſunt, *ἡμερίδα* retineant. dictio autem hæc depravata corrumpit omnem ſententiam, quæ elegantiſſima eſt, & ſummo artificio expreſſa. *Victorius.* *Suo more*] Nam in hoſpitum menſas Narbonæ olim etiam vomuit. *Corrad.* Pal. ſec. aut quint. *vomere non dicere* expuncta illa biga vocularum *ſuo more.* Gruter. *itaque omnibus eſt viſus, ut ad te antea ſcripſi, vomere vomere, non dicere*, quæ mihi ſcriptura non vana omnino videtur, quandoquidem Palatini reliqui, pr. tert. quart. *ſcripſi, vomeres vomere, non dicere* repræſentant. Illud quoque monendus eſt lector, ubicunque verbum eſt *recuperare*, Mediceum, ut annotat Egnatius, ſcribere *reciperare*, quod mihi rectius omnino videtur. ſi non ſemper immutavi verecundiæ meæ tribuendum eſt. ſupra recte, *libertatem & rempub. reciperare.* Gebhardus.

Quod quidquam expectes] A Conſularibus. *Corrad.* Vide Manut.

Tuus enim neceſſarius] Lepidus. nam Lepidus & Caſſius duas M. Bruti ſorores habebant uxores. *Corrad.*

Affinitate nova] Antonii filia ſuo filio uxore data. *Idem.*

Ludorum] M. Brutus & Caſſius Prætt. ludos Apollinares abſentes fecerunt, ut hos nunc intelligat. *Idem.* Vide Manut.

Fratris tui plauſu dirumpitur] L. Caſſii ludorum curatoris. *Corrad.*

Alter item affinis] Etſi ſæpe ſuſpicatus ſum, hunc eſſe C. Marcellum, nihil tamen habeo certi, non plus quam de Caleno. *Idem.*

Veſtro anno] Quo vos Conſulatum ambire per leges licet, biennio nimirum poſt præturam. Vid. Manut.

Exceptis deſignatis] Hirtio & Panſa. *Corradus.*

Si non numero Conſulares] Id eſt, ſi non exiſtimo dignos, qui inter conſulares

Habes auctores conſilii publici. qui numerus etiam bonis rebus exiguus eſſet, quid cenſes perditis? Quare ſpes eſt omnis in vobis: qui ſi idcirco abeſtis ut ſitis in tuto, ne in vobis quidem. ſin aliquid dignum veſtra gloria cogitatis, velim ſalvis nobis. ſin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus ſuum reciperabit. Ego tuis neque deſum, neque deero. qui ſi ne ad me referent, mea tibi tamen benevolentia fideſque praeſtabitur.

lares referantur. Habet vim *conſularium* nomen. Cicero ad Plancum, *Complures in perturbatione reipublica Conſules dicti, quorum nemo conſularis habitus, niſi qui animo extitit in rempublicam conſularis.* Bernhard. Rutil. Cic. 1 ad Fam. ep. 9. *Itaque tota jam ſapientium civium, qualem me & eſſe & numerari volo, & ſententia & voluntas mutata eſſe debet.* Liv. 11, cap. 1. *Ut haut immerito omnes conditores numerentur.*

Qui ſive ad me referent, ſive non, mea tibi tamen benevolentia fideſque praſtabitur] Nos contra hæc verba mendi notam collocavimus, quæ huc rejecto lectore diligentius hunc locum animadvertendum eſſe admoneret. eſt enim in antiquioribus codicibus diminutus luxatuſque, ut quemadmodum nunc in vulgatis legitur, a recentioribus ſuppletum putem: alii de hoc ſuo unuſquiſque arbitrio judicabunt: nos antiquam ſcripturam in medium proponemus, *qui ſive ad me referent, mea tibi tamen in benevolentia, fideſque praſtabitur*, ut membrum alterum defeciſſe exiſtimandum ſit. quem fortaſſe defectum in ſuis etiam codicibus cum haberent Germani, nec aliquid deſiderari putarent, verbis his aliquantum immutatis, ſic perverſionem hanc ſe poſſe corrigere opinati ſunt, *ſi qua ad me deferant, mea tibi*, &c. ut in impreſſis. Omnino eſt locus corruptus. *Victor.*

Qui ſive ad me &c.] Al. *qui ſi ne ad me quidem referent, mea tibi t. b. f. p.* Corradus. Amſtelodam. *qui ſi ne ad me referrent.* quod & in tribus invenit Paullus. in aliis tribus, *qui ſi non ad me referent.* Illud *ſive non* in nullo comparet, niſi unico Manutiano. Scribendum omnino, *qui ſi ne ad me referent, mea tibi tamen benevolentia fideſque praſtabitur.* Id eſt, etſi ne ad me referent. Sic plane duæ editiones vetuſtæ, quas ſæpe laudo, & meus ſecundus, niſi quod pro *referent* ſcribat *referrent.* Forte, quia *ſive ad me referent*, plurimi libri agnoſcunt, ſcripſit Cicero, *ſi vel ad me non referent.* Non excidit ſuo loco, unde ille cento *ſive non* eſt adſutus. *Gravius.*

EPI-

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

In Antonium ejuſque ſectam invehitur. Eodem anno.

M.T.C. C. CASSIO S.P.D.

AVget tuus amicus furorem in dies, primum in ſtatua, quam poſuit in Roſtris, inſcripſit *PARENTI OPTIME MERITO* ; ut non modo ſicarii, ſed jam etiam parricidae judicemini. quid dico, judicemini? judicemur potius. Veſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe. Vtinam quidem fuiſſem, moleſtus nobis non eſſet. Sed hoc veſtrum eſt: quod quum praeteriit, utinam haberem quid vobis darem conſilii. Sed ne mihi quidem ipſi reperio quid faciendum ſit. Quid enim eſt quod contra vim ſine vi fieri poſſit? Conſilium omne autem hoc eſt illorum, ut mortem Caeſaris perſequantur. Itaque a. d. ſext. Non. Octob. productus in concionem a Canutio, turpiſſime ille quidem diſceſſit: ſed tamen ea dixit de conſervatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus. De me quidem non dubitanter quin omnia de meo conſilio &

vos

TVus amicus] Antonius, qui hoſpitio te etiam accepit, quum e Capitolio deſcendiſſes. *Corrad.*

Quam poſuit] Caeſari. *Idem.*

PARENTI OPTIME MERITO] Placet Guilielmio, quod invenit in codice Hittorpiano, *optimo merito.* ſi quidem eſt apud Plinium VII, 26. *votum merito Minervae.* Nos nihil a noſtris codicibus degenerare voluimus. Paullo ſtatim prima editio, codex Hittorpianus, *patricida* quod aſſumſit Lambinus, neque mihi non probatur. Gruterianus tamen & Vaticani excerpta *patricida*: vulgo *parricida.* Gebhardus.

Non eſſet] Sequenti epiſtol. *Corradus.*

Sed hoc veſtrum fuit] Interficere Antonium. *Idem.*

Conſil. hoc eſt illorum] Antonii & amicorum. *Idem.*

A. d. VI Nonas Octob.] Pighius in Faſtis ad annum V. C. DCCIX. conjicit, *Nonas Octavius.* Gebhard.

A Canutio] T. Canutio Trib. pleb. etſi in Philip. III. *Tyberinum Canutium* ſcriptum videmus. *Corrad.*

De me quidem non dubitanter] Al. *dubitant*, ſcilicet Antoniani. *Idem.* *Non dubitanter*] Recte ſic Palatinus prim. Gruterianus. Vaticani excerpta, atque Victorii editio ex Mediceo, quam ſcripturam quoque notat ad oram primae impreſſionis Egnatius. Vulgo *non dubitant.* Gebhard.

vos feciſſetis, & Canutius faceret. Cetera cujuſmodi ſint, ex hoc judica, quod legato tuo viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, cum hoc faciunt? Ad hoſtem ſcilicet portari. O rem miſeram? dominum ferre non potuimus, conſervo ſervimus. Et tamen me quidem favente magis quam ſperante etiam nunc reſidet ſpes in virtute tua. Sed ubi ſunt copiae? De reliquo, malo te ipſum loqui tecum, quam noſtra dicta cognoſcere. Vale.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Varia complectitur haec epiſtola, de Antonii nequitia, de ſenatu, de populo, de legatis ad Antonium miſſis, de ipſo Caſſio. Hirtio & Panſa Coss.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

VEllem Idibus Martiis me ad coenam invitaſſes: reliquiarum nihil fuiſſet. Nunc me reliquiae veſtrae exercent, & quidem praeter ceteros me. quanquam egregios conſules habemus, ſed turpiſſimos conſulares: ſenatum fortem, ſed infimo quemque honore fortiſſimum. Populo vero nihil fortius, nihil melius, Italiaque univerſa. Nihil autem foedius Philippo & Piſone legatis, nihil flagitioſius: qui cum eſſent miſſi, ut Antonio ex ſenatus ſententia certas res nuntiarent: cum ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt. Itaque ad nos concurritur: factique jam in re ſalutari

ME *ad coenam invitaſſes*] Ad caedem Caeſaris. lib. x, ep. 28. *Corrad.*

Egregios Conſules] Hirtium & Panſam. *Idem.*

Infimo quemque honore fortiſſimum] Qui gerunt minores magiſtratus, ut aediles, quaeſtores. *Idem.* Non ſpernenda eſt ſcriptura primi Palatini, Gruteri & Stewech. *in infimo quemque honore fortiſſimum.* Flor. III, 20. *In honore virum gladiator.* Graev.

Certas res nuntiarent] Praeſertim, ut Antonius e Gallia diſcederet. *Corradus.*

Poſtulata retulerant] Ea ſunt in Philippica VIII. *Idem.*

Te

tari populares ſumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique eſſes, neſciebam. Fama nuntiabat te eſſe in Syriam: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius eſt, eo firmiora videntur eſſe quae nuntiantur. Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non inſulſis, quod tibi tam cito ſuccederet, cum tu vix dum triginta dies in Syria fuiſſes. Itaque conſtabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua & Bruti eſt, quod exercitum praeter ſpem exiſtimamini comparaſſe. Scriberem plura, ſi rem cauſſamque noſſem. Nunc quae ſcribo, ſcribo ex opinione hominum atque fama. Tuas litteras avide exſpecto. Vale.

Te eſſe in Syria] Al. *iſſe in Syriam*, quæ Dolabellæ data fuerat, Libya vero ipſi Caſſio. *Corrad.* *Te iſſe in Syriam*] Sic reſcripſi ex Hittorp. Stewech. & Mentel. ſed alii *te eſſe in Syriam*. ſic & Amſtelodam. ſed *i* poſitum erat ſuper *e* hoc modo *eͥſſe*. Grut. *te iſſe in Syria*. de lectione quam dedimus quam & nonnullæ priſcæ præ ſe ferunt editiones, nemo hercle, quin vera ſit, dubitare poteſt. *Gravius.*

De Bruto] M. Bruto. *Corradus.*

Quo propius eſt] In Macedonia. *Idem.*

Quod tibi tam cito ſuccederet] Lepidus jocus. Vide Manut.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

M. Brutum laudat, ut ad ejus imitationem Caſſium accendat: addit de Mutinenſi bello, de ſtatu reip. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

Hiemem credo adhuc prohibuiſſe, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeque ubi eſſes. Loquebantur omnes tamen, credo, quod volebant, in Syria te eſſe, habere copias. Id autem eo facilius credebatur, quia ſimile vero videbatur. Brutus quidem noſter egregiam laudem eſt conſecutus. Res enim tantas geſſit, tam-

Brutus] M. Brutus. *Corradus.*

Res enim tantas geſſit] Macedoniam, Illyricum, Græciam, legiones, exercitus, equitatum in Coss. S.P.Q.R. poteſtate retinuit. lege Philippicam x. *Idem.*

tamque inopinatas, ut eae cum per ſe gratae eſſent, tum ornatiores propter celeritatem. Quod ſi tu ea tenes, quae putamus, magnis ſubſidiis fulta reſp. eſt. A prima enim ora Graeciae uſque ad AEgyptum optimorum civium imperiis muniti erimus & copiis. Quanquam, niſi me fallebat, res ſe ſic habebat, ut totius belli omne diſcrimen in D. Bruto poſitum videretur: qui ſi, ut ſperabamus, erupiſſet Mutina, nihil belli reliqui fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obſidebatur, quod magno praeſidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternae noſter Hirtius, ad Forum Cornelium Caeſar, uterque cum firmo exercitu, magnaſque Romae Panſa copias ex dilectu Italiae comparat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil niſi conſiderate, ut mihi crebris litteris ſignificat, acturus videbatur. Praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus ſtudioſiſſimam reip. Tuos etiam clien-

Tum ornatiores propter celeritatem] Nugæ hominum, qui quod præcederet *grata*, *gratiores* hic quoque reformarunt. ſed *ornatiores* in Pall. Grut. Vaticani excerptis, editionum primaria; habetque Victorius. [his accedunt Amſtelodam. Meniel. Græv. ſecund.] Paullo poſt ſcripſi, *copias ex dilectu Italia comparat.* quod *comparat* habet editio Victorii, Palatinus primus, ac Vaticani excerpta. *Dilectus* vero ſemper ſcribendum eſt, quod ita præeunt MSS. & vetuſti libri, tum quod Lambinus ex ſuis quoque ita contendit. *Gebhardus.*

Claterna] Plinio *Cliterna* & Strab. vel *Claterna* in illis legendum videtur. *Corradus.* *Claterna*] Oppidum Lingonum in Gallia Ciſpadana nunc *Quaderna*, juxta amnem ejuſdem nominis. corrupte ſcribitur *Cliterna*. Tenuia ſuperſunt nunc veſtigia. quia Ambroſius lib. II, ep. 8. jam ſuo tempore in ruinis jacuiſſe teſtatur.

Ad Forum Cornelium] *Forum Cornelii* cæteri ſcriptores habent. Hanc urbem Clephis Longobardorum rex *Imolam* appellavit. *Corradus.* *For. Cornelii*] Et hoc oppidum Lingonum eſt ad viam Flaminiam, aliter *Forum Cornelium*, ſic dictum a L. Cornelio Sulla. Unde in ſcriptis Chriſtianorum *Forum Sullæ* appellatur. hodie *Imola* ab ejus caſtro, quod P. Diaconus rerum Longobard. lib. II, 18. ait *Imolam* fuiſſe nominatum.

Ex dilectu Italia comparat] Legendum *compararat*: & ita habent omnes codices, non *comparat.* quod eo adſcripſi quod olim editum eſt *comparat*, culpa operarum. Jam *dilectu*, legendum eſſe, non *delectu*, nemo eſt qui neſciat, indocilibus exceptis. *Lambin.* *Comparat* tuentur Vatic. prim. Pal. Victorii editio.

Regium Lepidi] Tacitus & alii *Regium Lepidum* vocant. *Corradus.* Oppidum Boiorum in Gallia Ciſpadana, quod & *Forum Regis* dicitur. nunc *Rezzo* & *Roggio*.

Totam Galliam] Ciſalpinam. *Corradus.*

Servii

clientes Tranſpadanos mirifice conjunctos cum cauſſa habebamus. Erat firmiſſimus ſenatus, exceptis conſularibus: ex quibus unus L. Caeſar firmus eſt & rectus. Ser. Sulpicii morte magnum praeſidium amiſimus. Reliqui partim inertes, partim improbi: nonnulli invident eorum laudi quos in rep. probari vident. Populi vero R. totiuſque Italiae mira conſenſio eſt. Haec erant fere quae tibi nota eſſe vellem. Nunc autem opto ut ab iſtis Orientis partibus virtutis tuae lumen eluceat. Vale.

Servii Sulpicii] In legatione ad Antonium vi morbi oppreſſi. *Corradus.*

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

Strabonem ita commendat ut quaſi aliud agere videatur. in Caſſio & M. Bruto, ſi res ad Mutinam male geratur, ſpem omnem reip. ſitam eſſe dicit. Eodem anno.

M.T.C. C. CASSIO S.P.D.

QVi ſtatus rerum fuerit tum cum has litteras dedi, ſcire poteris ex C. Tidio Strabone, viro bono & optime de rep. ſentiente. nam quid dicam, cupidiſſimo tui, qui, domo & fortunis relictis, ad te potiſſimum profectus ſit? Itaque eum tibi ne commendo quidem. adventus ipſius ad te ſatis eum commendabit. Tu velim ſic exiſtimes, tibique perſuadeas, omne perfugium bonorum in te & Bruto eſſe poſitum, ſi, quod nolim, adverſi quid evenerit. Res, cum haec ſcribebam, erat in extremum adducta diſcrimen. Brutus enim Mutinae vix jam ſuſtinebat. Qui ſi conſervatus erit, vicimus: ſin quod dii omen avertant, omnis omnium

IN *te & Bruto*] M. Bruto. *Corradus.* *Brutus Mutinae*] D. Brutus. *Idem.* *Sin, quod dii omen avertant, oppreſſus ibi erit*] Tria ultima verba in antiquis exemplaribus non leguntur, nec (ut opinor) legi debent, eſt enim figura *ἀποσιώπησις*: intelliguntur enim ea quæ reſtituta erant verba, aut quæpiam alia quæ parem vim habeant. Frequens autem eſt hæc figura apud hunc auctorem, ſed

nium curſus ad vos. Proinde fac animum tantum habeas, tantumque apparatum, quanto opus eſt ad univerſam remp. reciperandam. Vale.

ſed multis locis contaminata: in epiſtola tamen ad Terentiam incorrupta eſt, *Si perficitu* (inquit) *quod agitu, me ad vos venire oportet: ſin autem: ſed nihil*, &c.

Victor. Dii omen] Al. *Dii omnes.* Corrad. *Oppreſſus ibi erit*] Hæc verba non ſunt in antiquis libris, ut quæ refugiat dicere, ſed ſignificet tamen. *Idem.*

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Sententiam ab ſe in ſenatu ex Caſſii dignitate dictam, eamque a ſe in concione defenſam, oſtendit. Eodem anno.

M.T.C. C.CASSIO S.P.D.

QVanto ſtudio dignitatem tuam, & in ſenatu & ad populum defenderim, ex tuis te malo quam ex me cognoſcere. Quae mea ſententia in ſenatu facile valuiſſet, niſi Panſa vehementer obſtitiſſet. Ea ſententia dicta productus ſum in concionem a tribuno plebis M. Servilio. Dixi de te quae potui, tanta contentione, quantum forum eſt: tanto clamore, conſenſuque populi, ut nihil unquam ſimile viderim. Id velim mihi ignoſcas, quod invita ſocru tua fecerim. Mulier timida verebatur ne Panſae animus offenderetur. In concione quidem Panſa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem, illam a me ſententiam noluiſſe dici. Sed me haec non movebant, alia malebam. Favebam & reip. cui ſemper favi, & dignitati ac gloriae tuae. Quod autem & in ſe-

IN *ſenatu*] Philippica XI. *Corrad.*

Niſi Panſa vehementer obſtitiſſet] Illa ſententia captus, quæ dicta fuerat, & poſtea etiam in Senatu valuit, ut Coss. Dolabellæ perſequendi cauſſa Aſiam & Syriam ſortirentur. *Idem.*

Ea ſententia dicta] Mea, ut tu Syriam obtineres, & Dolabellam perſequereris: quæ quidem ſententia pluribus verbis in Philippica XI dicitur. *Idem.*

Invita ſocru tua] Servilia, M. Bruti & tuæ uxoris matre. *Idem.*

Ne Panſa animus offenderetur] Mea ſententia, quæ provinciam illi eriperet, & tibi daret. *Idem.*

Te

ſenatu pluribus verbis diſſerui, & dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes. Promiſi enim, & prope confirmavi, te non exſpectaſſe nec exſpectaturum decreta noſtra, ſed te ipſum tuo more rempub. defenſurum. & quanquam nihil dum audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes: tamen ſic ſtatuebam, omnes quae in iſtis partibus eſſent opes copiaeque, tuas eſſe: per teque Aſiam provinciam confidebam jam reipub. reciperatam. Tu fac in augenda gloria te ipſum vincas. Vale.

Te non expectaſſe] Sed multis jam in rebus tibi ſenatum fuiſſe. *Corrad.*

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Renovatum eſſe Lepidi ſcelere bellum queritur: Caſſium hortatur ad remp. liberandam. Eodem anno.

M.T.C. C.CASSIO S.P.D.

Scelus affinis tui, Lepidi, ſummamque levitatem & inconſtantiam ex actis, quae ad te mitti certo ſcio, cognoſſe te arbitror. Itaque nos, confecto bello, ut arbitrabamur, renovatum bellum gerimus, ſpemque omnem in D. Bruto & Planco habemus: ſi verum quaeris, in te, & in meo Bruto, non ſolum ad praeſens perfugium, ſi quod nolim, adverſi quid acciderit, ſed etiam ad confirmationem perpetuae libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus quae vellemus: ſed certos auctores non habebamus. Te quidem magnum hominem, & praeſenti judicio, & reliqui temporis exſpectatione ſcito eſſe. Hoc tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas. Nihil eſt tantum quod non populus Rom. a te perfici atque obtineri poſſe judicet. Vale.

Scelus affinis tui] Conjunctionem cum M. Antonio. *Corrad.*
Affinis tui] Ep. 2 hujus lib. *Idem.*
Confecto bello] Victoria Mutinenſi. *Id.*

Ad praeſens] Hoc eſt, in praeſentia, ut alibi loquitur, hoc tempore, pro quo barbare dicitur *in praeſentiarum.*

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Ejuſdem argumenti cum ſuperiore: hoc amplius, quod in Italiam Caſſium vocat. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

Brevitas tuarum litterarum me quoque breviorem in ſcribendo facit: &, vere ut dicam, non ſatis occurrit quid ſcribam. Noſtras enim res in actis perferri ad te certo ſcio, tuas autem ignoramus. Tanquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore. Nos, confectum bellum cum putaremus, repente a Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. Itaque perſuade tibi, maximam reip. ſpem in te & in copiis eſſe tuis. Firmos omnino exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia, ut ſpero, proſpere procedant, multum intereſt te venire. Exigua enim ſpes eſt reipub. nam nullam non libet dicere: ſed quaecunque eſt, ea deſpondetur anno conſulatus tui. Vale.

TE *venire*] In Italiam. *Corradus.*
Anno conſulatus tui] Qui ſolet ſequi præturam. *Idem.*

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Et Lepidum hoſtem a ſenatu judicatum ſcribit, & omnino rem poſcere ut Caſſius cum exercitu in Italiam veniat. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

Lepidus, tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quintiles ſententiis omnibus hoſtis a ſenatu judicatus eſt, ceterique qui una cum illo a rep. defecerunt: quibus tamen ad

ad ſanitatem redeundi ante Kal. Septemb. poteſtas facta eſt. Fortis ſane ſenatus, ſed maxime ſpe ſubſidii tui. Bellum quidem, cum haec ſcribebam, ſane magnum erat, ſcelere & levitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie quae volumus audimus; ſed adhuc ſine capite, ſine auctore, rumore nuntio. Quod cum ita eſſet, tamen litteris tuis, quas Nonis Maii ex caſtris datas acceperamus, ita perſuaſum erat civitati, ut illum jam oppreſſum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: ut, ſi haec ex ſententia confecta eſſent, conſilio atque auctoritate tua, ſin quid forte titubatum, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum quibuſcunque potuero rebus ornabo, cujus rei tum tempus erit, cum, quid opis reip. laturus

AD *ſanitatem redeundi*] Ad ſana conſilia, ad obſequium & fidem. Cæſar 1 de Bell. Gall. *Non reſpuit conditionem Caſar, jamque eum ad ſanitatem reverti arbitrabatur.* Hirt. de Bello Africano, *Ut ſibi daret facultatem cum Conſulibus agendi, ſi poſſet aliqua ratione deduci ad ſanitatem.* Idem de Bello Alexandrino, *Parceret præclariſſimæ patriæ, quæ turpiſſimis incendiis & ruinis eſſet deformata, cives ſuos primum ad ſanitatem revocaret.*

Sed maxime ſpe ſubſidii tui] Vatic. *ſed maxima ſpe ſubſidii tui.* Pal. pr. & Mentel. *ſed maxime ſpes.* Grut. Amſtelod. & Græv. ſec. *ſed maxima ſpes ſubſidii tui.* quæ ſcriptura mihi præ aliis probatur. Quamvis ſenatus fortis ſit, inquit Cicero, tamen plus ſpei nobis eſt in tuo ſubſidio, quam fortitudine ſenatus. Poteſt tamen & vulgata lectio defendi commode. *Gravius.*

Sane magnum erat] Forte leg. *inſane magnum erat.* Guilielm.

Litteris tuis] Duodecimis hujus libri. *Corrad.*

Si hæc ex ſententia confecta eſſent, conſilio atque auctoritate tua roboraremur] In nullis paullo antiquioribus libris *roboraremur* legi: & ſane vacat, omnis enim periodi ſenſus ab extremo ejus verbo bis repetito pendet & regitur. Ut ſi hæc, inquit, ex ſententia confecta eſſent, conſilio atque auctoritate tua niteremur: ſin quid forte titubatum (ut fit in bello) exercitu tuo niteremur. Ipſe ſententiam, ſtructuramque verborum ſine ea voce pulcherrime poſſe ſtare exiſtimo. Quod autem inculcaverant verbum, etſi non malum eſt, non fortaſſe hic valde aptum, certe non neceſſarium. Alii poſtea caſtigarunt *roborarentur* de rebus intelligentes, quæ quamvis ex ſententia confectæ eſſent, ejus conſilio & auctoritate indigere videbantur, ut firmius conſtituerentur. Ego in eadem ſententia permaneo, ut melior elegantiorque ſit vetus lectio: nam hæc poſterior meo judicio durior, cum a rebus ad homines, & a tertia perſona ad primam importune tranſeat. *Victorius.* *Roberarentur*] Sive *roboraremur*, verbum eſt additum. *niteremur* enim bis repetendum eſt. *Corradus.*

Cum quid opis reip. laturus ſit, &c.] Veterum hoc loco aliquot codicum ſcripturam lectori proponam, hoc tantum, *cum quid opis reip. laturus ſit, aut quis exercitus ſit, aut quid jam tulerit, notum eſſe cœperit.* Lambinus.

Con-

turus

turus is exercitus ſit, aut quid jam tulerit, notum eſſe coeperit. Nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem & praeclariſſimi, ſed geſta res exſpectatur: quam quidem aut jam eſſe aliquam, aut appropinquare confido. Tua virtute & magnitudine animi nihil eſt nobilius. Itaque optamus, ut quam primum te in Italia videamus. remp. nos habere arbitrabimur, ſi vos habebimus. Praeclare viceramus, niſi ſpoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepiſſet Antonium. Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto eſt Lepidus. Ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace & victoria bellum excitavit. Huic oppoſitos conſules deſignatos habemus: in quibus eſt magna illa quidem ſpes, ſed anceps cura propter incertos exitus proeliorum. Perſuade tibi igitur, in te & in Bruto tuo eſſe omnia: vos exſpectari, Brutum quidem jam jamque. Quod ſi, ut ſpero, victis hoſtibus noſtris veneritis, tamen auctoritate veſtra reſpub. exſurget, & in aliquo ſtatu tolerabili conſiſtet. Sunt enim permulta quibus erit medendum, etiam ſi reſp. ſatis eſſe videbitur ſceleribus hoſtium liberata. Vale.

Conſules deſſ.] D. Brutum & L. Plancum. *Corradus.*

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Scribit, a quibus copias acceperit: ſeque & remp. commendat. Eodem anno, ante Mutinenſem victoriam, ut adſcripta dies docet.

C. CASSIVS PROCOS. M. T. C. S. P. D.

S. V. B. E. E. Q. V. In Syriam me profectum eſſe ſcito ad L. Murcum, & Q. Criſpum, imperatores. Viri for-

C *CASSIUS PROCOS.*] *Procoſ.* etiam vocat Cicero in Philippica XI. quoniam provincia, quam obtinebat, conſularis erat, ut nullo modo hic *Proprat.* legi debeat. *Corrad.*

L. Murcum & Q. Criſpum imperatores] L. Statium Murcum, & Q. Martium Criſpum viros Praetorios, tunc in Syria Procoſſ. & Impp. etſi Criſpus Bithyniae praefectus fuerat. *Idem.*

Q. Ca-

fortes, optimique cives, poſtea quam audierunt, quae Romae gererentur, exercitus mihi tradiderunt: ipſique mecum una fortiſſimo animo rempub. adminiſtrant. Item legionem, quam Q. Caecilius Baſſus habuit, ad me veniſſe ſcito: Quattuorque legiones, quas A. Allienus ex AEgypto eduxit, traditas ab eo mihi eſſe ſcito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos abſentes, remque publicam, quantum eſt in te, defendas. Scire te volo, firma praeſidia vobis ſenatuique non deeſſe, ut optima ſpe & maximo animo rempub. defendas. Reliqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex caſtris Taricheis.

Q. Caecilius Baſſus] Qui cum Pompeianus eſſet, ſibi in Syria, interfecto Sexto Julii Cæſaris affine, magnas vires privato conſilio comparaverat. *Corrad.*

A. Allienus] Dolabellæ legatus, qui ab Appiano *Albinus* dicitur. *Idem.*

Data Nonis Martiis] Si non falſa dies, hæ litteræ nonæ libri hujus numerandæ fuerunt, ut illis præferantur, quarum initium, *brevitas tuarum litterarum.* has enim accipio. *Bernhard. Rutil.*

Taricheis] Plin. lib. v, cap. 15. *Corradus.* *Tarichea* oppidum Judææ munitiſſimum, vid. Joſeph. belli Judaic. lib. 11, c. 25 & ſeq.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Facta mentione benevolentiae Ciceronis erga ſe, commendat ſuam dignitatem, ſuoſque duces ac milites. in extremo, iturum ſe in Ciliciam contra Dolabellam, ſignificat. Eodem anno.

CASSIVS PROCOS. M. CICERONI SVO. S.D.

S.V.B.E.E.Q.V. Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. Videbaris enim non ſolum favere nobis, id quod & noſtri & reip. cauſſa ſemper feciſti: ſed etiam gravem curam ſuſcepiſſe, vehementerque eſſe de nobis ſollicitum. Itaque, quod te primum exiſtimare putabam, nos oppreſſa repub. quieſcere non

non poſſe: deinde, cum ſuſpicarere nos moliri, quod te ſollicitum eſſe & de ſalute noſtra, & de rerum eventu putabam, ſimul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex AEgypto, ſcripſi ad te, tabellarioſque complures Romam miſi. Scripſi etiam ad ſenatum litteras, quas reddi vetui prius quam tibi recitatae eſſent: ſi forte mei obtemperare mihi voluerint. Quod ſi litterae perlatae non ſunt, non dubito quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiſo, Aſiam occupavit, tabellarios meos deprenderit, litteraſque interceperit. Exercitus omnes, qui in Syria fuere, teneo. Habeo paullulum morae, dum promiſſa militibus perſolvo. Nunc jam ſum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, ſi me intelligis, nullum neque periculum neque laborem patriae denegaſſe: ſi contra importuniſſimos latrones arma cepi te hortante & auctore: ſi non ſolum exercitus ad rempub. libertatemque defendendam comparavi, ſed etiam crudeliſſimis tyrannis eripui. Quos ſi occupaſſet Dolabella, non ſolum adventu, ſed etiam opinione, & exſpectatione exercitus ſui Antonium confirmaſſet. Quas ob res milites tuere, ſi eos mirifice de rep. meritos eſſe animadvertis, & effice, ne quem poeniteat rempub. quam ſpem praedae & rapinarum ſequi maluiſſe. Item Murci & Criſpi imperatorum dignitatem, quantum eſt in te,

L*egi tuas litteras*] Fortaſſe ſeptimam hujus libri. *Corradus.*

Nos moliri] Nos moliri aliquid pro republica.

Scripſi ad te] Superiore epiſtola. *Corradus.*

Trebonio occiſo] Smyrnæ a Dolabella. *Idem.*

Habeo paullulum mora] Mediceus liber, *Habui pollulum mora. Pollulum* autem pro *paullulum*: in quo duo animadvertenda ſunt, & *o* pro *au* poſitum, & *paullum* per duo *ll*, ſcribi ſæpe ſolitum. Nam idem liber in epiſtolarum titulis, quæ ſunt ad Paullum Coſ. *Paullo* ſcriptum habet, quod in aliis etiam priſcis monimentis adnotatum eſt. Quibus argumentis confirmari poteſt, *Pollam* in epiſtola Ciceronis ad D. Brutum non aliam eſſe a *Paulla Valeria* de qua Cœlius in epiſtola ſua locutus eſt, ut ab aliis accurate animadverſum eſt. *Victorius. Habui paullulum mora*] Ita Victorius & Palatinus primus. reliqui *habeo*. Ceterum e ſuis MSS. *pollulum* legit Guilielm. ſicque corrigit Tibullum lib. II, El. 5.

At qua velabri regio, prius ire ſolebat
Exiguus pulla per vada linter aqua.

Legit inquam *polla*. Gebhard.

Contra importuniſſimos latrones] Antonium & Dolabellam. *Corrad. Importuniſſimus* eſt ſceleſtiſſimus. ſic ſuperius lib. IV, ep. 5. & lib. IX, ep. 21.

Ne-

te, tuere. Nam Baſſus miſere noluit mihi legionem tradere. Quod niſi milites invito eo legatos ad me miſiſſent, clauſam Apameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata. Haec a te peto, non ſolum reipub. quae tibi ſemper fuit cariſſima, ſed etiam amicitiae noſtrae nomine, quam confido apud te plurimum poſſe. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, ſenatus atque optimi cujuſque eſſe, maximeque tuum. De cujus voluntate aſſidue audiendo, mirifice te diligit carumque habet. Qui ſi intellexerit commoda ſua curae tibi eſſe, debere etiam ſe tibi omnia putabit. Litteris ſcriptis audii Dolabellam in Ciliciam veniſſe cum ſuis copiis. proficiſcar in Ciliciam. quid egerim celeriter ut ſcias dabo operam. Ac velim, ut meremur, de rep. ſic felices ſimus. Fac valeas, meque ames. Nonis Maii, ex caſtris.

Noluit mihi legionem tradere] Al. *mihi legiones*. Nam etſi in ſuperiore etiam epiſtola *legionem* ſcribit, hiſtoria tamen habet, legioni, quæ Baſſum [illegible]o Sexto Julio ſecuta eſt, alteram provincialem fuiſſe additam: ut ſupra primam, hic ambas intelligat. *Corrad.*

Apameam] Quam ipſe Baſſus multo ante munierat. *Idem.*

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Gratulatur de Mutinenſi victoria, & res a ſe geſtas exponit. Eodem anno.

CASSIUS Q. M. CICERONI S.D.

S. V. B. E. E. Q. V. Cum reipub. vel ſalute vel victoria gaudemus, tum inſtauratione tuarum laudum, quod maximus conſularis maximum conſulem te ipſe viciſti, & laeta-

C. *CASSIUS*] Al. *Q. Caſſius*, qui C. Caſſi frater fuit, ſi modo hunc eum eſſe credimus. *Corrad.* Sed in MS. Amſtelodamenſi extat, ut publicatum a Manutio: *CASSIUS Q.* hoc eſt, Caſſius Quæſtor. vid. Manut.

Vel victoria] Apud Mutinam. *Corradus.*

Tum inſtauratione tuarum laudum] XII Kalend. Maii, quo die a toto pene populo in Capitolium eſt deductus, maximoque clamore & plauſu in roſtris collocatus. *Idem.*

Idque

laetamur, & mirari ſatis non poſſumus. Fatale neſcio quid tuae virtuti datum, idque ſaepe jam experti ſumus. Eſt enim tua toga omnium armis felicior, quae nunc quoque nobis paene victam rempub. ex manibus hoſtium eripuit ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maxime civis & mi cariſſime, id quod maxime reipub. tenebris comperiſti, nunc te habebimus teſtem noſtri & in te & in conjunctiſſimam tibi remp. amoris: &, quae ſaepe pollicitus es, te & taciturum dum ſerviremus, & dicturum de me tum cum mihi profutura eſſent, nunc illa non ego quidem dici tantopere deſiderabo, quam ſentiri a te ipſo. Neque enim omnium judicio malim me a te commendari, quam ipſe tuo judicio digne, ac mereor, commendatus eſſe: ut haec noviſſima noſtra facta, non ſubita, nec inconvenientia, ſed ſimilia illis cogitationibus, quarum tu teſtis es, fuiſſe judices, meque ad optimam ſpem patriae non minimum tibi ipſi producendum putes. Sunt tibi, M. Tulli, liberi,

Idque ſape jam experti ſumus] Hæc eſt ſcriptura Amſtelodamenſis, primi Palat. Gruter. mei ſecundi & Menteliani, niſi quod hic *jam* non agnoſcat, quam vulgatæ prætuli, quæ eſt, *id quod jam ſape experti ſumus*. Vatican. & Victor. *id quod jam experti ſumus*. Grævius.

Ex manibus hoſtium] Antonii & aliorum. *Corradus*.

Eripuit] Excitans Senatum ad perſequendum Antonium. *Idem*.

Reddidit] Hoc eſt, reſtituit. Ovid. I Metam.

Redditus orbis erat.

hoc eſt, reſtitutus poſt diluvium ſuæ formæ & ſtatui. Juſt. XVIII, 7. *Atque ita decem Senatoribus interfectis, urbem legibus ſuis reddidit.* hoc eſt, urbi libertatem reſtituit. *Gravius*.

Id quod maxime reip. tenebris comparaſti] *Tenebris*. nimirum ſub Cæſare. *Corradus*. Plerique MSS. *tenebaru*. videtur Caſſius ſcripſiſſe, *id quod maximis reipublica tenebris comperiſti*. Illud *tenebaru* alterius mendæ cauſſa fuit & origo. *Grav*.

Non ſubita, nec inconvenientia] Si Latine dicatur, cum iis facile ſentiam, qui non negant hoc loco legi poſſe *convenientia*, & συμβεβηκότα ſignificari. *Corradus*. P. Victorius aſſeverat eſſe in optimo illo libro ſcriptum, *nec convenientia*: & vult, *nec convenientia*, accipi pro non convenientia. quaſi dictum ſit, non ſubita & non convenientia. Manutius contra teſtatur in nonnullis libris veteribus legi, *nec inconvenientia*: in uno, *nec disconvenientia*. Noſtri quoque omnes habent, *nec inconvenientia*. quare lectionem recepiam & Manutii ſententiam ſequor. *Lambinus*. *Ut hac noviſſima noſtra facta non ſubita, obvenientia*] Ita quidam legunt pro *nec inconvenientia*: quod non ſatis placet. *Urſinus*.

Tibi ipſi producendum putes] *Producti* dicuntur, qui evehuntur ad dignitates, commendantur. Senec. præf. Controv. lib. IV. *Niſi illum magnitudo patris*

non

propinquique, digni quidem te, & merito tibi cariſſimi. eſſe etiam debent in rep. proxime hos cari, qui ſtudiorum tuorum ſunt aemuli, quorum eſſe cupio tibi copiam. Sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere, & ad omnia, quae velis & probes, producere. Animum tibi noſtrum fortaſſe probavimus, ingenium diutina ſervitus certe, qualecunque eſt, minus tamen, quam erat, paſſa eſt videri. Nos ex ora maritima Aſiae provinciae, & ex inſulis, quas potuimus naves deduximus. Delectum remigum magna contumacia civitatum, tamen ſatis celeriter habuimus. Secuti ſumus claſſem Dolabellae, cui Lucilius praeerat: qui ſpem ſaepe tranſitionis praebendo, neque unquam non decedendo, noviſſime Corycum ſe

non produceret, ſed *abjiceret*. Auguſtus apud Sueton. Claud. c. 4. *Quid eſt quod dubitemus, quin per eoſdem articulos & gradus producendus ſit, per quos frater ejus productus fuit?* vid. ibi Caſaub. *Grav.*

Proxime hos cari] Al. *prox. is.* Corradus.

Qui ſtudiorum tuorum ſunt aemuli] Id eſt, ſunt ſpectatores tuorum ſtudiorum. ut apud Liv. 1, 18. *aemulantium ſtudia coetus*, ubi vide Gronovium. *Grav.*

Animum tibi noſtrum fortaſſe probavimus] Victorius & Gebhardus ediderunt ex MSS. *probabimus*, quod etiam in noſtris codicibus extat. Sed cum ſententia requirat *probavimus*, & nihil frequentius ſit in veteribus libris quam has *b* & *v*. invicem permutari, non dubitavi cum Manutio aliiſque vulgatæ lectioni ſuffragari. *Grav.*

Naves deduximus] Naves *deduci* dicuntur cum ex portibus in altum provehuntur. Ovid. VI Metam.

——— *jubet illa carinas*
In freta deduci.

Contrarium eſt *ſubducere*. Virgil. I Æneid.

Urbem quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite naves.

Cui Lucilius praeerat] Dion hujus præfecti claſſis Dolabellæ non meminit. Appianus lib. IV. τῶν ἐμφυλίων. L. Figuli mentionem fecit, qui mercede claſſem conducebat Dolabellæ: inquit enim, καὶ ναυτικὸν ἀγείρειν ἐπὶ μισθῷ διὰ Λευκίου Φίγλου παρέχειν Ῥοδίων καὶ Παμφυλίων, καὶ ἐκ Κιλικίας. Videndum igitur accurate, an L. Lucilius Figulus appellatus ſit: non facile enim credo in cunctis, & impreſſis & manuſcriptis Ciceronis libris mendum eſſe, neque ſatis mihi videtur ille pronomine tantum ſignificari potuiſſe. *Victorius.*

Lucilius] L. Figulum claſſi Dolabellæ præfectum fuiſſe ſcribit Appianus. *Corradus.*

Spem ſaepe tranſitionis] Ad nos. *Idem.*

Neque unquam non decedendo] Nihil quidem auſim contra tot veterum librorum conſenſum, qui hanc lectionem tuetur, niſi quod in Menteliano, omnia hæc verba omiſſa ſint: tamen non abeſt, quin in animum inducam ſcripſiſſe Caſſium, quod nonnullæ editiones præ ſe ferunt *deducendo*, ſcilicet ex portu & ſtatione: aut *recedendo*, quod ſolebant facere pugnam detrectantes, aut ex prœlio fugam molientes, ut Iones apud Juſtinum lib. 11, cap. 12. quod proprie vocabant *inhibere remis*. Veteres enim ex prœlio marino

ſe contulit, & clauſo portu ſe tenere coepit. Nos illa relicta, quod & in caſtra pervenire ſatius eſſe putabamus, & ſequebatur claſſis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat, cui Turulius quaeſtor praeerat, Cyprum petivimus. Ibi quae cognovimus, ſcribere ad vos quam celerrime voluimus. Dolabellam ut Tarſenſes, peſſimi ſocii, ita Laudiceni, multo amentiores, ultro arceſſierunt: ex quibus utriſque civitatibus, Graecorum militum numero ſpeciem exercitus effecit. Caſtra habet ante oppidum Laudiceam poſita: & partem muri demolitus eſt, & caſtra oppido conjunxit. Caſſius noſter cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliariis, & quattuor millium equitatu a millibus paſſuum viginti, caſtra habet

rino fugientes, non vertebant navem, ut puppibus quaſi tergis inhærere victores poſſint; ſed proram ſemper obverſam habebant hoſti, ac ſic ceſſim remigabant ac retro, donec paullatim ex hoſtium conſpectu ſe ſubducere poſſent, ut pridem Viri doctiſſimi præceperunt. Dicit itaque Caſſius Lucilium deducta claſſe ſæpe ſpem tranſitionis feciſſe, ejuſque rei dediſſe ſigna, ſed ſemper (hoc enim eſt *neque unquam non*, pro quo vulgatius dicitur *& nunquam non*) ſimul ac propius illius claſſem veniſſet Caſſius, receſſiſſe, nec voluiſſe naves tradere. *Decedere* autem hoc ſenſu non accipitur. Novi *decedere* præfectos provinciis, præſidia de locis, quæ tenebant, homines *de via*, *ſententia*, *jure*, *moribus*, ſed claſſem decedere ponto, in adventu hoſtium Latinis, ſi recte memini, non dicitur. *Gravius.*

Corycum] Plin. & Strab. Al. *Corinthum.* Sunt etiam qui legunt *circum.* Corrad. *Corycum*] Non hic mons intelligitur, ut docti interpretes exiſtimant, ſed oppidum Ciliciæ Corycus, *quod portu ſaloque incingitur, anguſto tergore continenti annexum* ut Mela ait lib. 1, 15. In iſtius oppidi portu tenuit ſe Lucilius. *Gravius.*

In Bithynia] Cui ipſe Cimber poſt Cæſaris mortem præfuit. *Corradus.*

Turulius] Qui poſtea ſecutus Antonium contra Octavium, tandem contemptæ religionis, Valerio auctore, Æſculapio pœnas dedit. *Idem.*

Tarſenſes] *Tarſus* Ciliciæ metropolis, inſignis, patria D. Paulli, & multorum Philoſophorum inſignium.

Laodiceni] Optime Amſtelodam. & Hittorp. *Laudiceni*, ut paullo poſt Hittorp. & Gruter. *Laudiceam.* Sic & in optimo libro apud Plin. lib. XXI, c. 5. & procem. lib. XXIII reperit Gronovius *Laudicea* pro *Laodicea.* ut apud Juſtinum XIV, 4. *Laudice* pro *Laodice*; & in XIII, 4. *Laumedon* pro *Laomedon.* & inferius, *navibus Laudicenorum* Amſtelodam. *Gravius.* Eſt Laodicea Cœle-Syriæ urbs.

Graecorum militum numero] Guilielmius legi volebat *numeros*, nos contra libros nihil molimur. In fine epiſtolæ ex Palatino primo & Gruteriano, excerptis Vaticani, editione Victorii atque adeo omnium principe ſcripſi, *& volo bene ſperare*: cum edatur, *volo igitur vos bene ſperare.* Gebhard.

Caſſius noſter] C. Caſſius Cæſaris interfector. *Corrad.*

Caſtra habet poſita cum vallo] Hæc ſunt

tam

bet poſita πάλτῳ, & exiſtimat ſe ſine proelio poſſe vincere. Nam jam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam eſt. niſi quid navibus Laudicenorum ſupportarit, cito fame pereat neceſſe eſt. Ne ſupportare poſſit, & Caſſii claſſis bene magna, cui praeeſt Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, Patiſcus, facile praeſtabunt. Et

tam inepta verba ut nullus labor ſit inquinata ea oſtendere: quæ enim caſtra vere appellari poſſunt ſine vallo? cum autem *caſtra* dixiſſet, nihil attinebat addere *cum vallo*. Veteres codices, *caſtra habet poſita πάλτῳ*, quæ lectio ſincera noſtro judicio eſt. Etenim *Paltos* teſte Strabon. lib. XVI. τῶν χερρονησιζόντων, Syriæ oppidum, Laodiceæ vicinum. hæc autem ejus verba, τῇ γὰρ Λαοδικείᾳ πλησιάζει πολίχνιά τε, τό τε Ποσείδιον καὶ τὸ Ἡράκλειον καὶ τὰ Γάβαλα, εἶτα ἤδη ἡ τῶν Ἀραδίων παραλία Πάλτος καὶ Βαλαναία, καὶ Κάρανος τὸ ἐπίνειον τῆς Ἀράδου. Plin. etiam lib. V, c. 20. ſic de ea meminit, *Hic rurſus Syria deſinente Phœnice: oppida, Carne, Balanea, Paltos, Gabale. Palto* autem adverbialiter, ut in epiſtola ad Senatum, *Pacorum Orodi Regis Parthorum filium cum permagno equitatu Parthico tranſiſſe Euphratem, & caſtra poſuiſſe Tyba*, ut omnia jam conveniant. Quomodo autem πάλτῳ hic tertio caſu dixerit, conſiderandum eſt. nam ſi Latinam conſuetudinem ſecutus eſſet, Palti ſecundum formam genitivi dixiſſet: an quia Græce id nomen poſuit, Latinorum uſum non ſervavit? quamvis Græci quoque aliam quandam rationem habere videntur. Quod vero Laodiceæ obſeſſus Dolabella periit magno urbis illius detrimento, docet Strabo lib. XVI de Laodicea loquens, ἐλύπησε δ' ἡ μετέωρος Δολοβέλλας καταφυγὼν εἰς αὐτὴν, καὶ ἐκπολιορκηθεὶς ὑπὸ Κασσίου μέχρι θανάτου συνδιαφθείρας ἑαυτῷ καὶ τῆς πόλεως πολλὰ μέρη. Victorius. *Caſtra habet poſita πάλτῳ*] Locum hunc, qui multis ſeculis jacuerat, ope meliorum codicum reſtitui: qui non veſtigium aliquod ſinceræ lectionis ut ſæpe retinebant, ſed ipſam incorruptam integramque conſervarant, ΠΑΛΤΩΙ enim in illis eſt. Sunt tamen qui παλτοῖ malint. qua autem ratione hic πάλτῳ dictum eſſet, expoſui. Quantum ego exiſtimo eum ι, quod nunc ſubſcribunt, in illo exemplari, ut in Mediceo codice, ultimum eſſet Græcæ vocis, & a librariis in penultima littera peccatum eſſet, quod parvam illam pro magna feciſſent, crediderunt nonnulli παλτοῖ ſcriptum fuiſſe: in Mediceo tamen nihil maculæ. *Idem* in poſterior. *Cum vallo*] Al. πάλτῳ, quod eſt oppidum prope Laodiceam. ſed arbitror ſcriptum hic fuiſſe παλτόθι. *Corrad.*

Ternis tetradrachmis] Hoc eſt, duodecim drachmis, ſeu denariis, qui ſchellingis Batavorum reſpondent, venditur medimnus tritici. Nam apud Livium pro *trium fere denariorum in ſingulis tetradrachmis argenti eſt pondus*, legendum *quatuor fere denariorum*, ut recte animadvertit Budæus de Aſſe, & Gronovius de Seſtertiis.

Triticum apud Dolabellam eſt] Hoc eſt *venit*. *Eſſe* eſt venalem eſſe. Cic. III in Verr. *Quum in Sicilia ſeſtertiis binis tritici modius eſt*. Et mox, *Ut ſibi pro frumento, quanti frumentum eſſet, dare liceret*. Rurſumque, *quanti Epheſi ſit frumentum*. Liv. XXIX. *Sextante ſal & Romæ & per totam Italiam erat*. Gronovius.

Sextilius Rufus] Lib. XIII, ep. 48. *Corradus*. Hittorp. *Sextulius Rufus*. unde Guilielm. legit, *Sex. Julius Rufus*.

Patiſcus] Epiſt. 25 hujus libri. *Corradus*.

Et volo bene ſperare, & rempub. ut & vos iſtic expediiſtis, ita pro noſtra parte celeriter nobis expediri poſſe confidere. Vale. Data Idibus Iun. Cypro, a Crommyu acride.

Et volo bene ſperare] Arbitror legendum eſſe *te volo*, non ut alii, qui cum antea in impreſſis libris, *& volo vos bene ſperare* legeretur, maluerunt hanc delere, quæ pæne in antiquis libris conſervatur, & illam retinere, cujus in eiſdem exemplaribus veſtigium nullum: qui etiam *igitur* addiderunt. *Victor.*

Ita pro noſtra parte celeriter iter nobis expediri poſſe confidere] Sic omnes, quos vidimus, & vulgati & antiqui codices habent. Quis tamen non videat abundare vocem eam *iter*, inutiliterque a librariis quatnor litteras antecedentis dictionis repetitas eſſe? agitur enim de expedienda repub. & de victoria paranda, non de itineris expeditione, quod ridiculum eſt. jubet bonam ſpem habere Ciceronem, confidereque etiam ipſos poſſe bene rem gerere, qui in Aſia reipub. partes defendebant, ut illi in Italia geſſerant. Videndum potius (quod puto) an in illis verbis, *& volo bene ſperare*, pro *&*, *te* legi debeat. nam quod ante *& vos* legebatur, nos antiquis codicibus auctoribus delevimus. *Victorius.* In duobus MSS. Amſtelodam. & meo ſecundo legitur, *ita pro noſtra parte celeriter iter vobis expediri poſſe confidere.* Quæ lectio non videtur ſpernenda, niſi quod *iter* in utroque male interſeratur. *Vobis expediri* eſt in veſtrum commodum. ut apud Juſtin. lib. 11. *Piſiſtratus quaſi ſibi, non patriæ viciſſet tyrannidem per dolum occupat.* Ubique magna ſeges talium locutionum. Poteſt tamen aliorum librorum lectio ferri, ut *nobis expediri*, ſit *a nobis expediri*, ut apud Tacit. Ann. 1. *claris ſcriptoribus commemorata*, pro *a claris ſcriptoribus.* & Sueton. Jul. *Campum Stellatem majoribus conſecratum*, pro *a majoribus.* Græv.

A Crommyu acride] *Acromani Iacride*, *Acromania clide*, *a Crommiania clide*, *a Troniana clide*, *a Crommyu acride*, alii atque alii legunt. nos in vetere libro legimus *Acomantide*, unde *Acamantide* legendum credimus: quo nomine & promontorium Cypri, & Cyprum ipſam appellatam, ſcripſit Timoſthenes. *Corrad.* Sed recte legitur *a Crommyu acride.* Crommyu acris eſt promontorium Cypri. vid. Victorii ad h. l. notam, quam Manutianis annotationibus ſubjecimus.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Exponit res a ſe geſtas: Rhodios accuſat: procurationem Aſiae petit: merita ſua in remp. commemorat. Eodem anno.

LENTVLVS CICERONI SVO S.P.D.

CVm Brutum noſtrum conveniſſem, cumque tardius in Aſiam venturum animadverterem, in Aſiam redii, ut

L*ENTVLVS*] Epiſtola ſeq. *Corradus.*

Conveniſſem] In Macedonia. *Idem.*

Reli-

ut reliquias mei laboris colligerem, & pecuniam quam primum Romam mitterem. Interim cognovi in Lycia eſſe claſſem Dolabellae, ampliuſque centum naves onerarias, in quas exercitus ejus imponi poſſet: idque Dolabellam ea mente comparaſſe, ut, ſi Syriae ſpes eum fruſtrata eſſet, conſcenderet in naves, & Italiam peteret, ſeque cum Antoniis, & reliquis latronibus conjungeret. Cujus rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus & minoribus navibus ad illas ire conatus ſim. Quae res, ſi a Rhodiis non eſſem interpellatus, fortaſſe tota ſublata eſſet, tamen magna ex parte profligata eſt. Quum quidem claſſis diſſipata eſt, adventus noſtri timore milites duceſque effugerunt, onerariae omnes ad unam a nobis ſunt exceptae. Certe, quod maxime timui, videor etiam conſecutus, ut non poſſit Dolabella in Italiam pervenire, nec ſociis ſuis firmatis durius vobis efficere negotium. Rhodii nos & rempub. quam valde deſperaverint, ex litteris, quas publice miſi, cognoſces. Et quidem multo parcius ſcripſi. mirari

Reliquias mei laboris] Quæſturæ *Corrad.*

Cum Antoniis] M. & L. Antoniis. nam C. Antonius tertius frater in Macedonia a M. Bruto captus fuerat. *Idem.*

Ut non poſſit Dolabella in Italiam pervenire] Delevi vocem interjectitiam *claſſe*, poſt *poſſit*, ex Palatino primo, Grutenano, Hittorpiano ac Stewech. Vatic. [quibus conſentiunt Amſtelodam. Mentel. Græv. ſec.] ex iiſdem & editione principe edidi, *& quidem multo parcius ſcripſi. mirari noli. mira eſt eorum amentia*: ejectis illis, quæ nuſquam comparent, *quam revera furore tot ſevent. quod vero aliquid de his ſcripſi* [quibus aſſentiuntur quoque Amſtelodam. Mentelian. & Græv. ſecund.] Sicut ſtatim ex iiſdem omnibus quoque, *nec me mea ulla privatim injuria unquam.* nam nullus eorum agnoſcit verbum *moverunt*; quod, aliena manu additum, poſt *ne injuria*, margini Medicei, notat Egnatius. Relegemus & nos, nam cur aliena toleremus, ac ſpuriis inter legitima locum demus: cum frugi agricolæ malas herbas fruticare in hortis, & ſolum ab illis fatigari nolint, felicioribus plantis pingue factum? *Gebhard.*

Et quidem multo parcius ſcripſi. mirari noli] Nonnulli hic plura verba inculcant, quæ tradunt in manuſcripto codice ſe inveniſſe. de quorum fide non dubito: videndum tamen eſt, an novæ ſint, & ab aliquo adpoſitæ, quod quidem ego facile credo, nam duriuſculus in illis ſermo eſt, neque ſatis concinnus. Exiſtimarunt fortaſſe imperiti aliqui homines elegantem locutionem, *mirari noli* ſine illis mancam eſſe, ideoque quod deeſſe crediderunt, reſtituere. *Mirari* autem *noli* arbitror hic dictum, ut in epiſtola ad Sulpitium, *noli quærere*. Nihil tamen de hac re ſtatuimus. Quid ſuſpicaremur ſolum enuntiare voluimus: multæ hujuſmodi maculæ ſunt in impreſſis libris, quorum major pars ab aliquo manuſcripto fluxit. Accepi poſtea a doctis viris, qui ſummo ſtudio has epiſtolas cum manu-

rari noli. mira eſt eorum amentia: nec me meae ullae privatim injuriae unquam. malus animus eorum in noſtram ſalutem, cupiditas partium aliarum, perſeverantia in contemtione optimi cujuſque, ferenda mihi non fuit. nec tamen omnes perditos eſſe puto. Sed iidem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui ceteros viros clariſſimos non receperunt, iidem, tanquam aliquo fato, & nunc aut magiſtratum gerunt, aut eos, qui ſunt in magiſtratu, in ſua habent poteſtate. Itaque eadem ſuperbia in pravitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non ſolum utile eſt reipub. noſtrae, ſed etiam neceſſarium. De noſtra dignitate velim tibi ut ſemper curae ſit: &, quocunque tempore occaſionem habueris, & in ſenatu & in ceteris rebus laudi noſtrae ſuffragere. Quum conſulibus decreta eſt Aſia, & permiſſum eſt iis, ut, dum ipſi venirent, darent negotium qui Aſiam obtineant, rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potiſſimum nobis tribuant, & mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam dum ipſorum alteruter venit. Nam, quod hoc properent in magiſtratu veni-

manuſcriptis ſex ſeptemve exemplaribus contulerunt, in nullo eorum aliter atque in Mediceo legi. *Victorius.* Cum Mediceo faciunt Amſtelod. Mentelian. Grævii ſecund. & Pall. *Parcius ſcripſi,* &c.] Cum hunc locum diligenter cum libris noſtris MSS. contuliſſem, ſic eum reperi ſcriptum, *Et quidem multo parcius ſcripſi. mirari noli. mira eſt,* &c. cetera autem quæ ſunt in vulgatis, ab illis vocibus, *quam re vera,* &c. uſque ad, *aliquid de his ſcripſi,* non reperiuntur in manuſcriptis. Ego tamen ea non ſuſtuli, neque tollenda puto. *Lambin.*

Nec me mea ulla privatim injuria moverunt unquam] *Moverunt* neceſſarium verbum, etſi in antiquis libris non legitur. *Corrad.*

Tum fugientem] Ex Pharſalico proelio. *Idem.*

Patrem meum] P. Lentulum Spinterem. *Idem.*

L. Lentulum] Qui cum C. Marcello ſuperiore anno Cos. fuerat. *Idem.*

Non receperunt] Eadem ſcribit Cæſar lib. III de Bello civili. *Idem.*

Magiſtratum gerunt] Rhodi. *Idem.*

Eadem ſuperbia in pravitate utuntur] Nihil equidem hic varietatis in libris MSS. reperi: ſed tamen quidam legi volunt, *eadem ſuperbia & pravitate:* alii, *eadem ſuperbia importunitate,* &c. alii, *eadem ſuperbia & importunitate.* Lamb.

Quum Conſulibus] Hirtio & Panſæ. *Corrad.*

Decreta eſt Aſia] Cui, mortuo Trebonio, nullus præfectus fuerat. *Idem.*

Quod hoc properent] Sic reſcripſi ex duobus MSS. vide ſuperius ad lib. x, ep. 21. *Grav.*

In magiſtratu] In conſulatu, quo de-

venire, aut exercitum mittere, cauſſam non habent. Dolabella enim in Syria eſt, &, ut tu divina tua mente proſpexiſti, & praedicaſti, dum iſti veniunt, Caſſius eum opprimet. Excluſus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confiſus urbe, Laodiceam, quae eſt in Syria ad mare, ſe contulit. ibi ſpero celeriter eum poenas daturum. Nam neque quo refugiat habet, neque diutius ibi poterit tantum exercitum Caſſii ſuſtinere. ſpero etiam confectum eſſe jam, & oppreſſum Dolabellam. Quare non puto Panſam & Hirtium in conſulatu properaturos in provincias exire, ſed Romae acturos conſulatum. Itaque ſi ab his petieris, ut interea nobis procurationem Aſiae dent, ſpero te poſſe impetrare. praeterea mihi promiſerunt Panſa & Hirtius coram, & abſenti mihi ſcripſerunt: Verrioque noſtro Panſa affirmavit, ſe daturum operam ne in ſuo conſulatu mihi ſuccedatur. Ego porro non, medius fidius, cupiditate provinciae produci longius ſpatium mihi volo. nam mihi fuit iſta provincia plena laboris, periculi, detrimenti. Quae ego ne fruſtra ſubierim, neve prius quam reliquias meae diligentiae conſequar decedere cogar, valde laboro. Nam ſi potuiſſem, quam exegeram pecuniam, univerſam mittere, poſtularem ut mihi ſuccederetur. Nunc, quod Caſſio dedi, quod Trebonii morte amiſimus, quod etiam crudelitate Dolabellae, aut perfidia eorum, qui mihi fidem reique publicae non praeſtiterunt, id conſequi & reficere volo. Quod aliter non poteſt fieri, niſi ſpatium habuero. id ut per te conſequar, velim ut ſolet tibi curae ſit. Ego me de rep. puto eſſe meritum, ut non provinciae iſtius beneficium exſpectare debeam, ſed tantum quantum Caſ-

ſius

defuncti alii ſolent in provincias Procoss. ire. *Corrad.*

Et praedicaſti] Philip. XI. *Idem.*

Male acceptus] Ab iis, qui cuſtodiebant urbem, quamvis Caſſius abeſſet, epiſt. ſeq. *Idem.*

Mihi promiſerunt Panſa & Hirtius coram, & abſenti mihi ſcripſerunt] Forte, *mihi Panſa & Hirtius, & promiſerunt coram & abſenti.* Lambinus.

Ego me de rep. puto eſſe meritum] Sic habent omnes noſtri libri veteres, cum vulgati habeant, *de rep. ita puto eſſe m.* Omnino particula *ita* ab aliquo ſciolo attexta eſt. inanis enim eſt. *Lambinus.*

Illius

ſius & Bruti, non ſolum illius facti periculique ſocietate, ſed etiam hujus temporis ſtudio & virtute. Primus enim ego leges Antonias fregi: primus equitatum Dolabellae ad remp. traduxi, Caſſioque tradidi: primus dilectus habui pro ſalute omnium contra conjurationem ſceleratiſſimam: ſolus Caſſio & reip. Syriam exercituſque, qui ibi erant, conjunxi. Nam niſi ego tantam pecuniam, tantaque praeſidia, & tam celeriter Caſſio dediſſem, ne auſus quidem eſſet ire in Syriam: & nunc non minora pericula reip. a Dolabella inſtarent quam ab Antonio. Atque haec omnia is feci, qui ſodalis & familiariſſimus Dolabellae eram, conjunctiſſimus ſanguine Antoniis, provinciam quoque illorum beneficio habebam: ſed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. Haec etſi adhuc non magnopere mihi tuliſſe fructum animadverto, tamen non deſpero: nec defatigabor permanere non ſolum in ſtudio libertatis, ſed etiam in labore & periculis. Attamen, ſi etiam aliqua gloria juſta & merita provocabimur, ſenatus & optimi cujuſque officiis, majore cum auctoritate apud ceteros erimus, & eo plus prodeſſe reip. poterimus. Filium tuum, ad Brutum cum veni, videre non potui, ideo quod jam

Illius facti] Cæſaris cædis, in qua hic Lentulus falſo ſe Bruti & Caſſii ſocium fuiſſe gloriabatur. *Corrad.*

Leges Anton. fr.] Alii reponunt *legiones*. Idem.

Sed πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν] Non ſunt hæc Græca verba a Lentulo ipſo compoſita, ſed ſumpta e Tragœdia: priſcis autem temporibus illa propter ſententiæ gravitatem valde celebrabantur, nam a Plutarcho etiam in commentario, quo præcepta dat ad Remp. adminiſtrandam utilia, recitantur, εἰ γὰρ εὐγενὲς καὶ φρόνημα τὸ μεγάλου τὸ ἀναφωνῆσαι, φιλῶ τέκν' ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ, τοὺς ἐκ, &c. Nec tamen auctor eorum adducitur. Ego ſane verſiculos ipſos in his, quæ conſervatæ ſunt, Tragœdiis me legiſſe non memini. Hujuſmodi ſane multas grandes, generoſaſque ſententias pronuntiari facit Euripides a Praxithea Erechthei regis uxore, quæ libens volenſque filiam ſuam pro ſalute Athenarum morti obtulit. Cum autem Tragœdia ipſa, in qua erant, perierit, leguntur apud Lycurgum acerbum illum accuſatorem in oratione quam ſcripſit contra Leocratem, quamvis in verſiculis ipſis, qui plurimi ſunt, Praxithea oſtendat, ſe unam tantum filiam ad ſupplicium tradere. Cicero autem in prima quæſtione Tuſculana, & in oratione quoque pro P. Seſtio narrat plures Erechthei regis filias cupide mortem pro vita civium oppetiſſe. *Victorius.*

Omnibus meis] Dolabellæ & Antoniis. *Corrad.*

Filium tuum] Epiſtol. 21 lib. XVI. *Idem.*

Perga

jam in hiberna cum equitibus erat profectus. Sed, medius fidius, ea eſſe eum opinione, & tua & ipſius & in primis mea cauſſa gaudeo. Fratris enim loco mihi eſt, qui ex te natus, teque dignus eſt. Vale. D. IIII Kalend. Iun. Pergae.

Pergae] *Perga* oppidum Pamphyliæ. vid. Plin. v, 27. & Mel. I, 14.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Et hic res a ſe geſtas commemorat: in Rhodios invehitur: de Dolabella optabilia ſignificat. Eodem anno.

P. LENTVLVS P. F. PROQVAEST. PROPR. COSS. PRAETT. TRIBB. PL. SEN. P. Q. R. S. P. D.

S. V. L. V. V. B. E. E. V. Scelere Dolabellae oppreſſa Aſia, in proximam provinciam Macedoniam, praeſidiaque reip. quae M. Brutus, V. C. tenebat, me contuli: & id egi, ut, per quos celerrime poſſet, Aſia provincia vectigaliaque in veſtram poteſtatem redigerentur. Quod cum pertimuiſſet Dolabella, vaſtata provincia, correptis vectigalibus, praecipue civibus Romanis omnibus crudeliſſime denudatis ac divenditis, celeriuſque Aſia exceſſiſſet, quam eo praeſidium adduci potuiſſet, diutius morari, aut exſpectare praeſidium non neceſſe habui: & quam primum ad meum officium revertendum mihi eſſe exiſtimavi, ut & reliqua vectigalia exigerem, &, quam depoſui pecuniam, colligerem: quidquid ex ea correptum eſſet, aut quorum id culpa accidiſſet, cognoſcerem quam primum, & vos de omni re facerem certiores. Interim cum per inſulas in Aſiam na-

LENTVLVS P. F.] P. Lentuli Spinteris, qui Ciceronem reſtituit, filius. *Corradus.*

Brutus V. C.] Brutus vir clariſſimus. *Idem.*

Civibus Romanis omnibus crudeliſſime denudatis] Præſtat abeſſe *omnibus*, uti in Hittorpiano codice merito non legitur hæc vox. Nic. Rubenius conjicit Ciceronem ſcripſiſſe: *praecipue civibus Romanis crudeliſſime denudatis.* Græv.

Crudeliſſime denudatis ac divenditis] *Ac divexatis*, magis placet, ſi modo fideliter a nonnullis reponitur. *Corrad.*

naviganti mihi nuntiatum eſſet, claſſem Dolabellae in Lycia eſſe, Rhodioſque navis compluris inſtructas & paratas in aqua habere: cum his navibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparaverat Patiſcus proquaeſtor, homo mihi cum familiaritate tum etiam ſenſibus in rep. conjunctiſſimus, Rhodum reverti, confiſus auctoritate veſtra, ſenatuſque conſulto, quo hoſtem Dolabellam judicaratis: foedere quoque, quod cum his, M. Marcello, Ser. Sulpicio renovatum erat: quo juraverant Rhodii, eoſdem hoſtes ſe habituros, quos S. P. Q. R. Quae res nos vehementer fefellit. Tantum enim afuit ut illorum praeſidio noſtram firmaremus claſſem, ut etiam a Rhodiis urbe, portu, ſtatione, quae extra urbem eſt, commeatu, aqua denique prohiberentur noſtri milites, nos vix ipſi ſingulis cum navigiolis reciperemur. Quam indignitatem, diminutionemque majeſtatis, non ſolum juris noſtri, ſed etiam imperii populique R. idcirco tulimus, quod interceptis litteris cognoramus, Dolabellam, ſi deſperaſſet de Syria AEgyptoque, quod neceſſe erat fieri, in navis cum omnibus ſuis latronibus atque omni pecunia conſcendere eſſe paratum, Italiamque petere: idcirco etiam navis onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorum, contractas in Lycia a claſſe ejus obſideri. Hujus rei timore, patres conſcripti, percitus, injurias perpeti & cum contumelia etiam noſtra

Patiſcus] Qui & ipſe gloriabatur, ſe unum ex Cæſaris interfectoribus fuiſſe. *Corrad.*

Judicaratis] Poſt C. Trebonii cædem. *Idem.*

Tantum enim afuit] Sic Hittorp. ut fere ſemper antiquiſſimi libri ſcribunt pro vulg. *abſuit.*

Diminutionemque majeſtatis] Vir politiſſimus Nic. Rubenius pulchre vidit ſententiam hujus loci perabſurdam eſſe, niſi vox *majeſtatis* e ſuo loco deturbata, collocetur, ubi a Lentulo poſita fuerat, quem ſic ſcripſiſſe cenſet: *Quam indignitatem diminutionemque non ſolum juris noſtri, ſed etiam majeſtatis imperii populique Romani idcirco tulimus.* Non enim imperium populuſque Romanus erat diminutus a Rhodiis, cum Lentuli claſſem nollent recipere, aut firmare ſuo præſidio, ſed majeſtatem imperii populique Romani diminuerant, & violarant. Praeterea criminoſius eſt majeſtatem lædere, quam jus noſtrum. Atqui aliter ſe res habet, cum vulgatam retinemus. *Grav.*

Ægyptoque] Ep. 2 hujus libri. *Corrad.*

Duum millium amphorarum] Nos ut habent priſca exemplaria *amphorum* ſcripſimus. Græco autem more a recto ἀμφορεῦς, ſecundo multitudinis caſu *amphorum* inclinavit. *Victor.*

Tanta

ſtra omnia prius experiri malui. Itaque ad illorum voluntatem introductus in urbem & in ſenatum eorum, quam diligentiſſime potui, cauſſam reip. egi: periculumque omne, quod inſtaret, ſi ille latro cum omnibus ſuis naves conſcendiſſet, expoſui. Rhodios autem tanta in pravitate animadverti, ut omnes firmiores putarent, quam bonos: ut hanc concordiam, & conſpirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem, propenſe non crederent eſſe factam; ut patientiam ſenatus & optimi cujuſque manere etiam nunc confiderent, nec potuiſſe audere quenquam Dolabellam hoſtem judicare: ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis vera exiſtimarent, quam quae vere facta erant, & a nobis docebantur. Qua mente etiam ante noſtrum adventum poſt Trebonii indigniſſimam caedem, ceteraque tot tamque nefaria facinora, binae profectae erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem novo exemplo, contra leges ipſorum, prohibentibus iis qui tum magiſtratus gerebant. Haec, ſive timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, ſive furore, ſive potentia paucorum, qui & antea pari contumelia viros clariſſimos affecerant,

Tanta pravitate eſſe animadverti] Quidam libri veteres, & item vulgati, habent *tanta importunitate*, &c. ego *tanta pravitate*, probo: & ita habent cod. vet. emendatiores. *Lambinus.* *Rhodios autem tanta in pravitate animadverti*] Non dubito de veritate hujus lectionis: quum ſuperiore epiſtola dixerit, *eadem ſuperbia in pravitate utuntur.* Certe agnoſcunt illam Vaticani excerpta, prima editio, non ſecus Gruterianus & Stewechianus, niſi quod præpoſitionem *in* omiſerint. Palatinus primus, ſicut vulgatæ *tanta importunitate*. Paullo poſt malebat Guilielmius *Pop. Rom. penſe non crederent*. Gebhardus.

Hac ſive timore ——— *ſive furore, ſive potentia paucorum*, &c.] Al. *hac ſive timor eſt*: & mox, *ſive furor eſt*. Sed niſi legas. *Nec ſive timore*, & in fine periodi, *voluerunt*, Latinam elegantiam deſideres neceſſe eſt. *Corrad.* *Sive furore ſive patientia paucorum*] Ita codex Mediceus, ut notat Egnatius, nihilo tamen minus ille emendarat *potentia*, ut poſtea in omnes editiones irrepſit. Sed *patientia* agnoſcunt Pall. Gruterianus, & recte ex illo laudatiſſimo codice illam lectionem in ſua editione Victorius, habetque eandem editio veterrima. *Gebhardus.* Mihi maxime probatur Menteliani codicis ſcriptura, *Hæc ſive timor eſt, ut dictitant de agris, quos in continenti habent, ſive furor, ſive potentia paucorum.* Sane *potentia* recepi, ut ante Manutius aliique fecerunt, quamvis ex ingenio profectum eſſe exiſtimarent. *Patientia* enim ſine ſenſu ullo in aliis codicibus legitur. *Grævius.*

Affecerant] Superiore epiſtola. *Corradus.*

cerant, & nunc maximos magiſtratus gerentes, nullo exemplo, neque noſtra ex parte, neque noſtro praeſentium, neque imminenti Italiae urbique noſtrae periculo, ſi ille parricida cum ſuis latronibus, navibus ex Aſia Syriaque expulſus Italiam petiſſet, mederi cum facile poſſent, noluerunt. Nonnullis etiam ipſi magiſtratus veniebant in ſuſpicionem, detinuiſſe nos, & demorati eſſe, dum claſſis Dolabellae certior fieret de adventu noſtro. Quam ſuſpicionem conſecutae res aliquot auxerunt: maxime quod ſubito ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius, legati Dolabellae, a claſſe diſceſſerunt, navique longa profugerunt, onerariis relictis, in quibus colligendis non minimum temporis laboriſque conſumſerunt. Itaque cum ab Rhodo cum iis quas habueramus navibus in Lyciam veniſſemus, navis onerarias recepimus, dominiſque reſtituimus: idemque, quod maxime verebamur, ne poſſet Dolabella cum ſuis latronibus in Italiam venire, timere deſiimus. claſſem fugientem perſecuti ſumus uſque Sidam, quae extrema regio eſt provinciae meae. Ibi cognovi, partem navium Dolabellae diffugiſſe, reliquas Syriam Cyprumque petiiſſe. Quibus disjectis, cum ſcirem, C. Caſſii, ſingularis civis & ducis claſſem maximam fore praeſto in Syria,

Magiſtratu gerentes] Ut nos. *Corrad.*

Nullo exemplo, neque veſtra ex parte] Quidam legi volunt, *neque ulla ex parte:* & interpretantur, ne ulla quidem ex parte. Ego ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis repono, *neque noſtra parte:* ſubintellige, periculo, ſeu repete ἀπὸ κοινοῦ. *Lambin.* Plerique libri *neque noſtra ex parte.* Aſſentior acutiſſimi ingenii viro I. F. Gronovio, legenti: *neque veſtro ex parte*, ſc. periculo, quod quodammodo ad vos quoque pertinebat. Mihi quoque valde ſuſpectum eſt, quod præceſſit, *nullo exemplo.* Cur enim nullo exemplo? An nunquam ſocii Romanis implorantibus, præſertim in bellis civilibus, opem ferre recuſarunt? An non hi ipſi Rhodii & Eumenes bello in Perſico medii egerunt, invitis & indignantibus Romanis? Vereor, ne ex præcedente periodo, ubi legitur *novo exemplo* cum forte aberraſſet a ſuo loco, huc invectum ſit *nullo exemplo*, quod extradendum eſt *Grav.*

Neq. veſtr. ex p. neque noſtro præſentium] Al. *N. n. præcepto.* Corrad.

Ille parricida] Dolabella. *Idem.*

Demorati eſſe] Amſtelodam. *demorari eſſe.* Mallem, *detinuiſſe nos, & demorari, dum claſſis.* non modo nos detinuiſſe, ſed etiamnunc demorari. *Gravius.*

Uſque Sidam] Pamphyliæ urbem. Superius lib. III, ep. 5.

Claſſem maximam fore præſto in Syria] Sic nos correximus in Quæſtura. *Corrad.*

Cl. m. f. pr. in Syriam] Hanc lectionem reſtituo ex Grueriano, editione principe; quam cum in Mediceo repeiſſet æque Victorius, diſtinctione peccavit; edidit enim; *fore præſto, in Syriam ad meum officium reverti.* Sed quid ad illud dice-

Syria, ad meum officium reverti: daboque operam, ut meum ſtudium, diligentiam vobis, P. C. reique p. praeſtem: pecuniamque, quam maximam potero, & quam celerrime cogam, omnibuſque cum rationibus ad vos mittam. Si percurrero provinciam, & cognovero, qui nobis & reip. fidem praeſtiterunt in conſervanda pecunia a me depoſita, quique ſcelere ultro deferentes pecuniam publicam, hoc munere ſocietatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam vos certiores. De quibus, ſi vobis videbitur, ſi, ut meriti ſunt, graviter conſtitueritis, noſque veſtra auctoritate firmaveritis, facilius & reliqua exigere vectigalia, & exacta ſervare poterimus. Interea quo commodius vectigalia tueri, provinciamque ab injuria defendere poſſim, praeſidium neceſſarium voluntariumque comparavi. His litteris ſcriptis, milites circiter xxx quos Dolabella ex Aſia conſcripſerat, e Syria fugientes in Pamphyliam venerunt. hi nuntiaverunt, Dolabellam Antiocheam quae in Syria eſt, veniſſe, non receptum: conatum eſſe aliquoties vi introire, repulſum ſemper eſſe cum magno ſuo detrimento. Itaque centum circiter amiſſis, aegris relictis, noctu Antiochea profugiſſe Laodiceam verſus: ea nocte omnes fere Aſiaticos milites ab eo diſceſſiſſe: ex his ad octingentos Antiocheam rediiſſe, & ſe iis tradidiſſe, qui a Caſſio relicti, urbi illi praeerant, ceteros per Amanum in Ciliciam deſcendiſſe: quo ex numero, ſe quoque eſſe dicebant: Caſſium autem cum ſuis omnibus copiis

diceret, cum Gruterianus codex ſupra habet epiſtola præcedente, *aut eos qui ſunt in magiſtratu, ſuam in habent poteſtatem?* Sic ſupra ſæpius tacitus ex libris ac MSS. inſinuavi hanc priſcam lectionem. Vulgatum eſt, *fore praſto in Syria.* Gebh.

Antiochеam qua in Syria eſt] Plures enim fuerunt hujus nominis urbes in illa Orientali plaga.

Centum circiter amiſſis, &c.] Quid vulgatarum editionum cymbala tibi reſpondeant, prius adverte, *C. circiter amicis, ægriſque compluribus relictis noctu Antiochia.* quid ergo reſtituerimus, quid amiſerimus, quid emendaverimus vides. Idque præſtitimus ex Pall. Gruteriano, Stewechiano, Hittorpiano, Vaticani excerptis, atque editione prima, ſimulque Victoriana. Mox habet Stewechianus codex, *omnes fere Aſiaticos milites ab eo diſceſſe.* quod rectum puto; etiamſi Grammaticas tribus mihi ob id iratas habeam, & neſcio quos, quibus nihil placet, niſi ſui ſimile, hoc eſt, obvium, vile, ſordidum. *Gebhard.*

Tre-

copiis nuntiatum eſſe quatridui iter Laudicea afuiſſe, tum cum Dolabella eo tenderet. Quamobrem opinione celerius confido ſceleratiſſimum latronem poenas daturum. Quarto Nonas Iunias, Pergae.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Gratulatur de filii Ciceronis indole ad virtutem: verſus mittit, in civem improbum a ſe conſcriptos: petit ut includatur in ſcripta Ciceronis de Caeſaris interitu. Antonio & Dolabella Coſſ.

TREBONIVS CICERONI S.

S. V. B. E. Athenas veni a. d. XI Kal. Iun. atque ibi, quod maxime optabam, vidi filium tuum, deditum optimis ſtudiis, ſummaque modeſtiae fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, ſcire potes etiam me tacente. Non enim neſcis quanti te faciam, & quam, pro noſtro veterrimo veriſſimoque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adoleſcente tuo atque adeo noſtro, nihil enim mihi a te poteſt eſſe ſejunctum, aut amabilius omnibus iis, qui Athenis ſunt, eſt: aut ſtudioſius earum artium quas tu maxime amas, hoc eſt, optimarum. Itaque tibi, quod vere facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis: quod eum quem neceſſe erat diligere, qualiſcunque eſſet, talem habemus ut libenter quoque diligamus. Qui cum mihi in ſermone injeciſſet, ſe velle Aſiam viſere, non modo invitatus, ſed etiam rogatus eſt a me, ut id potiſſimum nobis obtinentibus provinciam faceret. Cui nos & caritate & amore tuum officium praeſtaturos non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curae, ut

TREBONIVS] Ep. 28 lib. x. *Corrad.*

Athenas veni] Poſt Caeſ. mortem. *Idem.*

Me hoc auribus tuis dare] Me hoc dicere quod te libenter auditurum credam: me tibi blandiri, aſſentari, ſecundas facere.

ut Cratippus una cum eo ſit, ne putes, in Aſia feriatum illum ab iis ſtudiis, in quae tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum, ut video, & ingreſſum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo in dies longius diſcendo exercendoque ſe procedat. Vos quid ageretis in rep. cum has litteras dabam non ſciebam. Audiebam quaedam turbulenta, quae ſcilicet cupio eſſe falſa ut aliquando otioſa libertate fruamur: quod vel minime adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in navigatione noſtra puſillum laxamenti, concinnavi tibi munuſculum ex inſtituto meo: & dictum, cum magno noſtro honore a te dictum, concluſi, & tibi infra ſubſcripſi. In quibus verſiculis ſi tibi quibuſdam verbis ἀθυῤῥημονέστερος videbor: turpitudo perſonae ejus, in quam liberius invehimur, nos vindicabit. Ignoſces etiam iracundiae noſtrae, quae juſta eſt in ejuſmodi & homines, & civis. Deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit aſſumere libertatis, quam nobis? cum etiam ſi odio par fuerit in eos quos laeſit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret. Tu, ſicut mihi pollicitus es, adjunges me quam primum ad tuos ſermones. Namque illud non dubito, quin, ſi quid de interitu Caeſaris ſcribas, non patiaris me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem meoſque tibi commendatos habe. D. VIII Kalendas Iunias, Athenis.

Cratippus] Illius præceptor: quem philoſophorum illius ætatis principem, lib. I de Offic. Cic. appellavit. ep. 21 lib. XVI. *Corrad.*

Ἀσχημονέστερος] Cuncti veteres libri ἀσχημονέστερος, a verbo, quo ad Pætum ſcribens utitur, ἀθυῤῥήμων· ſecunda collatione, id eſt, aliquantulum in verbis liberior, & rem ipſam nulla circumſcriptione quaſi rectis verbis deſcribens. Quod cum licentiam quandam primo præ ſe ferat, nonnullis reprehendendum videtur, etſi Stoicorum erat præceptum, ut eorum ſapiens ſic loqueretur. ἀσχημονέστερος enim, id eſt, deformior & turpior, fœdam potius corporis effigiem declarat. *Victor.* Vera lectio eſt ἀθυῤῥημονέστερος, rectiloquentior, hoc eſt, liberior in loquendo, ut ep. 22. lib. VIII. Cicero diſputavit. *Corrad.*

Turpitudo perſonæ ejus] Fortaſſe Antonii, qui Cæſaris interfectores, atque adeo ipſum Trebonium, cujus beneficio viveret, perſequebatur. Hinc iracundiæ juſtæ ignoſcendum eſſe dixit. *Idem.*

Lucilio] Poetæ. *Idem.*

In eos] Tubulum, Mutium, Lupûm, Carbonem & Lapathum. *Idem.*

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Cornificio, Africam regenti, vivo adhuc Caeſare, varia ſcribit, de rumoribus e Syria allatis, de otio civitatis, de Oratore a ſe ſcripto, de ſuo erga illum ſtudio. Q. Fabio Maximo, C. Trebonio Coſſ.

CICERO CORNIFICIO COLLEGAE S. D.

GRata mihi vehementer eſt memoria noſtri tua, quam ſignificaſti litteris: quam ut conſerves, non quo de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuoſiora quaedam nuntiata ſunt, quae, quia tibi ſunt propiora quam nobis, tua me cauſſa magis movent quam mea. Romae ſummum otium eſt: ſed ita, ut malis ſalubre aliquod & honeſtum negotium: quod ſpero fore. video id curae eſſe Caeſari. Me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem quandam & licentiam nactum ſcribere audacius: & cetera quidem fortaſſe, quae etiam tu concederes: ſed proxime ſcripſi de optimo genere dicendi: in quo

CORNIFICIO] Q. Cornificio Africae Praetori a Caeſare praefecto. *Corradus.*

COLLEGAE] In auguratu, ep. 22 hujus libri. *Idem.*

Tumultuoſiora quadam nuntiata ſunt] De Q. Caecilio Baſſo, & Sext. Julio inter ſe diffidentibus, & bello ex ea re excitato. Niſi famam de bello Parthico intelligere malimus. *Idem.*

Quod ſpero fore; video id cura eſſe Caeſari] Omnes hic hiare orationem credebant, ideo ſuffulciebant hoc tibicine, *quia video id cura.* ſed ejeci hunc centonem, Palatini primi, ſexti, Vaticani, editioniſque Victorianae auctoritate. ſtatim principio ex Palatino ſexto, Hittorpiano, Vaticano, *non quo de tua conſtantia dubitem* idque infinitis modis feci, ubi ſemper edebatur *quod.* Paullo ante finem, legendum eſt *ſolitudine* non *ſollicitudine* ex Palatino ſexto, Vaticano, Medic. editione Victorii. Illud quoque admonendum eſt, in Palatino ſexto, Hittorpiano, Stewechiano, in umbilico Epiſtolae ita concipi totum ferme orationis complexum, *te judicio noſtro, ſic ſcilicet, ut doctum hominem ab indocto paullum diſſidere.* Gebhardus.

Et cetera quidem] Ut Philoſophica. *Corradus.*

De optimo genere dicendi] De optimo genere Oratorum. niſi forte magis places

quo ſaepe ſuſpicatus ſum, te a judicio noſtro, ſic ſcilicet, ut doctum hominem a non indocto, paullulum diffidere. Huic tu libro, maxime velim ex animo, ſi minus, gratiae cauſſa ſuffragere. Dicam tuis ut eum, ſi velint, deſcribant, ad teque mittant. Puto enim, etiam ſi rem minus probabis tamen in iſta ſolitudine, quidquid a me profectum ſit, jucundum tibi fore. Quod mihi exiſtimationem tuam dignitatemque commendas, facis tu quidem omnium more: ſed velim ſic exiſtimes, me, cum amori, quem inter nos mutuum eſſe intelligam, plurimum tribuam, tum de ſummo ingenio, & de ſtudiis tuis optimis, & de ſpe ampliſſimae dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos.

cet Oratorem intelligere. *Corradus.*

In iſta ſolitudine] Ita jam pridem caſtigavimus, in noſtriſque libris ſcribi juſſimus, ſecuti Medicei codicis & aliorum manu ſcriptorum auctoritatem, nec non rationem ipſam: nihil enim certius hac lectione, nihil clarius eſſe poteſt: & hoc eſt cur in explicationibus noſtris eam ſilentio praeteriimus: neque enim confirmatione egebat, quam tamen alii ſibi poſtea vendicarunt. *Victorius.*

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Purgat ſe de infrequentia litterarum: prudentiam Cornificii gravitatemque laudat: praeſentem reip. ſtatum, cum excuſatione Caeſaris, accuſat. Eodem anno.

CICERO CORNIFICIO COLLEGAE S. D.

QVod extremum fuit in ea epiſtola, quam a te proxime accepi, ad id primum reſpondebo. Animum advorti enim,

A*Nimum advorti en. hoc vos magn. erat.*] Sic elegantiſſimus & accuratiſſimus Victorius edidit, quicum facit Palatinus ſextus, Vaticanus. Vulgatum erat *animadverti*: ſed illud melius & antiquius. Paullo poſt ex Feſto Guilielmius malebat, *cum mihi renunciatum eſſet.* Paullo iterum poſt, ex editione primaria, Victoriana, Palatino ſexto (nam in primo haec epiſtola deſideratur) Hittorpiano, Stewechiano, Vaticani excerptis [quibus adſtipulatus

enim, hoc vos magnos oratores facere nonnunquam. Epiſtolas requiris meas. ego autem nunquam, cum mihi denuntiatum eſſet a tuis, ire aliquem, non dedi. Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commiſſurum eſſe temere, nec ante quam ſciſſes quo iſte neſcio qui Caecilius Baſſus erumperet, quidquam certi conſtituturum: id ego & ſperaram prudentia tua fretus, & ut confiderem fecerunt tuae gratiſſimae mihi litterae. idque ut facias quam saepiſſime, ut & quid tu agas, & quid agatur, ſcire poſſim, & etiam quid acturus ſis, valde te rogo. Etſi periniquo patiebar animo te a me digredi, tamen eo tempore me conſolabar, quod & in ſummum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis diſcedere. Vtrumque contra accidit. iſtic enim bellum eſt exortum, hic pax conſecuta: ſed tamen ejuſmodi pax, in qua, ſi adeſſes, multa te non delectarent: ea tamen, quae ne ipſum Caeſarem quidem delectent. Bellorum enim civilium hi ſemper exitus ſunt, ut non ea ſolum fiant, quae velit victor, ſed etiam ut iis mos gerendus ſit, quibus adjutoribus ſit parta victoria. Equidem ſic jam obdurui, ut ludis Caeſaris noſtri aequiſſimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberii & Publii poemata. Nihil mihi tam deeſſe ſcito, quam qui cum haec familiariter docteque rideam. Is tu eris, ſi quam primum veneris. quod ut facias non mea ſolum ſed etiam tua intereſſe arbitror.

latur Amſtelodam.] edidi, *fecerunt tua gratiſſima mihi littera*, cum deterius vulgatum ſit, *fecerunt tua graviſſima littera. Idque*. Gebhard.

Hoc vos magnos oratores facere nonnunquam] Ut poſtremis criminibus atque objectionibus primo reſpondeatis. *Bernh. Rutil.*

Cecilius Baſſus] Epiſt. ſuperiore, & XI hujus lib. *Corrad.*

T. Plancum] Qui in eam urbem rediit armis Cæſaris, ex qua exceſſerat legibus damnatus: Epiſtola ſecunda libro ſeptimo. *Idem.*

Laberii & Publii] Lege Macrobium. *Idem.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Gratulatur de Syriae adminiſtratione illi a Caeſare mandata: eamque optat a Parthico bello vacuam: quodſi bellum ſit, exemplum ei proponit M. Bibuli, qui ſe opido munitiſſimo tenuerat quamdiu Parthi in provincia fuerunt. Eodem anno.

M.T.C. CORNIFICIO S.D.

Libentiſſime legi tuas litteras, in quibus jucundiſſimum mihi fuit quod cognovi meas tibi redditas eſſe. Non enim dubitabam quin eas lubenter lecturus eſſes. verebar ut redderentur. Bellum quod eſt in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam eſſe a Caeſare, ex tuis litteris cognovi. Eandem rem tibi volo bene & feliciter evenire. Quod ita fore confido, fretus & induſtria & prudentia tua. Sed de Parthici belli ſuſpicione quod ſcribis, ſane me commovit. Quantum copiarum haberes, cum ipſe conjectura conſequi poteram, tum ex tuis litteris cognovi. Itaque opto ne ſe illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur quas audio duci. Quod ſi pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti conſilio M. Bibuli, qui ſe oppido munitiſſimo & copioſiſſimo tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt. Sed haec melius ex re & ex tempore conſtitues. Mihi quidem uſque curae erit quid agas, dum quid egeris ſciero. Litteras ad te nunquam habui

Verebar ut redderentur] Id eſt, verebar ne non redderentur. Sic autem legendum eſt, non, ut vulgo, *ne redderentur*. Et vero ut ſic legatur, praeter veteres codices, qui ſic habent, ratio poſtulat. *Lambinus*. Hanc lectionem profitentur omnes libri Palatini, Vaticani excerpta, Stewech. Hittorpianus. Et ſic ante Lambinum editum erat in impreſſione prima, atque Florentina. Vulgo male, *ne redderentur*. Gebhard.

Bellum quod eſt in Syria] A Caecilio Baſſo commotum. *Corrad.*

Oppido munitiſſimo] Antiochiae. *Idem.*

Tenuit] Quo tempore ego Ciliciae praeeram. *Idem.*

habui cui darem quin dederim. A te ut idem facias peto: inprimiſque ut ita ad tuos ſcribas, ut me tuum ſciant eſſe.

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

Iocatur, quia Sinueſſanae villae hoſpitio Cornificius uti noluerat; & crebras ab eo litteras petit. Scripta videtur haec epiſtola eo tempore cum in Africam provinciam Cornificius iret.

CICERO CORNIFICIO.

GRatae mihi tuae litterae, niſi quod Sinueſſanum diverſoriolum contemſiſti. Quam quidem contumeliam villa puſilla iniquo animo feret, niſi in Cumano & Pompeiano reddideris πάντα περὶ πάντων. Sic igitur facies, meque amabis, & ſcripto aliquo laceſſes. Ego enim reſpondere facilius poſſum quam provocare. Quod ſi, ut es, ceſſabis, laceſſam, ne tua ignavia etiam inertiam afferat. Plura otioſus. Haec cum eſſem in ſenatu exaravi.

G*Rata mihi tua littera*] Hæc epiſtola ſcripta videtur, quo tempore Cornificius per hæc loca in Africam proficiſceretur, ut ſuperioribus præponenda ſit. *Corrad.*

Diverſoriolum contemſiſti] Pleique libri veteres, *diverſiolum* vel *deverſiolum*.

Quod ſi, ut es, ceſſabis, laceſſam] Palatinus ſextus lectionem nobis oggerit, quæ mihi non indigna viſa adnotatu, *Quod ſi, ut es delicatus, ceſſabu; laceſſam.* De qua alii ſtatuant; ego nihil decerno, neque vacat. poſt, quia Lambinus legit, *tua ignavia etiam mihi inertiam aff.* Putat Guilielmius fuiſſe, *etiam mi inertiam*, a quo non diſſentio. *Gebbardus.*

EPISTOLA XXI.

ARGUMENTUM.

Anicium ſenatorem, ejuſque negotia & dignitatem commendat. Incertus annus.

M.T.C. CORNIFICIO S.D.

CAius Anicius, familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum ſuorum cauſſa legatus eſt in Africam

cam legatione libera. Eum velim rebus omnibus adjuves, operamque des ut quam commodiſſime ſua negotia conficiat. in primiſque, quod ei cariſſimum eſt, dignitatem ejus tibi commendo: idque a te peto, quod ipſe in provincia facere ſum ſolitus, non rogatus, ut omnibus ſenatoribus lictores darem: quod idem acceperam & cognoveram a ſummis viris factitatum. Hoc igitur, mi Cornifici, facies, ceteriſque rebus omnibus ejus dignitati, reique, ſi me amas, conſules. id erit mihi gratiſſimum. Da operam ut valeas.

L*Egatione libera*] Quæ honoris fere cauſſa a ſenatu concedebatur, ne ſenatores in provinciis prorſus privati eſſent. *Corrad.*

Quod idem acceperam, & cognoveram a ſummis viris factitatum] Amſtelodam. aliique duo libri, *quod id cognoveram a ſummis viris factitatum.* quod non improbem. Duas rationes affert, quibus impulſus ſenatoribus qui in ſuam provinciam venerant, etiam non rogantibus dederit lictores: & quod ipſe cum ſenator eſſet & in aliorum provincias ſe contuliſſet, acceperit lictores cum faſcibus a præfectis; & quod hoc ſummi viri facere ſint ſoliti. Mentelianus liber legit, *quod id acceperam & cognoveram a ſummis viris factitatum.* quod & ipſum pervulgatæ lectioni præferendum. *Gravius.*

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

Narrat de ſtatu reip. poſt Cæſaris interitum: hortatur ut provinciam retineat in poteſtate reip. Antonio & Dolabella Coss.

M.T.C. CORNIFICIO S.P.D.

NOs hic cum homine gladiatore, omnium nequiſſimo, collega noſtro, Antonio, bellum gerimus: ſed non

O*Mnium nequiſſimo, collega noſtro*] In auguratu. *Corradus.* P. Victorius edidit, *collega veſtro*, ſed *collega noſtro*, probo. Fuit enim collega Ciceronis Antonius in auguratu. *Lambinus.* *Collega noſtro Anton.*] In argenteis denariis *Antonius Augur* deſcriptus eſt, & Cornuficius item, *Cornuficius Augur Imp.* Urſinus. *Omn. neq. collega veſtro*] Sic Palatinus primus, ſextus, Vaticani excerpta, Hittorpianus, Stewechianus, [nec non Amſtelod.] Victoriana editio. probat tamen Lambinus *noſtro*, ut & ante illum Egnatius Manutiuſque, quod erat collega Ciceronis in Auguratu. Nos potiori conſenſui autem & obſequelam dedimus. *Gebhardus.*

non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concionatur: nec impune. nam ſentiet quos laceſſierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perſcribi ab aliis, a me futura debes cognoſcere, quorum quidem non eſt difficilis conjectura. Oppreſſa omnia ſunt: nec habent ducem boni, noſtrique τυραννοκτόνοι longe gentium abſunt. Panſa & ſentit bene, & loquitur fortiter: Hirtius noſter tardius convaleſcit. Quid futurum ſit plane neſcio. Spes tamen una eſt, aliquando populum R. majorum ſimilem fore. Ego certe reip. non deero, &, quidquid acciderit, a quo mea culpa abſit, animo forti feram. Illud profecto, quoad potero, tuam famam & dignitatem tuebor. A. d. XIII Kalendas Ianuar. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus, cum de ceteris rebus magnis & neceſſariis, tum de provinciis, ab iis qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex ſenatuſconſulto ſucceſſiſſet. Hoc ego cum reip. cauſſa cenſui, tum mehercule in primis retinendae dignitatis tuae. Quamobrem te amoris noſtri cauſſa rogo, reip. cauſſa hortor, ut ne cui quidquam juris in tua provincia eſſe patiare: atque ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil poteſt eſſe praeſtantius. Vere tecum agam, ut neceſſitudo noſtra poſtulat. in Sempronio, ſi meis litteris obtemperaſſes, maximam ab omnibus laudem adeptus eſſes. Sed illud & praeteriit, & levius eſt. Haec magna res eſt. Fac ut provinciam retineas in poteſtate reip. Plura ſcripſiſſem, niſi tui feſtinarent. Itaque Cherippo noſtro me velim excuſes.

Noſtrique τυραννοκτόνοι] Tyrannicidæ, ut Brutus & Caſſius. *Corrad.*

Hirt. tardius convaleſcit] Ægrotabat enim, pro cujus ſalute P. R. etiam vota fecit. *Idem.*

Mihi eſt aſſenſus] Philippica 3. *Idem.*

Retinendis] Ex lege Julia. *Idem.*

Retinendæ dignitatis tuæ] Contra C. Calviſium tuam provinciam petentem. *Idem.*

Cherippo noſtro me velim excuſes] Epiſtol. 30 hujus libri. hic olim cum Q. Cicerone in Aſia fuerat. *Idem.*

EPI-

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Primum reſpondet ad ea quae de provincia Cornificii a Stratorio cognoverat: deinde quaſi formam reip. mittit: poſtremo Philoſophiam & Stratorium laudat. Antonio & Dolabella Coſs.

M.T.C. P. CORNIFICIO S.D.

OMnem conditionem imperii tui, ſtatumque provinciae mihi demonſtravit Stratorius. O multa intolerabilia locis omnibus! Sed quo tua major dignitas, eo, quae tibi acciderunt, minus ferenda. Neque enim, quae tu propter magnitudinem & animi & ingenii moderate fers, a te non ulciſcenda ſunt, etiam ſi non ſunt dolenda. Sed haec poſterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo ſcio. quod ni ita putarem, ipſe perſcriberem, in primiſque Caeſaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adoleſcentis impetum faceret. Prudentes autem & boni viri & credunt factum, & probant. Quid quaeris? magna ſpes eſt in eo. Nihil eſt quod non exiſtimetur laudis & gloriae cauſſa facturus. Antonius autem, noſter familiaris, tanto ſe odio eſſe intelligit, ut, cum interfectores ſuos domi comprenderit, rem proferre non audeat. A. d. VII Idus Octobr. Brundiſium erat profectus obviam legionibus Macedonicis IIII. quas ſibi conciliare pecunia cogitabat, eaſque ad urbem adducere, & in cervicibus noſtris collocare. Habes formam reip. ſi in caſtris poteſt eſſe reſp. in qua tuam vicem ſaepe doleo,

QVa tibi acciderunt] A T. Sexto altero Africae Praetore, qui poſtea etiam bellum cum illo geſſit. *Corrad.*

Caeſaris Octaviani conatum] Epiſt. 28 libro x. *Idem.*

Fictum ab Antonio crimen videtur] Inſidias a Caeſare Antonio ipſi factas. *Id.*

Eſt in eo] Caeſare. *Idem.*

Noſter familiaris] Epiſt. 5 lib. XI. *Idem.*

Interfectores ſuos] A Caeſare immiſſos. *Idem.*

Conciliare pecunia cogitabat] Niſi Caeſar illi terror eſſet oppoſitus. *Idem.*

dolco, quod nullam partem per aetatem ſanae & ſalvae reip. guſtare potuiſti. Atque antehac quidem ſperare ſaltem licebat, nunc etiam id ereptum eſt. Quae enim eſt ſpes, cum in concione dicere auſus ſit Antonius, Canutium apud eos ſibi locum quaerere, quibus, ſe ſalvo, locus in civitate eſſe non poſſet? Equidem & haec, & omnia quae homini accidere poſſunt, ſic fero, ut philoſophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab ſollicitudine abducit, ſed etiam contra omnis fortunae impetus armat: tibique idem cenſeo faciundum, nec, a quo culpa abſit, quidquam in malis numerandum. Sed haec tu melius. Stratorium noſtrum cum ſemper probaſſem, tum maxime in tuis rebus ſummam ejus fidem, diligentiam, prudentiamque cognovi. Da operam ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

Canutium] Epiſt. 3 hujus libri. *Corradus.*

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Cornificium hortatur ut omni cura in remp. incumbat: ſcribit de legatis ad Antonium a ſenatu miſſis: Pinarium commendat. Hirtio & Panſa Coss.

M.T.C. CORNIFICIO S.P.D.

EGo nullum locum praetermitto, nec enim debeo, non modo laudandi tui, ſed ne ornandi quidem. Sed mea ſtudia erga te & officia malo tibi ex tuorum litteris, quam ex meis eſſe nota. Te tamen hortor, ut omni cura in remp. incumbas. hoc eſt animi, hoc eſt ingenii tui, hoc ejus ſpei, quam habere debes, amplificandae dignitatis tuae. Sed hac de re alias, ad te pluribus. cum enim haec ſcribebam, in exſpectatione erant omnia. nondum legati redierant, quos ſenatus

Nondum legati] Epiſtola quarta hujus libri. *Corradus.*

T. Pi-

natus non ad pacem deprecandam, ſed ad denuntiandum bellum miſerat, niſi legatorum nuntio paruiſſet. Ego tamen, ut primum occaſio data eſt, meo priſtino more remp. defendi: me principem ſenatuſ populoque R. profeſſuſſum: nec poſtea quam ſuſcepi cauſſam libertatis, minimum tempus amiſi tuendae ſalutis libertatiſque communis. Sed haec quoque te ex aliis malo. T. Pinarium, familiariſſimum meum, tanto tibi ſtudio commendo ut majore non poſſim. Cui cum propter omnes virtutes, tum etiam propter ſtudia communia, ſum amiciſſimus. Is procurat rationes negotiaque Dionyſii noſtri, quem & tu multum amas & ego omnium plurimum. Ea tibi ego non debeo commendare: ſed commendo tamen. Facies igitur ut ex Pinarii, gratiſſimi hominis litteris tuum & erga illum, & erga Dionyſium ſtudium perſpiciamus.

T. Pinarium] Hunc olim Q. Fratri commendavit, cum eſſet in Gallia. *Corrad.*

Dionyſii noſtri] Ep. 30 hujus libri. *Id.*

Ea tibi ego non debeo commendare: ſed commendo tamen] Hittorpianus codex, *ea tibi commendo tamen ſed non debeo commendare*: unde Guilielmius conjectabat, *commendo, tamen etſi non debeo commendare.* Gebhard.

EPISTOLA XXV.

ARGVMENTVM.

Scribit, S. C. eſſe factum ex litteris Cornificii: hortatur ut reip. cauſſam defendat: Lucceio ſe nulla re defuturum pollicetur. Eodem anno, conſulibus interfectis.

M. T. C. CORNIFICIO S. P. D.

Liberalibus litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero viceſimo die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit ſenatus, neque poſtero. Quinquatribus frequenti ſenatu

Liberalibus] xv Kal. Apr. *Corrad.*

Altero viceſimo die] Id eſt, viceſimo ſecundo. vid. Manut.

Neque poſtero] XIIII Cal. Apr. *Corradus.*

Quinquatribus] XIII Kal. Apr. *Idem.*

natu cauſſam tuam egi non invita Minerva. Etenim eo ipſo die ſenatus decrevit, ut Minerva noſtra, cuſtos urbis, quam turbo dejecerat, reſtitueretur. Panſa tuas litteras recitavit. Magna ſenatus approbatio conſecuta eſt cum ſummo gaudio, & offenſione Minotauri, id eſt, Calviſii & Tauri. Factum de te ſenatuſconſultum honorificum. Poſtulabatur ut etiam illi notarentur: ſed Panſa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, & cunctantibus ceteris a. d. XIII Kal. Ian. fundamenta jeci reip. eo ipſo die providi multum, atque habui

Ut Minerva noſtra cuſtos urbis] Nullus eſt (ut exiſtimo) qui neſciat Ciceronem antequam Roma exiret expulſus a Clodio, ſimulacrum Minervæ, quod domi ſuæ longo tempore religioſiſſime coluerat, in Capitolium detuliſſe, ibique dedicaſſe, cum in baſi inſcripſiſſet *Minerva cuſtodi urbis*. Non tamen viſum eſt ſilendum, quod Dion lib. XLV. rem quam nunc Cicero tangit, prodigii loco notat, necemque ipſi præſignificaſſe confirmat. magnam autem vim ventorum extitiſſe docet, multaque loca urbis ea tempeſtate deformata, *καὶ πνεῦμα μέγα ἐπιγενόμενον τάς τε στήλας τὰς περὶ τὸ Κρόνιον καὶ περὶ τὸν τῆς Πίστεως νεὼν προσπεπηγυίας ἀπέῤῥηξε καὶ διεσκέδασε. καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς φυλακίδος ὃ πρὸ τῆς φυγῆς ὁ Κικέρων ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέθηκε, κατέβαλε καὶ κατέθραυσε· καὶ τοῦτο μὲν καὶ αὐτῷ τῷ Κικέρωνι τὸν ὄλεθρον προεδήλωσεν· τὰ δὲ ἄλλως ἐκεῖνά τι ἐσήμαινε, καὶ σεισμὸς μέγας ἐγένετο. Victorius.* Quæ in notis poſterioribus ad hunc locum ſcripſit idem Victorius, vide poſt annotationes Manut. ad hanc epiſtolam. *Minerva noſtra*] Quam olim, ereptis rebus noſtris, violari ab impiis paſſi non ſumus, eamque ex noſtra domo in ipſius Patris domum detulimus, & Urbis Cuſtodem, in exilium euntes, inſcripſimus. *Corradus.*

Quam turbo dejecerat] Non multo poſt Cæſaris cædem, quod portendiſſe Ciceronis mortem creditum eſt. *Idem.*

Panſa] Conſul. *Idem.*

Summo gaudio, & approbatione Minotauri, id eſt, clavis & tauri] Sic omnes recepti & vulgati codices: quam etiam lectionem in eunctis vetuſtioribus invenimus. Quia tamen locus obſcurus eſt, nihil certi de eo proferre poſſum: Germani pro *clavis & tauri*, *Calviſii Tauri* emendarunt: nos nec probamus, nec damnamus. Verumtamen quia ſæpe cognovimus illos, antiquos codices ſequi, eorum lectionem non ſprevimus: nec tamen illi valde confidimus, res enim penitus nobis incerta eſt. Quod ſi eam ſequare donec vel meliorem invenias, vel hæc comprobetur: melius fortaſſe, ut unum hominem tantum intelligat & deſcribat, conjunctio illa e medio duorum illorum nominum tolleretur. quamvis nullibi legimus quempiam Calviſium Taurum appellatum. *Victorius. Minotauri, id eſt, Calviſii & Tauri*] Ut *Minotaurus* ex homine & bove conſtat, ſic iſta conjunctio ex *Calviſio* & *Tauro*, qui provinciam Africam petebant. *Corradus.*

Illi notarentur] C. *Calviſius* & *Taurus*. de his etiam in Quæſtura dictum eſt. *Idem.*

Fundamenta jeci reip.] Philippica tertia. *Idem.*

De

habui rationem dignitatis tuae. Mihi enim eſt aſſenſus ſenatus de obtinendis provinciis. Nec vero poſtea deſtiti labefactare eum, qui ſumma cum tua injuria, contumeliaque reip. provinciam abſens obtinebat. Itaque crebras vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, ſeque in urbem recepit invitus: neque ſolum ſpe, ſed certa re jam & poſſeſſione deturbatus eſt. Meo juſtiſſimo honeſtiſſimoque convicio te tuam dignitatem ſumma tua virtute tenuiſſe, provinciaeque honoribus ampliſſimis affectum, vehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excuſationem. fuit enim illud quoddam caecum tempus ſervitutis. Ego tuorum conſiliorum auctor, dignitatiſque fautor, iratus tempori-

De obtinendis provinciis] Epiſt. XXII hujus libri. *Corrad.*

Labefactare eum] Calviſium. *Idem.*

Provinciam abſens obtinebat] Duobus legatis Uticæ relictis, ipſe ad urbem profectus. *Idem.*

Seque in urbem recepit] Depoſito tandem imperio. *Idem.*

Fuit enim illud quoddam caecum tempus ſervitutis] Omnes impreſſi codices, *fuit enim illud quoddam Graecum tempus ſervitutis*. ſed nec vetuſti meliorem, aut diverſam ſaltem lectionem habent. Germani *caecum tempus* legunt, ut nos arbitramur, conjectura ducti in hanc lectionem: alii *grave tempus*. Nos in tot diverſis ſententiis quid ſentiremus, tacere & occulere noluimus. *Egregium* igitur repoſuimus, non nimis omnino longe a vetuſtis veſtigiis, & ſententia valde congruente: illis tamen quæ nullius antiqui codicis auctoritate freti caſtigamus, non firmiter nitimur. Quod ſi hanc noſtram emendationem diſplicere ſenſerimus, nos quoque facile illam deſeremus: ſi tamen meliorem quiſpiam vel invenerit, vel excogitarit. verum antiquiorum codicum auxilio deſtituti, quod induſtria noſtra huic loco opis adferre potuimus, libenter fecimus. *Victor.* *Quoddam Graecum tempus ſervit.*] Al. *gratum*, *caecum*, *grave*, *egregium* legi etiam videbis. *Corradus.* *Fuit en. quodd. neceſſarium temp. ſ.*] Sic reſtituit Paullus Manutius, Ubaldini Bandinelli conjecturam ſecutus: cum antea vulgo legeretur, *Graecum tempus*: plane inepte. Paullo poſt, ubi omnes libri habent *vinolentum furorem*, legendum videtur quibuſdam, *violentum furorem*. *Vinolentum* tamen retinendum videtur propter ea quæ ſequuntur, *quem ego ructantem & nauſeantem*, &c. *Lambinus.* *Fuit en. ill. q. caecum t. ſ.*] Non aliter eſt in Palatino ſexto, & Hittorp. niſi quod, *caecum tempus quoddam*. in primo *graecum*, unde alii *grave*: Victorius *egregium* fecerat. Lambinus tamen ait ſe ſequi Ubaldini Bandinelli conjecturam; laudatam ac probatam Manutio, *fuit enim quoddam neceſſarium tempus* quod tamen in illius commentariis non invenio. Ego quod viſum erat veteribus codicibus, exturbare temperavi. *Gebhardus.* Mentel. *fuit enim id caecum tempus ſervitutis.* omnia erant obſcura. Hoc paullo poſt his verbis explicat, *neque enim ſtatuti quid in tanta perturbatione habere potuiſti.* vide Manut.

poribus in Graeciam deſperata libertate rapiebar: cum me Eteſiae, quaſi boni cives, relinquentem remp. proſequi noluerunt: Auſterque adverſus maximo flatu me ad tribules tuos Regium retulit: atque inde ventis, remis in patriam omni feſtinatione properavi, poſtridieque in ſumma reliquorum ſervitute liber unus fui. Sic ſum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque ſuum vinolentum furorem in me unum effunderet: meque cum elicere vellet ad caedis cauſſam, tum tentaret inſidiis: quem ego ructantem & nauſeantem conjeci in Caeſaris Octaviani plagas.

In Graciam rapiebar] Lib. x, epiſt. 1. *Corradus.*

Ad tribules tuos Regium retulit] Stewechianus *tribullos ſuos*; quod quid ſit ignoro. ceterum pro *retulit* infert Palatinus ſextus, Hittorpianus *attulit*, unde volebat Guilielmius *appulit*. idem τὸ *omni feſtinatione* gloſſema ducit. Poſt; Palatinus primus, ſextus, Hittorpianus, Stewechianus, editionum primaria, ſcribunt, *quem ego ructantem & nauſeantem confeci in Caſ. oct. plagas*. Mihi videtur ex ignorantia ſcribarum ortum. *Gebhard.* *Regium*] Hodie *Reggio* ad fretum Siculum. Sic recte ſcribunt antiqui codices, vulgo male *Rhegium*, uti conſtat ex antiquiſſima inſcriptione apud Cluver. lib. IV Ital. antiq. pag. 1297. quæ perperam inepta dicitur.

In ſumma ſervitute reliquorum] Præſertim conſulatium. *Corrad.*

Liber unus fui] Philippica prima. *Idem.*

Omnemque ſuum vinolentum furorem] Locus hic confirmat Ant. Auguſtini emendationem, qui Philip. lib. VI. *novi vinolentiam* legendum putat, pro *violentiam*: quamvis videatur *violentia* in caſtris poſſe magis objici M. Antonio, quam domi. *Urſinus.*

Elicere vellet] Epiſt. 2 hujus libri. *Corrad.*

Quem ego ructantem & nauſeantem conjeci in Caſaris Octaviani plagas] Quamvis ex recepta hac lectione commodus ſenſus eliciatur, conſilium tamen non fuit veterem præterire, quæ diverſa eſt: *confeci* enim in Mediceo legitur, & in alio quoque ſatis probato, non *conjeci*: quod niſi poſtrema dictio eo caſu poſita impediret, hanc veriorem putarem. doctiores videbunt an tolerari poſſit, & num aliis etiam in locis probi auctores ita locuti ſint: nam vis illius verbi *confeci* præclare hic convenit, niſi fallor, ut de Aruſpicum reſponſis inquit: *Haud poteſt gravioribus a me verbis vulnerari, quam eſt ſtatim in facto ipſo a P. Servilio confectus.* Sed infinita exempla hujus locutionis eſſe poſſent. Illud autem *conficere in plagas* dictum videtur, ut inſuere in culleum, & ut in epiſtola Aſinii *deprenſus in ludum*: ita enim arbitror locum illum legi debere, non *depreſſus* quemadmodum alias oſtendimus: nam ſic fere in Mediceo, & verbum ipſum *deprendo* & quæ ab eo derivantur, ſcribuntur. Quintilianus quoque libro 1 x oſtendit, utroque modo ſine culpa dici poſſe cum inquit, *Utrum velet, ſumas compoſitio, Vitaviſſe, vel vitaſſe: Deprehendere, vel deprendere: ut Vementer quoque, & alia etiam hujuſcemodi dictiones.* eruditiores de tota re nunc ſtatuent. Senſus autem hujus loci facit ut recorder alium item depravatum in Epitome primi libri δειπνοσοφιστῶν Athenæi: ille tamen quemadmodum puto, ſatis tuto emendari poteſt. Priſcum autem quendam Macedonum mo-

gas. Puer enim egregius praeſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſummae reip. comparavit: qui niſi fuiſſet, Antonii reditus a Brundiſio peſtis patriae fuiſſet. Quae deinceps acta ſint ſcire te arbitror. Sed redeamus ad illud unde divertimus. Accipio excuſationem tuam de Sempronio. neque enim ſtatuti quid in tanta perturbatione habere potuiſti. *Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores poſtulat*, ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim. Vna navis eſt jam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. utinam proſpero curſu. Sed quicunque venti erunt, ars noſtra certe non aberit. Quid enim praeſtare aliud virtus poteſt? Tu fac magno animo ſis & excelſo: cogiteſque, omnem dignitatem tuam cum rep. conjunctam eſſe debere. P. Lucceium mihi meum commendas: quem quibuſcunque

morem exponit: qui, ut ad fortitudinem juvenes excitarent, non patiebantur in conviviis accumbere, qui extra plagas aprum non confeciſſet: ſed in menſa, donec hoc præſtaſſent, ſedere volebant: id enim multo minus in ſe dignitatis habebat. Quam depravata autem apud eum auctorem verba ſint, quæ hanc ſententiam exprimere debebant, facile animadverti poteſt, ut non ſine cauſſa in impreſſis libris ad locum tot maculis inquinatum mendi nota adpoſita fuerit: ita autem totus legi debet, Ἡγήσανδρος δέ φησιν ὅτι ἔθος ἦν ἐν Μακεδονίᾳ κατακλίνεσθαι τινα ἐν δείπνῳ εἰ μή τις ἔξω λίνων ὗν κεντήσειεν. ἕως δὲ τότε καθήμενοι ἐδείπνουν. Addit idem quemadmodum Caſſander annorum triginta quinque adhuc juxta patrem ipſe ſederet, quod nunquam certamen conficere potuiſſet, quamvis & vir fortis, & bonus venator eſſet. *Victorius.*

Reip. comparavit] Ep. 13 lib. x. *Corradus.*

Peſtis patriæ fuiſſet] Putatim legendum *peſti*. Sic enim dicimus, *ea res fuit patriæ ſaluti, fuit exitio, fuit calamitati*, &c. *Lambinus.*

Nunc hic dies aliam vitam defert] In codicibus Terentianis legitur, *affert* quod ſequuntur hic alii, tum Manutius. ſed quia hanc lectionem reperi in Palatino primo, ſexto, Vaticani excerptis, Stewechiano, [quibus adſentitur Amſtelodam.] editionum primaria, retinetque Victorius, non dubitandum amplius fuit, quin Cicero ita ſcripſiſſet, & ſuo arbitratu ex memoria laudaſſet. Hittorpianus non longe quoque abit, legit enim *differt*. Gebhardus.

Quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus] Alludit ad ſententiam illam Græci poetæ, quam ad Q. Fratrem ſcribens tetigit, ejuſque quam hic Latinis verbis exprimit, Græca verba poſuit, vel potius initium ipſius ὀρθὰν τὰν ναῦν. De illa autem nos in eo loco copioſius diſſeruimus. *Victorius.*

P. Lucceium] Epiſt. 30. hujus libri. Sed vel hic eſt principium epiſtolæ, vel hæc multo poſt, quam facta ſunt, a Cice-

que rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem & Panſam, collegas noſtros, homines in conſulatu reip. ſalutares, alieno ſane tempore amiſimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, ſed nondum omnino explicata: quam nos, ſi licebit, more noſtro tuebimur: quanquam admodum ſumus jam defatigati. ſed nulla laſſitudo impedire officium & fidem debet. Verum haec hactenus. Ab aliis te de me, quam a me ipſo malo cognoſcere. De te audiebamus ea quae maxime vellemus. De Cn. Minucio, quem tu quibuſdam litteris ad coelum laudibus extuliſti, rumores duriores erant. Id quale ſit, omninoque quid iſtic agatur, facias me velim certiorem.

Cicerone ſunt ſcripta. nam Panſa vivus & mortuus eodem tempore eſſe non potuit, ut in hac epiſtola eſſe videtur. Illud quidem affirmare poſſumus in pervetere libro hanc epiſtolam, & ſequentes ita conjunctas, atque adeo confuſas fuiſſe, ut nullius principium appareret. unde liberum unicuique fuit, ad ſuum arbitrium eas deſcribere & dividere. *Corradus.* Eadem confuſio in Amſtelodamenſi codice deprehenditur.

Hirtium quidem & Panſam collegas noſtros] In auguratu. *Corrad.* Hirtii auguratus in aureo ejus nummo expreſſus eſt. *Urſinus.*

Latrocinio liberata] Victo Antonio apud Mutinam. *Corrad.*

EPISTOLA XXVI.

Argumentum.

Heredes Turii commendat. Incertus annus.

CICERO CORNIFICIO S.D.

Q. Turius, qui in Africa negotiatus eſt, vir bonus & honeſtus, heredes fecit ſimiles ſui, Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Conſidium Gallum, L. Servilium Poſtumum, C. Rubellium. ex eorum oratione

Q. *Turius*] Alias hæc epiſtola cum ſuperiore conjungitur, quod parvi admodum refert. *Corradus.* Hæc epiſtola ordine eſt viceſima ſexta. Itaque ſeparanda a ſuperiore eſt. *Lambin.* Cohæret ſane priori in Pal. prim. Amſtelodam. Mentel. Grav. ſecund. *Q. Turius*] In libris veteribus eſt *Q. Curius*, & ita opinor legendum cum hic, tum infra *Erotem Curium*, & *hereditatem Curianam*. Urſin. Sic ſane duo Guilielmii libri, & Mentelianus.

C. Rubellinum] Non dubito quin *C. Rubellium* legendum ſit: eſt enim

ne

Ru-

ne intellexi, gratiarum actione eos magis egere quam commendatione. Tanta enim liberalitate ſe tua uſos praedicabant, ut iis plus a te tributum intelligerem, quam ego te auderem rogare. audebo tamen. ſcio enim quantum ponderis mea commendatio ſit habitura. Quare a te peto ut ad eam liberalitatem qua ſine meis litteris uſus es, quam maximus his litteris cumulus accedat. Caput autem eſt meae commendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam avertere, ceteriſque omnibus rebus habeas eos commendatiſſimos. Magnam ex eorum ſplendore & obſervantia capies voluptatem. Quod ut velis te vehementer etiam atque etiam rogo.

Rubellius familiæ nomen in veteribus monumentis frequens. *Urſinus*. Non dubitavi reponere *Rubellium*, cum ſic hoc nomen ſcribatur in Veneto & Menteliano, in Palatinis autem duobus corrupte *Rubelium*. Grævius.

EPISTOLA XXVII.

ARGVMENTVM.

Aufidii, equitis Romani, Africana negotia commendat. Incertus annus.

M. T. C. Q. CORNIFICIO S. P. D.

SEx. Aufidius & obſervantia, qua me colit, accedit ad proximos: & ſplendore equiti R. nemini cedit. Eſt autem ita temperatis moderatiſque moribus, ut ſumma ſeveritas ſumma cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quae ſunt in Africa, ita commendo, ut majore ſtudio magiſve ex animo commendare non poſſim. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam ut is intelligat meas apud te litteras maximum pondus habuiſſe. Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo.

Cujus tibi negotia] Præſertim Turianam hæreditatem. *Corrad.*

EPI-

EPISTOLA XXVIII.

ARGVMENTVM.

Cornificii conſilium non probat, quia non animadverterat in quoſdam Lilybaeo minantes: ſtudium ejus in remp. laudat; de omittenda gratiarum actione aſſentitur: addit de pecunia & de republica. Hirtio & Panſa Coſſ.

M. T. C. Q. CORNIFICIO S. P. D.

ASſentior tibi eos, quos ſcribis Lilybaeo minari, iſtic poenas dare debuiſſe: ſed metuiſti, ut ais, ne nimis liber in ulciſcendo viderere. Metuiſti igitur, ne gravis civis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere. Quod ſocietatem reip. conſervandae tibi mecum a patre acceptam renovas, gratum eſt: quae ſocietas inter nos ſemper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas. nec enim id inter nos facere debemus. Senatus ſaepius pro dignitate tua appellaretur, ſi, abſen-

LIlybaeo] Promontorium Siciliæ Africæ obverſum. hodie *Capo di Marſella*, & *Capo Bæo*, quod antiquum illius promontorii nomen eſt corruptum & detruncatum, & oppidum in illo ſitum hodie *Marſella.*

Ne nimis liber in ulciſcendo] Amſtelodam. meus ſecund. Stewech. Pal. pr. *ne minus liber in ulciſcendo viderere.* & ſic In ſequentibus Amſtelodam. Hittorp. Stewech. Pal. ſex. Mentel. meus ſecundus, *Metuiſti igitur ne gravis civis, ne minus fortis, ne minus te dignus viderere.* quæ lectio omnino melior eſt vulgata. ſententia eſt, ſe metuiſſe, ne ſi poenas ſumſiſſet de iis qui Lilybæo inſidiati ſint, feciſſe hoc magis alterius, cui obnoxius erat, cauſſa, quam reipublicæ, neve aliter feciſſet quam gravem civem, & virum fortem deceret, quodque ſe eſſet indignum. Quid eſt *nimis ſe dignus?* Grævius.

Senatus ſæpius pro dignitate tua appellaretur ſi &c.] Nos communem lectionem ſecuti ſumus: nec tamen tacere voluimus in veteribus *appellaret* legi: ut ſenatum fortaſſe intelligat commotum gloria rerum a Cornificio geſtarum, & ſtudio in omnibus rebus illi commodandi appellaturum fuiſſe, & per ſe a nullo etiam excitatum de rebus Cornificii acturum ſi cogeretur: ſed cum abſentibus conſulibus raro, aut nunquam niſi ad rem novam cogatur, non poteſt quæ ſentit de ejus dignitate conficere. *Victor.* In poſterioribus hæc notavit: Diximus olim Mediceum, & alios manuſcriptos habere *appellaret*, quam lectionem ſi tunc non contempſimus, nunc multo magis probamus: videtur enim hic Cicero dixiſſe, *Senatus appellaret:* ut in epiſtola ad Tironem, *nobis inter has turbas Senatus tamen frequens flagitavit* triumphum.

abſentibus conſulibus unquam niſi ad rem novam cogeretur. Itaque nec de HS XX. nec de HS IϽCC. quidquam agi nunc per ſenatum poteſt. Tibi autem ex ſenatuſconſulto imperandum, mutuumque ſumendum cenſeo. In rep. quid agatur, credo te ex eorum litteris cognoſcere, qui ad te acta debent perſcribere. Ego ſum ſpe bona: conſilio, cura labore non deſum: omnibus inimicis reip. eſſe me acerrimum hoſtem prae me fero. Res neque nunc difficili loco mihi videtur eſſe: & fuiſſet facillimo, ſi culpa a quibuſdam afuiſſet.

triumpham. Statuant nunc eruditi. *Victor*. Recte: *appellares* ſcilicet Conſules, ut de tua dignitate referrent, ac de ea aliquid decerneretur.

Niſi ad rem novam cogeretur] A Praet. urb. ep. 12 lib. X. *Corrad.*

HS XX.] Vicies ſeſtertium, hoc eſt, ſcutatorum quinquaginta millia.

HS DCC] Septingenties ſeſtertium, hoc eſt, decies ſepties centum & quinquaginta millia ſcutatorum.

Si culpa a quibuſd. afuiſſet] Ut a Lepido. *Corrad.*

EPISTOLA XXIX.

ARGVMENTVM.

Commendat ſtudioſe L. Lamiae negotia, eum ſuſpectum Cornificio, quaſi cuidam S. C. contra dignitatem ejus facto affuiſſet, excuſat. Hirtio & Panſa Coſſ. vel eodem anno poſt eorum interitum.

M. T. C. Q. CORNIFICIO S. P. D.

NOn modo tibi, cui omnia noſtra notiſſima ſunt, ſed neminem in populo R. arbitror eſſe cui ſit ignota ea familiaritas quae mihi cum L. Lamia eſt. Etenim magno theatro ſpectata eſt tum cum eſt ab A. Gabinio conſule relegatus, quod libere & fortiter ſalutem meam defendiſſet. Nec ex eo amor inter nos natus eſt: ſed quod erat vetus & ma-

L. *Lamia*] Epiſt. 16 lib. XI. *Corradus.*

Magno theatro ſpectata] Hoc eſt, declarata & probata in oculis omnium, ut nulli poſſit eſſe ignota. Ovid. III de Pont. El. I.

Quicquid ages igitur ſcena ſpectabere magna.

Qui-

magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. Ad haec officia, vel merita potius, jucundiſſima conſuetudo accedit, ut nullo prorſus plus homine delecter. Non puto te jam exſpectare, quibus eum tibi verbis commendarem. cauſſas enim tanti amoris intelligis: quae verba deſideret, iis me omnibus uſum putato. Tantum velim exiſtimes, ſi negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam, quibuſcunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum quam ſi ea tua liberalitas pertinuiſſet ad rem familiarem meam. Nec dubito quin ſine mea commendatione, quod tuum eſt judicium de hominibus, ipſius Lamiae cauſſa ſtudioſe omnia facturus ſis: quanquam erat nobis dictum, te exiſtimare, alicui ſenatuſconſulto, quod contra dignitatem tuam fieret, ſcribendo Lamiam affuiſſe: qui omnino conſulibus illis nunquam fuit ad ſcribendum: deinde omnia tum falſa ſenatuſconſulta deferebantur. Niſi forte etiam illi Semproniano ſenatuſconſulto me cenſes affuiſſe: qui ne Romae quidem tum fui, deque eo ad te ſcripſi, re recenti. Sed haec hactenus. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiae negotia, mea putes eſſe: cureſque, ut intelligat hanc commendationem maximo ſibi uſui fuiſſe. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut valeas.

Quibus eum tibi verbis commendem] Hittorp. *quibus eum tibi verbis commendaverim.* Pal. prim. ſext. Stewech. *quibus eum tibi verbis commendarim.* Omnino legend. ex Amſtelod. *quibus eum tibi verbis commendarem.* Graev.

Qui ne Romae quidem tum fui, deque eo ad te ſcripſi, re recenti] Hæc lectio debetur Victorio, quam Vaticanus & Hittorpianus firmat. Melius Amſtelod. Pal. prim. & ſext. *qui ne Roma quidem fui, ut tum de eo ad te ſcripſi.* Idem.

EPI-

EPISTOLA XXX.

Argvmentvm.

Purgat ſe Cornificio, officium litterarum requirenti: ſcribit de bello Antoniano renovato, de ſuo ſtudio in amicitia colenda, de anguſtiis pecuniae publicae, de Dionyſio, Lucceio, & Calviſii legatis. Poſt obitum Hirtii & Panſae.

M. T. C. CORNIFICIO S. P. D.

ITane praeter litigatores, nemo ad te meas litteras? multae iſtae quidem. tu enim perfeciſti ut nemo ſine litteris meis tibi ſe commendatum putaret. ſed quis unquam tuorum mihi dixit eſſe cui darem quin dederim? aut quid mi jucundius, quam, cum coram tecum loqui non poſſim, aut ſcribere ad te, aut tuas legere litteras? Illud magis mihi ſolet eſſe moleſtum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te ſcribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epiſtolis ſed voluminibus laceſſerem: quibus quidem me a te provocari oportebat. Quamvis enim occupatus ſis, otii tamen plus habes. Aut, ſi ne tu quidem vacas, noli impudens eſſe, nec mihi moleſtiam exhibere, & a me litteras crebriores, cum tu mihi raro mittas, flagitare. Nam cum antea diſtinebar maximis occupationibus, propterea quod omnibus curis remp. mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multo diſtineor vehementius. Vt enim gravius aegrotant ii, qui cum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt: ſic vehementius nos laboramus, qui, profligato bello, ac paene ſublato, renovatum bellum gerere conamur. Sed haec hactenus. Tu tibi, mi Cor-

Renovatum bellum] A Lepido. *Corradus.*

Cornifici, fac ut perſuadeas: non eſſe me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te vinci poſſim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem ſemper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam ſuavem! Vultus mehercule tuos mihi expreſſit omnis, non ſolum animum ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi ſuccenſuerim, quod eodem exemplo ad me quo ad ceteros. Requiſivi equidem proprias ad me unum litteras: ſed neque vehementer, & amanter. De ſumtu, quem te in rem militarem facere & feciſſe dicis, nihil ſane poſſum tibi opitulari, propterea quod & orbus ſenatus, conſulibus amiſſis, & incredibiles anguſtiae pecuniae publicae: quae conquiritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſolvantur: quod quidem fieri ſine tributo poſſe non arbitror. De Attio Dionyſio nihil puto eſſe: quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Lucceio nihil tibi concedo quo ſtudioſior ejus ſis quam ego ſum.: eſt enim nobis neceſſarius. Sed a magiſtris cum contenderem de proferendo die, probaverunt mihi, ſeſe, quo minus id facerent, & compromiſſo, & jurejurando impediri. Quare veniendum arbitror Lucceio. quanquam, ſi meis litteris obtemperavit, cum tu haec leges, illum Romae eſſe oportebit. Ceteris de rebus, maximeque de pecunia, cum Panſae mortem ignorares, ſcripſiſti, quae per nos ab eo conſequi te poſſe arbitrarere. quae te non feſelliſſent, ſi viveret. nam te diligebat. Poſt mortem autem ejus quid fieri poſſet, non videbamus. De Venuleio,

De Attio Dionyſio] Al. *Atteio*, al. *Accio*, al. *Attico*, & ita legendum cenſeo: ut is Dionyſius ſignificetur, qui quum Ciceronis ſervus eſſet, factus liber, ex Cicerone & Attico junctus eſt, & appellatus M. Pomponius Atticus Dionyſius. *Corrad.*

A magiſtris] Auctionum: quicquid alii dicant. *Idem.* Cum bona alicujus in auctione venirent, ut inde aut hæredes aut creditores caperent partes, de eorum ſententia legebatur, qui præeſſet illi auctioni. Is dicebatur *magiſter.*

lcio, Latino, Horatio, valde laudo. Illud non nimium probo quod ſcribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe. Honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi: eoſque ex ſenatuſconſulto, ſi non decedunt, cogendos, ut decedant, exiſtimo. Haec fere ad eas litteras quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo velim tibi perſuadeas, non eſſe mihi meam dignitatem tua cariorem.

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD C. MEMMIVM, ET CETEROS, LIBER XIII.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Exulabat C. Memmius de ambitu biennio ante damnatus, accuſante Q. Curtio, quod ex epiſt. 2. lib. III *ad Q. fr. cognoſcitur. Eum Cicero, ad Ciliciae adminiſtrationem proficiſcens, cum Athenis non reperiſſet (nam pridie Mitylenas profectus erat,) petiit ab eo per litteras, ut rediret in gratiam cum Patrone Epicureo, eique locum, ubi habitaverat Epicurus, concederet. Ser. Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello Coſs.*

Cum haec epiſtola ceteris omnibus commendaticiis, quae in hoc libro continentur, ordine & ſubtilitate antecellat; utpote quam ipſe Cicero, in quadam ad Atticum epiſtola, ſcriptam accurate fateatur; gratam ſtudioſis operam nos eſſe navaturos exiſtimavimus, ſi, diſtributo in partes argumento, quid artificii ſingulae partes habeant, quid in ſingulis animadverti cognoſcique expediat, oſtenderemus.

Acturus cum C. Memmio de parietinis Epicuri, Philoſopho Epicureo Patroni concedendis, oratorio more, prius quam aggrediatur, ejus gratiam & benevolentiam inſinuatione quadam aucupatur. Quae vero ad conciliandam benevolentiam & gratiam cauſſae valent, earum duas elicit ex amore ſuo, quas priore loco ponit, duas ex judicio, quas proxime ſubjungit. Amorem declarat ſignificatio vel moleſtiae, vel voluptatis. Nam & voluptate afficitur, qui amicum videt, & moleſtia,

leſtia, qui eundem videt exſulantem. Iudicium oſtenditur in eo, quia cum duo nobis optanda magnopere ſint, unum, ut culpa vacemus, alterum, ut adverſa modice feramus; utrumque Memmio tribuit: cum & injuriam appellat ejus caſum; & ſapientiam in ferendo laudat. Nec vero argumentum illud amoris obſcurum eſt, quod ait: Vidiſſe te mallem: *nec mediocre illud:* Non dubitabo dare operam, ut te videam. *Collecta Memmii gratia, aggreditur ea quae ad impetrandum pertinent. Nam cum ait:* Per litteras agam, quod, ut arbitror, confici poteſt: *aequitatem petitionis indicat. cum infert*, A te illud primum rogabo, ne quid invitus mea cauſſa facias; *& quae ſequuntur: inutili modeſtia non utitur. magis enim apud bonum & ſapientem virum proficit verecundia petentis, quam contentio. Hoc uſus exordio, tranſit ad narrationem. ea quattuor habet partes, omnes (ut opinor) obſervatione dignas: quando non ita videmur natura praeſtare, ut, imitatione nulla, poſſimus excellere: quanquam nec imitationi & ſtudio, ſi abſit naturae vis, quidquam tribuerim. Primum de ipſo Patrone, qui commendatur, ſermo inducitur: deinde res exponitur: tum, quaſi nec in homine, nec in re multum ponatur, Attici voluntas & ſtudium oſtenditur; extremum petitio locum obtinet. Hanc diviſionem ſequitur alia, quae naſcitur e ſingulis partibus: ſingulae enim habent quod conſiderari utiliter poſſit. In prima commendandi cauſſas Cicero juſtas proponit, quod eum commendet, quicum ſibi omnia ſint; eum, qui ſe coluerit in primis; eum, quem ipſe cum aliis quidem, praecipua tamen cura defenderit; ut in eo nunc tuendo & commendando non ſolum amicitiae, verum etiam conſtantiae ſuae rationem habere videatur. Nec vero illud otioſum eſt, aut inculcatum temere, quod ipſum quoque Memmium a Patrone ait obſervatum eſſe. Nam ea commemoratio alienatum ejus animum fortaſſe ad lenitatem revocare poteſt. Denique fidem agi ſuam oſtendit: cum ſibi a Phaedro philoſopho, viro bono & ſuavi & officioſo, traditus olim Patro commendatuſque ſit. Hactenus*

nus de homine: de re ſubjunguntur, quae placare Memmium, & id, quod petitur, impetrare poſſint. Ad placandum quid valet? ſupplex voluntas ejus, qui laeſit; extenuatio culpae; interceſſio communis amici. Voluntas Patronis exſtat in iis verbis: Cum ad me litteras miſiſſet, uti te ſibi placarem. *Extenuatio culpae colligitur ex tribus cauſſis. Prima oſtenditur in eo:* Si qua offenſiuncula facta eſt animi tui. *quo delictum leviſſimum demonſtratur. Altera:* Perverſitate aliquorum: *non enim parvi refert, utrum improbitate, an perverſitate peccetur: cum perverſitas ad ſtultitiam quandam, improbitas ad vitioſam voluntatem referatur. Tertia:* novi gentem illam. *non enim unius hominis propria, ſed omnium eſt culpa communis. Accedit interceſſio Ciceronis. quae nec ipſa caret artificio: nam & petitionem & ſuaſionem continet. rurſus petitio non eſt ſimplex, ſed conſtat ex tribus partibus, quarum prima,* Velim des te ad lenitatem; *ipſa per ſe non ita multum valet, ſed quaſi vires auget acceſſione proximarum,* Vel propter tuam ſummam humanitatem, vel honoris mei cauſſa. *Suaſio petitionem adjuvat: affert enim rationem, cur negari non poſſit. Hoc, inquit, ſi a te nec humanitas tua, nec impetrat honor meus: impetret ratio. Siquidem id quod ut aſſequatur Patro contendit, ejuſmodi non eſt ut repugnare debeas. Laborare autem ſine cauſſa, tibi multo minus quam illi conceditur. quanquam ille, cur laboret, cauſſam habet, levem quidem opinione noſtra, illius tamen judicio ſatis gravem. de parietinis enim illis ideo laborat, quia ſibi honorem, officium, teſtamentorum jus, Epicuri auctoritatem, veſtigia ſummorum virorum tuenda eſſe dicit. At in hoc ipſo peccat, quod haec tanti facit (id enim objicere Memmius poterat.) ſit ita: verumtamen ignoſcere fortaſſe debemus ei, qui etiamſi peccat, magis ineptiis quam improbitate peccat, Vt omittam, quod ſi errorem ſocietas minuit, quoſdam homines, quibus non valde inimici ſumus, eadem illa delectant. Haec neque ad impetrandum levia ſunt, & graviora fiunt accedente Attici voluntate. is enim & Ciceroni vehementer Patronis negotium*

gotium commendaverat, & ei Cicero petenti, quem ſic amaret ut fratrem, negare nihil poterat. Claudit epiſtolam brevis & modeſta petitio. Brevitas excuſatur, quia plura verba res non deſiderat; cum ſatis multa dicta jam ſint. Modeſtia vero, tantum abeſt ut nocere poſſit ut etiam ſuffragetur, & eo magis, quod ex iis quae dicta ſunt cupiditas apparet.

M. T. C. C. MEMMIO S. P. D.

Etſi non ſatis mihi conſtiterat, cum aliquane animi mei moleſtia, an potius libenter te Athenis viſurus eſſem, quod injuria, quam accepiſti, dolore me afficeret; ſapientia tua, qua fers injuriam, laetitia: tamen vidiſſe te mallem. Nam quod eſt moleſtiae, non ſane multo levius eſt, cum te non video. Quod eſſe potuit voluptatis, certe, ſi vidiſſem te, plus fuiſſet. Itaque non dubitabo dare operam ut te videam, cum id ſatis commode facere potero. Interea quod per litteras & agi tecum, &, ut arbitror, confici poteſt, agam nunc. Ac te illud primum rogabo, nequid invitus mea cauſſa facias: ſed id, quod mea intelliges, tua nullam in partem multum intereſſe, ita mihi des, ſi tibi ut id libenter facias ante perſuaſeris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt; niſi

C. *MEMMIO*] C. Memmius Gemellus quum peteret conſulatum cum Domitio Meſſala & Scauro, ambitus, Q. Pompeio accuſante, & Cicerone defendente, condemnatus, Patras in exilium abiit. *Corrad.* Ciceronem non defendiſſe Memmium Manutius oſtendit.

Athenis] Quo poſtridie, quam tu Mitylenas es profectus, veni. *Corrad.*

Quod injuria] Damnatio injuſta. *Idem.*

Ut te videam] In Ciliciam proficiſcens. *Idem.*

Sed id quod mea intelliges, tua nullam in partem multum intereſſe] Sic Gebhardus ſecutus Victorium, duos Palatinos, ac tres Guilielmii, edidit. Nec diſſentiunt, quos ego conſului, Amſtelod. Mentel. & meus. Et recte quidem. ſententia eſt, in hac re, quam a te peto, ſic mihi indulgeas, ſi ſenſeris, mea multum intereſſe illam rem ſic, ut vellem, confici, tua vero non multum intereſſe, ſic ne fiat, an non fiat. Poteris hoc mihi dare, ſi id facere poteris tuo incommodo. *Gravius.*

Cum Patrone Epicureo omnia mihi communia ſunt] Nos *communia* delevimus, vocem a nobis in nullis antiquis inventam. Scimus autem hanc eſſe familiarem Ciceronis locutionem, ut *omnia cum aliquo ſibi eſſe* dicat, cum inter eos omnia intercedunt officia. In epiſt. ad C. Marcellum, *Si mihi tecum minus eſſet quam eſt cum tuis omnibus, allegarem*

 ad

niſi quod in philoſophia vehementer ab eo diſſentio. Sed & initio Romae, cum te quoque & tuos omnes obſervabat, me coluit in primis: & nuper, cum ea, quae voluit, de ſuis commodis & praemiis conſecutus eſt, me habuit ſuorum defenſorum & amicorum fere principem: & jam a Phaedro, qui nobis, cum pueri eſſemus, ante quam Philonem cognovimus, valde ut philoſophus, poſtea tamen ut vir bonus & ſuavis & officioſus, probabatur, traditus mihique commendatus eſt. Is igitur Patro, cum ad me Romam litteras miſiſſet, uti te ſibi placarem, peteremque, ut neſcio quid illud Epicuri parietinarum ſibi concederes: nihil ſcripſi ad te ob eam rem, quod aedificationis tuae conſilium mea commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, cum idem ut ad te ſcriberem rogaſſet ob eam cauſſam impetravit, quod te abjeciſſe illam aedificationem conſtabat inter omnes amicos tuos. Quod ſi ita eſt, & ſi jam plane tua nihil intereſt, velim, ſi qua offenſiuncula facta eſt animi tui, perverſitate aliquorum, novi enim gentem illam, des te ad lenitatem, vel propter tuam ſummam humanitatem, vel etiam honoris mei cauſſa. Equidem ſi, quid ipſe ſentiam, quaeris: nec cur ille tantopere contendat video, nec cur tu repugnes: niſi tamen multo minus

tibi

ad te illos a quibus intelligo me praecipue diligi. Et ad Atticum lib. XIV. *Bruto certe meo nullo loco deero, idque etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter ejus ſingularem incredibilemque virtutem.* Victorius. Vocem *communia*, quae eſt poſt *omnia*, quamque P. Victorius, quorundam veterum codicum auctoritatem ſecutus, delevit, ego in meo reperi. Verumtamen aſſentiatur Victorio licet, ſi quis volet, & ſequatur plurium codicum auctoritatem; non repugnabo. Sed audebo dicere, eſſe a librario omiſſam, & eſſe neceſſariam. *Lambinus.* Sed Lambinum hic hallucinari docent exempla a Victorio & Manutio, qui & ipſe Victorii lectionem amplectitur, allata.

In Philoſophia vehementer ab eo diſſentio] Ut Academicus ab Epicureo. *Corradus,*

Tuos omnes obſervabat] Pal. ſext. *obſervabit.* ſcripſit Cicero forte, *tuos omnes obſervavit.* Graev.

Et jam a Phaedro] Epicureo, quem cum Attico frequenter audivi. *Corradus,*

Philonem] Academicum, epiſt. 8 lib. IX. *Idem.*

Cognovimus] Romae, cum Mithridatico bello cum Athenienſium optimatibus domo profugiſſet, Romamque veniſſet. Al. *cognovimus*, alii legunt, *cognoviſſemus.* Idem.

Gentem illam] Graecam. *Idem.*

Teſta-

tibi concedi poteſt, quam illi, laborare ſine cauſſa. Quanquam Patronis & orationem & cauſſam tibi cognitam eſſe certo ſcio. honorem, officium, teſtamentorum jus, Epicuri auctoritatem, Phaedri obteſtationem, ſedem, domicilium, veſtigia ſummorum hominum, ſibi tuenda eſſe dicit. Totam hominis vitam rationemque, quam ſequitur in philoſophia, derideamus licet, ſi hanc ejus contentionem volumus reprehendere. Sed, mehercules, quum illi, ceteriſque, quos illa delectant, non valde inimici ſumus, neſcio an ignoſcendum ſit huic, ſi tantopere laborat: in quo etiam ſi peccat, magis ineptiis quam improbitate peccat. Sed ne plura, dicendum enim aliquando eſt, Pomponium Atticum ſic amo ut alterum fratrem: nihil eſt illo mihi nec carius nec jucundius. Is, non quo ſit ex iſtis: eſt enim omni liberali doctrina politiſſimus: ſed valde diligit Patronem, valde Phaedrum amavit, ſic a me hoc contendit homo minime ambitioſus, minime in rogando moleſtus, ut nihil unquam magis: nec dubitat quin ego a te nutu hoc conſequi poſſem, etiam ſi aedificaturus eſſes. Nunc vero ſi audierit te aedificationem depoſuiſſe, neque tamen me a te impetraſſe, non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentem putabit. Quamobrem peto a te ut ſcribas ad tuos, poſſe tua voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima. Prius velim tibi perſuadeas, ut hoc mea cauſa libenter facias, quam ut facias. ſic tamen habeto, ſi feceris quod rogo, fore mihi gratiſſimum. Vale.

Teſtamentorum jus] Epicurus enim Hermodoro, & ſucceſſoribus omnibus Epicureis, hortum, & quae in illo erant, legavit. *Corrad.*

Quos illa delectant] Epicurea. *Idem.*

Non quo ſit ex iſtis] Jocans tamen ſaepe Cic. illum Epicureum appellat. *Idem.*

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Antequam Cicero Athenis diſcederet, ſcripſit ad Memmium de Euandro quoque ſtatuario, rogans ut ei de habitatione accommodaret.

CICERO MEMMIO SAL.

CAio Aviano Euandro, qui habitat in tuo ſacrario, & ipſo multum utor, & patrono ejus M. AEmilio familiariſſime. Peto igitur a te in majorem modum, quod ſine tua moleſtia fiat, ut ei de habitatione accommodes. Nam propter opera inſtituta multa multorum, ſubitum eſt ei remigrare Kal. Quint. Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem. Neque tamen dubito, quin, ſi tua nihil aut non multum interſit, eo ſis animo quo ego eſſem, ſi quid tu me rogares. mihi certe gratiſſimum feceris.

CAio Aviano Euandro] Videtur idem eſſe in epiſt. 21 & 27 hujus libri, quamvis hic Euander, ibi Hammonius dicatur. *Corradus.* *C. Avieno*, hic, & infra legendum arbitror auctoribus veteribus monumentis. *Urſinus.*

Ut ei de habitat. accommodes] Cic. IV ad Heren. *ait ſe ædes ſuas cuidam amico ad nuptias accommodaſſe.*

Subitum eſt ei remigrare] Al. *emigrare*: *demigrare* fortaſſe eſſet magis proprium. *Corrad.* Stewech. Amſtelod. meus ſecundus, *ſubitum eſt ejus remigrare.* forte, *ſubitum eſt ei rus migrare.* In villam voluiſſe migrare potuit. Sed vulgata non eſt ſollicitanda. *Gravius.*

Kal. Quint.] Quod tempus finiendis locationibus conſtitutum fuiſſe videtur. *Corrad.*

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Fuſium commendat, quem antea quoque præſens præſenti commendarat. Non videtur eodem anno ſcripta, ſed ſequenti: cum ad urbem Cicero revertiſſet, Memmiumque Athenis in reditu allocutus eſſet.

M. T. C. C. MEMMIO S. P. D.

AVlum Fuſium, unum ex meis intimis, obſervantiſſimum ſtudioſiſſimumque noſtri, eruditum hominem

&

& ſumma humanitate tuaque amicitia digniſſimum, velim ita tractes ut mihi coram recepiſti. Tam gratum mihi id erit quam quod gratiſſimum. Ipſum praeterea ſummo officio & ſumma obſervantia tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Volaterranos accurate commendat; Q. Fabio Max. C. Trebonio Coſſ. reverſo ex Hiſpania Caeſare poſt devictos Pompeii liberos. quod ex eo loco ſequentis epiſtolae cognoſcitur: Hoc tempore eum Caeſar in ſenatum legit. *ſenatum enim reverſus ex Hiſpania Caeſar ſupplevit, ut auctor eſt Dio.*

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCAE, LEG. PROPRAET. S. D.

CVm municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. magno enim meo beneficio affecti, cumulatiſſime mihi gratiam retulerunt. nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. Cum quibus ſi mihi nulla

ORCAE] Titulum epiſtolarum ad *Quintum Valerium*, nos ex antiquis codicibus accepimus, ne parva quidem re ab illis diſcrepantes. quod praecipue notavimus, quia alii dixerunt veterem codicem ſemper *Orta* habere, nos autem in cunctis *Orca* legimus uno modo, & Mediceo & reliquis. *Victor.* Sic & Pal. ſex. Primus & Amſtelod. *Orce.*

Nec in honoribus meis laboribus unquam defuerunt] Praetuli hanc lectionem ex editione Victorii: ideo quod veriſſima & maxime genuina videtur, tum quod non longe abeunt alii MSS. Palatinus primus, Stewechianus, Peckio excerpta, editio princeps, *nec in honoribus meis laboribuſque unquam defuerunt:* ut illud *que*, copulatio ab ſciolo & ad ſenſum non penetrante adjectum videatur. Faceſſant ergo aliorum conjectationes, *nec in laboribus unquam mihi defuerunt.* Editum antehac eſt, *Nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt.* Gebhardus. Certum eſt copulam non poſſe abeſſe, nec dubito quin in editione Victorii ſit negligentia librariorum omiſſa; non ſtudio. Sine illa enim ſenſus non conſtat. Firmatur quoque Amſtelod. & Mentel. cod. & meo ſecundo haec ſcriptura. Sic inferius epiſt. 29. *In omni genere & honorum & laborum meorum.* & in ep. 7: *Nullum unquam fuiſſe tempus neque honorum, neque laborum meorum.* Graevius.

Nunquam defuerunt] Suffragiis. Quamvis enim municipes eſſent, qui jus ſuf-

nulla cauſſa intercederet, tamen, quod te vehementiſſime diligo, quodque me a te plurimi fieri ſentio, & monerem te & hortarer ut eorum fortunis conſuleres, praeſertim cum prope praecipuam cauſſam haberent ad jus obtinendum. Primum quod Sullani temporis acerbitatem deorum immortalium benignitate ſubterfugerunt: deinde, quod ſummo ſtudio populi R. a me in conſulatu meo defenſi ſunt. cum tribuni pl. legem iniquiſſimam de eorum agris promulgaviſſent: facile S. P. Q. R. perſuaſi, ut eos cives quibus fortuna pepercíſſet ſalvos eſſe vellent. Hanc actionem meam C. Caeſar primo ſuo conſulatu lege in Agraria comprobavit, agrumque Volaterranum & oppidum omni periculo in perpetuum liberavit: ut mihi dubium non ſit quin is, qui novas neceſſitudines adjungat, vetera ſua beneficia conſervari velit. Quamobrem eſt tuae prudentiae aut ſequi ejus auctoritatem, cujus ſectam atque imperium ſumma cum tua dignitate ſecutus es: aut certe illi integram omnem cauſſam reſervare. Illud vero dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligari velis. Sed haec, quae ſupra ſcripta ſunt, eo ſpectant ut te horter & ſuadeam. Reliqua ſunt quae pertinent ad rogandum: ut non ſolum tua cauſſa tibi conſilium me dare putes, ſed etiam quod mihi opus ſit, me a te petere & rogare. Gratiſſimum

ſuffragii non habent, quia tamen donati civitate fuerant, ſuffragium ferebant. *Corrad.*

Syllani temporis acerbitatem]. Quo quum Sylla agros divideret, Volaterranum publicavit quidem, ſed neque dividere, neque Volaterranis civitatem eripere potuit: quum etiam tum eſſent in armis, & biennium cum proſcriptis obſeſſi fuiſſent. *Idem.*

Tribuni plebis] Rullus & collegae. *Idem.*

Primo ſuo conſulatu] Cum Bibulo. *Idem.* Non dubito vero quin *primo*, quod multi libri veteres ignorant, ex interpretatione magiſtri irrepſerit. *Gravius.*

In perpetuum obligare velis] Tres Guilielmii libri, & tres, quibus ego utor, Amſtelodam. Mentel. & meus ſecundus, *in perpetuum obligari velis.* Haec lectio reponenda cum Manutio & aliis. male recentiores mutarunt. *Idem.*

mum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros incolumeſque eſſe volueris. Eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, quae a dis immortalibus, & a praeſtantiſſimis in noſtra rep. civibus, ſummo S. P. Q. R. ſtudio, conſervatae ſunt, tuae fidei, juſtitiae bonitatique commendo. Si pro meis priſtinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere poſſem Volaterranos quemadmodum conſuevi tueri meos, nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodeſſe poſſem, praetermitterem. Sed, quando apud te nihilo minus hoc tempore valere me confido, quam valuerim ſemper apud omnis: pro noſtra ſumma neceſſitudine parique inter nos & mutua benevolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut exiſtiment, eum quaſi divino conſilio iſti negotio praepoſitum eſſe, apud quem unum nos, eorum perpetui defenſores, plurimum valere poſſumus.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Et rogat, & rationibus etiam perſuadere conatur, agrum Curtii non eſſe dividendum. Eodem anno.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCAE, LEG. PROPRAET. S. P. D.

NOn moleſte fero, eam neceſſitudinem, quae mihi tecum eſt, notam eſſe quam plurimis: neque tamen ob eam cauſſam, quod tu optime exiſtimare potes, te impedio, quo minus ſuſceptum negotium, pro tua fide & diligentia, ex voluntate Caeſaris, qui tibi rem magnam difficilemque commiſit, gerere poſſis. Nam cum multi a me petant multa, quod de tua erga me voluntate non dubitent,

tent, non committo ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte aetate familiariſſime ſum uſus. Ejus & Sullani temporis injuſtiſſima calamitate dolui: & cum iis qui ſimilem injuriam acceperant, amiſſis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano poſſeſſionem, cum in eam tanquam e naufragio reliquias contuliſſet. Hoc autem tempore eum Caeſar in ſenatum legit: quem ordinem ille, iſta poſſeſſione amiſſa, tueri vix poteſt. Graviſſimum autem eſt, cum ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortuna: minimeque convenit, ex eo agro, qui Caeſaris juſſu dividatur, eum moveri, qui Caeſaris beneficio ſenator ſit. Sed mihi minus libet multa de aequitate rei ſcribere, ne cauſſa potius apud te valuiſſe videar quam gratia. Quamobrem te in majorem modum rogo, ut C. Curtii rem meam putes eſſe: quidquid mea cauſſa faceres, ut id C. Curtii cauſſa cum feceris, exiſtimes, quod ille per me habuerit, id me habere abs te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

Ut ambitione mea conturbem officium tuum] *Ambitio* hoc loco eſt gratia & demonſtratio ſtudii in clientes, ut epiſt. 17 hujus libri, *Faciamque id, quod debent facere ii qui religioſe & ſine ambitione commendant.* ſuperius lib. v, ep. 20. ubi vide notas.

Amiſſis omnibus fortunis] In proſcriptione Syllana. *Corradus.*

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Cuſpii amicos omnes generatim commendat, nominatim L. Iulium & P. Cornelium. Incerto anno.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCAE, PROCOS. S. P. D.

S. V. B. E. V. Credo te memoria tenere, me & coram P. Cuſpio tecum locutum eſſe, cum te proſequerer paluda-

P. *Cuſpio*] Legendum *Cispio*: ita enim habent veteres libri. & opinor *Ciſpiam* familiam eam eſſe. quae in argenteis denariis CIPIA nominatur,

ludatum: & item poſtea pluribus verbis tecum egiſſe, ut, quoſcunque tibi ejus neceſſarios commendarem, haberes eos in numero meorum neceſſariorum. Id tu pro tua ſumma erga me benevolentia, perpetuaque obſervantia, mihi liberaliſſime atque humaniſſime recepiſti. Cuſpius, homo in omnes ſuos officioſiſſimus, mirifice quoſdam homines ex iſta provincia tuetur & diligit, propterea quod fuit in Africa bis, cum maximis ſocietatis negotiis praeeſſet. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet erga illos, ego mea facultate & gratia ſoleo, quantum poſſum, adjuvare. Quare Cuſpianorum omnium commendationis cauſſam hac tibi epiſtola exponendam putavi. reliquis epiſtolis tantum faciam ut notam apponam eam quae mihi tecum convenit, & ſimul ſignificem de numero eſſe Cuſpii amicorum. Sed hanc commendationem, quam his litteris conſignare volui, ſcito eſſe omnium graviſſimam. Nam P. Cuſpius ſingulari ſtudio contendit a me, ut tibi quam diligentiſſime L. Iulium commendarem. Ejus ego ſtudio vix videor mihi ſatisfacere poſſe, ſi utar verbis iis, quibus, cum diligentiſſime quid agimus, uti ſolemus. Nova quaedam poſtulat, & putat me ejus generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra arte depromturum mirificum genus commendationis. Id quum aſſequi non poſſum, tu re velim efficias, ut ille genere mearum litterarum incredibili quid-

natur, vetere quadam ſcribendi ratione s littera exploſa. *Urſin.* Sic & *L. Cſpii* meminit Hirtius de bello Africano. *Guilielm.*

Societatis] Publicanorum. *Corradus.* Publicani in multas ſocietates diviſi conducebant vectigalia. Etenim ut lib. VI narrat Polybius, alii conducebant, alii cum his ſocietatem coibant, alii ſponſiones faciebant, alii pro his bona fortunaſque ſuas reip. obligabant. Unde Cic. in Sext. *Nulla erat Romae ſocietas vectigalium, quae non honeſtiſſime decreviſſet de mea ſalute.* Et pro Muraena, *Quod ſi omnes ſocietates venerunt, quorum ex numero multi hic ſedent judices.* Et in Bruto, *Familia & liberi ſocietatis ejus, quae picarias de cenſoribus redemiſſet.* Et in epiſtolis ad fratrem, *Non deſiſtunt nobis quotidie agere gratias honeſtiſſimae & maximae ſocietates.* vide inferius ep. 9 hujus libr. C. Sigonius de antiquo jure civium Romanorum lib. II, c. 4.

Quod adhibet erga illos] Duo Palatini, duo Guilielmiani, Amſtelodam. Mentel. Graev. ſecund. *quod adhibetur erga illos.* non male.

Ex intima noſtra arte] Rhetorica. *Corrad.*

Vult

quiddam perfectum arbitretur. Id facies, ſi omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & poteſtate tua proficiſci poterit, non modo re ſed etiam verbis, vultu denique exprompſeris: quae quantum in provincia valeant, vellem expertus eſſes. Sed tamen ſuſpicor, ipſum hominem, quem tibi commendo, perdignum eſſe tua amicitia: non ſolum, quia mihi Cuſpius dicit, credo, tametſi id ſatis eſſe debebat, ſed quia novi ejus judicium in hominibus, & amicis diligendis. Harum litterarum vis quanta fuerit, propediem judicabo: tibique, ut confido, gratias agam. Ego, quae te velle quaeque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe diligenterque curabo. Cura ut valeas. P. Cornelius, qui tibi litteras dedit, eſt mihi a P. Cuſpio commendatus: cujus cauſſa quanto opere cuperem deberemque, profecto ex me facile cognoſti. Vehementer te rogo ut cures ut ex hac commendatione mihi Cuſpius quam maximas, quam primum, quam ſaepiſſime gratias agat. Vale.

Vultu denique exprompſeris] In Mediceo erat, ut notat Egnatius ad oram primae editionis *ex proſperis*; unde credo Victorius fecit *exprompſeris* recte: idque omne totis apicibus reperi in Palatino ſexto, Vaticani excerptis, eratque ſic in Stewechiano & Hittorpiano. [nec non Amſtelod.] Vulgo *expreſſeris*. Alii addunt, *fronte, vultu denique exp.* neſcio quibus auctoritatibus. *Gebhardus.*

P. Cornelius] Ut hic credam eſſe principium, ut eſt etiam in veteribus libris, vel additionem quandam facile adducor. *Corrad.* Sane in Amſtelod. Mentel. & Graev. ſec. alia plane eſt epiſtola. ut & in Stewech. In Mentel. praefigitur, *Cicero Q. Valerio S.*

EPI-

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Petit a Cluvio ne municipii Atellani vectigalis ager dividatur, ſed integram Cæſari cauſſam reſervet. Q. Fabio Max. C. Trebonio Coſs.

M.T.C. CLVVIO S.P.D.

CVm in Galliam proficiſcens, pro noſtra neceſſitudine tuaque ſumma in me obſervantia ad me domum veniſſes, locutus ſum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui eſſet in Gallia: quantoque opere ejus municipii cauſſa laborarem, tibi oſtendi. Poſt tuam autem profectionem, cum & maxima res municipii honeſtiſſimi mihique conjunctiſſimi, & ſummum meum officium ageretur, pro tuo animo in me ſingulari, exiſtimavi, me oportere ad te accuratius ſcribere: etſi non ſum neſcius, & quae temporum ratio, & quae tua poteſtas ſit: tibique negotium datum eſſe a C. Caeſare, non judicium, praeclare intelligo. Quare a te tantum peto, quantum & te facere poſſe, & libenter mea cauſſa facturum eſſe arbitror. Et primum velim exiſtimes quod res eſt, municipii fortunas omnis in iſto vectigali conſiſtere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus preſſum, ſummis affectum eſſe diffi-

IN *Galliam*] Ciſalpinam. *Corrad.*

Tuaque ſumma in me obſervantia] Victorius eumque ſecutus Gebhardus ediderunt, *qua tua ſumma in me obſervantia.* quæ lectio in Vaticani quoque excerptis repeiitur. Sed vulgatam aſſerunt omnes Palatini, Guilielmii, Amſtelod. Mentel. Græviì ſecundus. Sane in aliis codicibus videtur *que* tranſpoſitum eſſe vitio deſcriptorum. *Grav.*

Municipii Atellani] *Atella* fuit civitas Campaniæ media inter Capuam & Neapolim. Locus is hodie *S. Arpino*, ſive *S. Elpidio* dicitur, ubi civitatis veteris ruinæ & veſtigia conſpiciuntur, præſertim foſſæ, quæ olim mœnia cingebant. ut docet L. Holſtenius annot. ad Cluv. Ital. antiq. p. 260. quem vide.

Qui eſſet in Gallia] Quamvis *Atella* ſit in Campania: ſed & Arpinates hujuſmodi agrum habebant, Epiſt. xi. hujus libri. *Corrad.*

Ejus municipii cauſſa laborarem] Quod in mea eſſet fide. *Idem.*

difficultatibus. Hoc etſi commune videtur eſſe cum multis, tamen, mihi crede, ſingulares huic municipio calamitates accidiſſe. quas idcirco non commemoro, ne de miſeriis meorum neceſſariorum conquerens homines, quos nolo, videar offendere. Itaque, niſi magnam ſpem haberem, C. Caeſari nos cauſſam municipii probaturos, non erat cauſſa cur a te hoc tempore aliquid contenderem. ſed quia confido, mihique perſuaſi, illum & dignitatis municipii, & aequitatis, etiam voluntatis erga ſe habiturum eſſe rationem: ideo a te non dubitavi contendere, ut hanc cauſſam illi integram conſervares. Quod etſi nihilominus a te peterem, ſi nihil audiviſſem te tale feciſſe, tamen majorem ſpem impetrandi nactus ſum, poſtea quam mihi dictum eſt, hoc idem a te Regienſis impetraviſſe. qui etſi te aliqua neceſſitudine attingunt: tamen tuus amor in me ſperare me cogit te, quod tuis neceſſariis tribueris, idem eſſe tributurum meis: praeſertim cum ego pro his unis petam: habeam autem, qui ſimili cauſſa laborent, compluris neceſſarios. Hoc me non ſine cauſſa facere, neque aliqua levi ambitione commotum a te contendere, etſi te exiſtimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimum: nullum unquam fuiſſe tempus neque honorum neque laborum meorum, in quo non hujus municipii ſtudium in me exſtiterit ſingulare. Quapropter a te etiam atque etiam, pro noſtra ſumma conjunctione, proque tua benevolentia, majorem in modum peto atque contendo, ut, cum fortunas agi ejus municipii intelligas, quod ſit mihi neceſſitudine, officiis, benevolentia conjunctiſſimum, id mihi des. Quod erit hujuſmodi, ut, ſi a Caeſare, quod ſperamus, impetrarimus, tuo beneficio nos id conſecutos

Homines quos nolo, videar offendere] Veteranos, & Criſpum Salluſtium, qui illis in Campaniam paullo ante quam Caeſar in Africam proficiſceretur, praefuit, ſignificare videtur. *Corrad.*

Regienſis] A Regio Lepidi. *Idem.*

Te aliqua neceſſitudine attingunt] Vt clientes. *Idem.*

Studium in me extiterit ſingulare] In ſuffragiis: ut in epiſtola quarta hujus libri dictum eſt. *Idem.*

P: Se-

cutos eſſe judicemus. ſin minus: pro eo tamen id habeamus, quum a te data ſit opera, ut impetraremus. Hoc cum mihi gratiſſimum feceris: tum viros optimos, homines honeſtiſſimos, eoſdemque gratiſſimos, & tua neceſſitudine digniſſimos, ſummo beneficio in perpetuum tibi tuiſque devinxeris.

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Rogat Rutilium, ut in agrorum diviſione Albini praedia ne attingat. Eodem anno.

M. T. C. M. RVTILIO S. P. D.

CVm & mihi conſcius eſſem quanti a te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus eſſem, non dubitavi a te petere quod mihi petendum eſſet. P. Seſtium quanti faciam, ipſe optime ſcio: quanti autem facere debeam, & tu & omnes homines ſciunt. Is cum ex aliis te mei ſtudioſiſſimum eſſe cognoſſet, petivit a me, ut ad te quam accuratiſſime ſcriberem de re C. Albinii ſenatoris: cujus ex filia natus eſt L. Seſtius, optimus adoleſcens, filius P. Seſtii. Hoc idcirco ſcripſi, ut intelligeres, non ſolum me pro P. Seſtio laborare debere, ſed Seſtium etiam pro Albinio. Res autem eſt haec: A M. Laberio C. Albinius praedia

P. *Seſtium*] Epiſt. 6. lib. v. *Corradus.*

Homines ſciunt] Nam cum me defenderet, a Clodianis in templo Caſtoris pro occiſo relictus eſt. *Idem.*

C. Albinii] Soceri ſui prioris. *Idem.*

Cujus ex familia natus eſt L. Seſtius] Sic fere omnes impreſſi & antiqui codices procul dubio corrupte, *ex filia* enim legendum eſt. C. autem hic Albinius ſenator, ſocer fuit P. Seſtii, ut in oratione pro P. Seſtio traditur. *Eo*, inquit, *auctore duxit honeſtiſſimi & ſpectatiſſimi viri C. Albinii filiam, ex qua hic eſt puer, & nupta jam filia*, &c. Cum autem quatuor locis in hac epiſtola nomen ejus ponat, ſemel tantum *Albinium* Mediceus codex nominat, cum primum de eo mentionem facit, *de re C. Albinii ſenatoris.* poſtea ſemper *Albanum*, mutato *i* in *a*, & una ſyllaba aucto nomine, niſi *Albini* etiam pro *Albinii* antiqua orthographiæ ratione ſcriptum ſit, ut puto: in orationibus tamen etiam aliis caſibus hoc nomen triſyllabum. *Victor.*

praedia in aeſtimationem accepit, quae praedia Laberius emerat a Caeſare de bonis Plotianis. ea ſi dicam non eſſe e rep. dividi, docere te videar, non rogare. Sed tamen cum Caeſar Sullanas venditiones & aſſignationes ratas eſſe velit, quo firmiores exiſtimentur ſuae: ſi ea praedia dividentur, quae ipſe Caeſar vendidit, quae tandem in ejus venditionibus eſſe poterit auctoritas? Sed hoc quale ſit, tu pro tua prudentia conſiderabis. Ego te plane rogo, atque ita ut majore ſtudio, juſtiore de cauſſa, magis ex animo rogare nihil poſſim, ut Albinio parcas, praedia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris non modo laetitia, ſed etiam quodammodo gloria, ſi P. Seſtius homini maxime neceſſario ſatisfecerit per me, cum ego illi uni plurimum debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Majus mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges eſſe gratiſſimum.

Pradia in aſtimationem accepit] Hoc eſt, Laberii prædia pro debito accepit æſtimata tanti, quanti erant ante bellum civile. vide ſuperius lib. IX, epiſt. 16 & 18. & lib. V, epiſt. 20. Sic enim Cæſar ſatisfieri volebat creditoribus ab iis, qui non erant ſolvendo. vid. Suet. Jul. c. 44.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Craſſipedi, Bithyniae quaeſtori, Bithynicam publicanorum ſocietatem, in primiſque Cn. Pupium commendat. Incertus annus.

M. T. C. CRASSIPEDI S. P. D.

QVanquam tibi praeſens commendavi, ut potui, diligentiſſime, ſocios Bithyniae: teque cum mea commendatione, tum etiam tua ſponte intellexi cupere ei ſocietati, quibuſcunque rebus poſſes, commodare: tamen cum ii quorum res agitur, magni ſua intereſſe arbitrarentur, me etiam per litteras declarare tibi, qua eſſem erga ipſos voluntate,

Socios] Publicanos. *Corrad.* Vid. ad epiſt. 6 hujus libri.

tate, non dubitavi haec ad te ſcribere. Volo enim te exiſtimare, me cum univerſo ordini publicanorum multum ſemper libentiſſime tribuerim, idque magnis ejus ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum eſſe huic Bithynicae ſocietati, quae ſocietas ordine ipſo, & hominum genere, pars eſt maxima civitatis. conſtat enim ex ceteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate valde mihi familiares: in primiſque is cujus praecipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius P. F. Men. qui eſt magiſter in ea ſocietate. Quae cum ita ſint, in majorem modum a te peto, Cn. Pupium, qui eſt in operis ejus ſocietatis, omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tueare: cureſque ut ejus operae, quod tibi facile factu eſt, quam gratiſſimae ſint ſociis: remque & utilitatem ſociorum, cujus

Ordine, ipſo hominum genere] Videtur ſic potius diſtinguendum, *ordine, ipſo hominum genere*, ut edidimus, quam ut habent plerique libri vulgati, *ordine ipſo, hominum genere.* Lambinus. Reſcripſi ex Hittorpiano, *ordine ipſo & hominum genere.* Grævius.

P. Rupilius P. F. Men.] In vetuſtis libris ita ſcriptum offendimus, quam lectionem variare, cum nihil certi haberemus, conſilium non fuit: qua in ſententia permanemus, præſertim cum alios in hac re valde inconſtantes videamus. *Victorius.* *P. F. Menenius*] Al. *Men.* quas litteras quidam ita ſeparant *M. E. N.* & interpretantur, Meus eſt neceſſarius: nos nihil hic certi habemus. *Corrad.* *P. F. An.*] Id eſt, Publii filii, ex tribu Anienſi. *Lambinus.* J. Rutgerſ. legit *P. Rupilius P. F. Anien.*, lib. III. Var. Lect. ſed recte libri veteres *P. F. Men.* Cives Romani a tribu oſtendi ſoliti, quæ quidem tribus plerumque in antiquis & lapidibus & libris prima tantum ſyllaba ſcripta legitur. Hinc *Men.* eſt Menenia tribu. Vide Manut. ad VIII, ep. 8.

Qui eſt magiſter in ea ſocietate] Ex ſociis unus fuit, qui magiſter ſocietatis dictus eſt, qui Romæ ſocietati ita præerat, ut & ſocios, quaſi ſenatum cogendi, & ad eos de ſocietatis negotiis referendi poteſtatem haberet, curamque omnem gereret tabularum & rationum, quæ undique ab iis, qui publicanorum ſocietati operas dabant, Romam mitterentur. Etenim, ut inquit Cic. in frumentaria, *ea eſt ratio decumarum ut ſine plurimis litteris confici non poſſit. ſingula enim nomina aratorum, & cum ſingulis pactiones decumarum litteris perſequi & conficere neceſſe eſt.* Hic porro habuit quendam *pro magiſtro* in provincia, quaſi ſui muneris vicarium, & ſocietatis præfectum. Vnde Cic. Plancii patrem dixit *maximarum ſocietatum auctorem, plurimarum magiſtrum.* Cic. alio loco, *P. Terentius Hiſpo operas in ſcriptura pro magiſtro dat.* De eodem ad Att. *Terentius magnas operas in portu, & ſcriptura Aſia pro magiſtro dedit.* Et in Verrem, *In ſcriptura Sicilia pro magiſtro eſt L. quidam Carpinatius.* Item, *L. Vibius eques Romanus, vir primarius, quem reperiebam magiſtrum fuiſſe eo anno.* Sigon. de antiquo Jure civ. Rom. l. II, c. 4.

Qui eſt in operis ejus ſocietatis] Hoc eſt, inter miniſtros ſocietatis, qui ejus res gerebant.

jus rei quantam poteſtatem quaeſtor habeat, non ſum ignarus, per te quam maxime defenſam & auctam velis. Id cum mihi gratiſſimum feceris, tum illud tibi expertus promitto & ſpondeo, te ſocios Bithyniae, ſi iis commodaris, memores eſſe & gratos cogniturum.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Caeſar, in Africam trajecturus contra Scipionem, Catonem, Iubam regem, Galliae Ciſalpinae M. Brutum, eum a quo poſtea eſt interfectus, nondum praetorium, & Pompeii partes antea ſecutum, praepoſuit. is cum in provinciam iviſſet, proficiſcentem ad eum M. Varronem, ejus quaeſtorem, Cicero familiaris utriuſque commendat. Haec autem commendatio quatuor in partes diſtribuitur. Primo loco, quaeſtoris cum praetore ſuo neceſſitudo exponitur. Deinde, origo amicitiae, & Varronis erga ſe officia narrantur. Sequitur de illius modeſtia, prudentia, moderatione, diligentia, induſtria teſtimonium. Claudit epiſtolam petitio generalis: ut Varronem Brutus omni liberalitate complectatur. ſcripta Caeſare III. *& Lepido Coss. quod ex epiſt. 6 lib.* VI. *& libro, qui Orator inſcribitur, praeterea ex Plutarcho, Appianoque intelligitur.*

CICERO BRVTO S.

CVm ad te tuus quaeſtor, M. Varro, proficiſceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more majorum: qui, ut te non fugit, hanc quaeſturae conjunctionem, liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe. Sed cum ſibi ita perſuaſiſſet ipſe, meas de ſe accurate ſcriptas litteras maximum apud te pondus habituras, a meque contenderet, ut quam diligentiſſime ſcriberem, malui facere, quod meus fami-

BRVTO] M. Bruto, ep. 6 lib. VI. *Corrad.*

Cum ad te] In Galliam Ciſalpinam. *Idem.*

familiaris tanti ſua intereſſe arbitraretur. Vt igitur debere me facere hoc intelligas, cum primum M. Terentius in forum venit, ad amicitiam ſe meam contulit. Deinde, ut ſe corroboravit, duae cauſſae acceſſerunt, quae meam in illum benevolentiam auxerunt. una, quod verſabatur in hoc ſtudio noſtro, quo etiam nunc maxime delectamur, & cum ingenio, ut noſti, nec ſine induſtria. deinde, quod mature ſe contulit in ſocietates publicanorum, quod quidem nollem: maximis enim damnis affectus eſt. ſed tamen cauſſa communis ordinis mihi commendatiſſimi fecit amicitiam noſtram firmiorem. Deinde verſatus in utriſque ſubſelliis optima & fide & fama, jam ante hanc commutationem reip. petitioni ſeſe dedit, honoremque honeſtiſſimum exiſtimavit fructum laboris ſui. His autem temporibus a me Brundiſio cum litteris & mandatis profectus ad Caeſarem

In forum venit] Tyrocinii die. *Corradus.* Cum praetexta depoſita, virilem induit, & in virorum numerum eſt transſcriptus, pro quo in lib. xv, ep. 16 dicitur *forum attingere.* Vide & ſuperius lib. v, ep. 8.

Vt ſe corroboravit] Poſtquam virilem aetatem attigit & primum cauſſas agere coepit. Cic. v de Fin. *Quae uno verbo complexi omnia, honeſta dicimus: ad quorum etiam cognitionem & uſum jam corroborati, natura ipſa praeeunte deducimur.* cum viri jam ſumus. Sueton. in Tib. cap. xi. *Petiit ut ſibi ſecure jam ab hac parte, corroboratus ſum, & ſecundum locum facile tutantibus, permitteretur reviſere neceſſitudines.* hoc eſt, quia Caius & Lucius nunc adoleviſſent. C. Nep. Alcib. *poſtquam robuſtior eſt factus*, hoc eſt, adultior. vid. etiam Manut.

Meam in illum benevolentiam auxerunt] Sic reſcripſi ex Amſtelod. Mentel. meo ſecundo & duobus Guilielmii. Stewech. *auxerunt.* vulgo *augerent*, quod & ipſum tamen minime ſpernendum. *Gravius.*

In hoc ſtudio noſtro] Philoſophiae. *Corradus.*

Mature ſe contulit in ſocietates] Vt particeps eſſet publicarum conductionum.

Sed tamen cauſſa communis ordinis] Cum P. Victorius in optimo illo codice, quem tantopere probat, non reperiſſet vocem *cauſſa* (quae eſt in libr. vulgatis omnibus,) conjecerat legendum eſſe *communio ordinis:* neque tamen auſus erat, ut eſt religioſus καὶ εὐλαβὴς, ita edere. Ne ego quidem igitur audere debui, quamvis ejus conjecturam unius codicis Memmiani teſtimonio confirmatam reperiſſem. *Lamb.* Sane *cauſſa* deeſt in Pal. prim. & ſext. in Venet. in Amſtelodam. Mentel. Graev. ſec. Stewech. In Hittorpiano tamen ſe reperiſſe teſtatur Guilielmius.

Verſatus in utriſque ſubſelliis] In majoribus & in minoribus cauſſis. Etſi ſcio, quid de ſubſelliis dicat Aſconius. *Corradus.* Imo *in utriſque ſubſelliis* eſt & patronus fuit, & judex. vid. orat. pro Roſc. Amerin.

His autem temporibus] Poſt victum Pompeium. *Corrad.*

Brundiſium cum litteris] Nemo non videt legendum eſſe *Brundiſio*, ut eſt

rem eſt: qua in re & amorem ejus in ſuſcipiendo negotio perſpexi, & in conficiendo ac renuntiando fidem. Videor mihi, cum ſeparatim de probitate ejus & moribus dicturus fuiſſem, ſi prius cauſſam, cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem, in ipſa cauſſa exponenda ſatis etiam de probitate dixiſſe. Sed tamen ſeparatim promitto in meque recipio, fore eum tibi & voluptati & uſui. Nam & modeſtum hominem cognoſces, & prudentem & a cupiditate omni remotiſſimum: praeterea magni laboris ſummaeque induſtriae. Neque ego haec polliceri debeo, quae tibi ipſi, cum bene cognoris, judicanda ſunt: Sed tamen in omnibus novis conjunctionibus intereſt, qualis primus aditus ſit, & qua commendatione quaſi amicitiae fores aperiantur. quod ego his litteris efficere volui. etſi id ipſa per ſe neceſſitudo quaeſturae efficere debet. ſed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, ſi me tanti facis, quanti & Varro exiſtimat, & ipſe ſentio, ut quam primum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attuliſſe, quantum & ipſe ſperarit, nec ego dubitarim.

eſt in veteribus libris, eo enim Cicero ſe, victo Pompeio, contulit. unde Varro poſtea ad Cæſarem eſt profectus. *Corrad.*

Ad Cæſarem] Vel in Ægypto bellum gerentem, vel victo Pharnace in Italiam revertentem. *Idem.*

In ſuſcipiendo negotio] Perferendi litteras, & me Cæſari reconciliandi. *Idem.*

Et prudentem, & a cupid.] Legendum fortaſſe eſt, *& pudentem*, &c. Videtur enim Cicero modeſtiam & pudorem, virtutes affineis, conjungere voluiſſe. *Lambin.* Sic & Stephanus in Schediaſm. nec refragarer, niſi renuerent veteres omnes codices.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Commendat Bruto & ea vectigalia quae Arpinates habebant in Gallia, & legatos, qui ad ea exigenda proficiſcebantur. Eodem anno.

M. T. C. BRUTO S.P.D.

QVia ſemper animadverti, ſtudioſe te operam dare, ut nequid meorum tibi eſſet ignotum, propterea non dubito

dubito quin ſcias non ſolum cujus municipii ſim, ſed etiam quam diligenter ſoleam meos municipes Arpinates tueri. Quorum quidem omnia commoda, omneſque facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta aedium ſacrarum locorumque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quae habent in provincia Gallia. Ad ea viſenda, pecuniaſque, quae a colonis debentur, exigendas, totamque rem & cognoſcendam & adminiſtrandam, legatos equites Romanos miſimus Q. Fufidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Mamercum Q. F. Peto a te in majorem modum, pro noſtra neceſſitudine, ut tibi ea res curae ſit, operamque des ut per te quam commodiſſime negotium municipii adminiſtretur, quam primumque conficiatur: ipſoſque quorum nomina ſcripſi, ut quam honorificentiſſime pro tua natura & quam liberaliſſime tractes. Bonos viros ad tuam neceſſitudinem adjunxeris: municipiumque gratiſſimum beneficio tuo devinxeris: mihi vero etiam gratiùs feceris, quod cum ſemper tueri municipes meos conſuevi, tum hic annus praecipue ad meam curam officiumque pertinet. Nam conſtituendi municipii cauſſa, hoc anno aedilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Caeſium, hominem mihi maxime neceſſarium: is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus creari ſolet: quos cohoneſtaris, in primiſque me, ſi reſp. municipii tuo ſtudio, & diligentia bene adminiſtrata erit. Quod ut facias te vehementer etiam atque etiam rogo.

A*rpinates*] Arpinum Volſcorum oppidum, municipium & praefectura. hodie *Arpino*.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Q. Fuſidium, Arpinatum legatum commendat. Eodem anno.

M. T. C. BRVTO S. P. D.

ALia epiſtola communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentiſſime: hac ſeparatim Q. Fuſidium, quo cum mihi omnes neceſſitudines ſunt, diligentius commendo: non ut aliquid de illa commendatione comminuam, ſed ut hanc addam. Nam & privignus eſt M. Caeſii, mei maxime & familiaris & neceſſarii, & fuit in Cilicia mecum tribunus militum: quo in munere ita ſe tractavit, ut accepiſſe ab eo beneficium viderer, non dediſſe. Eſt praeterea, quod apud te valet plurimum, a noſtris ſtudiis non abhorrens. Quare velim eum quam liberaliſſime complectare: operamque des, ut in ea legatione, quam ſuſcepit contra ſuum commodum, ſecutus auctoritatem meam, quam maxime ejus excellat induſtria. Vult enim, id quod optimo cuique natura tributum eſt, quam maximam laudem, cum a nobis, qui eum impulimus, tum a municipio conſequi: quod ei continget, ſi hac mea commendatione tuum erga ſe ſtudium erit conſecutus.

QUo cum mihi omnes neceſſitudines ſunt] Non ſolum amicus, ſed etiam neceſſarius, nec uno nomine, ſed omnibus. pro quo aliter dicit, *quo cum mihi omnia intercedunt jura ſumma neceſſitudinis.*

Non ut aliquid de illa commendatione comminuam] Potius ſic, quam vulgo *diminuam*, aut cum Lambino, *deminuam*. Et annon eleganter? ſic editio princeps, Palatini, atque ipſe Victorius ſentit. *Gebhard.*

Sed ut ad hanc addam] Sic edidit Victorius & Gebhardus, quæ ſcriptura reperitur etiam in Menteliano, Pal. ſex. & meo ſecundo. Vitioſam tamen eam eſſe puto, & cum aliis codicibus, inter quos eſt Amſtelodamenſis, ac Manutio ſcribendum, *ſed ut hanc addam.* Grævius.

In Cilicia] Cum Ciliciam Proconſul adminiſtrarem.

Ita ſe tractavit] Hoc eſt, ita ſe geſſit.

EPI-

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

L. Caſtronium Lucenſem commendat. Eodem anno.

M. T. C. BRVTO S. P. D.

L. Caſtronius Paetus, longe princeps municipii Lucenſis, eſt honeſtus, gravis, plenus officii, bonus plane vir, & cum virtutibus tum etiam fortuna, ſi quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem eſt familiariſſimus, ſic prorſus, ut noſtri ordinis obſervet neminem diligentius. Quare ut & meum amicum, & tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui quibuſcunque rebus commodaveris, tibi profecto jucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

Lucenſis] *Luca* primum Galliæ Ciſalpinæ oppidum.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Petit ut exactionem ejus pecuniae quam L. Straboni P. Cornelius debet, ſuo ſtudio & diligentia curet. Eodem anno.

M. T. C. BRVTO S. P. D.

L. Titio Strabone, equite Romano, in primis honeſto & ornato, familiariſſime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura ſummae neceſſitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res a Volcatio, qui Romae jus dicit, rejecta in Galliam eſt. Peto a te hoc diligentius, quam ſi mea res eſſet, quo eſt honeſtius de amicorum pecunia laborare quam de ſua, ut negotium conficiendum cures. ipſe ſuſcipias, tranſigas, operamque des, quoad tibi

L. *Titione*] *L. Titio* eſt in libris manuſcriptis, & ita omnino legendum. *Urſinus.*

Tibi

tibi aequum & rectum videbitur, ut quam commodiſſima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei cauſſa miſſus eſt, negotium conficiat ad nummoſque perveniat. Id & mihi gratiſſimum erit: & tu ipſe L. Titium cognoſces amicitia tua digniſſimum. quod ut tibi curae ſit, ut omnia ſolent eſſe, quae me velle ſcis, te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Praecilium adoleſcentem, patre natum Caeſaris amiciſſimo, commendat. Caeſare Coſ. IIII *ſine collega. nam ſcripta videtur haec epiſtola, item ut ea quae ſequitur, eo tempore cum Caeſar adverſus Pompeii liberos in Hiſpania pugnaret. quod etiam doctis viris placuiſſe video. Et quia Caeſari Imperatori inſcribitur; licet intelligere, ſcriptam eſſe poſt* XI *Kal. Mart. quo die imperatorem appellatum, Ategua in Hiſpania capta, ſcribit Oppius.*

M. T. C. C. CAESARI IMP. S. P. D.

PRaecilium tibi commendo unice, tui neceſſarii, mei familiariſſimi, viri optimi filium: quem cum adoleſcentem ipſum propter ejus modeſtiam, humanitatem, animum & amorem erga me ſingularem mirifice diligo: tum patrem ejus, re doctus, intellexi & didici mihi fuiſſe ſemper amiciſſimum. Hem hic ille eſt de illis maxime, qui irridere atque

Tibi commendo unice] Hoc eſt, ſingulariter, ut *unice amare.*

En hic eſt ille, &c.] Medicens codex & alii veteres *em* ſine aſpiratione, ut Politiani Terentius in Adelphis, *Em tibi reſcivit omnem rem: id nunc clamat.* Victorius. *En hic ille eſt, de illis maxime*] Mediceus codex, & alii veteres, ut notat accuratiſſimus Victorius. *Em*, ut Politiani Terentius in Adelphis, *Em tibi reſcivit omnem rem: id nunc clamat.* Quod probo. ſed quid hoc quod optimus codex Palatinus ſextus, ſicut & Hittorpianus ſcribant? *Hic ille eſt maxime qui irridere* omiſſo illo *En.* Gebhardus. Recte Manutius *hem hic ille eſt.* Suſpecta mihi ſunt *de illis*, quæ nec Hittorpianus, nec Pal. ſextus agnoſcit. Ciceronem ſcripſiſſe cenſeo, *Hem hic eſt ille, qui maxime irridere atque objurgare me ſolitus eſt.* Grævius.

Objur-

atque objurgare me ſolitus eſt quod me non tecum, praeſertim cum abs te honorificentiſſime invitarer, conjungerem.

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ ςήθεσσιν ἔπειθεν·

audiebam enim noſtros proceres clamitantes,

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Ὣς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

Sed tamen iidem me conſolantur: & jam hominem peruſtum, inani gloria volunt incendere: atque ita loquuntur:

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,

Ἀλλὰ

Objurgare me ſoliti ſunt] Etſi ita quærit Latina locutio, in veteribus tamen libris legitur *ſolitus eſt*, quod defendi poterit, ſi totum locum, ut nonnulli etiam deſcripſerunt, leges, *En hic ille eſt maxime, qui irridere, atque objurgare me ſolitus eſt*. Corrad.

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν] Nunquam in animum induxi, ut me ſcilicet tecum conjungerem. *Corrad.* Ex Hom. Odyſſ. Η. v, 258.

Noſtros proceres] Pompeianos. *Corradus.*

Ὣς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα] Hemiſtichium hoc Homeri in veteribus cunctis exemplaribus poſt alterum ejuſdem poetæ verſum collocatum eſt: hoc inquam ordine, Ὣς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα, *Sed tamen idem me conſolatur*, &c. ut primo verſu narret nunquam ſibi probaſſe Præcilium conſilium ſuum, nec ſibi perſuaſiſſe ut ſe cum Cæſare conjungeret: poſtea addat rationem, cur optimum illius conſilium neglexerit. *Audiebam enim*, inquit, *noſtros proceres clamitantes*,

Ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Nunc cur accidere potuerit, ut præclarum Præcilii conſilium repudiarit, oſtendit, curque non animo ſuo ille fidem fecerit. Quoniam, inquit, atra nubes ita occulebat, ut ad eum nulla ratione penetrare potuerit. *Victorius.* Ὣς νεφέλη, &c.] Sic nebula texit, ſic imprudens ego Pompeianos ſecutus ſum. *Corradus.* Hemiſtichium iſtud ὡς νεφέλη — extat Odyſſ. Ω, v. 314. Prior vero verſus ἄλκιμος ἔσσ' — Odyſſ. A. v. 302.

Idem me conſolatur] Ex ſenſu & vetere libro legendum eſt, *iidem me conſolantur*. *iidem* Pompeiani, qui tunc in Africa fuiſſe videntur. *Corrad.* Legendum, *ſed tamen iidem me conſolantur*, non ut vulgo, *idem me conſolatur*, &c. Dicuntur enim hæc de proceribus illis, & Pompeianis & optimatibus. Paullo poſt ſecutus ſum veſtigia ſcripturæ veteris, & Paulli Manutii conjecturam, in eo quod edidi, *peruſtum inani gloria, volunt incendere*, &c. non, ut habent vulgati, & Victorius probat, *peruſtum etiamnum gloria*, &c. *Lambin.*

Peruſtum etiamnum] Quidam lectionem, quam antea amarant, ſine cauſſa damnant. eam nos quoque in Mediceo invenimus, ideoque tunc recepimus: ſic enim in illo eſt, *etiam hominem peruſtum, etiamnum gloria*. nam aliis quoque locis animadverti in illo exemplari hanc vocem ita ſcriptam eſſe, ut in prima epiſtola ad Brutum hujus libri, *Quo etiam nunc maxime delectamur.* Ipſi quam depravati ſint libri, quibus magnam fidem habent, nolentes oſtendunt. *Victor.*

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε] Omnes vulgati codices depravate, Ἀλλ' ἄγε πῶς μέμονας, &c. Noſtri veteres hac etiam parte in-

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Sed me minus jam movent, ut vides. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera praecepta Εὐριπίδου·

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

quem verſum ſenex Praecilius laudat egregie: & ait, poſſe eundem & ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω videre, & tamen nihilominus,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Sed, ut redeam ad id unde coepi, vehementer mihi gratum feceris, ſi hunc adoleſcentem humanitate tua, quae eſt ſingularis, comprehenderis: & ad id, quod ipſorum Praeciliorum cauſſa te velle arbitror, addideris cumulum commendationis meae. Genere novo ſum litterarum ad te uſus, ut intelligeres, non vulgarem eſſe commendationem.

incorrupti manent: ſunt autem Homeri verſus Iλ. X. ab Hectore pronuntiati. Eoſdem etiam in prima epiſtola x libri ad Attic. ponit Cicero. Generoſa autem & clariſſimo viro digna ſententia his verſibus continetur, & quæ ignavum etiam hominem ad gloriam excitaret & incenderet. Horum verſuum ſententiam vult Polybius Cleomenem illum fortiſſimum & glorioſiſſimum Spartæ regem ſecutum fuiſſe: cum omni ſpe deſtitutus, ne aliquid ſe indignum ſuſtineret, poſtremum illud auxilium tentavit, non tam ſpe conatum illum ad finem perducendi, quam pulchram mortem obeundi. Eſt autem locus egregie ab eo ſingulari auctore pertractatus: ideoque non inepte puto me facturum ſi hic ejus verba, quibus totum negotium exponit, poſuero: Εἰς ἃ βλέπων ὁ Κλεομένης καὶ μοχθηρὰς ἐλπίδας ἔχων ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος πάντως πράγματος ἐκρεινοπεῖεχεν λαμβάνειν· οὐχ ὑπὸ πεπεισμένος κατακρατήσειν τ' προθέσεως (οὐδὲν γὰρ εἶχεν τῶν εὐλόγων πρὸς τὴν ἐπιβολὴν) τόδε πλέον διανοηθεὶς σπουδάζειν καὶ μηδὲν ἀνάξιον ὑπομεῖναι τῆς περὶ αὐτὰς προγεγενημένης τόλμης, ἅμα δὲ καὶ λαμβάνειν ἐν νῷ τὸ τοιοῦτον, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, καὶ προσδεχόμενος ὅπερ εἴωθε συμβαίνειν περὶ τοὺς μεγαλόφρονας, τῶν ἀνδρῶν,

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Victor. Ἀλλ' ἄγε πῶς μίμονας; οὐ δεῖ γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολέσθαι, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι &c.] Sed age quid moratus es? non oportet quidem & ſine gloria perire, Sed magnum facere aliquid &c. Hos verſus Cicero forſan mutavit, vel nos habemus corruptos. Certe apud Homerum ſic leges, Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, &c. *Corradus.*

Minus jam movent] Pompeiani. *Idem.*

Μισῶ σοφιστὴν] Vide Ennianum carmen Epiſt. 6 lib. VII. Odi igitur iſtos Pompeianos ſapientes, qui ſibi non ſunt ſapientes, quum tecum adhuc pugnent. *Idem.*

Αἰὲν ἀριστεύειν] Il. Z. 67. & Λ. 127.

EPI-

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Apollonium, P. Craſſi libertum, Caeſari bellum in Hiſpania contra Pompeii liberos gerenti, commendat. Eodem anno.

M. T. C. C. CAESARI IMP. S. P. D.

P. Craſſum ex omni nobilitate adoleſcentem dilexi plurimum: & ex eo, cum ab ineunte ejus aetate bene ſperaviſſem, tum per me exiſtimare coepi ex iis judiciis, quae de eo feceram, cognitis. Ejus libertum Apollonium jam tum equidem, cum ille viveret, & magni faciebam & probabam. Erat enim & ſtudioſus Craſſi, & ad ejus optima ſtudia vehementer aptus. itaque ab eo admodum diligebatur. Poſt mortem autem Craſſi, eo mihi etiam dignior viſus eſt, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quod eos a ſe obſervandos & colendos putabat, quos ille dilexiſſet, & quibus carus fuiſſet. Itaque & ad me in Ciciliam venit, multiſque in rebus mihi magno uſui fuit & fides ejus & prudentia: &, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum ſtudio & fidelitate conſequi potuit, non defuit. Quod cum ſperaret te quoque ita exiſtimare, in Hiſpaniam ad te, maxime ille quidem ſuo conſilio, ſed etiam me auctore eſt profectus. Cui ego commendationem non ſum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: ſed neque mihi egere commendatione videbatur, qui & in bello tecum fuiſſet, & propter memoriam Craſſi de tuis unus eſſet: & ſi uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id conſequi poſſe. Teſtimonium meum de eo judicii, quod & ipſe magni aeſtimabat, & ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur

P. *Craſſum*] M. F. qui cum patre a Parthis interfectus fuit, epiſt. 8 lib. v. *Corrad.*

Ad te maxime] Bellum gerentem contra Pompeii filios. *Idem.*

Nam

igitur hominem cognovi, & ſtudiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meae cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditiſſimo, multum a puero fuit. Nunc autem incenſus ſtudio rerum tuarum, eas litteris Graecis mandare cupiebat. poſſe arbitror: valet ingenio, habet uſum, jam pridem in eo genere ſtudii litterarumque verſatur: ſatisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meae teſtimonium: ſed tu hoc facilius multo, pro tua ſingulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum.

Nam domi mea cum Diodoto Stoico, &c.] Nos & hic & aliis multis locis emendavimus *Diodotum.* ſæpe enim de hoc mentionem facit, ut in epiſtola ad Varronem cujus initium *περὶ δυνατῶν*, eo loco, *quam noſter Diodotus non concoquebat.* etſi eo etiam loco impreſſi omnes, *Diodorus* mendoſe habebant. duobus autem his locis noſtri veteres inviolatam ſcripturam retinent: nec tantum horum auctoritate *Diodotus* ſemper ſcripſimus, ſed nullos unquam vidimus Ciceronis libros manuſcriptos, qui non hoc nomen recte ſcriptum haberent, quemadmodum contra, nullos formis excuſos, qui non contaminatum. Item in prooemio primi libri de Natura deorum, *Quod & orationes declarant referta philoſophorum ſententiis, & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, a quibus inſtituti ſumus.* Diodotus autem dialecticus, de quo loquitur ſupra citata epiſtola ad Varronem, & in libello de Fato, alius ab hoc eſt, & tempore antiquior. *Victor.* *Diodotus*] Ep. 4 lib. IX. *Corrad.*

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Sulpicio, juriſconſultorum principi, Achaiae praefecto, Manium Curium, Patris negotiantem, commendat: Caeſare quartum conſule, ſine collega, pugnante in Hiſpania contra Pompeii liberos. Nam eo anno fuiſſe in Achaia Sulpicium, inde conjicio, quod Ciceronem litteris e provincia miſſis, quae lib. IV *leguntur, de obitu Tulliae filiae conſolatus eſt. Tullia vero periit Hiſpanienſi bello, ut ex ep.* 22. *ad Att. lib.* XII *cognoſcitur: & ex Hiſpania Caeſar ipſe ad Ciceronem conſolatorias litteras miſit, ut ex epiſt.* 20 *lib.* XIII *ad eundem.*

M. T. C. SER. SVLPICIO S. P. D.

M. Curius, qui Patris negotiatur, multis & magnis dé cauſſis a mé diligitur. Nam & amicitia pervetus mihi cum eo eſt, ut primum in forum venit, inſtituta: & Patris cum aliquoties antea, tum proxime hoc miſerrimo bello, domus ejus tota mihi patuit, qua ſi opus fuiſſet, tam eſſem uſus quam mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo eſt quaſi ſanctioris cujuſdam neceſſitudinis, quod eſt Attici noſtri familiariſſimus, cumque unum praeter ceteros obſervat ac diligit. Quem ſi tu jam forte cognoſti, puto me hoc, quod facio, facere ſerius. Ea eſt enim humanitate & obſervantia, ut cum tibi jam per ſe ipſum commendatum putem. Quod tamen ſi ita eſt, magnopere a te quaeſo, ut ad eam voluntatem, ſi quam in illum ante has meas litteras contuliſti, quam maximus poſt mea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam ſuam minus ſe tibi obtulit, aut nondum eum ſatis habes cognitum, aut quae cauſſa eſt, cur majoris commendationis indigeat, ſic tibi eum commendo, ut neque majore ſtudio quen-

SER. SVLPICIO] Græciæ a Cæſare præfecto, ep. 6 lib. VI. *Corradus.*

M. Curius] Ep. 29 lib. VII. *Idem.*

Patris] Quæ urbs eſt in Peloponneſo, Plin. lib. IV, c. 4 & 5. *Idem.*

Ut primum in forum venit] Sic recte Hittorp. Pal. ſext. & P. Manut. ed. vulgo, *ut primum in forum veni.* In epiſt. 10 hujus libri, *Cum primum Terentius in forum venit.* Grævius.

Hoc miſerrimo bello] Civili inter Pompeium & Cæſarem. *Corrad.*

Quam maximus poſt mea commendatione cumulus] Sic repoſueram, conjectura ductus: quia hæc lectio mihi multo videbatur & certior, & ad ſententiam hujus loci accommodatior, quam quæ dicitur eſſe Faerni & Manutii, *quam maximus poteſt, mea commendatione,* &c. Nam vulgata, *quam maximus poſtea commend. cumulus acc.* &c. ferri non poterat. Et credibile eſt, ex *poſt mea*, factum eſſe a librario *poſtea*. Sed ſunt qui ita legi poſſe contendunt, *quam maximus poſtea, mea commend.* quæ mihi magis probatur: tametſi parum intelſit. Atque ita olim operæ fecerunt, meo injuſſu. Non diſſimulabo tamen, etiam Manutio hanc ſcripturam in mentem veniſſe, *quam maximus poſt mea commend. cum. acc.* Ne hoc quidem lectorem celabo, in nonnullis libris vulgatis legi tolerabiliter hoc modo, *quam maximus poſtea commendatione noſtra cumulus accedat.* Sed quia ſuppoſita eſt, & a veſtigiis antiquæ ſcripturæ longius remota, minus probanda. *Lambinus.* Mentel. *quam maximus praterea commendationis cumulus accedat.* Sed cum Manutio & Lambino ſcribendum, *quam maximus poſt mea commendatione.*

quenquam, neque juſtioribus de cauſſis commendare poſſim. Faciamque id quod debent facere ii qui religioſe & ſine ambitione commendant: ſpondebo enim tibi, vel potius ſpondeo, in meque recipio, eos eſſe M. Curii mores, eamque tum probitatem tum etiam humanitatem, ut eum & amicitia tua, & tam accurata commendatione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſtimaturus. Mihi certe gratiſſimum feceris, ſi intellexerò, has litteras tantum, quantum ſcribens confidebam, apud te pondus habuiſſe.

Sine ambitione] Nullam gratiam captans. vid. ad ep. v hujus libri.

EPISTOLA XVIII.

ARGUMENTUM.

Primum agit gratias de optima in Pomponium Atticum voluntate, deinde non neceſſariam commendationem addit, ut neque in Epiroticis negotiis, neque aliis in rebus Attico deſit. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

NOn concedam ut Attico noſtro, quem elatum laetitia vidi, jucundiores tuae ſuaviſſime ad eum & humaniſſime ſcriptae litterae, fuerint quam mihi. Nam etſi utrique noſtrum prope aeque gratae erant, tamen ego admirabar magis, te, quaſi rogatus aut certe admonitus, liberaliter Attico reſpondiſſes, quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat, ultro ad eum ſcripſiſſe, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detuliſſe. De quo non modo rogare te, ut eo ſtudioſius mea quoque cauſſa facias, non debeo, nihil enim cumulatius fieri poteſt quam polliceris: ſed ne gratias quidem agere, quod tu & ipſius cauſſa, & tua ſponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod feciſti, eſſe gratiſſimum. Tale enim tuum judicium de homine eo, quem unice diligo, non poteſt mihi non ſumme eſſe jucundum. Quod cum ita ſit, eſſe

gratum neceſſe eſt. Sed tamen, quum mihi, pro conjunctione noſtra, vel peccare apud te in ſcribendo licet: utrumque eorum, quae negavi mihi facienda eſſe, faciam. Nam & ad id, quod Attici cauſſa te oſtendiſti eſſe facturum, tantum velim addas, quantum ex noſtro amore acceſſionis fieri poteſt. Et, quod modo verebar tibi gratias agere, nunc plane ago, teque ita exiſtimare volo, quibuſcunque officiis in Epiroticis reliquiſque rebus Atticum obſtrinxeris, iiſdem me tibi obligatum fore.

IN *Epiroticis*] Omnis enim Attici pecuniæ reditus conſtabat in Epiroticis & urbanis poſſeſſionibus, ut ſcribit Nepos. *Corradus.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Rogat ut Lyſonem, quem antea quoque commendaverat, in fidem neceſſitudinemque recipiat. Eodem anno.

M.T.C. SER. SVLPICIO S.P.D.

CVm Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus, quam ego neceſſitudinem ſancte colendam puto: ſed ea cauſſa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hoſpite: & ea cum officiis ejus multis tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, ut nihil ſit familiaritate noſtra conjunctius. Is cum Romae annum prope ita fuiſſet ut mecum viveret, etſi eramus in magna ſpe, te meis litteris commendationeque diligentiſſime facturum, id quod feciſti, ut ejus rem & fortunas abſentis tuerere: tamen quod in unius poteſtate erant omnia, & quod Lyſo fuerat in noſtra cauſſa noſtriſque praeſidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen eſt & ipſius ſplendore, & noſtro, reliquorumque hoſpitum ſtudio, ut omnia, quae velle-

CVm *Lyſone Patrenſi*] Apud hunc Cicero e Cilicia rediens, ægrum Tironem reliquit, ep. 6 lib. XVI. *Corrad.*

Quod in unius poteſtate] Cæſaris. *Id.*

Quod Lyſo fuerat in noſtra cauſſa] Pompeiana. *Idem.*

vellemus, a Caeſare impetrarentur: quod intelliges ex iis litteris quas Caeſar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex noſtra commendatione, quaſi adepti jam omnia: ſed eo vehementius a te contendimus, ut Lyſonem in fidem neceſſitudinemque tuam recipias. cujus dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes: explorata vero ejus incolumitate, omnia a te ſtudia ſumma cura peto. Quae ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adoleſcentem filium ejus, quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exſilii ſui Patrenſis civis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptavit: ut ejus ipſius hereditatis jus cauſſamque tueare. Caput illud eſt, ut Lyſonem, quem ego virum optimum gratiſſimumque cognovi, recipias in neceſſitudinem tuam. Quod ſi feceris, non dubito quin in eo diligendo, ceteriſque poſtea commendando, idem quod ego ſis judicii & voluntatis habiturus. Quod cum fieri vehementer ſtudeo, tum etiam illud vereor, ne ſi minus cumulate videbere feciſſe aliquid ejus cauſſa, me ille negligenter ſcripſiſſe putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cum ex ſermonibus quotidianis meis, tum ex epiſtolis etiam tuis potuit cognoſcere.

Omn. a te ſtudia ſumma cura peto] Al. *O. a te ſummo ſtudio, ſummaque c. p.* Corradus.

C. Memmius] Epiſt. 1 hujus lib. eundem enim exiſtimamus eſſe. *Idem.*

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

Commendat Aſclaponem medicum. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

Asclapone Patrenſi, medico, utor valde familiariter, ejuſque cum conſuetudo mihi jucunda fuit, tum ars etiam,

etiam, quam ſum expertus in valetudine meorum. In qua mihi cum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate benevolentiaque ſatisfecit. Hunc igitur tibi commendo: & a te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me ſcripſiſſe de ſeſe, meamque commendationem uſui magno ſibi fuiſſe. Erit id mihi vehementer gratum.

In valetud. meorum] Præſertim Tironis, epiſt. 9 lib. XVI. *Corrad.*

EPISTOLA XXI.

ARGUMENTUM.

Domum & rem familiarem M. AEmilii, maximeque C. Hammonium, libertum ejus, commendat. Eodem anno.

M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

M. AEmilius Avianus ab ineunte adoleſcentia me obſervavit, ſemperque dilexit, vir cum bonus tum perhumanus & omni genere officii diligendus. Quem ſi arbitrarer eſſe Sicyone, & niſi audirem ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cybirae commorari, nihil eſſet neceſſe plura

V*Ir cum bonus, tum perhumanus, & in omni officii genere diligendus*] Rectum non puto, receptam lectionem cum antiqua conſentientem immutare, quæ præſertim egregium ſenſum habeat: neque enim ſemper eodem pacto loquitur Cicero, & fruſtra tam eloquens habitus eſſet, ſi elocutionem variare non potuiſſet. *In omni igitur officii genere diligendus*, qui ita ſe gerit in omni officii genere ut merito amari diligique poſſit, qui cumulate omnibus officiis ſatisfacit: non pauci enim in hoc aut illo officio laudati, in aliquo tamen (non enim perfecti & abſoluti ſumus) non valde commendari poſſunt: ex iis erat Avianus, qui uno tenore in omnibus officiis reſponderet. *Victorius.* *Et in o. off. g. diligendus*] Legendum fortaſſe eſt, ut Manutius opinatur *diligentiſſimus.* Lambinus. Hittorp. Palat. prim. Amſtelodam. Græv. ſec. Gebhard. *vir cum bonus, tum perhumanus, & omni officii genere diligendus.* Ment. *vir cum bonus, tum perurbanus & omni officii genere diligendus.* Ut exponatur a Victorio, vides, ſed hanc ſententiam non efficiunt hæc verba Tullii. Conjectura Manutii eſt præferenda codicum antiquorum ſcripturæ, *vir in omni officii genere diligens.* vide notas ejus.

Sicyone] Sicyon urbs Peloponneſi antiquiſſima.

Cybira] Eſt urbs Phrygiæ majoris ad Mæandrum, una harum trium dioeceſeon Aſiaticarum, quæ præter Ciliciam Ciceroni datæ ſunt adminiſtrandæ. vid. lib. v ad Att. epiſt. ult.

plura me ad te de eo ſcribere. Perficeret enim ipſe profecto ſuis moribus, ſuaque humanitate, ut ſine cujuſquam commendatione diligeretur abs te non minus, quam & a me & a ceteris ſuis familiaribus. Sed cum illum abeſſe putem, commendo tibi in majorem modum domum ejus, quae eſt Sicyone, remque familiarem, maxime Caium Avianum Hammonium, libertum ejus: quem quidem tibi etiam ſuo nomine commendo. Nam cum propterea mihi eſt probatus, quod eſt in patronum ſuum officio & fide ſingulari, tum etiam in me ipſum magna officia contulit, mihique moleſtiſſimis temporibus ita fideliter benevoleque praeſto fuit, ut ſi a me manumiſſus eſſet. Itaque peto a te, ut eum Hammonium, & in patroni ejus negotio ſic tueare, ut ejus procuratorem, quem tibi commendo, & ipſum ſuo nomine diligas habeaſque in numero tuorum. hominem pudentem & officioſum cognoſces, & dignum qui a te diligatur.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

T. Manlium ſuo Varroniſque Murenae nomine commendat. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

T. Manlium, qui negotiatur Theſpiis, vehementer diligo. Nam & ſemper me coluit diligentiſſimeque obſervavit, & a ſtudiis noſtris non abhorret. Accedit eo, quod Varro Murena magnopere ejus cauſſa vult omnia: qui tamen exiſtimavit, etſi ſuis litteris, quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen mea commendatione aliquid acceſſionis fore. Me quidem cum Manlii familiaris, tum Varronis ſtudium commovit, ut ad te quam accu-

T. *Heſpiis*] *Theſpia* eſt Bœotiæ urbs ſub Helicone ad ſinum Criſſeum, Muſis ſacra, unde *Theſpiades* dictæ.

Uniſ-

accuratiſſime ſcriberem. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi huic commendationi meae tantum tribueris quantum cui tribuiſti plurimum: id eſt, ſi T. Manlium, quam maxime, quibuſcunque rebus honeſte ac pro tua dignitate poteris, juveris atque ornaveris. Ex ipſiuſque praeterea gratiſſimis & humaniſſimis moribus confirmo tibi, te eum, quem ſoles fructum a bonorum virorum officiis exſpectare, eſſe capturum.

EPISTOLA XXIII.

ARGUMENTUM.

L. Coſſinium libertum commendat.

CICERO SERVIO S.

L. Coſſinio, amico & tribuli tuo, valde familiariter utor. Nam & inter noſmet ipſos vetus uſus intercedit, & Atticus noſter majorem etiam mihi cum Coſſinio conſuetudinem fecit. Itaque tota Coſſinii domus me diligit, in primiſque libertus ejus L. Coſſinius Anchialus, homo & patrono & patroni neceſſariis, quo in numero ego ſum, probatiſſimus. Hunc tibi ita commendo, ut, ſi meus libertus eſſet, eodemque apud me loco eſſet quo & eſt apud patronum ſuum, majore ſtudio commendare non poſſem. Quare pergratum mihi feceris, ſi eum in amicitiam tuam receperis: atque eum, quod ſine moleſtia tua fiat, ſi qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & tibi poſtea jucundum. Hominem enim ſumma probitate, humanitate obſervantiaque cognoſces.

EPISTOLA XXIV.

ARGUMENTUM.

Primum agit gratias Sulpicio, quod ſe totum Lyſoni remiſiſſet: deinde rogat, ut eundem omnibus officiis omnique liberalitate complectatur. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

CUm antea capiebam ex officio meo voluptatem, quod meminerim, quam tibi diligenter Lyſonem, hoſpitem & familiarem meum, commendaſſem, tum vero poſtea quam ex litteris ejus cognovi, tibi eum falſo ſuſpectum fuiſſe, vehementiſſime laetatus ſum, me tam diligentem in eo commendando fuiſſe. Ita enim ſcripſit ad me, ſibi meam commendationem maximo adjumento fuiſſe, quod ad te delatum diceret, ſeſe contra dignitatem tuam Romae de te loqui ſolitum eſſe. De quo, etſi pro tua facilitate & humanitate purgatum ſe tibi ſcribit eſſe, tamen primum, ut debeo, tibi gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt, ut, his lectis, omnem offenſionem ſuſpicionis, quam habueras de Lyſone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lyſone magis, quam pro omnibus ſcribere, hominem eſſe neminem, qui unquam mentionem tui ſine tua ſumma laude fecerit. Lyſo vero cum mecum prope quotidie eſſet, unaque viveret, non ſolum quia me libenter audire arbitrabatur, ſed quia libentius ipſe loquebatur, omnia mihi tua & facta & dicta laudabat. Quapropter etſi a te ita tractatur, ut jam non deſideret commendationem meam, uniſque ſe litteris meis omnia conſecutum putet,

UNiſque ſe litteris meis] Ita olim ope noſtrorum antiquorum codicum hunc locum caſtigavimus, nonnulli tamen affirmant, ſe nunc, cum in omnibus impreſſis antea *uſque ſe litteris* legeretur, *uniſque ſe litteris* emendaſſe: in noſtro autem libello de hac, ut plana certaque animadverſione non diſputaramus. *Victorius.*

putet, tamen a te peto in majorem modum, ut cum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir eſſet, ut ſuperioribus litteris feceram, niſi eum jam per ſe ipſum tibi ſatis eſſe notum arbitrarer.

EPISTOLA XXV.

ARGUMENTUM.

Hageſaretum breviter, ſed accurate commendat.

CICERO SERVIO S.

HAgeſaretus Lariſſacus magnis meis beneficiis ornatus in conſulatu meo, memor & gratus fuit, meque poſtea diligentiſſime coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut & hoſpitem meum & familiarem, & gratum hominem & virum bonum, & principem civitatis ſuae, & tua neceſſitudine digniſſimum. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuiſſe.

H*Ageſaretus Lariſſaus*] *Hegeſaretus Lariſaus* ſcribendum, ἡγησαρετ@ enim Græce: & λάρισσα unico σ. ex veteribus numiſmatibus ſcribi debere alibi admonuimus. *Urſinus.*

EPISTOLA XXVI.

ARGUMENTUM.

Commendat Meſcinii Achaica negotia. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

L. Meſcinius ea mecum neceſſitudine conjunctus eſt quod mihi quaeſtor fuit. Sed hanc cauſſam, quam ego, ut a majoribus accepi, ſemper gravem duxi, fecit virtute & humanitate ſua juſtiorem. Itaque eo ſic utor, ut nec fami-

L. Meſcinius] Ep. 20 lib. v. *Corradus.* & ep. 21 L. V. it. 9, XVI.

familiarius ullo, nec libentius. Is quanquam confideret videbatur, & ſua cauſſa, quae honeſte poſſes, libenter eſſe facturum, magnum eſſe tamen ſperavit apud te meas quoque litteras. Id cum ipſe ita judicabat, tum pro familiari conſuetudine ſaepe ex me audierat, quam ſuavis eſſet inter nos & quanta conjunctio. Peto igitur a te, tanto ſcilicet ſtudio quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi neceſſario & tam familiari, ut ejus negotia, quae ſunt in Achaia, ex eo, quod heres eſt M. Mindio, fratri ſuo, qui Eli negotiatus eſt, explices & expedias cum jure & poteſtate, quam habes, tum etiam auctoritate & conſilio tuo. Sic enim praeſcripſimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controverſiam vocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. Id ut honoris mei cauſſa ſuſcipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud praeterea, ſi non alienum tua dignitate putabis eſſe, feceris mihi pergratum:

Magnum tamen eſſe ſperavit apud te meas litteras pondus habituras] Hic tantum admonere viſum eſt, nos hunc locum ex antiquioribus codicibus, ut in noſtro legitur, emendaſſe. Quam enim cultior ſit & elegantior a nobis reſtitutus ſenſus, & modus dicendi, nullum puto dubitaturum. Cur autem non anteponam integram & genuinam lectionem novæ & contaminatæ? *Victor.* *Magn. eſſe tamen ſper. ap. te meas quoque litteras.*] Hanc lectionem firmant codices Pall. Guilielm. Amſtelod. edit. princeps & omnes libri veteres. *Magn.* &c. | Summo cum judicio hunc locum primus P. Victorius reſtituit, cujus tamen genus dicendi Manutio non ſatisfacit; non novum, quem & certiſſimis argumentis nimis ſtrabum fuiſſe induſtriæ & gloriæ Victorianæ poſſum convincere; & præterea non ſemper teretes aures attendiſſe vel habuiſſe. Eam, ne quis de ea dubitet, lectionem reperi in Pall. duobus optimis, Vaticani excerptis, deletaque erat dudum ex Mediceo in prima editione ab Egnatio illa cauda duarum vocum *pondus habituras*. Gebhardus.

Qui Eli negotiatus eſt] Nonnullis viſum eſt rectius hic *Elide* legi, quam *Eli*, adeo ut in poſteriorum editionum codicibus ita fere ſcriptum ſit: quod miror, cum frequenter hujus urbis nomen in obliquis caſibus parem ſyllabarum numerum cum recto habeat. Plinius lib. XVI. *Sunt qui fœminam Ilicem vocent, atque ubi non naſcitur ilex, pro ea ſubere utuntur, ut in carpentariis praecipue fabricis, ut circa Elim & Lacedaemonem.* ſed nec multo poſt iterum. Eadem ignorantia aliqui fortaſſe decepti ita emendarunt hunc locum in III de Natura deorum, *Venus prima Cœlo & Die nata. cujus Elide delubrum vidimus:* cum in veteribus exemplaribus ibi etiam *Eli* legatur. *Victorius.* *Eli* eſt in Pall. Hittorp. Amſtelodami. *Elis* eſt civitas Peloponneſi, a qua & ipſa regio Elis dicitur.

M. Le-

tum: ſi qui difficiliores erunt, ut rem ſine controverſia confici nolint, ſi eos, quum cum ſenatore res eſt, Romam rejeceris. Quod quo minore dubitatione facere poſſis, litteras ad te a M. Lepido conſule, non quae te aliquid juberent neque enim id tuae dignitatis eſſe arbitramur, ſed quodam modo quaſi commendatitias ſumſimus. Scriberem quam id beneficium bene apud Meſcinium poſiturus eſſes, niſi & te ſcire confiderem, & mihi peterem. Sic enim velim exiſtimes, non minus me de illius re laborare quam ipſum de ſua. Sed cum illum ſtudeo quam facillime ad ſuum pervenire, tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione ſe conſecutum arbitretur.

M. Lepido conſule] Cum Cæſare. *Corradus.*

EPISTOLA XXVII.

ARGVMENTVM.

Gratias agit Sulpicio, quod AEmilium Avianum liberaliter honorificeque tractaſſet: eundemque rurſus commendat. Laudat in extremo Servium filium. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

Licet eodem exemplo ſaepius tibi hujus generis litteras mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter obſerves: quod feci in aliis, & faciam, ut video, ſaepius: ſed tamen non parcam operae, & ut vos ſoletis in formulis, ſic ego in epiſtolis de eadem re alio modo.

ET ut vos ſoletis in formulis] Antea in omnibus impreſſis legebatur, *& ut vos in veſtris formulis.* corruptus eſt hac parte Mediceus codex: ita tamen corruptus ut arbitrer ex ipſo elegantiorem vulgata lectionem elici poſſe, quam ipſe ſane probavi: an peccaverim, nunc eruditi cognita illa animadvertent, *& ut voletis in formulis.* ejus igitur auctoritatem ſecutus, tollendam cenſui dictionem *veſtris*, & ex *voletis*, *vos ſoletis*, feci. Sic etiam cum Trebatio, qui & ipſe juriſconſultus erat, locutus eſt: *Hoc (quemadmodum vos ſcribere ſoletis in veſtris libris) idem Q. Cornelio videbatur.* Victorius. *Formula* autem ſunt actiones. hinc *formula excidere* apud Sueton. eſt actionem perdere. *De eadem re alio modo* eſt formula Juriſconſultis antiquis uſitata in præſcri-

do. C. Avianus igitur Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit, & ſuo & AEmilii Aviani, patroni ſui, nomine, nec liberalius nec honorificentius potuiſſe tractari, nec ſe praeſentem, nec rem familiarem abſentis patroni ſui. Id mihi cum jucundum eſt eorum cauſſa, quos tibi ego ſumma neceſſitudine & ſumma conjunctione adductus commendaveram, quod M. AEmilius unus eſt ex meis familiariſſimis atque intimis, maxime neceſſarius homo, & magnis meis beneficiis devinctus, & prope omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratiſſimus: tum multo jucundius, te eſſe in me tali voluntate, ut plus proſis amicis meis quam ego praeſens fortaſſe prodeſſem: credo, quod magis ego dubitarem, quid illorum cauſſa facerem, quam tu, quid mea. Sed hoc non dubito quin exiſtimes mihi eſſe gratum. Illud te rogo, ut illos quoque gratos homines eſſe putes: quod ita eſſe tibi promitto atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo Servio jucundiſſimo conjunctiſſime vivo: magnamque cum ex ingenio ejus ſingularique ſtudio, tum ex virtute & probitate voluptatem capio.

ſcribendis actionibus, cum oſtenderent ejuſdem rei conſequendæ vias complures eſſe, & actiones varias poſſe inſtitui. Ideo Cicero ad S. Sulpitium, Juriſconſultum primarium ſcribens ait, *ut ſoletis in formulis, ſic ego in epiſtolis de eadem re alio modo.* Briſſonius.

Jucundiſſime, conjunctiſſime vivo] Sic ex Mediceo Victorius reſcripſit, aſſentientibus & aliis pervetuſtis codicibus. nec ignoro Ciceronem nonnunquam copulam omittere. Ut in primo Acad. *ſermones Socratis perſcripti varie, copioſe ſunt.* alia quoque exempla notavit Manutius ad præcedentem epiſtolam 24. Sed ego non dubito quin rectius longe ſcriptum ſit in Amſtelodamenſis bibliothecæ libro, *Ego cum tuo Servio jucundiſſime conjunctiſſime vivo.* Grævius.

EPISTOLA XXVIII.

ARGVMENTVM.

Agit gratias de Meſcinio humaniſſime tractato: rogatque ut ſua in eum beneficia quibus poſſit rebus augeat. Commendat etiam Lacedaemonios; ſi modo una eſt epiſtola: quod non arbitror. Eodem anno.

CICERO SERVIO S.

ETſi libenter petere a te ſoleo, ſi quid opus eſt meorum cuipiam, tamen multo libentius gratias tibi ago, cum feciſti aliquid commendatione mea, quod ſemper facis. Incredibile eſt enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter a me tibi commendati: quae mihi omnia grata, ſed de L. Meſcinio gratiſſimum. Sic enim eſt mecum locutus, te, ut meas litteras legeris, ſtatim procuratoribus ſuis pollicitum eſſe omnia, multo vero plura & majora feciſſe. Id igitur, puto enim etiam atque etiam mihi dicendum eſſe, velim exiſtimes, mihi te feciſſe gratiſſimum. Quod quidem hoc vehementius laetor, quod ex ipſo Meſcinio te video magnam capturum voluptatem. Eſt enim in eo cum virtus & probitas, & ſummum officium ſummaque obſervantia, tum ſtudia illa noſtra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum eſt, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quae te erunt dignae. Sed duo quidem te nominatim rogo: Primum ut, ſi quid ſatisdandum erit amplius eo nomine non peti, cures ut ſatisdetur

SI *quid ſatiſdandum erit, amplius eo nomine non peti*] Si cavendum erit, neminem in poſterum, quod ſolvetur, pecuniam aut hereditatem petiturum. *Amplius peti* non modo ab ipſo Meſſinio, ſed ab ullo quoque alio: quorum magis cauſſa, quam ipſius litigatoris, ſatiſdatio exigebatur, quod ſcilicet in controverſiam venire poterat, hæreditasne ad eum, qui tum peteret, pertineret, atque ideo ab aliis quæſtionem reis moveri, quaſi minus recte ſol-

detur fide mea. Deinde, cum fere conſiſtat hereditas in iis rebus quas avertit Oppia, quae uxor Mindii fuit; adjuves incaſque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod ſi putarit illa fore, ut opinio noſtra eſt, negotium conficiemus. Hoc ut aſſequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod ſupra ſcripſi; id tibi confirmo in meque recipio, te ea quae feciſti Meſcinii cauſſa, quaeque feceris, ita bene collocaturum, ut ipſe judices, homini te gratiſſimo, jucundiſſimo benigne feciſſe. volo enim ad id, quod mea cauſſa feciſti, hoc etiam accedere. Nec Lacedaemonios dubitare arbitror, quin ipſi ſua majorumque ſuorum auctoritate ſatis commendati ſint fidei & juſtitiae tuae: & ego, qui te optime noviſſem, non dubitavi quin tibi notiſſima & jura & merita populorum eſſent. Itaque cum a me peteret Philippus Lace-

ſolviſſent, non juſto hæredi. Bernhard. Rutil. *Amplius eo nomine non peti* eſt ſollemnis formula Juriſconſultorum ad quam etiam Cicero alludit in Bruto, *Mihi quoque, inquit Brutus, & expectanda ſunt ea quæ Attico pollicetis, & fortaſſe ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, ſe incommode exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego Brute non ſolvam, niſi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio ſit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere iſtud quidem auſus ſum. Nam hunc qui negat video flagitatorem, non illum quidem tibi moleſtum; ſed aſſiduum tamen & acrem fore.*

*Illud quod ſupra ſcripſi, id * in meque recipio*] Sic vulgati omnes nulla defectus ſuſpicione. Nos ex vetuſtis exemplaribus cognovimus verbum aliquod deſiderari: nec tamen id auſi ſumus (quod non difficile fuiſſet) reſtituere: maluimus locum qua conſuevimus nota ſignare, & ita videmur officio noſtro ſatisfeciſſe. Qui locum mancum eſſe, ferre non poteſt, is *promitto in meque recipio* legat, ut ipſe in epiſtola, qua M. Varronem Bruto commendat, loquitur: vel *ſpondeo, in meque recipio*, ut in ea quâ Sulpitio Curium: vel ut alii locum hunc ſuppleverunt *confirmo, in meque recipio.* Nos in re tam parva fidem fallere noluimus, quam dedimus ſtudioſis omnibus, nunquam de noſtro aliquid, niſi certiſſimis argumentis ductos, repoſituros: atque id quidem raro admodum; nec ſine teſtificatione licentiæ, qua uſi erimus. *Victor.* *Quod ſupra ſcripſi, id * in meque recipio*] Secuti ſumus Victorium ita hunc locum ut mancum notantem. In Palatino ſexto, ut vulgò editum eſt, ſcribitur, *id tibi confirmo, in meque recipio.* ſed ut ex optimo libro deſcriptus eſt, ita non admodum vetus eſt, ut monachus qui lacunam viderit, eam aliunde exemplaribus inſpectis impleril. prima editio, *illud quod ſupra ſcripſi, id in me recipio.* Palatinus primus, *id illud in me recipio.* Gebhard. Amſtelodam. *id illud in te recipio.* Sed quoniam Manutius in ſuis quoque libris inveniſſe *id tibi confirmo* teſtetur, neque id ſapiat deſcriptorum barbarorum ingenium, non fuit ſane repudiandum. Videtur enim ea vox in Mediceo nonnulliſque aliis exemplaribus excidiſſe.

L. PLAN.

Lacedaemonius, ut tibi civitatem commendarem: etſi memineram, me ei civitati omnia debere, tamen reſpondi, commendatione Lacedaemonios apud te non egere. Itaque ſic velim exiſtimes, me omnis Achaiae civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quod his tu praeſis: eundemque me ita judicare, te, quod unus optime noſſes non noſtra ſolum ſed etiam Graeciae monumenta omnia, tua ſponte amicum Lacedaemoniis & eſſe & fore. Quare tantum a te peto, ut cum ea facies Lacedaemoniorum cauſſa quae tua fides, amplitudo, juſtitia poſtulat, ut his, ſi tibi videbitur, ſignifices, te non moleſte ferre, quod intelligas, ea quae facias, mihi quoque grata eſſe. Pertinet enim ad officium meum eos exiſtimare, curae mihi ſuas res eſſe. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XXIX.

ARGVMENTVM.

Capitonem diligentiſſime commendat pro hereditate Antiſtii. Eodem anno.

M.T.C. L. PLANCO S.D.

NOn dubito quin ſcias, in iis neceſſariis qui tibi a patre relicti ſunt, me tibi eſſe vel conjunctiſſimum, non his modo cauſſis quae ſpeciem habeant magnae conjunctionis, ſed iis etiam quae familiaritate & conſuetudine tenentur: quam ſcis mihi jucundiſſimam cum patre tuo & ſummam fuiſſe. Ab his initiis noſter in te amor profectus, auxit paternam neceſſitudinem, & eo magis, quod intellexi, ut primum per aetatem judicium facere potueris quanti quiſque tibi faciendus eſſet, me a te in primis coeptum eſſe obſervari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cum

L. *PLANCO*] Eſt ille, ad quem lib. x epiſtolae ſunt ſcriptae poſt Caeſaris mortem, ſed haec multo ante. *Corradus.*

Earum

cum ſtudiorum, quod ipſum eſt per ſe grave: tum eorum ſtudiorum, earumque artium, quae per ſe ipſae eos, qui voluntate eadem ſunt, etiam familiaritate devinciunt. Exſpectare te arbitror, haec tam longe repetita principia quo ſpectent. id primum ergo habeto, non ſine magna juſtaque cauſſa hanc a me commemorationem eſſe factam. C. Ateio Capitone utor familiariſſime. Notae tibi ſunt varietates meorum temporum. in omni genere & honorum & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praeſto fuit, & patuit & temporibus & fortunae meae. Hujus propinquus fuit T. Antiſtius: qui cum ſorte quaeſtor Macedoniam obtineret, neque ei ſucceſſum eſſet, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. Facere Antiſtius nihil potuit. Nam ſi potuiſſet, nihil ei fuiſſet antiquius, quam ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti: praeſertim cum ſciret, quanti is Caeſarem faceret, ſemperque feciſſet. Sed oppreſſus tantum attigit negotii, quantum recuſare non potuit. Cum ſignaretur argentum Apolloniae, non poſſum dicere eum praefuiſſe, neque poſſum negare affuiſſe, ſed non plus duobus, an tribus menſibus. Deinde afuit a caſtris: fugit omne negotium. hoc mihi ut teſti velim credas. meam enim ille moeſtitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaque abdidit ſe in intimam Macedoniam, quo potuit longiſſime a caſtris, non modo ut non praeeſſet ulli

Earumque artium] Ut Rhetorices. fuit enim L. Plancus orator inſignis. *Corradus.*

Res familiaris C. Capitonis praeſto fuit, & patuit & temporibus & fortunae meae] *Patuit* pro *paruit* ſcriptum eſt in veteribus libris, meliore, ut mihi videtur, ſententia. *Urſinus.* *Etiam res familiaris C. Capitonis praeſto fuit & patuit*] Sic in libris ſuis reperit Urſinus: in noſtris tamen omnibus, Palatinis ſex. Gruteriano, editione prima, *paruit.* ſed quoniam *patuit* admiſit Victorius, & ex eo Lambinus, exſtetque in Vaticani excerptis, non admodum incommodum viſum fuit eſſe ſententiæ, præſertim cum illi reſpondeat in Officiis, *Nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit.* Ego interim non damno τὸ *paruit*, imo jam melius placet. *Gebhard.* Mentel. *praeſto fuit & aperuit temporibus.* Amſtelod. & Græv. ſec. *& paruit.*

Pompeius in eam provinciam] Ex Italia a Cæſare pulſus. *Corradus.*

In illo bello] Civili. *Idem.*

Is

ulli negotio, ſed etiam ut ne intereſſet quidem. Is poſt proelium ſe ad hominem neceſſarium, A. Plautium in Bithyniam contulit. Ibi cum Caeſar cum vidiſſet, nihil aſpere, nihil acerbe dixit. Romam juſſit venire. Ille in morbum continuo incidit, ex quo non convaluit. AEger Corcyram venit, ibi eſt mortuus. teſtamento, quod Romae Paullo & Marcello conſulibus fecerat, heres ex parte dimidia & tertia eſt Capito. in ſextante ſunt ii, quorum pars ſine ulla cujuſquam querela publica poteſt eſſe: ea eſt ad HS xxx. Sed de hoc Caeſar viderit. Te, mi Plance, pro paterna neceſſitudine, pro noſtro amore, pro ſtudiis, & omni curſu noſtro totius vitae ſimillimo, rogo, & a te ita peto ut majore cura, majore ſtudio nullo poſſim, ut hanc rem ſuſcipias: meam putes eſſe, enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo ſtudio, Caeſaris beneficio, hereditatem propinqui ſui C. Capito obtineat. Omnia, quae potui in hac ſumma tua gratia ac potentia a te impetrare, ſi petiiſſem, ultro te ad me detuliſſe putabo, ſi hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento ſpero, cujus ipſe Caeſar

Is poſt prœlium] Pharſalicum. *Corrad.*

A. Plancium] Non dubito quin *A. Plautium* legendum ſit: opinorque A. Plautium deſcribi, qui Ædilis Curulis fuit, cujuſque mentio eſt in antiquis denariis. *Urſinus.* Sane ſic Hittorp. Vatic. Pal. prim. & ſex. Vict. ed. Amſtelod. *A. Plauſium.*

Ibi eum Cæſar cum vidiſſet] Poſt bellum Alexandrinum. *Corradus.*

Corcyram] Inſulam maris Ionii hodie *Corfu.*

Heres ex parte dimidia & tertia eſt Capito] Semiſſe & triente; hoc eſt, dextante. *Corrad.* Decem partes cepit totius hæreditatis.

In ſextante ſunt ii] Reliqua aſſis parte: *quorum pars --- publica poteſt eſſe*] Publicari poteſt. *Corrad.* Reliquæ duæ hæreditatis partes cernendæ ſunt iis, quorum bona ſine ullius querela poſſunt confiſcari. Quod hic notavit Manutius de dextante, deunce, quincunce, ſeptunce, beſſe, pro partibus hæreditatis a veteribus non eſſe uſurpata, exemplis refelli poteſt. De *beſſe* ſane locus extat apud Plin. lib. VII, epiſt. 24. *Reliquit hæredes ex beſſe nepotem, ex tertia parte neptem.*

HS XXX] Scutatorum ſeptuaginta quinque millia, non nonaginta millia, ut vult Manutius. hoc eſt, florenorum Belgicorum ducenta viginti quinque millia.

Sed de hoc Cæſar viderit] Ad quem id pertinet. *Corrad.* Hujus rei curam Cæſari relinquamus. Ovid. II de Arte,

Viderit Atrides: Helenen ego crimine ſolvo.

Cic. de perfecto Oratore, *Sed Græci viderint: nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur.*

In hac ſumma gratia tua] Apud Cæſarem, quem ſecutus es. *Corrad.*

ſar eſſe optimus judex poteſt: ſemper Caeſarem Capito coluit & dilexit: Sed ipſe hujus rei teſtis eſt, novi hominis memoriam. Itaque nihil te doceo. tantum tibi ſumito pro Capitone apud Caeſarem, quantum ipſum meminiſſe ſenties. Ego, quod in me ipſo experiri potui, ad te deferam. in eo quantum ſit ponderis, tu videbis. Quam partem in rep. cauſſamque defenderim, per quos homines, ordineſque ſteterim, quibuſque munitus fuerim non ignoras. Hoc mihi velim credas, ſi quid fecerim hoc ipſo in bello minus ex Caeſaris voluntate, quod intellexerim ſcire ipſum Caeſarem, me invitiſſimum feciſſe, id feci aliorum conſilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorque, quam in ea parte quiſquam, id me feciſſe maxime auctoritate Capitonis: cujus ſimilis ſi reliquos neceſſarios habuiſſem, reip. fortaſſe nonnihil, mihi certe plurimum profuiſſem. Hanc rem, mi Plance, ſi effeceris, meam de tua erga me benevolentia ſpem confirmaveris, ipſum Capitonem, gratiſſimum, officioſiſſimum, optimum virum ad. tuam neceſſitudinem tuo ſummo beneficio adjunxeris.

Id feci aliorum conſilio] Legendum, *id feciſſe aliorum conſilio.* Lambinus.

EPISTOLA XXX.

ARGUMENTUM.

L. Manlium familiariſſimum ſuum, in hereditate fraterna omnibuſque rebus commendat: & quo magis commendatio valeat, ornat eum probitatis & doctrinae laudibus. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

L. Manlius eſt Soſis, is fuit Catinenſis: ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decu-

L. *Manlius eſt Soſis*] Alii *Suſis.* parum quidem intereſſe, & exigua ineſſe videtur mutatio: ſed ut nos vidimus in Palatino primo, editionibus, vetu-

decurioque Neapoli. erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem ſociis & Latinis datam. Ejus frater Catinae nuper mortuus eſt. Nullam omnino arbitramur de ea hereditate controverſiam eum habiturum : & eſt hodie in bonis : ſed quum habet praeterea negotia vetera in Sicilia ſua, & hanc hereditatem fraternam, & omnia ejus tibi commendo, in primiſque ipſum virum optimum, mihique familiariſſimum, his ſtudiis litterarum doctrinaeque praeditum quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, ut eum, ſive aberit, ſive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeque neceſſariis ſcias eſſe : itaque tractes, ut intelligat meam commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe.

vetuſtiſſima, ac Florentina P. Victorii, ita bonum factum eſſe judicavimus edere. *Gebhard.*

Catinenſis] *Catina* celebris Siciliæ civitas. Hodie etiam *Catana* dicitur.

Decurioque Neapoli] Municipiorum & coloniarum ſenatores dicuntur *decuriones* : Conſules vero *duumviri*, *quatuorviri*, *ſeviri.*

Eſt hodie in bonis] Eſt in poſſeſſione bonorum. Sic *eſſe in ſuis nummis.* Cic. IV in Verrem, *Hominem video auctionem feciſſe nullam, vendidiſſe prater fructus nihil unquam, non modo in are alieno nullo, ſed in ſuis nummis multis eſſe ac ſemper fuiſſe.* D. Paullus in epiſt. ad Philipp. IV, 11. ἐγὼ γὰρ ἔμαθον, ἐν οἷς εἰμι, αὐτάρκης εἶναι. *Ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.* ut bene vertit interpres vetus, quem recentiores perperam corrigunt. *Grav.*

EPISTOLA XXXI.

ARGVMENTVM.

Flavium, Piſonis generi ſui, cum viveret, perneceſſarium, commendat. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

C. Flavio, honeſto & ornato equite Romano, utor valde familiariter. Fuit enim generi mei, C. Piſonis, perneceſſarius, meque diligentiſſime obſervat & ipſe, & L. Flavius, frater ejus. Quapropter velim honoris mei cauſſa, quibus rebus honeſte & pro tua dignitate poteris, quam honorificentiſſime & quam liberaliſſime C. Flavium

 tractes.

tractes. Id mihi ſic erit gratum ut gratius eſſe nihil poſſit. Sed praeterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, ſed cum familiaritate & neceſſitudine, tum etiam veritate: te ex C. Flavii officio & obſervantia, & praeterea ſplendore, atque inter ſuos gratia, magnam voluptatem eſſe capturum.

EPISTOLA XXXII.

ARGUMENTUM.

Commendat hoſpites ſuos, Archagathum & Philonem. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

IN Haleſina civitate, tam lauta, tamque nobili, conjunctiſſimos habeo & hoſpitio & familiaritate M. & C. Clodium, Archagathum, & Philonem. ſed vereor, ne, quia complures tibi praecipue commendo, exaequare videar ambitione quadam commendationes meas. quanquam a te quidem cumulate ſatisfit & mihi, & meis omnibus. Sed velim ſic exiſtimes, hanc familiam & hos mihi maxime eſſe conjunctos vetuſtate, officiis, benevolentia. Quamobrem peto a te in majorem modum, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitaſque patietur commodes. Id ſi feceris, erit mihi vehementiſſime gratum.

IN *Haleſina civitate*] *Haleſa*, quæ & *Aleſa* & *Halaſa* ſcribitur, urbs Siciliæ eſt ad fluvium *Halaſum* in colle octo ſtadiis a mari remoto. hodie non niſi rudera & veſtigia quædam ejus urbis ſuperſunt, de qua vide Diodor. Sic. lib. XIV.

EPI-

EPISTOLA XXXIII.

ARGVMENTVM.

Naſonis libertos & negotia commendat. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CN. Otacilio Naſone utor familiariſſime, ita prorſus ut illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate ejus, & probitate in conſuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil jam opus eſt exſpectare te, quibus eum verbis tibi commendem, quo ſic utar, ut ſcripſi. Habet is in provincia tua negotia, quae procurant liberti, Hilarus, Antigonus, Demoſtratus: quos tibi, negotiaque omnia Naſonis non ſecus commendo ac ſi mea eſſent. Gratiſſimum mihi feceris, ſi intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuiſſe.

CN. *Otacilio*] Antiqua ſcribendi conſuetudo poſcit ut *Othacilio* ſcribatur: & infra *Hilarus* pro *Hilarius*, quod eſt liberti cognomen in veteribus monumentis frequens. *Urſinus.*

EPISTOLA XXXIV.

ARGVMENTVM.

Commendat Lyſonem, hoſpitem ſuum. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

AVitum mihi hoſpitium eſt cum Lyſone, Lyſonis filio, Lilybetano, valdeque ab eo obſervor: cognovique dignum & patre, & avo. eſt enim nobiliſſima familia. Quapropter commendo tibi majorem in modum rem domumque ejus: magnoque opere abs te peto, cures ut is intelligat, meam commendationem maximo ſibi apud te & adjumento & ornamento fuiſſe. Vale.

EPISTOLA XXXV.

ARGUMENTUM.

Commendat hoſpitem & familiarem ſuum Philoxenum. Eodem anno.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

C. Avianus Philoxenus antiquus eſt hoſpes meus, & praeter hoſpitium, valde etiam familiaris, quem Caeſar meo beneficio in Novocomenſes retulit. Nomen autem Aviani ſecutus eſt, quod homine nullo plus eſt uſus quam Flacco Aviano, meo, quemadmodum te ſcire arbitror, familiariſſimo. Quae ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem eſſe commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis, ei commodes, habeaſque in numero tuorum: perficiaſque ut intelligat, has litteras meas magno ſibi uſui fuiſſe. Erit id mihi majorem in modum gratum.

IN *Novocomenſes*] *Novum comum* urbs Inſubriae ad lacum Larinum, patria Plinii, nunc *Como*.

EPISTOLA XXXVI.

ARGUMENTUM.

Commendat Demetrium Megam in jure civitatis, omnibuſque in rebus.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CUm Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caeſare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Cumque propter quoſdam ſordidos homines, qui Caeſaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum

torum inciſa eſſent, revelli juſſiſſet: eidem Dolabellae, me audiente, Caeſar dixit, nihil eſſe quod de Mega vereretur, beneficium ſuum in eo manere. Hoc te ſcire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes. Ceteriſque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore ſtudio neminem commendarim. Gratiſſimum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, ut intelligat meam commendationem magno ſibi ornamento fuiſſe.

EPISTOLA XXXVII.

ARGUMENTUM.

Commendat Hippiam in liberatione bonorum. Eodem anno.

M.T.C. ACILIO PROC. S.P.D.

HIppiam, Philoxeni filium, Calactinum hoſpitem & neceſſarium meum, tibi commendo in majorem modum. Ejus bona, quemadmodum ad me dalata res eſt, publice poſſidentur alieno nomine, contra leges Calactinorum. Id ſi ita eſt, etiam ſine mea commendatione ab aequitate tua res ipſa impetrare debet, ut ei ſubvenias. Quoquo modo autem ſe res habet, peto a te ut honoris mei cauſſa eum expedias, tantumque ei commodes & in hac re & in ceteris, quantum tua fides dignitaſque patietur. Id mihi vehementer gratum erit.

HIppiam Philoxeni filium Calactinum] Sic invenit in ſuis libris Victorius, expreſſitque Lambin. nos in Palatino ſexto, ſicut in Hittorpiano *Calactinenm* oſtendimus. Vulgo *Calatinum.* Gebhardus. Amſtelodam.

Calactinum. Calacta eſt oppidum Siciliae ultra Alaeſam, hodie *Caronia.* Ine ſecunda etiam Verrin. *Calatini* male ſcribitur pro *Calactini.* ut docet Cluv. de Sicil. antiq. lib. 11, c.3. quem vide.

EPISTOLA XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Bruttii negotia, procuratoreſque commendat. Eodem anno.

M.T.C. ACILIO PROC. S.P.D.

L. Bruttius, eques Rom. adoleſcens omnibus rebus ornatus, in meis familiariſſimis eſt, meque obſervat diligentiſſime: cujus cum patre magna mihi fuit amicitia jam inde a quaeſtura mea Sicilienſi. Omnino nunc ipſe Bruttius Romae mecum eſt: ſed tamen domum ejus, & rem familiarem, & procuratores tibi ſic commendo, ut majore ſtudio commendare non poſſim. Gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi, hanc meam commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe.

EPISTOLA XXXIX.

ARGUMENTUM.

Commendat Titurnium Rufum.

M.T.C. ACILIO PROC. S.P.D.

CVm familia Titurnia neceſſitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus eſt M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia atque officio eſt tuendus. Eſt igitur in tua poteſtate, ut ille in me ſatis ſibi praeſidii putet eſſe. Quapropter eum tibi commendo in majorem modum: & abs te peto, efficias ut is commendationem hanc intelligat ſibi magno adjumento fuiſſe. Erit mihi vehementer gratum.

EPI-

EPISTOLA XL.

ARGVMENTVM.

L. & C. Aurelios fratres commendat: Pompeio Magno & M. Craſſo ſecundum conſulatum gerentibus, vel Domitio & Appio Coſſ. nam opinor epiſtolam hanc ad eum Ancharium ſcriptam eſſe, qui Macedoniae poſt Piſonem praefuit, ut Ciceronis oratio declarat. Piſo autem, auctore Pediano, e provincia rediit Pompeio & Craſſo Coſſ.

M. T. C. Q. ANCHARIO Q. F. PROC. S. P. D.

L. & C. Aurelios, L. filios, quibus & ipſis, & patre eorum, viro optimo, familiariſſime utor, commendo tibi majorem in modum, adoleſcentes omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tua amicitia digniſſimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, quod ſcio multas plurimum valuiſſe, haec ut valeat rogo. Quod ſi eos honorifice liberaliterque tractaris: & tibi gratiſſimos, optimoſque adoleſcentes adjunxeris, & mihi gratiſſimum feceris. Vale.

EPISTOLA XLI.

ARGVMENTVM.

Gratias agit & ſuo & Pompeii nomine de Lucceio benigniſſime tractato: eundemque denuo commendat. Incerto anno.

M. T. C. L. CVLLEOLO S. P. D.

Quae feciſti L. Lucceii cauſſa, ſcire te plane volo, te homini gratiſſimo commodaſſe: & cum ipſi, quae feciſti,

CVLEOLO] Videtur is in Macedonia Procoſ. fuiſſe. Nam Byllio-nes, ſive Balliones, qui ſunt in ſequenti epiſtol. Plin. lib. IV, cap. 23. in finib. Macedoniae collocat. *Corrad.* Sed vide Manut.

L. Lucceii cauſſa] Epiſt. 13 lib. V. *Corradus.*

ſti, pergrata ſunt, tum Pompeius, quotieſcunque me videt, videt autem ſaepe, gratias tibi agit ſingulares. Addo etiam illud, quod tibi jucundiſſimum eſſe certo ſcio, me ipſum ex tua erga Lucceium benignitate maxima voluptate affici. Quod ſupereſt, quanquam mihi non eſt dubium quin cum antea noſtra cauſſa, nunc jam etiam tuae conſtantiae gratia, manſurus ſis in eadem iſta liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea quae initio oſtendiſti, deincepſque feciſti, ad exitum augeri & cumulari per te velis. Id & Lucceio & Pompeio valde gratum fore, teque apud eos praeclare poſiturum confirmo & ſpondeo. De republ. deque his negotiis, cogitationibuſque noſtris perſcripſeram ad te diligenter paucis ante diebus, eaſque litteras dederam pueris tuis.

Pompeius] Cn. Pompeius Magnus, cui cum L. Lucceio pecuniæ (niſi fallor) commercium fuit. *Corradus.*

Deinceps feciſti ad exitum augeri] Veteres codices, inter quos Amſtelodam. *deincepſque feciſti.* optime.

EPISTOLA XLII.

ARGVMENTVM.

Eundem Lucceium commendat. Eodem anno.

M.T.C. L. CVLLEOLO PROC. S.P.D.

L. Lucceius meus, homo omnium gratiſſimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret, omnia te cumu-

L. Lucceius meus familiariſſimus] Nos ultimam dictionem in nullis antiquis exemplaribus inventam, & ſane abundantem, neglеximus: ſatis fuit enim *meus* dixiſſe, majoremque omnino vim habet *meus*, per ſe, quam *meus familiariſſimus.* Quemadmodum elegantiſſimus poëta Catullus, *meus Calvus* dixit. Nam quod hoc nomen ſemper per duo *c c* ſcripſimus, dedimus hoc antiquorum exemplariorum fidei, quæ cum multis locis hoc nomen habent, nullibi non ſic ſcriptum habent. *Victorius.* Rectiſſime expunxit Victorius, poſt *meus*, τὸ *familiariſſimus*, quod æque non comparet in Palatino primo, Stewechiano, Vaticani excerptis. Palatinus tamen ſextus, & Hittorpianus, qui codices in multis conjurant, *meus familiaris*, quo errore, quoto judicio præditi vident. *Gebhardus.*

Omni-

cumulatiſſime & liberaliſſime procuratoribus ſuis pollicitum eſſe. Cum oratio tua tam ei grata fuerit, quam gratam rem ipſam exiſtimas fore, cum, ut ſpero, quae pollicitus es, feceris? Omnino oſtenderunt Bulliones, ſeſe Lucceio Pompeii arbitratu ſatisfacturos. Sed vehementer opus eſt nobis, & voluntatem & auctoritatem & imperium tuum accedere. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Illudque mihi gratiſſimum eſt, quod ita ſciunt Lucceii procuratores, & ita Lucceius ipſe ex litteris tuis, quas ad eum miſiſti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam valere plus quam meam. Id ut re experiatur, iterum & ſaepius te rogo.

Omnino oſtenderunt Bulliones] Impreſſi ante meum *Bellones* mendoſe habebant, meus *Bulliones* ut in antiquis libris recte. Si litteram *u* pro *y*, frequenter ponebant veteres, ut nonnulli exemplis quoque confirmant, non video cur priſcam ſcripturam damnent, & veram lectionem velint eſſe *Byllienes*. Si Græci ſuo Sermone Bylliones pronuntiabant, nihil abſurdum ac novum Rom. homines faciebant cum Bulliones dicebant: erat enim hæc ipſorum in Græcis nominibus conſuetudo, ut *y* in *u* verterent. Eadem ratione Plinius eoſdem populos *Bullidenſes* appellavit. In priſcis Terentii Varronis exemplaribus, *Subaru* & *Subaritanus ager*, pro *Sybaris* & *Sybaritanus* ſcriptum eſt: in Pandectis quoque Florentinis *Berutus* pro *Berytus* ſemper. *Victor.* Sunt autem *Bulliones* populi Illyridis ſupra Epidamnum. vid. Manut.

EPISTOLA XLIII.

ARGVMENTVM.

Oppium Gallio commendat. Incertus annus.

M.T.C. QVINTIO GALLO S.P.D.

ETſi plurimis rebus ſpero fore ut perſpiciam, quod tamen jampridem perſpicio, me a te amari, tamen nunc ea

Q. *GALLO*] Epiſt. 27 lib. VII. Al. *Q. Gallio*, epiſt. 4 lib. VIII. etſi de neutro quippiam certi habemus. *Corradus.* Ex Vatic. Pall. Hittorpiano, repoſuerunt Victorius & Gebhardus *Quintio Gallo*, pro qua lectione ſtat etiam Amſtelodam. niſi quod pro *Gallio* ſcribat *Gallo*. ut & Stewech. & Pal. pr. Sic apud Sueton. Auguſt. c. 27. multi libri *Q. Gallus*, cum alii habeant *Q. Gallius*, ut Caſaub. & Torrentius notarunt, quod ultimum hi præferunt.

ea cauſſa tibi datur, in qua facile declarare poſſis tuam erga me benevolentiam. L. Oppius, Marci filius, Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eum tibi unice commendo: eoque magis, quod cum ipſum diligo, tum quod negotia procurat L. Egnatii Rufi: quo ego uno equite Romano familiariſſime utor, & qui conſuetudine quotidiana, tum officiis plurimis, maximiſque mihi conjunctus eſt. Oppium igitur praeſentem ut diligas, Egnatii abſentis rem ut tueare, aeque a te peto ac ſi mea negotia eſſent. Velim memoriae tuae cauſſa des litterarum aliquid, quae tibi in provincia reddantur: ſed ita conſcribas, ut tum, cum eas leges, facile recordari poſſis hujus meae commendationis diligentiam. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

runt, ut & Seb. Corrad. ad Brutum. Sed procul dubio rectius ſcribitur, *Quintio Gallo*. Quintius enim nomen familiæ eſt, *Gallus* vero cognomen. Cognominum λῆξις raro eſt *ius*, ut norunt docti. Sed vetus lapis apud Gruterum inprimis facit huic ſcriptioni probandæ:

DIVO. AVG.
SACR.
L. QVINTIVS. C. F.
GALLVS
TESTAMENTO PONI
IVSSIT.

Ex hoc ſaxo loca, in quibus *Quintiorum Gallorum* mentio fit, ſunt reſtituenda. *Gravius.*

Philomeli] Philomelium oppidum magnæ Phrygiæ. Sup. lib. III, ep. 8.

L. Egnatii Rufi] De quo in epiſtolis ad Atticum, & ſequentibus ſæpe fit mentio. *Corrad.*

EPISTOLA XLIV.

ARGUMENTUM.

Eundem Oppium rurſus eidem commendat.

CICERO GALLO S.

ETſi ex tuis, & ex L. Oppii, familiariſſimi mei, litteris cognovi, te memorem commendationis meae fuiſſe, idque pro tua ſumma erga me benevolentia, proque noſtra neceſſitudine minime ſum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium praeſentem, & L. Egnatii, mei familiariſſimi, abſentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritaſque, ut, ſi mea res eſſet, non magis

magis laborarem. Quapropter gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris ut is intelligat me a te tantum amari, quantum ipſe exiſtimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo.

EPISTOLA XLV.

ARGVMENTVM.

Egnatii & ſervum Anchialum & negotia Appuleio commendat. Incertus annus.

M.T.C. APPVLEIO PROQVAESTORI S.P.D.

L. Egnatio tuo, equite Romano, vel familiariſſime utor. Ejus Anchialum ſervum negotiaque, quae habet in Aſia, tibi commendo non minore ſtudio quam ſi rem meam commendarem: Sic enim exiſtimes velim, mihi cum eo non modo quotidianam conſuetudinem ſummam intercedere, ſed etiam officia magna & mutua noſtra inter nos eſſe. Quamobrem etiam atque etiam a te peto, ut cures ut intelligat me ad te ſatis diligenter ſcripſiſſe. nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA XLVI.

ARGVMENTVM.

Noſtium coheredem ſuum commendat.

M. T. C. APPVLEIO PROQVAESTORI S.P.D.

L. Noſtius Zoïlus, eſt coheres meus: heres autem patroni ſui. ea re utrumque ſcripſi, ut & mihi cum illo cauſſam amicitiae ſcires eſſe, & hominem probum exiſtimares, qui patroni judicio ornatus eſſet. Eum tibi igitur ſic commendo, ut unum ex noſtra domo. Valde mihi gratum

erit,

erit, ſi curaris ut intelligat, hanc commendationem ſibi apud te magno adjumento fuiſſe.

EPISTOLA XLVII.

Argumentum.

Egnatium, communem amicum, commendat.

M.T.C. SILIO S.P.D.

QVid ego tibi commendem eum quem tu ipſe diligis? Sed tamen ut ſcires eum a me non diligi ſolum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec ſcribo. Omnium tuorum officiorum, quae & multa & magna ſunt, mihi gratiſſimum fuerit, ſi ita tractaris Egnatium, ut ſentiat & ſe a me, & me a te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Illa noſtra ſcilicet ceciderunt. Vtamur igitur vulgari conſolatione, Quid ſi melius hoc? Sed haec coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari a me ſcias.

SILIO] Epiſt. 61 hujus lib. eundem enim eſſe exiſtimo. *Corrad.*

Quid ſi hoc melius] Hæc eſt conſolatio illa vulgaris. *Idem.*

EPISTOLA XLVIII.

Argumentum.

Omnes Cyprios, maximeque Paphios commendat. in quo eſt admonitio quaedam tecta verbis amorem ſignificantibus, ne quid inſtituat quod alii non probent; ſed, lege Lentuli obſervata, laudi ſuae conſulat. De anno epiſtolae quod affirmem, non habeo.

M.T.C. C. SEXTILIO RVFO, QVAEST. S.P.D.

OMnis tibi commendo Cyprios, ſed magis Paphios: quibus tu quaecunque commodaris, erunt mihi gratiſſima. Eoque facio libentius ut eos tibi commendem, quod

quod & tuae laudi, cujus ego fautor ſum, conducere arbitror, cum primus in eam inſulam quaeſtor veneris, ea te inſtituere quae ſequantur alii: quae, ut ſpero, facilius conſequere, ſi & P. Lentuli, neceſſarii tui, legem, & ea quae a me conſtituta ſunt, ſequi volueris. Quam rem tibi confido magnae laudi fore.

C*Um primus quaeſtor*] Poſtquam facta eſt provincia a M. Catone, L. Piſone & A. Gabinio Coſſ. miſſus eo fuit a Caeſare, cum antea regeretur a Proconſulibus Ciliciae. Vide Manut. *Cum primus*] Al. *cum primum*: quod magis placet, ne Sextilius primus Quaeſt. in Cyprum miſſus videatur, cum tot Procoſſ. eam provinciam prius adminiſtraſſent. *Corrad.*

P. Lentuli] Libro primo. *Idem.*

A me conſtituta ſunt] Tunc Procoſ. in Cilicia, quam qui obtinebat, Cyprum etiam obtinebat, epiſt. 6 lib. 1. *Idem.*

EPISTOLA XLIX.

ARGVMENTVM.

Commendat Q. Pompeium.

CICERO CVRIO PROC. S.P.D.

Q. Pompeius, Sext. filius, multis & veteribus cauſſis neceſſitudinis mihi conjunctus eſt. Is, cum antea meis commendationibus & rem & gratiam & auctoritatem ſuam tueri conſueverit, nunc profecto, te provinciam obtinente, meis litteris aſſequi debet, ut nemini ſe intelligat commendatiorem unquam fuiſſe. Quamobrem a te majorem in modum peto, ut, cum omnes meos aeque ac tuos obſervare pro noſtra neceſſitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipſe intelligat, nullam rem ſibi majori uſui aut ornamento quam meam commendationem eſſe potuiſſe.

C*ICERO CVRIO*] Cum tam familiariter ſcribat Cicero, ut quaſi ſuo jure petere videatur, non puto dubitandum eſſe quin is ſit *Curius* quem toties aliis commendat, & ad quem ſcribit ep. 29 lib. 7. *Corrad.*

EPISTOLA L.

ARGVMENTVM.

Petit ut M. Curium ab omni incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum integrumque conſervet. C. Caeſare V, & Antonio Coſſ.

M.T.C. AVCTO PROC. S.D.

SVm ſi hoc mihi pro tua in me obſervantia, quam penitus perſpexi quamdiu Brundiſii fuimus, ut ad te familiariter & quaſi pro meo jure ſcriberem, ſi quae res eſſet, de qua valde laborarem. M' Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris eſt ut nihil poſſit eſſe conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea, quodque maximum eſt, ſummus inter nos amor & mutuus. Quae cum ita ſint, ſi ullam in amicitia mea ſpem habes: ſi ea quae in me officia & ſtudia Brundiſii contuliſti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam ſunt gratiſſima: ſi me a tuis omnibus amari vides: hoc mihi da atque largire, ut M' Curium, ſartum & tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum integrumque conſerves. Et ipſe ſpondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia

AVCTO] *Aucto*, volunt ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam veteres libri, non *Ariſto*. ſic enim eſt in illis ejus inſcriptio, *Cicero S. D. Aucto Procoſ.* Nos nihil hic a vulgatis diſceſſimus, rem tamen licet parvam & minutam ſilentio praeterire noluimus, eum parvo noſtro labore noſtrae & antiquorum librorum fidei rationem habere poſſimus. *Victor.*
AVCTO] Al *Ariſto*. Etſi neutrum nomen memini me apud ſcriptores frequenter legere, facile tamen adducor, ut credam hunc Servii Sulpitii in Achaia ſucceſſorem fuiſſe. *Corrad.*

Quamdiu Brundiſii fuimus] Poſt victam Pompeium. ſic enim exiſtimo. *Idem.*

Multa in illum mea quoque: maximum eſt, ſummus] Ita Palat. prim. [& Amſtelodamenſis. niſi quod pro *maximum* ſcribat *maximus*], quod omnibus lineis velut perſecutus Victorius: & ſic emendavit primam impreſſionem Egnatius; cum exhiberet, *multa in illum mea quoque: & quod maximum eſt.* exegit enim inverſo calamo bigam illam alienam, *& quod*. Editum alias eſt, *multa in illum mea, quodque maximum eſt*. Gebhardus. Sed venuſtior eſt lectio duorum librorum, quos inſpexit Manutius, qui vulgatam firmant.

Moleſtia ſincerum integrumque] Catull. *ſincerum cuperes & integellum.*

Ex mea amicitia] Henric. Steph. II Schediaſm. non male legit, *ex ea amicitia.*

P. Meſ-

tia & ex tuo in me officio maximum te fructum, ſummamque voluptatem eſſe capturum.

EPISTOLA LI.

ARGVMENTVM.

P. Meſſienum commendat.

M. T. C. P. CAESIO S. D.

P. Meſſienum, equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem, tibi commendo ea commendatione, quae poteſt eſſe diligentiſſima. Peto a te & pro noſtra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejuſque rem famamque tueare. Virum bonum, tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gratiſſimum feceris.

P. *Meſſienum*] Alii *D.* pro *P.* ſubſtituunt. ſed *D.* natum ex Epigraphe. nam in Palatino ſexto, & Hittorpiano, *Cicero P. Caſio S. D. Meſſienum.* Rectius *Meſſienus* non *Meſcienus*, ut a *Meſſiis Meſſienus*, ſic ab *Alliis Allienus.* Stewechianus legit *Meſſiennum:* alii duo, quos inſpexi, *P. Meſcennium.* Guilielm.

EPISTOLA LII.

ARGVMENTVM.

Hoſpitem ſuum Ariſtotelem commendat. Incertus annus: ſed poſt Africanum bellum ſcriptam eſſe conſtat, cum dicat Cicero: Hunc ego a Caeſare liberavi: *&*, Diutius in cauſſa eſt quam nos commoratus.

CICERO REGI S.D.

A. Licinius Ariſtoteles Melitenſis, antiquiſſimus eſt hoſpes meus, & praeterea conjunctus magno uſu familia-

REGI] Alii credunt Romanum quendam *Regem* vocatum, alii Deiotarum Armeniae minoris regem intelligi volunt: quibus ut aſſentiar, faciunt epiſtolae verba, quibus Licinium regi, ut Pompeianum Pompeiano

miliaritatis. Haec cum ita ſint, non dubito quin tibi ſatis commendatus ſit. Etenim ex multis cognoſco, meam commendationem plurimum apud te valere. Hunc ego a Caeſare liberavi. Frequens enim fuerat nobiſcum, atque etiam diutius in cauſſa eſt quam nos commoratus: quo melius te de eo exiſtimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat has ſibi litteras plurimum profuiſſe.

no commendat. *Corradus.* Sed vide Manut.

Melitenſis] *Melita* eſt inſula inter Africam & Siciliam, hodie *Malta.* de qua Ovidius Faſt. III.

Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſurae,
Inſula quam Libyci verberat unda freti.

Eſt & alia ejuſdem nominis inſula inter Epirum & Italiam in Ionio mari, quae & ipſa *Malta* nunc dicitur. Sed cum illa coleretur a Graecis, & longe cultior eſſet & celebrior, vero ſimile eſt hunc *Ariſtotelem* fuiſſe hujus Libycae Melites incolam, quae & appulſu Paulli & Rhodiorum equitum ſede nobilis eſt. quod & nomen *Ariſtotelis* in illius plagae terris & inſulis non inſolens videtur innuere. ſic Battus Cyrenaeorum Rex fuit dictus Ariſtoteles: & alius Ariſtoteles Cyrenaeus Pyctes, cujus continentiam laudat Clemens Alexand. III Stromat. *Gravius.*

Diutius in cauſſa eſt quam nos commoratus] Qui, victo Pompeio, a bello diſceſſimus. *Corrad.*

Te de eo exiſtimaturum] Ut Pompeianum. *Idem.*

EPISTOLA LIII.

ARGVMENTVM.

Curvum in omnibus rebus, praecipue vero in Helleſpontiis negotiis commendat. Scripta eſt vel Ser. Sulpicio, M. Marcello Coss. vel anno ſequenti, Paullo & Marcello. quo enim tempore proconſul Cicero Ciliciae, eodem Aſiae Thermus praeerat: ut apparet ex ep. 54, 55, 57, *& ep.* 18. *lib.* II.

CICERO THERMO PROPR. S.

L. Genucilio Curvo jam pridem utor familiariſſime, optimo viro & homine gratiſſimo. Eum tibi penitus commendo atque trado. Primum, ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua dignitaſque patietur: patietur autem in omnibus. nihil enim abs te unquam, quod ſit

THERMO PROPR. ET.] Epiſt. 18 lib. II. *Corradus.*

Quod

ſit alienum tuis aut etiam ſuis moribus, poſtulabit. Praecipue autem tibi commendo negotia ejus quae ſunt in Helleſponto, primum, ut obtineat id juris in agris quod ei Pariana civitas decrevit & dedit, & quod ſemper obtinuit ſine ulla controverſia: deinde, ſi quid habebit cum aliquo Helleſpontio controverſiae, ut in illam διοίκησιν rejicias. Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem diligentiſſime commendarim, ſingulas ad te ejus cauſſas perſcribere debere. Summa illa ſit: quidquid officii, beneficii, honoris in Genucilium contuleris, id te exiſtimabo in me ipſum atque in rem meam contuliſſe.

Quod ei Patriana civitas decrevit] Nos *Pariana* ſcripſimus cum antiquis codicibus. *Parion* autem civitas in Helleſponto, Stephano, Straboni, reliquis. Parianam coloniam his locis nominat Plinius. Miror hoc mendum tanto tempore non ſublatum eſſe; cum enim negotia quæ in Helleſponto contraxerat commendet, quid hoc ad Patras Achaiæ urbem pertinet? ſi ulla ratione a Patris Patrianus deduci poſſet. *Victor.* *Pariana civitas*] Quæ auctore Plin. colonia eſt in Helleſponto. *Corrad.*

EPISTOLA LIV.

ARGVMENTVM.

Primum agit gratias Thermo, quod Marcilium liberaliſſime tractaverit. deinde petit, operam det ne Marcilii ſocrus rea fiat. Paullo & Marcello Coss.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

CVm multa mihi grata ſunt quae tu adductus mea commendatione feciſti, tum in primis quod M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium liberaliſſime tractaviſti. Venit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihique propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum eſt, a te peto, quum apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes, operamque des, quoad fides tua patietur, ut ſocrus adoleſcentis rea ne fiat. Ego cum

Venit Laodiceam] Ubi ego eram Procos. *Corradus.*

cum antea ſtudioſe commendabam Marcilium, tum multo nunc ſtudioſius, quod in longa apparitione, ſingularem & prope incredibilem patris Marcilii fidem, abſtinentiam, modeſtiamque cognovi.

In longa apparitione] Cum mihi Proconſuli appareret, & me præiret, quod qui faciebant *apparitores* dicti. vid. Manut.

EPISTOLA LV.

ARGUMENTUM.

Commendat Anneium, legatum ſuum, in controverſia Sardiana. Eodem anno.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

Etſi mihi videor intellexiſſe, cum tecum Epheſi de re M. Anneii, legati mei, locutus ſum, te ipſius cauſſa vehementer omnia velle, tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem praetermittendum, quod illius interſit: & me a te tanti fieri puto, ut non dubitem quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meae. Nam cum jam diu diligerem M. Anneium, deque eo ſic exiſtimarem ut res declarat, quod ultro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegaſſem: tum vero poſtea quam mecum in bello atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardianis habere controverſiam ſcis: cauſſam tibi expoſuimus Epheſi: quam tu tamen coram facilius meliuſque cognoſces. De reliquo mihi, mehercule, diu dubium fuit quid ad te potiſſimum ſcriberem. Ius enim

Epheſi] Quo veni ad XI Kal. Sext. in Ciliciam proficiſcens. *Corrad.*

De re M. Anneii] Epiſt. 4 lib. 15. *Idem.*

Cum Sardianis] Sardes Lydiæ civitas præcipua, quæ pertinebat ad præfecturam Aſiæ.

Facilius meliuſque cognoſces] Ab ipſo M. Anneio, qui iſtuc venit: Epiſt. 57 hujus libri. *Corrad.*

Pro

enim quemadmodum dicas, clarum & magna cum tua laude notum eſt. Nobis autem in hac cauſſa nihil aliud opus eſt, niſi te jus inſtituto tuo dicere. Sed tamen cum me non fugiat quanta ſit in praetore auctoritas, praeſertim iſta integritate, gravitate, clementia, qua te eſſe inter omnes conſtat: peto abs te pro noſtra conjunctiſſima neceſſitudine, plurimiſque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, ſtudio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te & ſibi amicum eſſe, quod non dubitat: ſaepe enim mecum locutus eſt, & multo amiciorem his meis litteris eſſe factum. In tuo toto imperio, atque provincia, nihil eſt quod mihi gratius facere poſſis. Iam, apud ipſum gratiſſimum hominem atque optimum virum, quam bene poſiturus ſis ſtudium tuum atque officium, dubitare te non exiſtimo.

Pro noſtra conjunctiſſima neceſſitudine] Sæpius in MSS. pro hoc, *neceſſitate* reperi, ſicut hic quoque in Palatino ſexto & Hittorpiano, & credibile eſt ita Ciceronem *neceſſitatem* extuliſſe, quum ita Cæſar locutus eſſe deprehendatur in fragmentis. *Gebhardus.*

EPISTOLA LVI.

ARGUMENTUM.

Negotia commendat Cluvii Puteolani. Sulpicio & Marcello Coſſ. vel anno ſequenti.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D.

CLuvius Puteolanus valde me obſervat, valdeque eſt mihi familiaris. Is ita ſibi perſuadet, quod in tua provincia negotii habeat, niſi te provinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id ſe in perditis & deſperatis habiturum. Nunc, quum mihi ab amico officioſiſſimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me ſummis officiis, ita tamen ut tibi nolim moleſtus eſſe. Mylaſeis & Alabandeis pecuniam Cluvio debent. Dixe-

M*ylaſii & Alabandenſes*] Nos auctoritate vetuſtorum codicum *Mylaſeis & Alabandeis* ſcripſimus. Sunt autem Græca declinatione a ſingulari recto

Dixerat mihi Euthydemus, cum Epheſi eſſem, ſe curaturum ut ecdici Mylaſii Romam mitterentur. id factum non eſt. Legatos audio miſſos eſſe, ſed malo ecdicos, ut aliquid confici poſſit. Quare peto a te, ut & eos, & Alabandeis jubeas ecdicos Romam mittere. Praeterea Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit. hae commiſſae ſunt. Velim cures, ut aut de hypothecis decedat, eaſque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam ſolvat. Praeterea Heracleotae, & Bargiletae, qui item debent, aut pecuniam ſolvant, aut fructibus ſuis ſatisfaciant. Caunii praeterea debent, ſed ajunt ſe depoſitam pecuniam habuiſſe. Id velim cognoſcas, &, ſi intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto depoſitam habuiſſe, des operam ut uſurae Cluvio inſtituto tuo conſerventur. His de rebus eo magis laboro, quod agitur res Cn. Pompeii etiam, noſtri neceſſarii, & quod is magis etiam mihi laborare videtur, quam ipſe Cluvius: cui ſatisfactum eſſe a nobis valde volo.

recto μυλασεῦσι & ἀλαβανδεῦσι deducti. *Victor.* *Mylaſa* & *Alabanda* ſunt Cariæ urbes in Aſia minore. vide Plin. lib. v, cap. 28 & 29.

Ecdici Mylaſii] Ultores, qui eos perſequuntur qui Reip. pecunias debent. hos Quæſtores quoſdam dicere poſſumus. *Corrad.* *Ecdicus* Juſtiniano defenſor civitatis appellatur, vindex reipublicæ, qui inprimis publicas pecunias curabant & perſequebantur. Aliter dicitur Syndicus. Plin. lib. x, epiſt. 111. *Ecdicus Domine Amiſenorum civitatis petebat apud me a Julio Piſone denariorum circiter* XL. *millia donata ei publice ante annos viginti, & Bule, & Eccleſia conſentiente.* dicebantur & *cognitores.* Gloſſæ. *Cognitor*, ἐκδικος. de quo vide Gronov. lib. IV de Pec. vet. c. 3.

Ὑποθήκας *Cluvio dedit*] *Hypotheca* proprie eſt pignus quodvis, quod debiti cauſſa creditori obligatur: ſed ſtrictius Latinis hypotheca dicitur, quod non traditur in manus creditori, ſed ſubjicitur ejus poteſtati & juri, poſſeſſione penes debitorem remanente: contra pignus poſſidendum traditur creditori. hinc *dare hypothecas* eſt res immobiles creditori obligare, ut multis docet Cl. Salmaſius de modo Uſurarum, cap. 12.

Hæ commiſſa ſunt] Hoc eſt, poſſeſſiones, quoniam ad diem ſolutum debitum non eſt, venerunt in poteſtatem creditoris, ut illas poſſit vendere. *Hypotheca* enim *committi* dicuntur, quæ ceſſante ſolutione debiti, creditoris fiunt. Sic *merces commiſſa* dicebantur quas apud publicanum non profeſſi erant, & hanc ob cauſſam amittebantur. vide Salmaſ. de modo Vſurarum, cap. 14.

De hypothecis decedat] Eſt poſſeſſiones oppigneratas quoniam non ſolvit, creditori vendendas tradat.

Heracleota & Bargileta] Heraclea & Bargylos civitates ſunt Cariæ.

Caunii præterea debent] *Caunus* eſt Cariæ oppidum, valetudine habitantium infame, ut Mela ait lib. I, c. 16.

Bellum

volo. His de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA LVII.

ARGUMENTUM.

Petit a Thermo ut Anneium, legatum ſuum, remittat; eumque commendat in negotio ſuo. Paullo & Marcello Coſs.

CICERO THERMO PROPR. S.

QUo magis quotidie ex litteris nuntiiſque bellum magnum eſſe in Syria cognoſco, eo vehementius a te pro noſtra neceſſitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. Nam ejus opera, conſilio, ſcientia rei militaris, vel maxime intelligo me & remp. adjuvari poſſe. Quod niſi tanta res ejus ageretur, nec ipſe adduci potuiſſet ut a me diſcederet, neque ego, ut eum a me dimitterem. Ego in Ciliciam proficiſci cogito circiter Kal. Mai. Ante eam diem Anneius ad me redeat oportet. Illud quod tecum & coram & per litteras diligentiſſime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curae tibi ſit, ut ſuum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro cauſſae veritate & pro ſua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cum tecum Epheſi locutus ſum, te ipſius M. Anneii cauſſa omnia velle. Sed tamen ſic velim exiſtimes, te mihi nihil gratius facere poſſe quam ſi intellexero, per te illum ipſum negotium ex ſententia confeciſſe. Idque quam primum ut efficias, te etiam atque etiam rogo.

BEllum magnum] Parthicum. *Corradus.*

Ego in Ciliciam proficiſci] Finitis juriſdictionibus Aſiaticis. *Idem.*

Circiter Kal. Mai.] Prope finem anni. iverat enim in provinciam prid. Kalend. Sext. *Idem.*

Per litteras] Ep. 55 hujus libri. *Id.*

EPISTOLA LVIII.

ARGVMENTVM.

Commendat L. Cuſtidium. Eodem anno, aut ſuperiore. ſcripſit enim hanc epiſtolam cum eſſet in provincia.

M. CICERO C. TITIO L. F. RVFO, PR. VRBANO S.

L. Cuſtidius eſt tribulis, & municeps, & familiaris meus. Is cauſſam habet, quam cauſſam ad te deferet. Commendo tibi hominem, ſicuti tua fides & meus pudor poſtulat: tantum ut facilis ad te aditus habeat: quae aequa poſtulabit, ut libente te impetret: ſentiatque meam ſibi amicitiam, etiam cum longiſſime abſim, prodeſſe in primis apud te.

Q*Va aqua poſtulabit, ut lubente te impetret*] Secutus ſum olim codices vulgatos: cur fecerim, cauſſa hæc eſt. ſcribit Cicero ad prætorem urb. ei commendat Cuſtidii cauſſam, petitque ab eo ut, quæ æqua poſtulabit, eo *jubente* impetret. At prætoris eſt decernere & jubere. Licet tamen & legere, ut eſt in libris MSS. *te lubente*, ſeu *libente*. id eſt, te volente, tua voluntate. Ac, ne quid diſſimulem, mihi nunc hoc modo legi placet, & item in epiſtola proxima. *Lambin.* *Ut libente te impetr.*] Placet jam hæc lectio, Lambino in prima editione poſthabita vulgatæ, *ut jubente te impetret.* Eam certe in editionum primaria, Palatinis, Vaticani excerptis, Stewechiano, Hittorpiano. eandem quoque recte admiſit Victorius. *Gebhardus.*

EPISTOLA LIX.

ARGVMENTVM.

Commendat M. Fabium Curtio praetori. Eodem anno.

M. T. C. C. CVRTIO PEDVCAEANO PRAETORI S. D.

M. Fabium unice diligo, ſummaque mihi cum eo conſuetudo & familiaritas eſt pervetus. In ejus controverſiis quid decernas, a te non peto ſervabis, ut tua fides & di-

& dignitas poſtulat, edictum, & inſtitutum tuum, ſed ut quam facillimos ad te aditus habeat: quae erunt aequa, libente te impetret: ut meam amicitiam ſibi, etiam cum procul abſim, prodeſſe ſentiat, praeſertim apud te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA LX.

ARGVMENTVM.

Commendat Livineium libertum. Incertus annus.

M. T. C. MVNATIO C. F. S. D.

L. Livineius Trypho eſt omnino L. Reguli, familiariſſimi mei, libertus, cujus calamitas etiam officioſiorem me facit in illum. nam benevolentior, quam ſemper fui, eſſe non poſſum. Sed ego libertum ejus per ſe ipſum diligo. ſumma enim ejus erga me officia extiterunt his noſtris temporibus, quibus facillime bonam benevolentiam hominum & fidem perſpicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati & memores benemeritos de ſe commendare debent. Pergratum mihi feceris, ſi ille intellexerit, ſe, quod pro ſalute mea multa pericula adierit, ſaepe hieme ſumma navigarit, pro tua erga me benevolentia gratum etiam tibi feciſſe.

B *Onam benevolentiam*] Id eſt, veram, & quam alicubi *fidelem* vocat, non fictam atque ſimulatam. *Bernhard. Rutilius.*

EPISTOLA LXI.

ARGVMENTVM.

Commendat Pinnium in exactione pecuniae, quam ei Nicaeenſes debent. Scripta a proconſule Cicerone: quod ex ep. 64 intelligitur.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

T. Pinnio familiariſſime me uſum eſſe, ſcire te arbitror, quod quidem ille teſtamento declaravit, qui me cum tutorem, tum etiam ſecundum heredem inſtituerit. Ejus filio mire ſtudioſo, & erudito, & modeſto, pecuniam Nicaeenſes grandem debent, ad HS octogies: &, ut audio, in primis volunt ei ſolvere. Pergratum igitur mihi feceris, quando non modo reliqui tutores, qui ſciunt quanti me facias, ſed etiam puer ipſe ſibi perſuaſit, te omnia mea cauſſa facturum eſſe, ſi dederis operam, quoad tua fides dignitaſque patietur, ut quam plurimum pecuniae Pinnio ſolvatur Nicaeenſium nomine.

P. *SILIO PROPR.*] Bithyniæ, in qua urbs erat Nicæa, a qua *Nicaenſes* ſunt dicti. In epiſtolis vero ad Atticum oſtendit Cicero, ſe, Bibulum, Thermum, & hunc Silium in provinciis eodem tempore fuiſſe. *Corradus.*

Ad HS octogies] Hoc eſt, ducenta millia Philippeum, ſeu ſcutatorum, ſive ſexcenta millia florenorum Belgicorum.

EPISTOLA LXII.

ARGUMENTUM.

Primum de Atilio gratias agit, deinde Q. Fratrem commendat. Eodem anno.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

ET in Atilii negotio te amavi: cum enim ſero veniſſem, tamen honeſtum equitem Romanum beneficio tuo conſervavi: & mehercule ſemper ſic in animo habui, te in meo aere eſſe propter Lamiae noſtri conjunctionem, & ſingularem neceſſitudinem. Itaque primum tibi ago gratias, quod me omni moleſtia liberas: deinde impudentia proſequor, ſed idem ſarciam. Te enim ſemper ſic colam,

&

T*E enim ſemper ſic colam*] Hittorp. *te enim mihi ſemper ſic colam.* Forte, *te enim, mihi crede, ſemper ſic colam.* Grævius.

& tuebor, ut quem diligentiſſime. Quintum fratrem meum, ſi me diligis, eó numero cura ut habeas quo me. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris.

EPISTOLA LXIII.

ARGVMENTVM.

Commendat ſtudioſe inprimis M. Laelium. Eodem anno.

M.T.C. P. SILIO PROPR. S.P.D.

NOn putavi fieri poſſe ut mihi verba deeſſent: ſed tamen in C. Laenio commendando deſunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis, ſed tamen ut plane perſpicere poſſis voluntatem meam. Incredibile eſt quanti faciamus & ego & frater meus, qui mihi cariſſimus eſt, M. Laenium. id fit cum plurimis ejus officiis, tum ſumma probitate & ſingulari modeſtia. Eum ego a me invitiſſimus dimiſi, cum propter familiaritatem & conſuetudinis ſuavitatem, tum quod conſilio ejus fideli ac bono libenter utebar. Sed vereor ne jam mihi ſupereſſe verba putes, quae dixeram defutura. Commendo tibi hominem, ſicut intelligis, me, de quo ea ſupra ſcripſerim, debere commendare. A teque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum eſſe, ipſi dicas. Hominem facillimum, liberaliſſimumque cognoſces. Itaque te rogo, ut eum ſolutum, liberum, confectis ejus negotiis per te, quam primum ad me remittas. Id mihi fratrique meo gratiſſimum feceris.

EPISTOLA LXIV.

ARGVMENTVM.

Agit gratias de Nerone honorificentiſſime tractato, & eundem Neronem omnibus in rebus, praetereaque familiares ejus Niſaeos & Strabonem Servilium commendat. Eodem anno.

M.T.C.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

NEro meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorſus incredibiles, ut nullum honorem ſibi haberi potuiſſe diceret qui a te praetermiſſus eſſet. Magnum fructum ex ipſo capies. nihil eſt enim illo adoleſcente gratius. Sed mehercule mihi quoque gratiſſimum feciſti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaque, ſi ea feceris, quae ille per me tecum agi voluit, gratiſſimum mihi feceris. Primum de Pauſania Alabandenſi, ſuſtentes rem dum Nero veniat. Vehementer ejus cauſſa cupere eum intellexi. Itaque hoc valde te rogo. Deinde Nyſaeos, quos Nero in primis habet neceſſarios, diligentiſſimeque tuetur ac defendit, habeas tibi commendatiſſimos: ut intelligat illa civitas, ſibi in Neronis patrocinio ſummum eſſe praeſidium. Strabonem Servilium tibi ſaepe commendavi: nunc eo facio id impenſius quod ejus cauſſam Nero ſuſcepit. Tantum a te petimus, ut agas eam rem, ne relinquas hominem innocentem ad alicujus tui diſſimilis quaeſtum. Id cum gratum mihi erit, tum etiam exiſtimabo, te humanitate tua eſſe uſum. Summa hujus epiſtolae haec eſt, ut ornes omnibus rebus Neronem, ſicut inſtituiſti atque feciſti. Magnum theatrum habet iſta provincia, non ut haec noſtra, adoleſcentis nobilis, ingenioſi, abſtinentis commendationem atque gloriam. Quare ſi te fautore uſus erit, ſicuti profecto & utetur, & uſus eſt, ampliſſimas clientelas acceptas a majoribus confirmare poterit,

NIſaeos] Scribendum *Nyſaeos* ex veteribus Graecis numiſmatibus, in quibus eſt ΝΥΣΑΙΩΝ. *Urſin.* *Nyſa* haec Lydiae Maeoniae urbs; opulentis & claris civibus celebris. vide Strabonem lib. x. Fuerunt autem plures hujus nominis urbes, de quibus Steph. de Urbibus.

Magnum theatrum habet iſta provincia] Senſus eſt, niſi fallor, Licet tibi amplius re ipſa inſervire, & commodare Neroni, quam ego verbis explicare. provincia igitur tua ſuſcipiendi adoleſcentis multas variaſque cauſſas habet, magnum latumque theatrum, id eſt, ſpatium atque aream. nam ego quidem uno verſiculo expedire meam commendationem poſſum, ut ſcilicet adoleſcentem tibi confirmem, nobilem, ingenioſum, abſtinentem. *Bernhard. Rutil.* *Magnum theatrum habet iſta provincia*] Hoc eſt, in omnium oculis geruntur, quae in hac geruntur provincia, ut nemini poſſint latere. vide ad lib. XII, ep. 29.

Qui

rit, & beneficiis ſuis obligare. Hoc in genere ſi eum adjuveris eo ſtudio quo oſtendiſti, apud ipſum praeclariſſime poſueris: ſed mihi etiam gratiſſimum feceris.

EPISTOLA LXV.

ARGUMENTUM.

Hiſponem in eo commendat, ut pactiones cum civitatibus conficiat. Eodem anno.

M. T. C. P. SILIO PROPR. S. D.

CUm P. Terentio Hiſpone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat, mihi ſumma familiaritas conſuetudoque eſt, multaque & magna inter nos officia paria & mutua intercedunt. Ejus ſumma exiſtimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. Non me praeterit, nos eam rem Epheſi expertos eſſe, neque ab Epheſiis ullo modo impetrare potuiſſe. Sed quum, quemadmodum omnes exiſtimant, & ego intelligo, tua cum ſumma integritate, tum ſingulari humanitate & manſuetudine conſecutus es, ut libentiſſimis Graecis, nutu, quod velis, conſequare: peto a te in majorem modum, ut honoris mei cauſſa, hac laude Hiſponem affici velis. Praeterea cum ſociis ſcripturae mihi ſumma neceſſitudo eſt, non ſolum ob eam cauſſam, quod ea ſocietas univerſa in mea fide eſt, ſed etiam quod pleriſque ſociis utor familiariſſime. Ita & Hiſponem meum per me ornaris, & ſocietatem mihi conjunctiorem feceris: tuque ipſe & ex hujus obſervantia, gratiſſimi hominis, & ex ſociorum gratia, hominum ampliſſimorum, maximum fructum capies, & me ſummo beneficio affeceris. Sic enim velim exiſtimes, ex tota tua pro-

QUi operas in ſcriptura pro magiſtro dat] Hoc eſt, qui vicarius eſt magiſtri ſocietatis publicanorum, qui paſcuum agrum conduxerant. Hoc enim vectigal dicebatur *ſcriptura*. Cic. 11 in Verr. *In ſcriptura Sicilia pro magiſtro eſt quidam Lucius Carpinarius.* vide ſupra ad epiſt. 6 hujus libri.

P. SER-

provincia omnique iſto imperio, nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis.

EPISTOLA LXVI.

ARGUMENTUM.

Caecinam in colligendis Aſiaticae negotiationis reliquiis commendat. Caeſare III. Lepido Coſſ.

M. T. C. P. SERVILIO PROPR. S. D.

A. Caecinam, maxime proprium clientem familiae veſtrae, non commendarem tibi, cum ſcirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitoſos ſoleres eſſe: niſi me & patris ejus, quo ſum familiariſſime uſus, memoria, & hujus fortuna ita moveret ut hominis omnibus mecum ſtudiis officiiſque conjunctiſſimi, movere debebat. A te hoc omni contentione peto, ſic ut majore cura, majore animi labore petere non poſſim, ut ad ea quae tua ſponte ſine cujuſquam commendatione faceres in hominem tantum & talem, calamitoſum, aliquem afferant cumulum meae litterae, quo ſtudioſius eum, quibuſcunque rebus poſſis, juves.

P. *SERVILIO*] P. Servilii Vatiæ Iſaurici F. Propræt. Aſia enim, cui præerat, provincia prætoria erat, & in veteribus libris ita legitur. Si quis tamen *Procoſ.* legere malit, non valde repugnem: quando alterum pro altero poni ſæpe video. Is fuit Coſ. cum Julio Cæſare in ſecundo conſulatu. *Corradus.* Imo Aſia fuit Proconſularis provincia in quam interdum mittebantur Prætores, qui tamen tum Proconſules dicebantur.

A. Cæcinam] Lib. VI. *Corrad.*

In hominem tantum, & talem] Sic omnes vulgati & antiqui codices. Quia tamen audivi nonnullos eruditos viros aliter hunc locum legiſſe, quemadmodum illi ſubtiliter magis quam vere (ni fallor) corrigebant, exponam. Legebant, inquam, illi *tam tuum, & tam calamitoſum*, maxime (ut opinor) in hoc conſilium impulſi, quod ſupra dicit ipſum *proprium clientem* ipſorum *familiæ*. Nos receptam & in cunctis veteribus noviſque eandem lectionem nunquam rejiceremus. *Tantum* autem eum appellare credimus, quoniam fuit vere ſummus vir, & maxima ingenii fama: *talem* autem, ut ingenuos & probatos mores intelligat. Laudatur autem mirifice cunctis locis a Cicerone. Seneca quantopere eum admiretur & celebret, omnibus notum eſſe arbitror. Sic etiam Balbus locutus eſt in epiſtola ad Ciceronem, *Atque hoc non ſolum in te tali & tanto viro ſatis habebit, ſed etiam mihi ipſe ſua conceſſit bonitate*, &c. *Victor.*

Calamitoſum] Opinor hanc vocem gloſſam alicujus eſſe, qui locum explicatione illuſtrare voluerit: nec enim in omnibus libris reperitur. *Urſinus.*

Colle-

ves. Quod ſi Romae fuiſſes, etiam ſalutem A. Caecinae eſſemus, ut opinio mea fert, per te conſecuti. De qua tamen magnam ſpem habemus, freti clementia collegae tui. Nunc, quum tuam juſtitiam ſecutus, tutiſſimum ſibi portum provinciam iſtam eſſe duxit, etiam atque etiam te rogo atque oro, ut eum & in reliquis veteris negotiationis colligendis juves, & ceteris rebus tegas atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Collegae tui] Cæſaris. *Corradus.*

In reliquis] Epiſt. 8 lib. VI. *Idem.*

In reliquis veteris negotiationis colligendis] Vulgatam ſcripturam non probo. Miror hunc locum tamdiu in mendo cubuiſſe, cum & ejus emendatio ſit facilis, & ſcriptura vulgata abſurda, & multi libri veteres veram lectionem oſtendant. Nam & in Palat. sex. & in Mentel. & in meo ſecundo ſcribitur recte: *in reliquis veteris negotiationis colligendis*. *Reliqua* enim, ut notum, ſunt quæ rationibus ſubductis debita ſolvenda remanent, ut & penſiones, ac vectigalia ad diem non ſoluta. nobis *reſtantes*. Cic. XVI ad Att. ep. 2. *Sed cum videas quantum de jure noſtro deceſſerimus, qui de reſiduis* CCCC HS, CC *præſentia ſolverimus, reliqua perſcribamus.* Mox: *quanquam enim reliqua ſatis apta ſint ad ſolvendum; tamen fit ſæpe, ut ii, qui debent, non reſpondeant ad tempus.* Et lib. XVI, ep. 3. *Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum.* In Pandectis: *Reliqua vectigalis, reliqua conductionis.* & *reliquari* ac *reliquatores* de iis qui non ad diem ſolvunt vectigal, penſionem. Nullus dubito quin & in lib. VI. ep. 8 ſcribendum ſit *in Siciliam ſubſidiis, an ad reliqua Aſiatica negotiationis proficiſcare*, niſi dicas *reliquias* in his locis ead. notione accipi qua *reliqua* ſolent. Si uſus non repugnat, nihil moveo. Nunc quidem præter hæc duo alia mihi nulla ſuccurrunt exempla. *Gravius.*

EPISTOLA LXVII.

ARGUMENTUM.

Commendat Andronem Laodicenſem. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO PROPR. S. D.

EX provincia mea Ciliciensi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius uſus quam Androne, Artemonis filio, Laodicenſi: cumque habui

Τρεῖς διοικήσεις] Treis juriſdictiones. de quibus ad Atticum Cicero ita ſcribit, *In Aſiam profectus ſum Non. Jan. forum Id. Feb. inſtitueram agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamenſe ex Idib. Mart. ib. dein Synnadenſe Pamphylium cum Seſſamone.* de his etiam Plinius lib. V, c. 28 & 29 meminit. *Corrad.*

Androne Arthemonis filio] Delenda aſpirationis nota ex nomine *Artemonis*, quod Græci Ἀρτέμων ſcribunt. *Urſinus.*

ISAV-

habui in ea civitate cum hoſpitem, tum vehementer ad meae vitae rationem & conſuetudinem accommodatum. Quem quidem multo etiam pluris poſteaquam deceſſi facere coepi, quod multis rebus expertus ſum gratum hominem, meique memorem. Itaque eum Romae libentiſſime vidi. Non enim te fugit, qui plurimis in iſta provincia benigne feciſti, quam multi grati reperiantur. Haec propterea ſcripſi, ut & me non ſine cauſſa laborare intelligeres, & tu ipſe eum dignum hoſpitio tuo judicares. Feceris igitur mihi gratiſſimum, ſi ei declararis quanti me facias; id eſt, ſi receperis eum in fidem tuam, & quibuſcunque rebus honeſte ac ſine moleſtia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi erit vehementer gratum: idque ut facias, te etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA LXVIII.

ARGUMENTUM.

Significat quam ſibi gratum fuerit curſus illius navigationis cognoſcere: petit ut de ſtatu provinciae inſtitutiſque ſuis perſcribat. poſtremo ſuum officium ad omnia pollicetur. Eodem anno. ſed hanc epiſtolam ceteris ad eundem Servilium ſcriptis praeponendam eſſe, ex ipſo facile intelligitur argumento.

M.T.C. P. SERVILIO ISAURICO PROC. COLLEGAE S.D.

GRatae mihi vehementer tuae litterae fuerunt, ex quibus cognovi curſus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam noſtrae neceſſitudinis, qua mihi nihil poterat eſſe jucundius. Quod reliquum eſt, multo etiam erit gratius, ſi ad me de repub. id eſt, de ſtatu provin-

ISAURICO] P. Servilius pater cum Iſauros in Cilicia domuiſſet, *Iſauricus* eſt appellatus: unde filius nunc Iſauricus dicitur. niſi forte & ipſe id cognominis ſibi acquiſiverit. *Corradus.*

Si ad me de rep. id eſt, de ſtatu provincia, de inſtitutis tuis] Stewech. Amſtelod.

vinciae, de inſtitutis tuis familiariter ſcribes. Quae quanquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentiſſime ex tuis litteris cognoſcam: Ego ad te de reip. ſumma quid ſentiam non ſaepe ſcribam, propter periculum ejuſmodi litterarum. Quid agatur autem ſcribam ſaepius. Sperare tamen videor, Caeſari, collegae noſtro, fore curae, & eſſe, ut habeamus aliquam rempub. cujus conſiliis magni referebat te intereſſe. Sed, ſi tibi utilius eſt, id eſt, glorioſius, Aſiae praeeſſe, & iſtam partem reipub. male affectam tueri, mihi quoque idem, quod tibi & laudi tuae profuturum eſt, optatius debet eſſe. Ego, quae ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, ſummo ſtudio diligentiaque curabo: in primiſque tuebor omni obſervantia clariſſimum virum, patrem tuum: quod & pro vetuſtate neceſſitudinis, & pro beneficiis veſtris, & pro dignitate ipſius facere debeo.

Iod. Mentel. meus ſecund. *Si ad me de rep. & de ſtatu provincia, de inſtitutis tuis.* quod vulgatæ præferendum duco. Nam & in codicibus, quos Lambinus excuſſit, aberant *id eſt.* De copula poſt non repetita non eſt quod laboremus. Nam & talia exempla ſuperius fuerunt notata. Si quis tamen Ciceronem ſcripſiſſe cenſeat, *ſi ad me de rep. de ſtatu provincia, de inſtitutis tuis,* ut libri Lambiniani præ ſe ferebant, non repugnem. *Grav.*

De reip. ſumma] Mallem cum Lambino, *re publica ſumma*, quod & ſext. Pal. agnoſcit. ſed adverſantur antiquiſſimi & melioris notæ codices omnes. *Idem.*

Cæſari collega noſtro] In auguratu. nam Dion teſtatur, Cæſarem etiam augurem fuiſſe. *Corradus.* Erant augures Cicero, Servilius & Cæſar. Servilii autem auguratus indicatur litui ſigno in veteribus Serviliæ gentis denariis. *Urſinus.*

EPISTOLA LXIX.

ARGUMENTUM.

Petit ut C. Curtium in fidem recipiat, habeatque in numero ſuorum. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGAE S. D.

C. Curtius Mithres, eſt ille quidem, ut ſcis, libertus Poſtumi, familiariſſimi mei: ſed me colit & obſer-

vat aeque atque illum ipſum patronum ſuum. Apud eum ſic Epheſi fui, quotieſcunque fui, tanquam domi meae: Multaque acciderunt, in quibus & benevolentiam ejus erga me experirer, & fidem. Itaque ſi quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Aſia opus eſt, ad hunc ſcribere conſuevi, hujus cum opera & fide, tum domo & re uti, tanquam mea. Haec ad te eo pluribus ſcripſi, ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitioſe, ſed ut pro homine intimo, ac mihi pernecеſſario, ſcribere. Peto igitur a te, ut in ea controverſia quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum & honoris mei cauſſa commodes; etſi, ut ejus modeſtiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si & mea commendatione, & ſua probitate aſſecutus erit, uti de ſe bene exiſtimes, omnia ſe adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem, habeaſque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe diligenterque curabo.

UT *intelligeres me non vulgariter, nec ambitioſe*] Omnia vetera exemplaria *vulgare*, non *vulgariter*. Quod licet non receperimus, (nec enim alibi hoc adverbium legimus) tamen hic adnotare rectum putavimus. Nam aliis etiam nominibus pro adverbiis uſos eſſe antiquos compertum eſt, ut *ſublime* pro *ſublimiter*, & *recens* pro *recenter*. Quare non mirum eſſet, ſi hic quoque *vulgare* pro *vulgariter* ſumptum eſſet. *Victorius*. *Non vulgare*] Sic edidi ex Palatinis, Hittorpiano, Stewechiano; notatque eam lectionem ad primam impreſſionem ex Mediceo Egnatius; quemadmodum Victorius quoque in omnibus ſuis legi teſtatur. Vulgo *vulgariter*, quod contra omnes libros recipi non debet, neque illud quod ignotius, ideo exturbari. *Gebhardus*. Praeſtat hic vulgatam lectionem ſequi cum Manutio, Lambino & ipſo Victorio, quam perverſam & a ratione abhorrentem ſcripturam nonnullorum codicum. Hinc nec ipſe Victorius eam ſuſtinuit immutare.

Cum quod. Colophonio] *Colophon* Ioniae, Aſiae minoris urbs.

EPISTOLA LXX.

ARGVMENTVM.

Commendat libertum Balbi Menandrum. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGAE S.P.D.

QVia non eſt obſcura tua in me benevolentia, ſic fit ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnunquam in vulgus: ſed plerumque neceſſariis in hoc tempore. Nam cum T. Ampio Balbo mihi ſumma familiaritas neceſſitudoque eſt. Ejus libertum, T. Ampium Menandrum, hominem frugi & modeſtum, & patrono & nobis vehementer probatum, tibi commendo majorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, ſi, quibuſcunque rebus ſine tua moleſtia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

CVm *T. Appio Balbo*] Nos *Ampio* ſcripſimus & hic & paullo poſt, ſed aliis etiam multis locis, eorundem codicum incontaminatam fidem ſecuti. *Victorius.*

EPISTOLA LXXI.

ARGVMENTVM.

T. Aguſium commendat, veterem amicum. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGAE S.D.

MVltos tibi commendem neceſſe eſt, quum omnibus nota noſtra neceſſitudo eſt, tuaque erga me benevolentia. Sed tamen etſi omnium cauſſa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi cauſſa eſt. T. Aguſius & comes meus fuit illo miſerrimo tempore, & omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum ſocius: neque hoc tempore diſceſſiſſet a me, niſi ego ei permiſiſſem. Quare ſic tibi cum commen-

 do

do ut unum de meis domeſticis, & maxime neceſſariis. Pergratum mihi feceris, ſi cum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem ſibi magno uſui atque adjumento fuiſſe.

EPISTOLA LXXII.

Argumentum.

Petit a Servilio, ut omnibus rebus Cerelliae benigne faciat. Eodem anno.

M. T. C. P. SERVILIO COLLEGAE S. D.

CErelliae, neceſſariae meae, rem, nomina, poſſeſſiones Aſiaticas commendavi tibi praeſens in hortis tuis, quam potui diligentiſſime: tuque mihi, pro tua conſuetudine, proque tuis in me perpetuis maximiſque officiis, omnia te facturum liberaliſſime recepiſti. Meminiſſe te id ſpero. ſcio enim ſolere. Sed tamen Cerelliae procuratores ſcripſerunt, te propter magnitudinem provinciae, multitudinem-

C *Erellia neceſſaria mea*] Hæc eſt *Cerellia* illa, cum qua familiaritatem habuit ſenex Cicero, ut non ceſſarint adverſarii hunc amorem, laſcivaſque epiſtolas ad illam ſcriptas ei exprobrare, maximeque Q. Fuſius Calenus perpetuus Ciceronis hoſtis, ea oratione quam apud Dionem l. XLVI habet, dum Antonium defenderet, criminaque in illum a Cicerone conlata dilueret: cujus verba non importune hic ponam, cum videantur nonnihil lucis rebus Ciceronis adferre. Eadem autem acerbitate petulanter in Ciceronem invectus eſt Calenus, qua Cicero ante Antonii peſſima conſilia, & atrocia ſcelera ſenatui expoſuit. Sunt autem hæc verba Caleni vel Dionis potius ex libris quos Antonius contra Philippicas orationes edidit (ut puto) collecta. τίς δ' οὐκ οἶδεν ὅτι τὴν μὲν γυναῖκα τὴν προτέραν τὴν τεκοῦσάν σοι δύο τέκνα ἐξέβαλες, ἑτέραν δὲ ἐπεισηγάγου παρθένον ὑπεργήρως ὤν, ἵν' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς τὰ δανείσματα ἀποτίσῃς· καὶ οὐδ' ἐκείνην μέντοι κατέσχες ἵνα Κερελλίαν ἐπ' ἀδείας ἔχῃς, ἣν τοσούτῳ πρεσβυτέραν σαυτοῦ οὖσαν ἐμοίχευσας, ὅσῳ νεωτέραν τὴν κόρην ἔγημας, πρὸς ἣν καὶ αὐτὴν τοιαύτας ἐπιστολὰς γράφεις οἵας ἂν γράψειεν ἀνὴρ σκωπτόλης, ἀθυρόγλωσσος, πρὸς γυναῖκα ἑβδομηκοντοῦτιν πλητιζόμενος. Nam quod epiſtolas Cic. Cerelliæ ſcripſerit, etiam Quintil. l. VI narrat his verbis, *Etiam illud quod Cicero Cerellia ſcripſerit, reddens rationem cur illa C. Caſaris tempora tam patienter toleraret: Hac aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho.* Victorius. *Cerelliæ*] Hanc Ciceronis amicam malevoli eſſe dicebant: quod ut credam de tanto viro, non ita facile adducor. Illud quidem certe ſatis conſtat, hanc Cerelliam libros Ciceronis deſcribere ſolitam, quum ſtudio Philoſophiæ flagraret. *Corradus.*

Q. PHI-

dinemque negotiorum, etiam atque etiam eſſe commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris te omnia, quae tua fides pateretur, mihi cumulate recepiſſe. Equidem exiſtimo, habere te magnam facultatem, ſed hoc eſt tui conſilii & judicii, ex eo ſenatuſconſulto, quod in heredes C. Vennonii factum eſt, Cerelliae commodandi. id ſenatuſconſultum tu interpretabere pro tua ſapientia. Scio enim ejus ordinis auctoritatem ſemper apud te magni fuiſſe. Quod reliquum eſt, ſic velim exiſtimes, quibuſcunque rebus Cerelliae benigne feceris, mihi te gratiſſimum eſſe facturum.

EPISTOLA LXXIII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Philippo quod incolumi fama & rep. ſalvus ad urbem reverti ſſet: de Egnatio & Oppio gratias quodam modo agit: petit ut Antipatri filios ſibi condonet. Incertus annus: & haec epiſtola videtur poſt ſequentem fuiſſe collocanda. haec enim ſcripta, reverſo ad urbem Philippo: illa, provinciam adminiſtrante.

M. T. C. Q. PHILIPPO PROCOS. S. D.

GRatulor tibi, quod ex provincia ſalvum te ad tuos recepiſti incolumi fama & rep. Quod ſi Romae fuiſſem, te vidiſſem, coramque gratias egiſſem, quod tibi L. Egnatius, familiariſſimus meus, abſens, L. Oppius praeſens, curae fuiſſet. Cum Antipatro Derbete mihi non ſolum

Q. *PHILIPPO PROCOS.*] In Cilicia, & quia provincia conſularis erat, & quia L. Oppius Philomeli, ut in epiſtola 43 hujus libri ſcriptum eſt, negotiabatur: quem quoniam ſequenti epiſtola commendat, in hac de eo gratias agit: & in hac gratulatur Philippum ſalvum in patriam rediiſſe, in illa adhuc in provincia eſſe oſtendit, ſequens huic praeponenda videtur. *Corradus.* Sed Aſiae Proconſulem fuiſſe rectius oſtendit Manutius.

Incolumi fama & republica] Ergo ante bellum civile. *Corrad.*

Quod ſi Romae fuiſſem, te vidiſſem, coramque gratias egiſſem] Sic Hittorp. Pal. ſex. nonnullique alii libri. quos ſequi ratio jubet. Amſtelodam. cum vulgatis, *Quod ſi Roma te vidiſſem, coram gratias egiſſem.* Vict. ed. & Gebhardi *quod ſi Romae: te vidiſſem, coramque gratias egiſſem.* Graev.

ſolum hoſpitium, verum etiam ſumma familiaritas intercedit. Ei te vehementer ſuccenſuiſſe audivi, & moleſte tuli. De re nihil poſſum judicare, niſi illud, mihi certe perſuadeo, te, talem virum, nihil temere feciſſe. A te autem, pro vetere noſtra neceſſitudine, etiam atque etiam peto, ut ejus filios, qui in tua poteſtate ſunt, mihi potiſſimum condones, niſi quid exiſtimas in ea re violari exiſtimationem tuam. Quod ego ſi arbitrarer, nunquam te rogarem: mihique tua fama multo antiquior eſſet quam illa neceſſitudo eſt. Sed mihi ita perſuadeo, poteſt fieri ut fallar, eam rem laudi tibi potius quam vituperationi fore. Quid fieri poſſet & quid mea cauſſa facere poſſis, nam quin velis non dubito, velim, ſi tibi grave non erit, certiorem me facias.

Nam quid velis non dubito] Sic Victorius & Gebhardus ediderunt ex Vaticano & Palat. ſext. quibus ſubſcribunt Amſtelodam. & Mentel. ſed nec Latina lingua, nec ſententia hanc fert lectionem. Quis enim ſenſus eſt horum verborum? *quid velis non dubito.* Scribendum potius cum vulgatis & meo ſecundo, *nam quin velis non dubito.* Græv.

EPISTOLA LXXIV.

Argumentum.

Oppium praeſentem, & Egnatii abſentis negotia commendat.

M. T. C. Q. PHILIPPO PROCOS. S. D.

Etſi non dubito, pro tua in me obſervantia proque noſtra neceſſitudine, quin commendationem meam memoria teneas, tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum praeſentem, & L. Egnatii, familiariſſimi mei, abſentis, negotia commendo. Tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt familiaritaſque, ut, ſi mea res eſſet, non magis laborarem. Quapropter gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris ut is intelligat me a te tantum amari quantum ipſe exiſtimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer rogo.

EPISTOLA LXXV.

ARGVMENTVM.

Commendat Avianum Flaccum. Cum ſcripta ſit haec epiſtola anno ſequenti poſt frumentariam Pompeii Magni curationem; quod ex ipſa liquet; & Pompeius ei muneri quinquennium praefuerit; quod Cicero epiſt. 1 *lib.* IV *ad Attic. & Dio lib.* XXXIX *teſtantur; apte videtur in eum annum referri poſſe, quo conſules fuere Pompeius* III. *& Scipio, aut initio conſulatus Sulpicii & Marcelli.*

M.T.C. T.TITIO TITI F.LEGATO S.D.

ETſi non dubito quin apud te mea commendatio prima ſatis valeat, tamen obſequor homini familiariſſimo, C.Aviano Flacco: cujus cauſſa omnia cum cupio, tum mehercule etiam debeo. De quo & praeſens tecum egi diligenter, cum tu mihi humaniſſime reſpondiſti, & ſcripſi ad te accurate antea: ſed putat intereſſe ſua, me ad te quam ſaepiſſime ſcribere. Quare velim mihi ignoſcas, ſi illius voluntati obtemperans, minus videbor meminiſſe conſtantiae tuae. A te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, & de tempore, Aviano commodes: quorum utrumque per eundem me obtinuit triennium,dum Pompeius iſti negotio praefuit. Summa eſt, in quo mihi gratiſſimum facere poſſis, ſi curaris ut Avianus, quum ſe a me amari putat, me a te amari ſciat. Erit id mihi pergratum. Vale.

EPISTOLA LXXVI.

ARGVMENTVM.

Petit ut C. Valgius emptam in agro Fregellano poſſeſſionem, liberam immunemque habeat. Incertus annus.

M.T.C. QVATTVOR VIRIS ET DECVRIONIBVS S.D.

TAntae mihi cum Q. Hippio cauſſae neceſſitudinis ſunt, ut nihil poſſit eſſe conjunctius quam nos inter nos ſu-

mus. Quod niſi ita eſſet, uterer mea conſuetudine, ut vobis nulla in re moleſtus eſſem. Etenim vos mihi optimi teſtes eſtis, cum mihi perſuaſum eſſet, nihil eſſe quod a vobis impetrare non poſſem, nunquam me tamen gravem vobis eſſe voluiſſe: Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei cauſſa liberaliſſime C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis, ut quam poſſeſſionem habet in agro Fregellano, a vobis emtam, eam liberam & immunem habere poſſit. Id ſi a vobis impetraro, ſummo me beneficio veſtro affectum arbitrabor.

IN *agro Fregellano*] *Fregellæ* oppidum Volſcorum, ad ripas fluvii Liris, qui nunc dicitur *il Garigliano*, Fregellæ nunc vulgo *Caperano*.

EPISTOLA LXXVII.

ARGUMENTUM.

Narrat officium ſuum in ſupplicatione decernenda; ſeque nunquam ei defuturum pollicetur: commendat M. Bolanum: petit ut ſibi ſervum ſuum fugitivum Dionyſium reſtituendum curet. Caeſare IIII *Cos. ſine collega, confecto Hiſpanienſi bello: ex quo revertit in urbem, ut ait Velleius, menſe Octobri.*

M. T. C. P. SULPICIO IMP. S. D.

CUm his temporibus non ſane in ſenatum ventitarem, tamen, ut tuas litteras legi, non exiſtimavi, me ſalvo jure noſtrae veteris amicitiae, multorumque inter nos officiorum, facere poſſe ut honori tuo deeſſem. Itaque affui, ſuppli-

P. *SULPICIO IMPER.*] *P. Vatinio*, ex his quæ hic, & in epiſt. 9 & 10 lib. v. ſunt ſcripta, legendum eſſe cognoſcitur. Etſi in omnibus fere libris ita legitur. Illud me aliquantulum movet, quod Vatinius ſcribit, ante ſupplicationes decretas ſibi dictum, ſervum Ciceronis fugitivum cum Vardæis eſſe. hic vero Cicero ut rem novam ſignificat, atque adeo Dionyſium ipſum Narone viſum fuiſſe, unde Vatinius litteras dedit. *Corrad.* *P. SULP. IMP.*] Quid ſi? *P. Vatinio*: propter epiſtolas quæ ſunt ab eo ad Ciceronem lib. v. in quibus & de ſupplicationibus, & de Dionyſio multa. *Bernhard. Rutil.* Sed utriuſque ſententiam refellit Manut. quem vide.

ſupplicationemque tibi libenter decrevi, nec reliquo tempore ullo aut rei aut exiſtimationi aut dignitati tuae deero. Atque, hoc ut tui neceſſarii ſciant, hoc me animo erga te eſſe, velim facias eos per litteras certiores, ut, ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi jure ſuo denuntiare. M. Bolanum, virum bonum & fortem & omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magnopere commendo. Pergratum mihi feceris, ſi curaris ut is intelligat hanc commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe. Ipſumque virum optimum gratiſſimumque cognoſces. Promitto tibi, te ex ejus amicitia magnam voluptatem eſſe capturum. Praeterea a te peto in majorem modum, pro noſtra amicitia & pro tuo perpetuo in me ſtudio, ut in hac re etiam elabores: Dionyſius, ſervus meus, qui meam bibliothecen multorum nummorum tractavit, cum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit. Is eſt in provincia tua. Eum & M. Bolanus, familiaris meus, & multi alii Naronae viderunt. Sed cum ſe a me manumiſſum eſſe diceret, crediderunt. Hunc tu ſi mihi reſtituendum curaris, non poſſum dicere quam mihi gratum futurum ſit. Res ipſa parva, ſed animi mei dolor magnus eſt. Vbi ſit, & quid fieri poſſit, Bolanus te docebit. Ego ſi hominem per te reciperaro, ſummo me a te beneficio affectum arbitrabor.

Mihi jure ſuo denuntiare] Me arceſſere, advocare, ut ſuperius lib. V, ep. 11. & lib. IX, ep. 2.

Narona] Narona urbs Dalmatiae. vide ad lib. IX, epiſt. 9. Pal. prim. Amſtelod. & Vict. ed. hic ſcribunt *Narone*.

EPISTOLA LXXVIII.

ARGVMENTVM.

Petit ut Democritum Sicyonium in ſuam fidem recipiat. Caeſare III & Lepido Coſſ.

M. T. C. ALLIENO PROC. S. D.

DEmocritus Sicyonius non ſolum hoſpes meus eſt, ſed etiam, quod non multis contingit, Graecis praeſertim, valde

ALLIENO PROCOS.] In Sicilia, id quod ex epiſtola ſequenti, & ex Oppii commentario de bello Africo facile diſcas. Nec moveor ſane, quod

valde familiaris. Eſt enim in eo ſumma probitas, ſumma virtus, ſumma in hoſpites liberalitas & obſervantia: meque praeter ceteros & colit & obſervat & diligit. Eum tu non modo ſuorum civium, verum paene Achaiae principem cognoſces. Huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio & munio. Cognitum per te ipſum, quae tua natura eſt, dignum tua amicitia atque hoſpitio judicabis. Peto igitur a te, ut his litteris lectis recipias eum in tuam fidem: polliceare omnia te facturum mea cauſſa. De reliquo, ſi, id quod confido, fore dignum eum tua amicitia hoſpitioque cognoveris, peto ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

quod hic Democritum *Achaiae principem* vocet: quoniam is quoque in Sicilia eſſe potuit. Itaque dictum recte fuerit in ſequenti epiſtola, *Illius dignitatem praeſentis ornes.* quamvis aliter in Quaeſtuia, aliud ſecuti, dixerimus. *Corradus.* In vetuſtis A L L I E N I denariis, quos cum Siciliam obtineret, ſignavit A. A L L I E N V S P R O C O S. inſcriptum eſt. *Urſinus.*

Aditum ad tuam cognitionem patefacio & munio] Hanc lectionem elegantiſſimam reſtituo ex Palatinis, Vaticani excerptis, editione prima atque Victorii. Palatinus tamen ſextus majore varietate, ad quam quoque alludit Hittorpianus *patefacto* ſuo: *aditu ad tuam cognitionem patefacto.* Sed malo vulgatum, niſi putes Hittorpiani codicis ſcripturam veram & verbum frequentativum, ut vocant, *patefacto*: quod non memini. Elegantiſſimum autem eſt, *aditum munire*, ſic ipſe Tullius pro Cluentio: *Tamen ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi aliis ſceleribus ante munivit.* Et ſic varie ipſe Tullius. Vulgatum eſt *patefacio & innuo.* Gebhard.

EPISTOLA LXXIX.

ARGVMENTVM.

Caium & Marcum Avianos fratres commendat. Eodem anno.

M. T. C. ALLIENO PROCOS. S. P. D.

Et te ſcire arbitror quanti fecerim C. Avianum Flaccum: & ego ex ipſo audieram, optimo & gratiſſimo homi-

homine, quam a te liberaliter eſſet tractatus. Ejus filios digniſſimos illo patre, meoſque neceſſarios, quos ego unice diligo, commendo tibi ſic ut majore ſtudio nullos commendare poſſim. C. Avianus in Sicilia eſt, Marcus eſt nobiſcum. Vt illius dignitatem praeſentis ornes, rem utriuſque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in iſta provincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. TVL-

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD TERENTIAM, LIBER XIV.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Pulſus e patria, P. Clodii tribuni pl. rogatione iniquiſſima, deflet ſuam ſuorumque calamitatem, culpam conferens in amicorum conſilia. De reditu in patriam, licet obſtent multa, ſtudio tamen fretus tribunorum pleb. Lentuli conſulis, Pompeii & Caeſaris, non deſperat. Subjungit de familia, de peſtilentia, de Plancii, Macedoniae quaeſtoris, erga ſe officio, de Piſonis, generi ſui, humanitate, virtute, amore in ſe, ſuoſque omnes. Purgat ſe de Q. fratre. Gratias a ſe per litteras iis eſſe actas dicit, quibus agendas eſſe Terentia ſcripſerat. Vici venditionem prorſus improbat. Piſone & Gabinio Coſſ.

TVL-

LIBER XIV.] In hoc libro hoc in primis adnotandum exiſtimo, nullo certo ordine epiſtolas quas continet, collocatas eſſe, quod ignoratum magnopere improvidum lectorem perturbare poſſet: & quantum ego perſpexi, tria ſunt tempora quibus ad Terentiam epiſtolas ſcripſit Cicero: de his loquor quæ nunc inveniuntur: cum in exilium pulſus eſt: cum in Provinciam Ciliciam Procoſ. miſſus, cum bellum civile inter Cæſarem Pompeiumque exortum, ac geſtum eſt: nam poſt adverſum in Pharſalia prœlium, cum in Italiam rediiſſet, non multo poſt uxori nuntium remiſit: primas quatuor ſine dubitatione ſcripſit, cum a Clodio e patria ejectus eſt. *Victor*.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE, TVLLIOLAE SVAE, CICERONI SVO S.D.

ET litteris multorum & ſermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem eſſe, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miſerum! te iſta virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas aerumnas propter me incidiſſe! Tulliolamque noſtram ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum ſapere coepit, acerbiſſimos dolores miſeriaſque percepit. Quae ſi, ut tu ſcribis, fato facta putarem, ferrem paullo facilius: ſed omnia ſunt mea culpa commiſſa, qui ab his me amari putabam qui invidebant: eos non ſequebar, qui petebant. Quod ſi noſtris conſiliis uſi eſſemus, neque apud nos tantum valuiſſet ſermo aut ſtultorum amicorum, aut improborum, beatiſſimi viveremus. nunc, quum ſperare nos amici jubent, dabo operam ne mea valitudo tuo labori deſit. Res quanta ſit intelligo, quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. Sed tamen, ſi omnis tribunos pl. habemus, ſi Lentulum tam ſtudioſum quam videtur, ſi vero etiam Pompeium & Caeſarem, non eſt deſpe-

ran-

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ, TVLLIOLÆ SVÆ, CICERONI SVO] Uni Terentiæ, ex ſenſu, inſcribi oportuit. Quatuor vero hæ primæ epiſtolæ ita dirigendæ ſunt, ex dierum ſcilicet ac rei geſtæ ordine, ut quæ quarta nunc eſt, in primum locum veniat: quæ ſecunda, eodem maneat: quæ prima, in tertium: quæ tertia, in quartum abeat. Id ita eſſe deprehendet, qui librum tertium Epiſtolarum ad Atticum diligentius inſpiciat. Neque vero ſunt omnes ab exule Cicerone ſcriptæ libri hujus litteræ, ſed quatuor tantum primæ, in quo [illegible]craſcit Clericus. Ego ut ante ſu[illegible]us, ad ſententiam Ciceronis [illegible] ego unum quæro hoc opore) c[illegible]equendam, maximo arbitror ſeriem epiſtolarum per tempora ſua ſervatam adjumento eſſe, atque decori. *Bernh. Rutil.*

Ex quo patre tantas voluptates capiebat] Ante exilium. *Corrad.*

Ex eo] Exule. *Idem.*

Ab his me amari] Catone, Hortenſio & aliis. *Idem.*

Eos non ſequebar] Pompeium, Cæſarem & Craſſum, ep. 8 lib. 1. *Idem.*

Si Lentulum] Lib. 1. *Idem.*

Di

randum. De familia, quomodo placuiſſe amicis ſcribis, faciemus. De loco nunc quidem jam abiit peſtilentia, ſed quamdiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officioſiſſimus, me cupit eſſe ſecum & adhuc retinet. Ego volebam loco magis deſerto eſſe in Epiro, quo neque Hypſo veniret, nec milites: ſed adhuc Plancius me retinet. ſperat poſſe fieri ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem ſi videro, & ſi in veſtrum complexum venero, ac ſi & vos & me ipſum recuperaro, ſatis magnum mihi fructum videbor percepiſſe & veſtrae pietatis & meae. Piſonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus eſt ut nihil ſupra poſſit. Vtinam ea res ei voluptati ſit, gloriae quidem video fore. De Q. fratre nihil ego te accuſavi; ſed vos, cum praeſertim tam pauci ſitis, volui eſſe quam conjunctiſſimos. Quibus me voluiſti agere gratias, egi, & me a te certiorem factum eſſe ſcripſi. Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum venditurum: quid, obſecro te, me miſerum, quid futurum eſt? Et, ſi nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet? Non queo reliqua ſcribere, tanta vis lacrymarum eſt, ne te in eundem fletum adducam. Tantum ſcribo, ſi erunt in officio amici, pecunia non deerit. ſi non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miſeras noſtras, vide ne puerum perditum perdamus. cui ſi ali-

De familia] Ep. 4 hujus lib. *Corrad.*

Plancius] Cn. Plancius in Macedonia Quæſtor, pro quo extat orati[illegible]

Quo neque Hypſo veniret, [illegible]s] Nos vulgatorum codicu[illegible]em non mutavimus, quia nihilo [illegible]orem in vetuſtis invenimus. Eſt autem nobis obſcurum quis hic *Hypſo* fuerit quem fugiebat. Mediceus & Petrarchæ codex *ipſo* habent pro *Hypſo*, eruditiores hunc locum diligentius videbunt. *Victor.*

Nec milites] Quorum & ſuorum hoſtium refertam fuiſſe Græciam, in oratione pro Plancio ſcribit. *Corrad.*

In Italiam decedat] Id enim ſibi magno honori fore ſperabat. *Idem,*

Piſonis] Generi. *Idem.*

Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum venditurum] Hanc elegantiam & in ſuperioribus ex manuſcriptis reddidi Tullio, & hic eandem vindicant Palatinus primus, Vaticani excerpta, Victorii editio. Plebeie Magiſtelli fecerunt, *venditurum.* Paullo poſt ſcripſi, *neque te in eundem fletum adducam.* ex Pall. prima editione, Hittorp. Stewech. Victorio. *neque reſolveris, & ne te* &c. *Gebhard.* Vide Gell. 1 Noct. Att. 7.

Vide ne puerum perditum perdamus] Hæc eſt omnium codicum ſcriptura: adnotatque huc Egnatius illud Virgilii, *ſubmerſaſque obrue puppes.* Andreas vero Schottus Nod. lib. III, c. I. pertendit legendum, *ne puerum perditum eamus?*

aliquid erit ne egeat, mediocri virtute opus eſt, & mediocri fortuna, ut cetera conſequatur. Fac valeas, & ad me tabellarios mittas, ut ſciam quid agatur, & vos quid agatis. Mihi omnino jam brevis exſpectatio eſt. Tulliolae & Ciceroni ſalutem dic. Valete. D. a. d. VI Kalendas Decembres, Dyrrachii. Dyrrachium veni, quod & libera civitas eſt: & in me officioſa, & proxima Italiae. Sed ſi me offendet loci celebritas, alio me conferam, ad te ſcribam.

camus: quæ quidem conjectura auctori blanditur, & alii fortaſſe prima facie; mihi excuſſa, non poteſt; imo vel decem vincam rationibus, huc non pertinere. Paullo poſt Peckio excerpta per notas ſcribunt, *Tulliola & Ciceroni S. D.* quas ille interpretatur, *ſalutem dico.* in his ſalus Græciæ, ut puto, non vertitur. *Gebhard.*

Dyrrachium] Urbs Epiri.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Brevitatem ſuarum litterarum excuſat: Piſonis generi officia erga ſe laudat. Terentiae vicem dolet; rogat ut ſumptus de ſuo ne faciat, & valetudini ſerviat. Iiſdem Coſſ.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE, TVLLIOLAE ET CICERONI SVIS S. D.

NOli putare me ad quenquam longiores epiſtolas ſcribere, niſi ſi quis ad me plura ſcripſit, cui puto reſcribi oportere. Nec enim habeo quid ſcribam, nec hoc tempore quidquam difficilius facio. Ad te vero & ad noſtram Tulliolam non queo ſine plurimis lacrymis ſcribere. Vos enim video eſſe miſerrimas, quas ego beatiſſimas ſemper eſſe volui, idque praeſtare debui: &, niſi tam timidi fuiſſemus, praeſtitiſſem. Piſonem noſtrum merito ejus amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras cohortatus ſum, gratiaſque egi ut debui. In novis tribunis pleb. intelligo ſpem te

IN *novis Trib. pleb. intelligo ſpem te habere*] Auxilio hujus maxime loci & alterius qui in ſequenti epiſt. huic par eſt, emendatur locus inquinatiſſimus in epiſtola ad Q. Fratrem, qui in cunctis & impreſſis & manuſcriptis codicibus eodem pacto depravatus eſt. *Denotius autem Trib. pleb. eſt ille quidem in me officioſiſſimus Seſtius, & ſpero,* &c. Sic enim legendum eſt, *De novis autem Trib. pleb.* eſt

te habere. id erit firmum, ſi Pompeii voluntas erit. ſed Craſſum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortiſſime & amantiſſime video: nec miror: ſed moereo caſum ejuſmodi, ut tantis tuis miſeriis meae miſeriae ſublevantur. Nam ad me P. Valerius, homo officioſus, ſcripſit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Veſtae ad tabulam Valeriam ducta eſſes. Hem, mea lux, meum deſiderium, unde omnes opem petere ſolebant! te nunc, mea Terentia, ſic vexari, ſic jacere in lacrymis & ſordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros ſervavi, ut nos periremus! Quod de domo ſcribis, hoc eſt, de area; ego vero tum denique mihi videbor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. Verum haec non ſunt in noſtra manu. Illud doleo, quae impenſa facienda eſt, in ejus partem te miſeram & deſpoliatam venire. Quod ſi conficitur negotium, omnia conſequemur. ſin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas miſera projicies? Obſecro te, mea vita, quod ad ſumtum atti-

eſt ille quidem in me officioſiſſimus Seſtius. Quamvis conjectura tantum ac judicio ductus ita legendum eſſe viderim: non arbitror, propter claritatem quam res habet, me temerarium judicatum iri, qui omnino affirmem ita legi debere. *Victorius.*

Craſſum tamen metuo] Epiſt. 8 lib. 1. *Corrad.*

Ut tantis tuis miſeriis mea miſ. ſublevantur] Sic lego ex Palat. primo & Vaticani excerptis. *Gebhardus.*

A Veſta ad tabulam Valeriam] Docti quidam legi volunt, *a Veſta*, id eſt, a lare & foco. *Lambin.* *A Veſta*] Nihil a vulgata diſcedere volui, quam cuſtodiunt ceteri quoque MSS. præter Palatinum primum, Stewechianum, editionem principem. Victorius quoque edidit *a Veſta.* quod ſequatur qui volet. *Gebhardus.* Male, qui ſic legunt. *A Veſta*, eſt a templo Veſtæ. *Ad tab. Val.*] Sic *ad Tabulam Sextiam* dixit in oratione pro P. Quintio. *Corrad.* *Tabula Valeria* fuit tabula in taberna Valerii argentarii in foro. vid. Manut. Hoc autem factum fuit contumeliæ cauſſa, ut olim Cato Uticenſis ductus fuit a Roſtris uſque ad arcum Fabianum. vide Senecam de cônſtantia Sapientis c. 14.

Etiamne reliquias tuas miſeras projicies?] Sic legendum ex Palatinis & editione primaria. Victorius tamen & vulgo *miſera projicies.* quod non improbo, veterem tamen lectionem hic regnum tenere malo. *Gebhard.* Nollem Gebhardum hic recepiſſe ſuis ex codicibus *miſeras*, quamvis id quoque habeatur in duabus editionibus vetuſtis. Id redolet [illegible]. *Projicere* hoc loco eſt vili vendere. Et ſic accipiendum exiſtimo apud Florum II, 6. *Quid ſignorum, quid veſtium, quid tabularum raptum, incenſum, atque projectum eſt?* Vulgo hic locus non recte accipitur. Dicit enim milites Romanos ignorantes pretium ſtatuarum & picturarum, viliſſimo eas vendidiſſe pretio. pro hoc frequentius dicitur *abjicere.* Plautus Moſtell. III, 3.

TR. *Num nimio empta tibi videntur?*
TH. *nunquam edepol me ſcio*

Vidiſſe

attinet, ſine alios, qui poſſunt, ſi modo volunt, ſuſtinere: & valetudinem iſtam infirmam, ſi me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctéſque verſaris. Omnes labores te excipere video. timeo ut ſuſtineas. ſed video in te eſſe omnia. Quare, ut id, quod ſperas & quod agis, conſequamur, ſervi valetudini. Ego ad quos ſcribam neſcio, niſi ad eos qui ad me ſcribunt, aut ad eos de quibus ad me vos aliquid ſcribitis. Longius, quum ita vobis placet, non diſcedam: ſed velim, quam ſaepiſſime litteras mittatis, praeſertim ſi quid eſt firmius quod ſperemus. Valete, mea deſideria, valete. a. d. III Nonas Octobr. Theſſalonica.

Vidiſſe uſquam abjectas ædes, niſi modo haſce. Phædrus lib. IV. *Agros abjiciet mœcha.* Grævius.

Theſſalonica] Civitas nobiliſſima Macedoniæ a Caſſandro condita, hodie *Salonichi.*

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Sua culpa factum eſſe dolet, ut & ipſe & omnes ſui maximas in miſerias inciderint. deinde ad varia litterarum Terentiae capita reſpondet; ſed ita dolenter ut ideo a nonnullis, jure fortaſſe, tanquam mollis reprehendatur. Iiſdem Coſs.

TVLLIVS TERENT. ET TVLL. ET CICERONI SVIS S.D.

ACcepi ab Ariſtocrito tris epiſtolas, quas ego lacrymis prope delevi. Conficior enim moerore, mea Terentia: nec meae me miſeriae magis excruciant, quam tuae, veſtraeque. Ego autem hoc miſerior ſum quam tu, quae es miſerrima, quod ipſa calamitas communis eſt utriuſque noſtrum, ſed culpa mea propria eſt. Meum fuit officium, vel legatione vitare periculum, vel diligentia & copiis reſiſtere, vel

L*Egatione vitare periculum*] A Cæſare præſertim oblata. *Corrad.*

Diligentia & copiis reſiſtere] Adverſariis, & Clodio in primis. *Idem.*

vel cadere fortiter. hoc miſerius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cum dolore conficiar tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meae optimae, ſuaviſſimis liberis virtutem & diligentiam non praeſtitiſſe. Nam mi ante oculos dies noctesque verſatur ſqualor veſter & moeror, & infirmitas valetudinis tuae: ſpes autem ſalutis pertenuis oſtenditur. Inimici ſunt multi: invidi paene omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile eſt. Sed tamen quamdiu vos eritis in ſpe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidiſſe videantur. Vt tuto ſim, quod laboras, id mihi nunc facillimum eſt: quem etiam inimici volunt vivere in his tantis miſeriis. Ego tamen faciam quae praecipis. Amicis, quibus voluiſti, egi gratias, & eas litteras Dexippo dedi, meque de eorum officio ſcripſi a te certiorem eſſe factum. Piſonem noſtrum mirifico eſſe ſtudio in nos & officio, & ego perſpicio & omnes praedicant. Dii faxint, ut tali genero mihi praeſenti tecum ſimul & cum liberis noſtris frui liceat. Nunc ſpes reliqua eſt in novis tribunis pleb. & in primis quidem diebus. Nam ſi inveterarit, actum eſt. Ea re ad te ſtatim Ariſtocritum miſi, ut ad me continuo initia rerum & rationem totius negotii poſſes ſcribere: etſi Dexippo quoque ita imperavi, ſtatim ut recurreret: & ad fratrem miſi, ut crebro tabellarios mitteret. nam ego eo nomine ſum Dyrrachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam, & ſum tuto. Civitas enim haec ſemper a me defenſa eſt. Cum inimici noſtri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod ſcribis, te, ſi velim, ad me venturam: ego vero, cum ſciam magnam partem iſtius oneris abs te ſuſtineri, te iſtic eſſe volo. Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet. ſin autem. ſed nihil opus eſt reliqua ſcribere. Ex primis, aut ſummum ſecundis litteris tuis conſtituere

Virtutem & diligentiam non praſtit.] Hittorpianus codex, ut experior, optimus, *virtutem & indulgentiam*, quod quale ſit, non licet librare, in hoc ictu temporis. *Gebhardus.*

Inimici noſtri] Epiſt. 1 hujus libri. *Corrad.*

Aut ſummum ſecundis litteris] Sic recte ex MSS. reſtituerunt hunc locum viri docti: vulgo *aut ad ſummum ſecundis.*

Sum-

tuere poterimus, quid nobis faciendum ſit. Tu modo ad me velim omnia diligentiſſime perſcribas: etſi magis jam rem, quam litteras debeo ſpectare. Cura ut valeas, & ita tibi perſuadeas, mihi te carius nihil eſſe nec unquam fuiſſe. Vale mea Terentia, quam ego videre videor: itaque debilitor lacrymis. Vale. Pridie Kalendas Decembr.

Summum autem Ciceroni hoc ſenſu ponitur crebro pro *ad ſummum*, ut ſupra notatum.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Scripta eſt haec epiſtola non ſolum dolenter, ſed etiam molliter. argumentum eſt multiplex, quia reſpondet ad diverſa capita litterarum Terentiae. Iiſdem Coſs.

TVLLIVS TERENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS S.P.D.

EGo minus ſaepe ad vos do litteras quam poſſum, propterea quod cum omnia mihi tempora ſunt miſera, tum vero cum aut ſcribo ad vos, aut veſtras lego, conficior lacrymis, ſic ut ferre non poſſim. Quod utinam minus vitae cupidi fuiſſemus: certe nihil aut non multum in vita mali vidiſſemus. Quod ſi nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi ſpem fortuna reſervavit, minus eſt erratum a nobis. ſin haec mala fixa ſunt. Ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre, & in tuo complexu emori: quum neque dii, quos tu caſtiſſime coluiſti, neque homines,

SI *hac mala fixa ſunt*] Sic ex veteribus libris reſcripſerunt Victorius & Gebhardus, adſtipulante quoque Amſtelodam. & Mentel. Græviano. Præſtat tamen cum Manutio & vulgatis legere, *ſin hac mala fixa ſunt*: quia hac particula utuntur veteres cum res inauſpicatas, a quibus enarrandis abhorrent, reticere volunt. ut præcedente epiſtola: *Si perſicitis quod agitis, me ad vos venire oportet. ſin autem. ſed nihil opus eſt reliqua ſcribere.* Sed exempla paſſim obvia, & a multis notata. *Grav.*

caſtiſſime coluiſti] Hoc eſt, religioſiſſime. Epiſt. ſequente ſeptima, *Cui quidem tu ideo, quemadmodum ſoles, pie &*

mines, quibus ego ſervivi, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundiſii apud M. Lenium Flaccum dies XIII fuimus, virum optimum: qui periculum fortunarum & capitis ſui prae mea ſalute neglexit: neque legis improbiſſimae poena deductus eſt, quo minus hoſpitii & amicitiae jus, officiumque praeſtaret. Huic utinam aliquando gratiam referre poſſimus, habebimus quidem ſemper. Brundiſio profecti ſumus a. d. v Kalendas Mai. per Macedoniam Cyzicum petebamus. O me perditum! o afflictum! quid nunc rogem

te

& caſte ſatisfaciat. Cic. II de Leg. *ad divos adeunto caſte.* Id. de Haruſp. reſponſ. *quod fanum cum Deiotarus religione ſua caſtiſſime tueretur.* Græv.

Neque homines, quibus ego ſervivi, nobis gratiam retulerunt] Hæc eſt codicum antiquiorum ac meliorum ſcriptura, Palatini ſexti, trium Guilielmio inſpectorum, Vaticani. Palatinus primus vocula auctior, *quibus ego ſemper ſervivi*: & Venetus, *quibus ego ſervivi ſemper.* ſed noſtram quoque lectionem repræſentavit Victorius: blenni ſunt, etiamſi valide acute feciſſe videri volunt, qui reſcripſerunt, *quos ego ſervavi ſemper.* Gebhard. Amſtelodam. etiam & Mentel ſcribunt: *quibus ego ſemper ſervivi.* quos ſequi invidia nulla eſt. Eſt autem, *quibus ego ſemper ſervivi*, quibus ego ſemper omne genus ſtudii & officii, quod præſtare potui, præſtiti. Orat. pro Planc. *Reip. ſervivi ſemper, nunquam mihi.* Græv.

M. Lemnium] Al. *M. Ennium*: ſed *M. Lanium* legere oportet ex oratione pro Cn. Plancio, in qua ita legimus, *In hortos me M. Lanii Flacci extra Brundiſii mœnia contuli, cui cum omnis metus, publicatio bonorum, exilium, mors proponeretur, hac perpeti, ſi accidérent, maluit, quam cuſtodiam mei capitis dimittere.* Corradus.

Neque legis improbiſſimæ] Ne Cicero intra quingenta paſſuum millia hoſpitio acciperetur. *Idem.*

Brundiſio profecti ſumus a. d. v Kal. Maii] Vide ne mendoſa dies, cum ſubjiciat, datas haſce litteras *pridie Kalend. Maii Brundiſio*, & ad Atticum libro tertio, epiſtolam ſeptimam datam ſignificet *pridie Kalend. Maii, Brundiſio*, cum proficiſcerentur, ut & hic ita legi, ni fallor, oporteat. Nam in eadem quidem illa ad Atticum, corrupta initio aſcripta dies. Niſi vero probat quis id, quod nobis aliquando placuit: ex una ſcil. duas efficere epiſtolas, ut ſit ſuperioris hic finis, *Brundiſio ad v Kal. Maii*, tum ſequatur alterius hoc initium, *Brundiſio profecti ſumus per Macedoniam*, &c. Et ſane diverſarum epiſtolarum argumentum commiſtum eſſe videtur. *Bernhard. Rutil.* *Ad v Kal.*] Si ad II Kalend. legatur, nihil erit contrarium: quia tamen in omnibus libris ſic legitur, ſunt qui cenſeant ex una duas hic epiſtolas eſſe faciendas. *Corradus.* *Brundiſio profecti ſumus a. d. II Kalend. Maias*] Sic edidimus, Bernhardini Rutilii & Franc. Otomani conjecturam, ac veritatem ipſam ſecuti, lectione vulgata rejecta, *ad v Kal* ſeu *a. d. v Kal.* Lambinus.

Cyzicum] *Cyzicus* nobiliſſima Aſiæ urbs ad Propontidem.

O me perditum! o afflictum] Ejecto illo provocabulo *me* poſteriore, Guilielmius ex Hittorpiano legit, *o me perditum afflictum!* trahitque huc illud *mihi videbor plane periſſe.* Nos unico libro adducti, mutationis rei aut neceſſitatis eſſe nolumus. Sic paullo poſt Palatinus ſextus legit, *& corpore & animo affectam.* ut apud Plautum *affecta amica.* & Naſonem,

Ibit

te ut venias, mulierem aegram, & corpore & animo confectam? Non rogem? ſine te igitur ſim? Opinor, ſic agam. Si eſt ſpes noſtri reditus, eam confirmes, & rem adjuves. ſin, ut ego metuo, tranſactum eſt, quoquo modo potes, ad me fac venias. Vnum hoc ſcito: ſi te habebo, non mihi videbor plane periſſe. Sed quid de Tulliola mea fiet? jam id vos videte: mihi deeſt conſilium. Sed certe, quoquo modo ſe res habebit, illius miſellae & matrimonio & famae ſerviendum eſt. Quid? Cicero meus quid aget? Iſte vero ſit in ſinu ſemper & complexu meo. Non queo plura jam ſcribere: impedit moeror. Tu quid egeris neſcio: utrum aliquid teneas, an, quod metuo, plane ſis ſpoliata. Piſonem, ut ſcribis, ſpero fore ſemper noſtrum. De familia liberata nihil eſt quod te moveat. Primum, tuis ita promiſſum eſt, te facturam eſſe ut quiſque eſſet meritus. Eſt autem in officio adhuc Orpheus: praeterea magnopere nemo. Ceterorum ſervorum ea cauſſa eſt, ut, ſi res a nobis abeſſet, liberti noſtri eſſent, ſi obtinere potuiſſent: ſin; ad nos pertinerent, ſervirent, praeterquam oppido pauci. Sed haec minora ſunt. Tu quod me hortaris ut animo ſim magno, & ſpem habeam recuperandae ſalutis, id velim ſit ejuſmodi ut recte ſperare poſſimus. Nunc, miſer, quando tuas jam litteras

Ibit ut affectam, quia non languebit, amicam, &c.

& Propert.

Juppiter affectae tandem miſerere puellae.

ex quibus apparet non inconvenientem eſſe hanc ſcripturam. Paullo iterum poſt, nihil mutandum: omnes enim libri. *ſin ut ego metuo, tranſactum eſt.* Sic Terentius, *acta, tranſacta omnia.* Gebhard.

De familia] Servorum. *Corrad.*

Praeterea magnopere nemo. Ceterorum ſervorum ea cauſſa eſt] Sic optime interpunxit hunc locum diſertiſſimus P. Manutius, adſtipulante Amſtelodam. vide notas. Rutgerſ. lib. III Var. Lect. cap. 3 legit, *praeterea magnopere Mnemo. Ceterorum ſervorum.* ſed vulgata non eſt movenda. vide Manut.

Si res a nobis abeſſet] Bona noſtra per Clodium publicata. *Corradus.* Amicus quidam meus legendum cenſet, *ſi res a nobis abiret.* ſeu abeſſet. Lambin.

Si obtinere potuiſſent] Ut eſſent liberti. *Corrad.*

Sin ad nos pertinerent] Re noſtra integra, quam ſequi ſolent ſervi. *Idem.* Diſtingue, *ſin; ad nos pertinerent*, ſin, ſcilicet res non abeſſet. ſi bonis noſtris ceteris non ſpoliaremur, manerent in noſtra poteſtate, non manu mitterentur, ſed nobis ſervirent, praeterquam pauci quidam, quibus eſt libertas promiſſa. nota ellipſis, de qua paullo ante. *Grav.*

teras accipiam? quis ad me perferet? quas ego exſpectaſſem Brundiſii, ſi eſſet licitum per nautas, qui tempeſtatem praetermittere noluerunt. Quod reliquum eſt, ſuſtenta te, mea Terentia, ut potes. honeſtiſſime viximus, floruimus. non vitium noſtrum, ſed virtus noſtra nos afflixit. peccatum eſt nullum, niſi quod non una animam cum ornamentis amiſimus. Sed ſi hoc fuit liberis noſtris gratius nos vivere, cetera, quanquam ferenda non ſunt, feramus. Atque ego qui te confirmo, ipſe me non poſſum. Clodium Philhetaerum, quod valetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remiſi. Salluſtius officio vincet omnes. Peſcennius eſt perbenevolus nobis: quem ſemper ſpero tui fore obſervantem. Sicca dixerat ſe mecum fore: ſed Brundiſio diſceſſit. Cura, quoad potes, ut valeas: & ſic exiſtimes, me vehementius tua miſeria quam mea commoveri. Mea Terentia, fidiſſima atque optima uxor, & mea cariſſima filiola, & ſpes reliqua noſtra Cicero, valete. Pridie Kalendas Mai. Brundiſio.

Quod reliquum eſt, ſuſtenta te, mea Terentia] Elegantius meo animo abeſſet provocabulum *te*, quod video certe excludi ab optimis libiis, Palatino ſexto & Hittorpiano. Plautus, *ſuſtentatum ſedulo eſt*. In fine quoque Epiſtolæ ſcribendum ex Palatt. Hittorp. Stew. Peck. *cura quod potes ut valeas*. Nam *quod* ſignificat *quoad*. in ſexto eſt gloſſa *quatenus*. Gebhardus.

Salluſtius officio vincet omnes ſpes. Omnius, &c.] Nos ex duabus dictionibus unum nomen confecimus, ſcilicet *Peſcennius*, magis receptæ lectionis vitio offenſi, quam a veteribus exemplaribus adjuti. Cum enim de officio, quod erga ſe in tam adverſa fortuna præſtabant amici familiareſque, loqueretur, dicit (ni fallor) ſe ita animatum videre Salluſtium, ut ſperet illum officio ſuperaturum eſſe reliquos amicos. Quid enim hic *ſpes* ſignificet? niſi ſatis ineptam meo judicio ſententiam ex his verbis elicias, ut dicat nunquam de Salluſtio ſe tantum ſpei habuiſſe, quantum ille oſtendit nunc re ipſa & aſſiduis officiis. Magis autem priore ſenſu delector horum verborum, ut facta comparatione officiorum cæterorum domeſticorum & Salluſtii, pronuntiet illum reliquos officio victurum. Germanus etiam codex in margine ita emendat. *Victorius*.

Sicca] De quo in epiſtolis ad Atticum ſæpe meminit. *Corrad*.

EPI-

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Reditum ſuum ex Cilicia provincia ſignificat: Terentiae diligentiam in ſcribendo laudat: litterarum ejus brevitatem excuſat: mandat quae fieri velit de bonorum Praetianorum auctione. Scripta eſt aliquot annis poſt ſuperiores, L. Paullo, C. Marcello Coss.

M. T. C. TERENTIAE ET TVLL. SVIS S. P. D.

SI tu & Tullia lux noſtra valetis, ego & ſuaviſſimus Cicero valemus. Pridie Idus Octobres Athenas venimus, cum ſane adverſis ventis uſi eſſemus, tardeq̃ue & incommode navigaſſemus. De nave exeuntibus nobis Acaſtus cum litteris praeſto fuit uno & viceſimo die, ſane ſtrenue. Accepi tuas litteras, quibus intellexi te vereri ne ſuperiores mihi redditae non eſſent. Omnes ſunt redditae, diligentiſſimeque a te perſcripta ſunt omnia: idque mihi gratiſſimum fuit. Neque ſum admiratus, hanc epiſtolam, quam Acaſtus attulit, brevem fuiſſe. jam enim me ipſum exſpectas, ſive nos ipſos, qui quidem quam primum ad vos venire cupimus: etſi in quam remp. venimus intelligo. cognovi enim ex multorum amicorum litteris, quas attulit Acaſtus, ad arma rem ſpectare: ut mihi, cum venero, diſſimulare non liceat, quid ſentiam. Sed quum ſubeunda fortuna eſt, eo citius dabimus operam ut veniamus, quo facilius de tota re deliberemus. Tu velim, quod commodo valetudinis tuae

Athenas venimus] Ex Cilicia redeuntes. *Corrad.*

Acaſtus] Servus noſter. *Idem.*

Ad vos venire cupimus] Non ſolum Lambiniani, ſed & Amſtelod. Mentel. meus ſecund. duo Pall. duo Guilielmii. *ad vos venire cupiamus.* quod cur ſpreverint editores non video. Quis enim ignorat Latinos ſæpe hoc modo uti, & Ciceronem inprimis, cum aliquid optant & deſiderant? Guilielmius conjiciebat, *ad vos venire cupiebamus.* Græv.

Ad arma rem ſpectare] Cæſare & Pompeio diſſidentibus. *Corrad.*

tuae fiat, quam longiſſime poteris, obviam nobis properes. De hereditate Preciana, quae quidem mihi magno dolori eſt, valde enim illum amavi, ſed hoc velim cures: ſi auctio ante meum adventum fiet, ut Pomponius, aut, ſi is minus poterit, Camillus noſtrum negotium curet. Nos cum ſalvi venerimus, reliqua per nos agemus. Sin tu jam Roma profecta eris, tamen curabis ut hoc ita fiat. Nos, ſi dii adjuvabunt, circiter Idus Novemb. in Italia ſperamus fore. Vos, mea ſuaviſſima & optatiſſima Terentia, & Tulliola, ſi nos amatis, curate ut valeatis. Athenis, a. d. xv Kalendas Novembr.

Quam longiſſime poteris, obviam nobis properes] Non auſus ſum cum Victorio hanc movere lectionem, reſtitantem in Palatino primo, & editionum antiquiſſima. Lambinus illico Victorianam lectionem recepit *prodeas*, quam tamen conſpicio in Palatino ſexto, & Hittorpiano. *Gebhardus.*

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Excuſationem affert, cur litteras raras mittat. voluntatem ſuam in aere alieno diſſolvendo ſignificat. adjungit de Terentiae meritis in Tulliolam. Pollicem ſervum ad ſe ſtatim mitti poſtulat. Scripta videtur e caſtris Pompeii, cum eſſet in Graecia, Caeſare II & Servilio Coss.

M. T. C. TERENTIAE SUAE S. P. D.

NEc ſaepe eſt cui litteras demus, nec rem habemus ullam quam ſcribere velimus. Ex tuis litteris, quas proxime

N*Ec ſæpe eſt*] Noluiſſe intelligi a quo ſcripta epiſtola eſſet, ſi forte in alienas manus veniſſet, multis modis cognoſci poteſt. de hoc olim accurate diſſeruimus, titulumque ipſius inventum in optimis libris notum eſſe voluimus. Quod nunc etiam obſervatur ab iis qui ad eos ſcribunt quibus periculum crearent, ſi litteras ad eos mitti & eos reſcribere intelligeretur. Tempus quo ſcripta ſit, non affirmarim: arbitror cum in caſtris Pompeianis eſſet, vel paullo antequam ex Italia diſcederet, ad Pompeium navigans. Quod agit de pecunia, & prædiorum venditione, tradit Plutarchus iratum fuiſſe Terentiæ Ciceronem, quod belli tempore commoda illius neglexiſſet, neque ei ſuppeditaſſet, quæ ad conſilium iterque illud neceſſaria

ximeaccepi, cognovi, praedium nullum venire potuiſſe. Quare videatis velim, quomodo ſatisfiat ei cui ſcitis me ſatisfieri velle. Quod noſtra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere poſſit. Pollicem, ſi adhuc non eſt profectus, quam primum fac extrudas. Cura ut valeas. Idibus Quintil.

ſaria erant, ut ex Italia diſceſſerit in magnis anguſtiis exiſtens, ac pene ſine viatico. *Victor.*

Quod noſtra tibi gratias agit] Videndus accuratius locus obſcurus, nihil ſane a recepta diſcrepat antiqua lectio, ut mendum difficilius ineſſe credi poſſit. Quam tamen intelligat *noſtram* non plane perſpicio, niſi Tulliam ſignificet, quod puto. De rebus autem domeſticis, cum uxore, ſuiſque loquens, non mirum eſt rem tantum indicaſſe, quod etiam ſupra facit, cum dicit, *quomodo ſatisfiat ei:* nec tamen nomen ponit, cui ſatisfieri cupiebat. Nam, quod *videatis* & *ſcitis* ſcripſimus, quod vulgati libri unitatis numero habebant, antiquos codices ſecuti ſumus, qui etiam hanc lectionem confirmant titulo epiſtolæ. ſic enim eſt in illis hujus epiſtolæ inſcriptio, *ſuis S. D.* Ut pene peccaſſe mihi videar, quod ab illis etiam hac parte diſceſſerim. nam dubiis temporibus ſcripta epiſtola videtur voluiſſe, ſi in alienas manus incidiſſet, a nullo cujus & ad quos ſcripta eſſet, quibuſque de rebus ageret, intelligi poſſe, ideoque non aperte, ut ſolet, ſcribit. Cum tamen ad ſuos ſcribat, qui & manum ejus agnoſcerent, & res quas innueret, optime callerent, non neceſſe fuit apertius ſcribi. *Idem.*

Quod noſtra gratias agit] In vetere libro eſt, *quod Tullia noſtra tibi gratias agit.* Urſinus.

Pollicem] Servum a pedibus. *Corrad.*

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Quae ſibi fuerit moleſtiarum & ſollicitudinum cauſſa, quomodo liberatus ſit, exponit: ſcribit de ſua ad Pompeium profectione: hortatur eam & monet ut forti animo ſit, bene de rep. ſperet, valetudinem curet, militum injuriam vitet, Arpinatì fundo utatur. anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coſſ.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

OMnis moleſtias & ſollicitudines, quibus & te miſerrimam habui, id quod mihi moleſtiſſimum eſt, & Tulliolam,

O*Mnes moleſtias*] Manifeſto ſcripta epiſtola cum jam navim conſcendiſſet, in Pompeiana caſtra navigans. Tres puſillæ quæ ſequuntur epiſtolæ nulla certa indicia habent quibus temporibus ſcriptæ ſint: arbitramur tamen

liolam, quae nobis noſtra vita dulcior eſt, depoſui & ejeci. Quid cauſſae autem fuerit, poſtridie intellexi quam a vobis diſceſſi. χολὴν ἄκρατον noctu ejeci. ſtatim ita ſum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam feciſſe videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum ſoles, pie & caſte ſatisfacias, id eſt, Apollini & AEſculapio. Navem ſpero nos valde bonam habere, in eam ſimulatque conſcendi, haec ſcripſi. Dein-

men cum Brunduſii eſſet Ciceronem eas ſcripſiſſe. In prima agit de Cæſaris litteris, de quibus etiam ad Atticum ſcribens illis verbis (niſi fallimur) egit: *Non meo vitio fit hoc quidem tempore (ante enim eſt peccatum) ut me iſta epiſtola nihil conſoletur.* & in Oratione pro Q. Ligario, *Qui ad me ex Ægypto litteras miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem.* Quamvis penultima hujus libri epiſtola agat de Cæſaris literis ſibi redditis, & non antea Romam allatis: quas ſane eſſe credimus illas quas in Oratione pro Ligario intellexit, ut eæ fortaſſe de quibus Terentia & Atticus ſcripſerant, diverſæ ab illis fuerint: nam multis modis priores has Cicero ſuſpectas habebat, & a Cæſare non eſſe judicabat: de illis autem, quas accepit ipſe, vereri non videtur, ne fictæ ſint. In ſecunda, de valetudine Tulliæ, de qua etiam ad Atticum, *Tullia mea morbus & imbecillitas corporis me exanimat.* In tertia jubet Terentiam cum Attico loqui, ab eo enim intellecturam eſſe quid fieri velit. Scribebat autem de omnibus rebus ad Pomponium, ut cognoſci poteſt ex epiſtolis quæ ſunt in xi lib. ad Atticum ipſum miſſis. *Victorius.*

Χολὴν ἄκρατον] Alciphron etiam χολὴν ἄκρατον appellat in epiſtola Callipidis ad Cnemonem his verbis, ἔστω δέ σοι ὁ αὐτὸς ὢν θεὸς καὶ Παιάν, καὶ ἀπολύσας σε τῆς ἀκράτου χολῆς, εἶτα σβέσας τὸ τοῦ θυμοῦ ὑπέκκαυμα. Hortatur autem ut triſtitiam acerbitatemque animi deponat, quod pulchre faciet, ſi ludos Bacchi celebrans, dei illius muneribus uſus *meram bilem* diſcuſſerit. fuit autem Cnemon non minus quam Timon ille Athenienſis, humani generis oſor, ut ambo appellati ſint μισάνθρωποι. Ariſtoteles etiam III Meteororum Irin ἄκρατον appellat: quam tamen cur appellarit ἄκρατον, dubitat interpres ille, qui nunc Alexander Aphrodiſiæus fuiſſe creditur. ſunt autem hæc ejus verba: σημεῖον παρατίθεται, ὅταν ᾖ νέφος μέλαν σφόδρα τότε μάλιστα ἄκρατον γίνεσθαι ἰέναι, τουτέστι μὴ παρεμφαίνουσαν ἄλλο τι χρῶμα ἀλλ' ὅτι τῶν τριῶν μόνων. Et paullo poſt: δύναται δὲ ἄκρατον ἰέναι λέγειν τὴν μάλιστα ἐχουσαν τρανὰ καὶ διηκριβωμένα τὰ φαινόμενα χρώματα. quæ tamen diverſæ expoſitiones in unam redeunt. neceſſe eſt enim ut quæ nullis aliis coloribus permiſta ſit, ſed ſuos tantum & proprios meros, puroſque habet, clariores eos, apertioreſque habeat, & magis expreſſos. ſed hoc quidem notavimus, ut videant omnes quam proprie & eleganter Græco ſermone utatur Cicero. *Idem.*

Id eſt, Apollini & Æſculapio] Hæc verba delenda curavi, ut aliena, quod & Paullo Manutio antea viſum erat: quanquam delere non eſt auſus. *Lamb.* Ejecerunt ut gloſſam illa verba, *id eſt, Apollini* &c. emendatores: non debuiſſent. exſtant illa tum in editionibus antiquiſſimis, tum in noſtris omnibus MSS. præterea Guilielmianis quinque. paullo poſt, Pall. Vaticanus, Hirtorpianus, Medic. leg. *& me aliquando cum ſimilibus noſtri temp. defenſuros.* vulgo *defenſurum.* Gebhard.

In eam ſimulatque conſcendi] Mentel. *in eam ſimul conſcendi.* quod non puto a li-

Deinde conſcribam ad noſtros familiares multas epiſtolas, quibus te, & Tulliolam noſtram diligentiſſime commendabo. Cohortarer vos, quod animo fortiore eſſetis, niſi vos fortiores cognoſſem quam quenquam virum. Et tamen ejuſmodi ſpero negotia eſſe, ut & vos iſtic commodiſſime ſperem eſſe, & me aliquando cum ſimilibus noſtrì rempub. defenſurum. Tu primum valetudinem tuam velim cures, deinde, tibi ſi videbitur, villis iis utere quae longiſſime aberunt a militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, ſi annona carior fuerit. Cicero belliſſimus tibi ſalutem plurimam dicit. etiam atque etiam vale. D. III Idus Iunii.

a librariis eſſe. nam *ſimul* pro *ſimul ac* poni apud Ciceronem, Livium, Horatium, Phædrum vel tyronibus notum eſt. *Gravius.*

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Rogat uxorem, ut valetudinem curet: laudat ejus diligentiam: eaque ut deinceps utatur, mandat. anno ſecundo civilis belli, Caeſare II. Servilio Coſſ. ante Pharſalicam pugnam.

M. T. C. TERENTIAE S. P. D.

SI vales, bene eſt: ego valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentiſſime. Nam mihi & ſcriptum & nuntiatum eſt, te in febrim ſubito incidiſſe. Quod celeriter me feciſti de Caeſaris litteris certiorem, feciſti mihi gratum. Item poſthac, ſi quid opus erit, ſi quid acciderit novi, facies ut ſciam. Cura ut valeas. Vale. D. IIII Nonas Iunias.

EPI-

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Dolorem ſuum, ex Dolabellae generi Tulliaeque valetudine ſuſceptum, ſignificat. Eodem anno, poſt Pharſalicam pugnam, cum in Italiam rediiſſet.

M. T. C. TERENTIAE S. P. D.

AD ceteras meas miſerias acceſſit dolor & e Dolabellae valetudine & e Tulliae. omnino de omnibus rebus nec quid conſilii capiam, nec quid faciam ſcio. Tu velim tuam & Tulliae valetudinem cures. Vale.

A*cceſſit dolor e Dolabella valetudine, & Tullia*] Plerique MSS. Amſtelod. Pal. prim. Stewech. Mentel. meus ſec. *Acceſſit dolor & Dolabella valetudine & Tulliq.* Hittorp. *acceſſit dolor & de Dolabella* (ſic & Pal. ſex) *& de Tullia.* lege, *acceſſit dolor & e Dolabella valetudine, & e Tullia.* Graev.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Mandat ut cum Attico loquatur, litteraſque mittat: tertio belli civilis anno, Caeſare dictatore II. nondum creatis conſulibus, qui extremo anno, ut ait Dio, facti ſunt, Q. Fufius Calenus, P. Vatinius.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

QVod fieri placeret, ſcripſi ad Pomponium ſerius quam oportuit. Cum eo ſi locuta eris, intelliges quid fieri velim. Apertius ſcribi, quum ad illum ſcripſeram, neceſſe non fuit. De ea re & de ceteris rebus quam primum velim nobis litteras mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. ſeptimo Idus Quintil.

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Tulliam ad ſe veniſſe dicit; ſibi autem in animo eſſe Ciceronem filium ad Caeſarem mittere. Eodem anno.

M.T.C. TERENTIAE SVAE S.P.D.

SI vales, bene eſt, valeo. Tullia noſtra venit ad me pridie Idus Iunii: cujus ſumma virtute, & ſingulari humanitate, graviore etiam ſum dolore affectus, noſtra factum eſſe negligentia, ut longe alia in fortuna eſſet, atque ejus pietas ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo Ciceronem ad Caeſarem mittere, & cum eo Cn. Salluſtium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII Kalendas Quintil.

T*Vllia noſtra venit ad me*] Poſt victoriam Cæſaris in Pharſalia ſcripta, cum diſceſſiſſet a Pompeianis, & Brunduſii eſſet. quod multis conjecturis intelligi poteſt: & quantum ego ſuſpicor, poſt illam quæ ſequitur, data: ea enim ſcripta eſſe videtur, cum paucos dies in Italia fuiſſet: gratulata enim erat illi Terentia de reditu in Italiam, & ſalute ipſius e tot tantiſque periculis. Cui illa epiſtola Cicero reſpondit. Tulliam ad eum, cum Brunduſii eſſet, veniſſe, multi auctores tradunt, & ipſe quoque oſtendit: quod cauſſa inimicitiarum ac divortii illi cum uxore fuit: neque enim viaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poſcere videbatur. Omne autem illud tempus Cicero ibi manſit quod in Alexandria & Aſia Cæſar conſumpſit, quod longum fuiſſe ex hiſtoria illarum rerum intelligitur, & a Plutarcho etiam aperte narratur. *Victor.*

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Metuere ſe ait ne in Italiam, victo in Pharſalia Pompeio, temere venerit. monet uxorem ne ad ipſum eat. anno ſecundo belli civilis, Caeſare II & Servilio Coſſ.

M.T.C. TERENTIAE S.P.D.

QVod nos in Italiam ſalvos veniſſe gaudes, perpetuo gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magniſque injuriis, metuo ne id conſilii ceperimus, quod non facile explicare poſſimus. Quare, quantum potes, adjuva. Quid autem

autem poſſis, mihi in mentem non venit. in viam quod te des hoc tempore, nihil eſt, & longum eſt iter, & non tutum: & non video quid prodeſſe poſſis ſi veneris. Vale. D. prid. Nonas Novemb. Brundiſio.

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Permittit uxori, ut de nuncio remittendo conſilium capiat ex tempore. anno tertio civilis belli, Caeſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus.

M.T.C. TERENTIAE S.P.D.

QVod ſcripſi ad te proximis litteris de nuntio remittendo, quae ſit iſtius vis hoc tempore, & quae concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus eſt, quies tamen ab

QVod ſcripſi ad te de nuntio remittendo*] Incertum tempus quo ſcripta ſit, & ſane nonnullis locis obſcurior epiſtola. quamvis ſuſpicer cum Brundusii eſſet: nam in epiſtola quadam ad Atticum de quo hic etiam agit, inquit, *Placet mihi igitur, & idem etiam tibi, nuntium remitti?* non tamen affirmarim idem negotium in hac, & in illa tractari. *Victorius.*

Si metuendus iratus eſt, quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur] Secutus ſum cod. vulgatos, quibuſcum conſentiunt nonnulli Memmiani. P. Victorius, ſecutus ſuum illum codicem antiquiſſimum, edidit, *quieſces tamen*, &c. cujus ſui facti nullam præterea rationem affert. Ego ſcripturam illam plane mendoſam eſſe puto: & tres illas litteras poſtremas, *ces.* ex annotatione natas ſuſpicor, cum aliquis adſcripſiſſet e regione horum verborum, *ſi metuendus iratus eſt*, *coſ.* ſeu *caſ.* id eſt, Cæſar: quod poſtea tranſlatum a librario eſt in contextum verborum Ciceronis, & adjunctum nomini *quies.* quæ mea ſuſpicio ſicui forte non videbitur probabilis, videat num dici poſſit, has literas, *coſ.* eſſe & tranſpoſitas & corruptas, & ſic debere ſcribi, *ſcil.* vel *ſc.* tantum: ut hoc totum ita ſit legendum, *quies, ſcil.* id eſt, ſcilicet. ego tamen priorem meam conjecturam, veriorem exiſtimo. *Lambinus.* *Quies tamen* &c.] In manuſcripto eſt, *quaque tamen ab illo fortuna naſcetur.* Urſinus. Merito de obſcuritate loci hujus queſti ſunt homines eruditi. Hittorp. *ſed metuendus iratus eſt, quieſce tamen fortaſſe ab illo naſcetur.* Pal. ſext. *quieſces tamen ab illo: fortaſſe naſcetur totum: judicabis quale ſit.* legendum, *ſed metuendus iratus eſt. quieſce tamen. Ab illo forte naſcetur.* ſcilicet divortii cauſſa. & Dolabellam intelligit. *Guilielm.* I. Fr. Gronovius exiſtimat non repudiandum eſſe, quod in uno libro invenit Manutius, *quieſces*, quod tamen extat quoque in Palatino Sexto, & Hittorpiano, una tantum littera omiſſa. Itaque cenſeo legendum eſſe, *ſi metuendus iratus eſt, quieſces.* hoc ſenſu, ſi putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuncium. Dein breviter ſubjici: *tamen ab illo fortaſſe naſcetur*, ſcilicet cauſſa divortii. Ille luxurioſus & perditus uxoris longe diverſis moribus offenſus nuntium illi remittet. Acute hercule & vere. *Grav.*

Veſtrum

ab illo fortaſſe naſcetur. Totum judicabis quale ſit: & quod in miſerrimis rebus minime miſerum putabis id facies. Vale. VI Idus Quintil.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Initio belli civilis, cum Caeſar amnem Rubiconem tranſiſſet, ejuſque adventus metueretur, Pompeius & conſules urbem reliquerunt. cum hic eſſet rerum ſtatus, Cicero de uxore & filia ſollicitus, monet eas, ut cum amicis conſiderent, utrum Caeſaris adventum in urbe exſpectent, aut ante diſcedant. Addit de Labieno ad Pompeii partes adjuncto, de Piſone a Caeſaris generi ſui cauſſa diſſidente. Anno primo civilis belli Lentulo & Marcello Coſſ.

TVLLIVS TERENTIAE, ET PATER TVLLIOLAE, DVABVS ANIMIS SVIS: ET CICERO MATRI OPTIMAE, SVAVISS. SORORI S.P.D.

SI vos valetis, nos valemus. Veſtrum jam conſilium eſt, non ſolum meum, quid ſit vobis faciendum. Si ille Romam modeſte venturus eſt, recte in praeſentia domi eſſe poteſtis, ſin homo amens diripiendam urbem daturus eſt, vereor ut Dolabella ipſe ſatis nobis prodeſſe poſſit. Etiam illud metuo, ne jam intercludamur, ut, cum velitis exire, non liceat. Reliquum eſt, quod ipſae optime conſiderabitis, veſtri ſimiles feminae ſintne Romae. Si enim non ſunt, videndum eſt ut honeſte vos eſſe poſſitis. Quo-

V*Eſtrum jam conſilium eſt*] Importune in hunc locum inculcata haec epiſtola eſt. Quis enim non videt illam ſcriptam initio belli civilis inter Pompeium & Caeſarem? *Victor.*

Si ille] Caeſar. *Corrad.*

Verendum eſt ut honeſte] Sic eſt legendum, libris omnibus invitis. Hoc enim ſignificat, ſi aliae matronae nobiles & honoratae non ſint Romae, vix Terentiam & Tulliam honeſte eſſe poſſe. Sic autem loquitur, *verendum eſt ut vos honeſte eſſe poſſitis.* Id eſt, verendum eſt ne non poſſitis eſſe honeſte. Confirmat meam conjecturam verbum *verendum*, quod mox iteratur, quaſi jam ſemel ante

Quomodo quidem nunc ſe res habet, modo ut haec vobis loca tenere liceat, belliſſime vel mecum, vel in noſtris praediis eſſe poteritis. Etiam illud verendum eſt, ne brevi tempore fames in urbe ſit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, conſideretis. ad ſummam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat etiam Piſo, quod ab urbe diſcedit, & ſceleris condemnat generum ſuum. Vos meae cariſſimae animae, quam ſaepiſſime ad me ſcribite, & vos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus vobis ſalutem dicunt. Valete. VIII Kalend. Quintil. Menturnis.

ante poſitum, *etiam illud verendum eſt*, &c. *Lambinus*. Sed recte codicum omnium ſcripturam defendit Manutius, quem vide.

Quomodo quidem nunc ſe res habet] *Quomodoque* eſt in vetere libro manuſcripto, & ita opinor legendum. al. *quomodocunque*. Urſin.

Haec loca] Campaniae, ep. 16. lib. II. *Corrad.*

Labienus] T. Labienus, qui relicto Caeſare, cujus legatus erat, ad Pompeium ſe contulit, ep. 11, lib. XVI. *Idem.*

Rem meliorem fecit] Eam Caeſarianae praeponens. quin multo etiam plus animi Pompeio attulit. *Idem.*

Piſo] L. Piſo Caeſaris ſocer. *Idem.*

Rufus] Fortaſſe ep. 20 lib. V. *Idem.*

Menturnis] Sic in MSS. ſcribitur. Aliter *Minturnis*. oppidum Auruncorum paullum ſupra Liris fluvii oſtia in Latio, cujus tantum rudera ſuperſunt.

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Conſilii ſui de mittendo ad Caeſarem Cicerone filio mutationem ſignificat: anno tertio civilis belli, Caeſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus.

M. T. C. TERENTIAE SUAE S. P. D.

SI vales, bene eſt. Conſtitueramus, ut ad te antea ſcripſeram, obviam Ciceronem Caeſari mittere: ſed mutavimus conſilium, quia de illius adventu nihil audiebamus. De

Conſtitueramus] Haec poſt pugnam Pharſalicam ſcripta eſt cum Brundutii eſſet, quod ſignificatur primis verbis: dixerat enim antea, *Nobis erat in animo Ciceronem ad Caeſarem mittere.* Praeterea quod inquit, *Tulliam adhuc mecum teneo.* Victor.

Etſi

De ceteris rebus, etſi nihil erat novi, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe, ex Sicca poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII Kalendas Quintil.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

De litteris, de Volumnia, de ſuo dolore. anno tertio civilis belli, Caeſare dictatore iterum, ſine conſulibus.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

SI vales, bene eſt, valeo. Etſi ejuſmodi tempora noſtra ſunt ut nihil habeam quod aut a te litterarum exſpectem, aut ipſe ad te ſcribam: tamen neſcio quomodo & ipſe veſtras litteras exſpecto, & ſcribo ad vos, cum habeo qui ferat. Volumnia debuit in te officioſior eſſe quam fuit, & id ipſum, quod fecit, potuit diligentius facere & cautius: quanquam alia ſunt quae magis curemus, magiſque doleamus. Quae me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea ſententia detruſerunt. Cura ut valeas. Pridie Kalend. Ianuar.

ETſi ejuſmodi tempora] Non poſſum facile conſtituere quo tempore hæc epiſtola ſcripta ſit, utrum ne poſt victoriam Cæſaris cum Brunduſii ſederet, an multo tempore antea cum exularet. Verba illa *ut ii voluerunt, qui me de mea ſententia detruſerunt*, aperire videntur tempus quo ſcripta ſit: nam aliis in locis reprehendit conſilium ſuum, qui iis paruerit qui in vita eum retinere voluerunt, cum ipſe ſibi manus afferre cogitaret, poſtquam patria pulſus eſt. Quamvis accommodari etiam poſſint tempori, quod Brunduſii manſit, ut ſcil. queratur de illis qui invitum eum coegerunt partes Pompeian. relinquere: docet enim ſe ſupra magnis injuriis compulſum id conſilium cepiſſe quod non facile explicari poſſet. In epiſt. ad Attic. inquit, *Quæ me cauſſæ moverint, quam acerbæ, quam graves, quam novæ*, & quæ ſequuntur, ut hoc verius eſſe putem. *Victor.*

EPISTOLA XVII.

Argumentum.

Materiam ſcribendi ſibi deeſſe dicit: ſuum dolorem ex Leptae & Trebatii ſermone poſſe cognoſci. Terentiam curare & ſuam & Tulliae valetudinem jubet. Scripta videtur ante ſuperiorem, Decembri menſe, cum Cicero Brundiſii eſſet. nam quod hic de Lepta & Trebatio ſcribitur, idem epiſt. 8. ad Attic. lib. xi. Quantis curis afficiar, cognoſces ex Lepta & Trebatio.

M.T.C. TERENTIAE SVAE S.D.

S. V. B. E. V. Si quid haberem quod ad te ſcriberem, facerem id & pluribus verbis & ſaepius. Nunc quae ſunt negotia vides. Ego autem quomodo ſim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoſcere. Tu fac ut tuam & Tulliae valetudinem cures. Vale.

S*I quid haberem*] Conſtat ſcriptam fuiſſe, cum Brunduſii eſſet: nam ad Atticum nunc etiam ſcribens, inquit: *Quantis curis afficiar etſi profecto vides, tamen cognoſces ex Lepta & Trebatio.* Victorius.

EPISTOLA XVIII.

Argumentum.

Vxoris & filiae conſilio permittit, quid faciant, Romae ne ſint in adventu Caeſaris, an cum ipſo in aliquo tuto loco. anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coſs.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE, ET PATER SVAVISS. FILIAE TVLLIOLAE, CICERO MATRI, ET SORORI, S.P.D.

COnſiderandum vobis etiam atque etiam, animae meae, diligenter puto, quid faciatis: Romae ne ſitis, an mecum

C*Onſiderandum vobis*] Scripta initio belli civilis, quare & ipſa huc importune inculcata. Vnum admonere volo, inſcriptiones harum epiſtolarum, quae

cum in aliquo tuto loco. Id non ſolum meum conſilium eſt, ſed etiam veſtrum. Mihi veniunt in mentem haec: Romae vos eſſe tuto poſſe per Dolabellam, eamque rem poſſe nobis adjumento eſſe, ſi quae vis aut ſi quae rapinae fieri coeperint. Sed rurſus illud me movet quod video omnis bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere. Haec autem regio, in qua ego ſum, noſtrorum eſt cum oppidorum tum etiam praediorum: ut & multum eſſe mecum, & cum abieritis commode & in noſtris eſſe poſſitis. Mihi plane non ſatis conſtat adhuc, utrum ſit melius. Vos videte, quid aliae faciant iſto loco feminae, & ne, cum velitis, exire non liceat. id velim diligenter etiam atque etiam vobiſcum & cum amicis conſideretis. Domus ut propugnacula & praeſidium habeat Philotimo dicetis. Et velim tabellarios inſtituatis certos, ut quotidie aliquas a vobis litteras accipiam. Maxime autem date operam ut valeatis, ſi nos vultis valere. VIIII KL. Formiis.

quæ & elegantiſſimæ ſunt, & amoris ac ſuavitatis pleniſſimæ, quales in meo libro ſunt, tales in Mediceo inveniri: id enim ſumma diligentia cuſtodivimus. Idem etiam in epiſtolis quæ ad Tironem ſcriptæ ſunt, obſervavimus. nam illarum quoque inſcriptiones, & ſuaviſſimæ & ardentiſſimæ ſunt. *Victor.* Hæ inſcriptiones quoque ſic leguntur in Amſtelodamenſi libro.

Hac autem regio] Campania. *Corrad.*

Noſtrorum eſt cum oppidorum] Imperio: quoniam huic regioni ſumus præfecti. *Idem.*

Cum abieritis] A me. *Idem.*

Philotimo] Liberto. *Idem.*

Formiis] *Formiæ* municipium Latii in Auruncis, hodie *Mola.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Dolorem ſuum ex filiae valetudine, & difficultatem propius accedendi ſignificat. Secundo belli civilis anno, Caeſare II. Servilio Coſs. poſt Pharſalicam pugnam. Brundiſii.

M. T. C. TERENTIAE S. D.

IN maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae noſtrae. De qua nihil eſt quod ad te plura ſcribam: tibi

IN *maximis meis doloribus*] Scripta, ut arbitror, cum Brundiſii eſſet, poſt devictum Pompeium: id mihi ſignificant verba illa, *Quod me propius vultis* acce-

tibi enim aeque magnae curae eſſe certo ſcio. Quod me propius vultis accedere, video ita eſſe faciendum. etiam ante feciſſem: ſed me multa impedierunt, quae ne nunc quidem expedita ſunt. Sed a Pomponio exſpecto litteras, quas ad me quam primum perferendas cures velim. Da operam ut valeas.

accedere. Nam ad Attic. etiam ſcribens, eodem tempore, inquit, *Quod ſcribis placere, ut propius accedam.* in hac etiam epiſtola narrat ſe expectare a Pomponio litteras, quid enim de hac re ille ſentiret, ſcire volebat. *Victor.*

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Cum a Caeſare ſatis liberales litteras accepiſſet, de quibus epiſt. ult. ſit mentio, propius accedere non dubitavit. Mandat igitur uxori ut in Tuſculano curet parata eſſe omnia, quae ſint ad victum & ad valetudinem neceſſaria: cum praeſertim eo cum amicis aliquot iturum ſe putet. Anno tertio civilis belli, Caeſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

IN Tuſculanum nos venturos putamus aut Nonis, aut poſtridie. ibi ut ſint omnia parata. Plures enim fortaſſe nobiſcum erunt, &, ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum ſi in balineo non eſt, ut ſit: item cetera quae ſunt ad victum & ad valetudinem neceſſaria. Vale. Kal. Octobr. de Venuſino.

IN *Tuſculanum nos venturos*] Hæc quoque non ſervato ordine hic collocata eſt, tempus etiam incertum, quo ſcripta ſit: fortaſſe cum e provincia rediit: potuit etiam cum ad urbem appropinquaret, poſt reditum Cæſaris in Italiam, nam non ante Brunduſio diſceſſit quam illum bello Alexandrino confecto, & Pharnace ſuperato, victorem Tarentum navibus appuliſſe audivit. De duabus quæ ſequuntur, nihil certi tradi poteſt, ſuſpicor tamen ſcriptas eſſe a Cicerone cum Brunduſii maneret. *Victor.*

De Venuſio] Mediceus codex *de Venſino*: nos *de Venuſino* ſcripſimus, unius litteræ defectum illum habere arbitrati. Petrarchæ ſane liber *de Venuſino* habet: nam *de Venuſio* nullo pacto probamus. *Venuſia* enim hæc urbs appellatur, non Venuſium neutro genere. Præterea non adpoſuiſſet præpoſitionem civitati, ut ſupra, *Dat. prid. Non. Novemb. Brunduſio:* & aliis infinitis locis. Quod autem in hac ipſa parvula epiſtola bis delevimus *fac*, tribuimus id & antiquorum codicum auctoritati, & familiaris ſermonis conſuetudini. Sæpe enim hujuſmodi voces elegantius deſiderantur: nam & facile intelligi poſſunt, & brevitatem ſermonis adjuvant. Quam autem ſæpe ſic Cicero, & comici maxime loquantur, quia crebra ſunt exempla, non longior ero id oſtendendo. *Idem.*

EPI-

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Hanc epiſtolam opinor ſcriptam eſſe anno primo civilis belli, Lentulo & Marcello Coſs. ante quam Cicero in Graeciam navigaret; cum tamen, ut mihi videtur, navigationem cogitaret. quod ex iis verbis conjicio: Quod opus erit, ut res tempuſque poſtulat, provideas atque adminiſtres. *nam illud:* Ad me de omnibus rebus quam ſaepiſſime litteras mittas: *certe indicat eum eſſe in Italia.*

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

SI vales, bene eſt, valeo. Da operam ut convaleſcas. quod opus erit, ut res tempuſque poſtulat, provideas atque adminiſtres: & ad me de omnibus rebus quam ſaepiſſime litteras mittas. Vale.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

Scripta videtur poſt pugnam Pharſalicam, anno tertio civilis belli, cum Cicero, acceptis a Caeſare, ex AEgypto in Italiam redeunte, litteris iis quae nominantur ep. ult. incertus conſilii eſſet, utrum ei obviam procederet, an eum Brundiſii exſpectaret.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

SI vales, bene eſt, valeo. Nos quotidie tabellarios noſtros exſpectamus: qui ſi venerint, fortaſſe erimus certiores quid nobis faciendum ſit: faciemuſque te ſtatim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kalendis Septembrib.

N*Os quotidie tabellarios noſtros exſpectamus*] Non *veſtros* ut vulgo, ex Pall. Vaticano, Hittorpiano. addit Guilielmius: id eſt, *familiares quos tu inſtituiſti nobis.* praeterea idem ille codex, ſicut & Palatinus ſextus, *Nos tota die tabell.* ſicut Plautus Sticho, *anus ſervulus tota die in portu eſt.* Gebhard.

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Haec biduo ante eam, quae ſequitur, ſcripta eſt: quod adſcripta utrique dies indicat: & in hac Caeſaris litteras exſpectat, in illa ſe accepiſſe demonſtrat.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

SI vales, bene eſt, valeo. Redditae mihi tandem ſunt a Caeſare litterae ſatis liberales: & ipſe opinione celerius venturus eſſe dicitur. Cui utrum obviam procedam, an hic eum exſpectem, cum conſtituero faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quam primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. D. Pridie Idus Sex.

R*Eddita mihi jam tandem*] Dubitari non poteſt, quin hæ litteræ & inferiores poſt reditum ipſius in Italiam ſcriptæ ſint, relictis partibus Pompeianis, cum jam multum tempus Brunduſii manſiſſet. Quod autem ſe adhuc non ſtatuiſſe inquit, utrum illi obviam procedat, an illic eum expectet: quid poſtea fecit narrat Plutarch. in vita ipſius: Καταχθεὶς δ' εἰς Βρεντέσιον, ἐνταῦθα διέτριβε, Καίσαρα προσδεχόμενος βραδύνοντα διὰ τὰς ἐν Ἀσίᾳ καὶ περὶ Αἴγυπτον ἀσχολίας. ἐπεὶ δ' εἰς Τάραντα καταπορευόμενος ἀπηγγέλλετο, καὶ περιιὼν ἐκεῖθεν εἰς Βρεντέσιον, ὥρμησεν πρὸς αὐτόν. Victorius.

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Scribit de redditis ſibi a Caeſare litteris, de fama ejus adventus, de ancipiti conſilio vel obviam procedendi, vel eum exſpectandi. anno tertio civilis belli, Caeſare dictatore iterum, cum Cicero Brundiſii adhuc eſſet.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D.

SI vales, bene eſt, valeo. Nos neque de Caeſaris adventu, neque de litteris, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te ſtatim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. III Idus Sextiles.

P*Hilotimus*] De quo ad Atticum ſic ſcribit, *Auguſtus quidam nuntiabat, Philotimum Rhodum v Kal. Jun. veniſſe, & habere ad me litteras.* Corrad.

M. TVL-

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD CONSVLES, ET ALIOS, LIBER XV.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Cum Parthi, duce Pacoro, Orodis regis filio, maximis copiis Euphratem flumen, Romani imperii terminum, tranſiſſent; ſollicitus Cicero cum de Ciliciensi provincia, quam conſulari imperio regebat, tum de reliquis etiam ab impetu belli non longe remotis, monet conſules, praetores, tribunos pl. & ſenatum, ut majores exercitus ad earum provinciarum praeſidium primo quoque tempore mittantur. Haec epiſtola, Sulpicio, Marcello Coss. quo anno in provinciam ivit, ſcripta eſt: ſed collocari debuit poſt eam quae ſequitur, ea vero poſt eam quae ſcripta eſt ad Catonem, hoc initio, Cum ad me legati: *in qua, nihil adhuc ſe publice de bello Parthico ſcripſiſſe, ſignificat.*

M. TVLLIVS M. F. CICERO PROCONSVL, S. P. D. COSS. PRAETT. TRIBB. PL. SENATVI.

SI vos V. B. E. E. Q. V. Etſi non dubie mihi nuntiabatur, Parthos tranſiſſe Euphratem cum omnibus fere ſuis copiis: tamen, quod arbitrabar a M. Bibulo proconſule certiora de his rebus

A M. Bibulo Proconſule] Sytiz. *Corradus.*

bus ad vos ſcribi poſſe, ſtatuebam mihi non neceſſe eſſe publice ſcribere ea quae de alterius provincia nuntiarentur. Poſtea vero quam certiſſimis auctoribus, legatis, nuntiis, litteris ſum certior factus: vel quod tanta res erat, vel quod nondum audieramus Bibulum in Syriam veniſſe: vel quia adminiſtratio hujus belli mihi cum Bibulo paene eſt communis: quae ad me delata eſſent, ſcribenda ad vos putavi. Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem tranſire coepiſſe. Quo nuntio allato, cum eſſent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, ſtatui exſpectandum eſſe, ſi quid certius afferretur. A. d. XIII Kalendas Octobr. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae & Cap-

Regis Antiochi Commageni] Plin. lib. V, cap. 12. *Corradus.* *Commagene* Syriæ pars ad Euphratem & Taurum montem ſita, poſterioribus temporibus *Euphratenſis* dicta, & *Auguſteuphratenſis*, quam Seleucidis, Romani cum Syriam occupaſſent, reliquiſſe videntur, ejus Reges dicti Antiochi Commageni. Iſti, cujus hic Cicero meminit, Lucullus captis Tygranocertis, uxorem captivam reſtituit, & Cn. Pompeius Seleuciam Meſopotamiæ caſtellum donavit. Strab. lib. XVI. Huic bellum intulit Ventidius Antonii legatus, cupiditate ejus pecuniæ incenſus, quam poſſidebat. Sed cum egregie ſe tueretur, clam Antonius cum eo de pace egit, ut honeſte poſſet recedere. Ad quam ſanciendam ei tradidit Antonius Alexandrum interficiendum, qui ad Romanos transfugerat: Dio lib. XLIX. Ejus filius Antiochus Commagenus accuſatus capitis & damnatus eſt, quod legatum fratris, cum quo exercebat inimicitias, Romam miſſum perfide interfecit: Dio lib. LII. Tiberius in provinciæ formam redegit Commagenen, cum mortuus eſſet Antiochus ejus Rex, qui forte filius fuit damnati: Tacit. II Ann. c. 56. ſed Caligula Seleucidis reſtituit regnum Commagenæ adjectis Ciliciæ maritimis, & quidem Antiocho, Antiochi hujus filio, qui videtur fuiſſe pronepos hujus Antiochi, cujus hic Cicero meminit. Fuit tota vita clarus & vetuſtis opibus ingens, & inſervientium Regum ditiſſimus & feliciſſimus: Tacit. II Hiſt. cap. 81. Tandem fuit ſub Veſpaſiano accuſatus & Lacedæmonem relegatus, & Commagene iterum in provinciæ formam redacta: Joſephus lib. VII, c. 27. bell. Jud. Sueton. Veſpaſ. c. 8. *Rupertus.*

Legati primi] Ep. 3 hujus libri. *Corradus.*

In finibus Lycaonia & Cappadocia] Veteres libri Pal. prim. Amſtelod. Stewech. Mentel. meus ſecundus, *in finibus Lycaonia e Cappadocia*; ſed vulgata ſcriptura non eſt mutanda. Lycaonum & Cappadocum fines ſunt Coropaſſus Lycaoniæ pagus & Gareathyra Cappadociæ oppidulum. inter quæ loca intervallum eſt centum viginti ſtadiorum: Strab. lib. XV. *Grav.*

Lycaonia] Regio Aſiæ inter Galatiam, Cappadociam, Pamphyliam & Ciliciam, cujus caput Iconium.

Cap-

Cappadociae mihi litterae redditae ſunt a Tarcondimoto, qui fideliſſimus ſocius trans Taurum amiciſſimuſque populi Romani exiſtimatur: Pacorem Orodi, regis Parthorum, filium, cum permagno equitatu Parthico tranſiſſe Euphratem, & caſtra poſuiſſe Tybae: magnumque tumultum eſſe in provincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblicho, Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene ſentire, ami-

Cappadocia] Cappadocia Aſiæ regio magna inter Armeniam minorem, Ciliciam, Pamphyliam, Galatiam & Pontum Euxinum, hodie quatuor complectens regiones, *Genech*, *Suas*, *Anadolen* & *Amaſiam*.

Littera reddita ſunt a Tarcondimoto] Dion *Tarcondemotum* hunc regulum appellat: nam apud alios auctores aliquantulum hoc nomen librariorum vitio (ut puto) variatum reperias. De clementia Cæſaris loquens Dion lib. XLI. ſic argumentatur: Τεκμήριον δὲ, ὅτι Σαδάλου μὲν τοῦ Θρᾳκὸς, καὶ Δηιοτάρου τοῦ Γαλάτου, καίτοι καὶ ἐν τῇ μάχῃ γενομένων, Ταρκονδιμότου τε ἐν μέρει μέν τινι τῆς Κιλικίας δυναστεύοντος, πλεῖστον δὲ αὐτῷ πρὸς τὰ ναυτικὰ βεβοηθηκότος, ἐφείσατο. *Victorius.* *In poſterioribus hæc addit:* Nec a vetuſtis codicibus diſcedo (nam in Mediceo, cui multum tribuo, nulla varietas), nec receptam lectionem muto. Res ipſa liberque meus teſtantur: nec ullo modo reprehendi debeo, ſi in manuſcripto Dione oſtendi *Tarcondemotum* legi: cui enim hæc puſilla in re diligentia mea obeſſe poteſt? Idem tamen in melioribus poſtea codicibus Dionis *Tarcondimotum* ſcriptum eſſe obſervavi. *Tarcondimoto*] Partis Gallogræciæ, vel Ciliciæ ſecundum Dionem, tetrarcha. *Corradus.*

Pacorem] Quem poſtea Ventidius ſuperavit, cuique Phraartes frater ſucceſſit. *Corrad.* *Pacorum* alii vocant, Ciceroque ipſe ad Atticum libro quinto, rem eandem perſcribens. Nobis primam eſſe libri hujus epiſtolam placet quam ad Catonem ſcripſit priorem. in ea enim nihildum ſenatui ſcripſiſſe indicat: in ea *impetum in Cappadociam* potius legerim, quam *in Cappadocia*. Bernh. Rutil.

Orodi] Hunc Plutarchus non ſemel *Hyrodem* vocat. *Corradus.*

Tyba] Hujus trans Euphratem ſive pagi ſive urbis, præter Ciceronem nemo veterum meminit.

Ab Iamblicho Phylarcho Arab.] *Iambl.* Sampſicerami filio: *Phylarcho*, quod nomen & gentis & dignitatis eſſe poteſt: Arabes enim quidam *Phylarchi*, Strabone auctore, nominantur. *Corrad.* Ego legendum puto, *phararcho Arabum*. Eſt autem *phararchus*, is qui præeſt turribus iis unde lumen ſublatum ſignificat navigantibus ubi loci ſint, & unde, ſi quid ſit quod ſcire opus ſit, ſublatis ignibus longo ordine, & immenſo ſpatio, dum turris turri vicinæ ſignum dat, res in disjunctiſſimis locis geſtæ cognoſcantur. Quanquam Strabo commemorat præfectos quoſdam in Arabia *phylarchos* appellatos. Quocirca neque quidquam olim mutavi, neque nunc muto. *Lambinus.* Fuit *Iamblichus Phylarchus* Emeſenorum in Syria ad Euphratem. Strabo lib. XVI. Ἀρέθουσα ἡ Σαμψικεράμου, καὶ Ἰαμβλίχου τοῦ ἐκείνου παιδὸς φυλάρχων τοῦ Ἐμεσηνῶν ἔθνους. *Et Arethuſa Sampſicerami, & Iamblichi ejus filii, qui phylarchi populi Emeſſenorum fuerunt.* Illam vero regionem tenebant Arabes, ut ibidem docet Strabo. Arabum autem geus fuit in ἔθνη diviſa, ipſi φύλας vocant. unde ſuos dynaſtas vocarunt *Phylarchos*. Sicut etiam Saraceni ſuos duces ſic vocabant. vide Strabon. d. l. Joſephum antiquit. Jud. lib. I, c. 13. Suidam in φυλάρχης, & Iſ. Caſaubon. ad laudatum locum Strabonis: qui & ibi

amicumque eſſe reipub. noſtrae, litterae de eiſdem rebus mihi redditae ſunt. His rebus allatis, etſi intelligebam ſocios infirme animatos eſſe, & novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos, ſperabam tamen eos ad quos jam acceſſeram, quique noſtram conſuetudinem integritatemque perſpexerant, amiciores populo Romano eſſe factos: Ciliciam autem firmiorem fore, ſi aequitatis noſtrae particeps facta eſſet. Et ob eam cauſſam, & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis eſſent, & ut hoſtis is, qui eſſet in Syria, ſciret, exercitum populi Rom. non modo non cedere his nuntiis allatis, ſed etiam propius accedere: exercitum ad Taurum inſtitui ducere. Sed, ſi quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, in iis praeſertim rebus quas vos audiſtis, ego paene cerno: magno opere vos & hortor & moneo, ut his provinciis ſerius vos quidem quam decuit, ſed aliquando tamen conſulatis. Nos quemadmodum inſtructos & quibus praeſidiis munitos ad tanti belli opinionem miſeritis, non eſtis ignari. quod ego negotium non ſtultitia obcaecatus, ſed verecundia deterritus, non recuſavi. Neque enim unquam ullum periculum tantum putavi, quod ſubterfugere mallem, quam veſtrae auctoritati obtemperare. Hoc autem tempore res ſeſe ſic habet, ut niſi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere ſoletis, mature in has provincias miſeritis, ſummum periculum ſit, ne amittendae ſint omnes hae provinciae, quibus vectigalia populi Romani continentur. Quamobrem autem

Ibi haec addit: Quod Dionyſius Lambinus doctiſſimus alioqui vir *phararcho* legendum hoc loco putabat, indignum eſt eo homine in quo vel tantillum ſani judicii ſuperfuerit: quod mecum fatebuntur quicunque litteras Graecas penitius noverint. Porro *Iamblicho* huic fuit alius Iamblichus, & ipſe Romanorum amicitiam ſecutus, cui ab Auguſto patrium regnum eſt reſtitutum.

Quique noſtram conſuetudinem] Probo lectionem Corrigienſis, ingeniumque ac diligentiam ipſius laudo, qui *manſuetudinem* potius, quam *conſuetudinem* legendum putet. *Victorius*. *Manſuetudinem* habet vetus liber manuſcriptus, aliquanto (ut videtur) meliore ſententia. *Urſin.*

Serius vos quidem, quam decuit] Quidam legi volunt *debuit*, impersonaliter. quod valde probo. *Lambin.*

Ubi-

autem in hoc provinciali dilectu ſpem habeatis aliquam, cauſſa nulla eſt: neque multi ſunt, & diffugiunt, qui ſunt, metu oblato. Et, quod genus hoc militum ſit, judicavit vir fortiſſimus M. Bibulus in Aſia: qui, cum vos ei permiſiſtis, dilectum habere noluerit. Nam ſociorum auxilia propter acerbitatem atque injurias imperii noſtri, aut ita imbecilla ſunt ut non multum nos juvare poſſint, aut ita alienata a nobis, ut neque exſpectandum ab iis, neque committendum iis quidquam eſſe videatur. Regis Deiotari & voluntatem & copias, quantaecunque ſunt, noſtras eſſe duco. Cappadocia eſt inanis. Reliqui reges tyrannique neque opibus ſatis firmi, nec voluntate ſunt. Mihi in hac paucitate militum animus certe non deerit: ſpero ne conſilium quidem. Quid caſurum ſit, incertum eſt. Vtinam ſaluti noſtrae conſulere poſſimus; dignitati certe conſulemus.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Exponit, audito Parthorum adventu, quid egerit pro tuenda provincia, ſociiſque in fide continendis; adjungit de rege Ariobarzane ab inſidiis liberato. Eodem anno.

M. TVLLIVS M. F. CICERO PROCOS. S. P. D. COSS. PRAETT. TRIBB. PL. SENAT.

SI V. V. B. E. E. Q. V. Cum pridie Kalend. Sext. in provinciam veniſſem, neque maturius propter itinerum & navigationum difficultatem venire potuiſſem, maxime convenire officio meo reique p. conducere putavi, parare ea quae ad exercitum quaeque ad rem militarem pertinerent. Quae cum eſſent a me cura magis & diligentia, quam facultate & copia, conſtituta, nuntiique & litterae de bello a Parthis in provinciam Syriam illato, quotidie fere afferren-

ferrentur, iter mihi faciendum per Lycaoniam & per Iſauros & per Cappadociam arbitratus ſum. erat enim magna ſuſpicio, Parthos ſi ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quod ea maxime pateret, eſſe facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociae partem eam, quae cum Cilicia continens eſt, iter feci: caſtraque ad Cybiſtra, quod oppidum eſt ad montem Taurum, locavi: ut Artuaſdes, rex Armenius, quocunque animo eſſet, ſciret, non procul a ſuis finibus exercitum populi R. eſſe: & Deiotarum, fideliſſimum regem atque amiciſſimum reipub. noſtrae, maxime conjunctum haberem, cujus & conſilio & opibus adjuvari poſſet reſpub. Quo cum in loco caſtra haberem, equitatumque in Ciliciam miſiſſem, ut & meus adventus iis civitatibus, quae in ea parte eſſent, nuntiatus firmiores animos omnium faceret, & ego mature quid ageretur in Syria ſcire poſſem: tempus ejus tridui, quod in his caſtris morabar, in magno officio, & neceſſario mihi ponendum putavi. Cum enim veſtra auctoritas interceſſiſſet, ut ego regem Ariobarzanem, Euſeben & Philorhomaeum tuerer, ejuſque

C*ybiſtra*] Vide ad Attic. lib. v, epiſt. 20.

Artuaſdes] Vide ad epiſt. ſequentem.

Tempus ejus tridui] *Quinque dies* ſcribit & epiſt. 4 hujus libri, & lib. v ad Atticum. *Corradus.*

Veſtra auctoritas interceſſiſſet] Vos Senatuſconſultum feciſſetis, quo mihi praecipiebatur.

Ariobarzanem, Euſeben & Philorhomaeum] *Ariob.* pium & amicum Romanis. Graece autem rectius ſcriberetur. *Corrad.* *Philorh.* id eſt, amicum populi Ro. pro lege Manilia circa initium. unde in vett. nummis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. quidam codd. *Philoniscum.* Cl. Puteanus. Extant apud me duo antiqua numiſmata ex argento, quorum alterum habet imaginem *Ariobarzanis* circumſcripto titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. alterum Ariarathis cum litteris, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Ex quibus inſcriptionibus intelligimus *Ariobarzanem* quidem appellatum fuiſſe *Philorhomaeum*, Ariarathem vero *Euſeben*. Cicero tamen utrunque titulum ſoli tribuit Ariobarzani: niſi forte aliquod mendum ſit in his verbis, & nomen Ariarathes deſit, cum ſcriptum antea fuiſſet, *Ut ego reges Ariarathem & Ariobarzanem Euſeben & Philorhomaeum*, &c. Incidi poſtea in argenteum nummum Ariobarzanis hujus, quem hic deſcribit Cicero, in cujus una parte Ariobarzanis ipſius imago, in altera inſcriptio inciſa eſt, ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. *Urſin.*

A no-

que regis ſalutem, incolumitatem regnumque defenderem, regi regnoque praeſidio eſſem, adjunxiſſetiſque, ſalutem ejus regis, populo ſenatuique magnae curae eſſe, quod nullo unquam de rege decretum eſſet a noſtro ordine: exiſtimavi me judicium veſtrum ad regem deferre debere, eique praeſidium meum & fidem & diligentiam polliceri: ut, quum ſalus ipſius, incolumitas regni mihi commendata eſſet a vobis, diceret, ſi quid vellet. Quae cum eſſem in conſilio meo cum rege locutus: initio ille orationis ſuae vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit: quod ei permagnum & perhonorificum videbatur, S. P. Q. R. tantae curae eſſe ſalutem ſuam: meque tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides & commendationis veſtrae auctoritas perſpici poſſet. Atque ille primo, quod mihi maximae laetitiae fuit, ita mecum locutus eſt, ut nullas inſidias neque vitae ſuae, neque regno diceret ſe aut intelligere fieri, aut etiam ſuſpicari. Cum ego ei gratulatus eſſem, idque me gaudere dixiſſem, cohortatus, ut recordaretur caſum illum interitus paterni, & vigilanter ſe tueretur, atque admonitu ſenatus conſuleret ſaluti ſuae: tum a me diſceſſit in oppidum Cybiſtra. Poſtero autem die cum Ariarathe, fratre ſuo, & cum paternis amicis, majoribus natu, ad me in caſtra venit, perturbatuſque & flens, cum idem & frater faceret & amici, meam fidem, veſtram commendationem implorare coepit. Cum admirarer, quid accidiſſet novi: dixit, ad ſe indicia manifeſtarum inſidiarum eſſe delata, quae eſſent ante adventum meum occultata, quod ii, qui ea patefacere poſſent, propter metum reticuiſſent: eo autem tem-

A noſtro ordine] Senatorio. *Corradus.*

Quod ei permagnum & perhonorificum] Legendum ex antiquis libris, *quod & ei permagnum, & honorificum videbatur.* Graevius.

Atque admonitu ſenatus conſuleret ſaluti ſuae] Quia Hittorpianus codex habebat *admonitum*, reſcribi volebat Guilielmius *admonitum*, vel, quod Stewechianus *admoniti*, volebat *admonitu*. Sed his omnibus nihil opus. Paullo ante ſcribunt locupletius Palatinus ſextus & Hittorpianus, *idque me gaudere dixiſſem: & tamen adoleſcentem eſſem cohortatus* Gebhardus.

Propter metum reticuiſſent] Locum non

tempore ſpe mei praeſidii compluris ea quae ſcirent, audacter ad ſe detuliſſe: in his amantiſſimum ſui, ſumma pietate praeditum, fratrem, dicere ea, quae is me quoque audiente dicebat, ſe ſollicitatum eſſe ut regnare vellet: id vivo fratre ſuo accidere non potuiſſe: ſe tamen ante illud tempus eam rem nunquam in medium propter periculi metum protuliſſe. Quae cum eſſet locutus, monui regem ut omnem diligentiam ad ſe conſervandum adhiberet: amicoſque patris ejus avique judicio probatos hortatus ſum, regis

non genuinum eſſe ſcripturæ varietate deprehendo. Palatinus ſextus, *tacuiſſent.* alii *obticuiſſent.* primus vero & Stewechianus *renuntiaſſent*, unde faciendum forte *rem muſaſſent*, ut volebat Guilielmius. *Gebhardus.*

Amicoſque in patris ejus fide, atque judicio probatos, &c.] Hoc loco veteres codices manci ſunt ad unum omnes, ut ſuſpicer hunc locum, ut multos alios, reſtitutum eſſe ſuppletumque ab aliquo arbitrio ſuo potius & conjectura, quam veterum & integrorum codicum auxilio. Nos tamen nulla re vulgatam & receptam lectionem permutavimus, ſuſpectum tamen mirum in modum habemus: nec enim valde ſincerus ſermo nobis videtur *in patris ejus fide atque judicio probatos.* Quid enim facit ibi præpoſitio illa *in*? nobis ſane omnem ſenſum (ſi legitima alia verba ſunt) perturbare videtur, *Patris judicio probatos* optima nobis locutio videtur, *fide* non ita. videant, quæſo, hunc locum accuratius doctiores elegantioreſque viri: niſi fallor, parum hunc ſermonem probabunt: ἄκυρος enim profecto eſt, & male cohærens. nos tamen nihil aliud quam ſuſpicionem adferimus. cum fide tantum antiquam multorum codicum ſcripturam proponemus: quæ fortaſſe ſi diligentius animadverſa fuerit, magno erit adjumento ad veram lectionem inveſtigandam. eſt autem hæc, *Amicoſque in patris ejus, atque judicio probato hortatus ſum*, &c. *Victor.* *In patris ejus fide*] Al. *in patris ejus.* Fuit, quum ego ſuſpicatus ſum legendum eſſe *imperio ejus.* Corrad. *Amicoſq; pat. ejus atq; avi jud. pr.*] Sic video nuper eſſe hunc locum emendatum a Tito Popmæo & recte. nam vulgata lectio, *amicoſque in patris ejus fide, atque judicio*, &c. ferri non poteſt. *Lamb.* *Am.q; in patr. ejus atq; avi jud. pr.*] Repræſento lectionem, quam reperio in Palatino ſexto, optimo codice: nam primus, ſecund. tertius, Gruterianus, priſca editio, *amicoſque in patris ejus atque judicio probatos*: mutile. Quartus vero & quintus vulgatam & quam Victorius ſecutus eſt, prorogant *amicoſque in patris ejus fide atque judicio probatos.* notat Egnatius in Mediceo ab aliena manu τὸ *fide* additum: quod Victorius quoque non diffitetur. mavult tamen deleri τὸ *in* Andreas Schottus lib. III Nodor. cap. 4. veſtigiis, ut ait, codicis Medicei inſiſtens, *amicoſque patris ejus avique judicio probatos*, emendabat. mihi non diſplicet Titi Popmæ conjectura quam proxima noſtro libro; *amicoſque patris ejus atque avi judicio probatos.* Gebhardus. Nihil certius eſt emendatione Andreæ Schotti. Nam τὸ *in* etiam in Menteliano non conſpicitur; in quo legitur, *amicoſque ipſius ejus atque judicio probatos.* ex *avique* vero natum eſt *atque.* Sed & ipſa ſententia poſtulat hanc lectionem. Non intellexit Manutius hunc locum. *Amici* enim ſunt conſiliarii Regum & Principum, quos *purpuratos aulicos* vocat

regis ſui vitam, docti caſu acerbiſſimo patris ejus, omni cura cuſtodiaque defenderent. Cum rex a me equitatum cohortiſque de exercitu meo poſtularet, etſi intelligebam, veſtro ſenatuſconſulto non modo poſſe me id facere, ſed etiam debere: tamen, cum reſpub. poſtularet, propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quam primum exercitum ad Ciliciae fines adducerem: cumque mihi rex, patefactis jam inſidiis, non egere exercitu populi Romani, ſed poſſe ſe ſuis opibus defendere videretur, illum cohortatus ſum, ut in ſua vita conſervanda primum regnare diſceret: a quibus perſpexiſſet ſibi inſidias paratas, in eos uteretur jure regio: poena afficeret eos, quos neceſſe eſſet, reliquos metu liberaret:

car Tac. qui & *comites* dicti. Suet. Tib. cap. 46 & 55. Vetus inſcriptio,

C. SENTIO
SEVERO
QVADRATO
C. V. COS.
AMICO ET
COM. AVG. N.

Vide quæ notavi ad Juſtin. lib. I, c. 4. *Amici* igitur *patris avique judicio probati* ſunt Conſiliarii, quorum fidem pater avuſque in teſtamentis ſuis laudaverant, & filiis commendaverant. Ut hic *probari judicio* ſic in lib. XIII, ep. 46. *ornari judicio: & hominem probum exiſtimares, qui patroni judicio ornatus eſſet.* & contra *improbari judicio*. Sic dicitur eadem ratione, qui in teſtamento eſt præteritus, cum jure cognationis ei hæreditatis conſortium ac pars deberetur, *judicio improbatus*. Cic. pro domo ſua: *Cum Marci Papirii fratris ſui eſſet teſtamento & judicio improbatus, nomen ejus ſe velle perſequi dixit.* pro quo dixit *judicio notari* in Orat. pro Sext. *Judicium* autem ſæpe eſt judicium extremum, teſtamentum. Juſtin. lib. V, c. 11. *Regnum Artaxerxi, (Darius) Cyro civitates, quarum præfectus erat, teſtamento legavit. Sed Cyro judicium patris injuria videbatur.* Plin. lib. VII, ep. 31. *Idem quam reverenter, quam fideliter amicos colat, multorum ſupremis judiciis credere potes.* hoc eſt, teſtamentis. *Grav.*

Pœna afficeret eos quos neceſſe eſſet, cæteros metu liberaret] Quomodo regnare oporteret, præclare intelligebat Cicero: ſciebatque inutile eſſe, quemadmodum non graviter animadvertere in eos qui in vitam principis conſpiraſſent, ita etiam eos, qui non valde illi culpæ affines eſſent, in diuturniore metu continere: homines enim propter metum ſæpe fortia, & callida conſilia in animo verſant: ac deſperatione ſuadente, ea tentant quæ niſi omnem ſpem ſuæ ſalutis abjeciſſent, nunquam attingerent. Eſt igitur conſilium Ciceronis, Ariobarzani ipſi, & iis qui in eum leviter peccaſſent, ſalutare: nam eos tantum necandos cenſet quos neceſſe eſſet, reliquis autem ignoſcendum: ac non ſolum ignoſcendum, ſed etiam omnem timorem illis eripiendum. Plato in epiſtola ſua oſtendit, Dionyſium Syracuſarum tyrannum a nullo doctum, ut valde regnandi peritum hoc pulchre tenuiſſe: cum enim & ſe, & alios læſiſſet, animadvertiſſetque ipſos propter has injurias male affectos eſſe, veritus, ne metu inducti, audax aliquod facinus aggrederentur, conabatur blandis verbis, & omni genere comitatis omnem metum ex animis ipſorum pellere, ipſum-

ret: praeſidio exercitus mei ad eorum qui in culpa eſſent timorem potius, quam ad contentionem uteretur. fore autem, ut omnes, quum ſenatuſconſult. noſſent, intelligerent, me regi, ſi opus eſſet, ex auctoritate veſtra praeſidio futurum. Ita confirmato illo ex eo loco caſtra movi, iter in Ciliciam facere inſtitui: cum hac opinione e Cappadocia diſcederem, ut conſilio veſtro, caſu incredibili ac paene divino, regem, quem vos honorificentiſſime appellaſſetis nullo poſtulante, quemque meae fidei commendaſſetis & cujus ſalutem magnae vobis curae eſſe decreviſſetis, meus adventus praeſentibus inſidiis liberaret. Quod ad vos a me ſcribi non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis quae paene acciderunt, vos multo ante, ne ea acciderent, providiſſe: eoque vos ſtudioſius feci certiores, quod in rege Ariobarzane ea mihi ſigna videor virtutis, ingenii, fidei benevolentiaeque erga vos perſpexiſſe, ut non ſine cauſſa tantam curam in ejus vos ſalutem diligentiamque videamini contuliſſe.

ipſumque in primis Platonem bene ſperare jubebat. Verba Platonis hæc ſunt, quæ quia elegantiſſima ſunt & huic loco valde accommodata, libenter adpoſuimus: ὁ δ' αἰσθανόμενος πάντας ἡμᾶς οὕτω διατεθέντας, φοβούμενος μὴ μεῖζον ἐκ τῶ φόβου γένοιτό τι, φιλοφρόνως πάντας ἀνελάμβανε, καὶ δὴ καὶ αὐτὸν ἐμὲ παρεμυθεῖτο καὶ θαῤῥεῖν διεκελεύετο. *Victorius.*

Ut intelligeretis ex iis quæ pæne acciderunt] Mediceus codex *ut* non habet, quod culpa librarii factum procul dubio arbitrarer, niſi in ſimili ſententia, & elocutione hoc idem non multo poſt commiſiſſet: nam in altera epiſtola ad Catonem ſic locus ille in eo libro inſcriptus eſt: *Cujus etiam interitum facile intelligerem, mihi quantum tribueres Milonis cauſſa in ſenatu defendenda approbaris.* Ac ne nunc quidem affirmarim mendo hos locos vacare: eſt enim durus ſermo, & auribus meis novus: hoc tamen propter libri ipſius auctoritatem adnotare volui, ſi forte elocutio vera & recta (quod non puto) eſſet. diligentia mea, ſi non doctrina, æquis probiſque viris ingrata non erit. *Idem.*

Ut non ſine cauſſa tantam curam in e us vos ſalutem videamini contuliſſe] Retraxi hic ex Amſtelodamenſi, Menteliano ac meo ſecundo fugitivam voculam, quæ male in editionibus deſideratur. Sic autem in his libris ſcribitur, *ut non ſine cauſſa tantam curam in ejus vos ſalutem diligentiamque videamini contuliſſe.* Vidi poſtea in aliis editionibus etiam hanc vocem extare, male vero in recentioribus omitti. *Gravius.*

EPI-

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Scribit de rumore Parthici belli : & affert excuſationem, cur publice nihil ſcripſerit. Eodem anno.

MARCVS CICERO M. CATONI S.D.

CVm ad me legati, miſſi ab Antiocho Commageno, veniſſent in caſtra ad Iconium a. d. III Non. Septembr. iique mihi nuntiaſſent, regis Parthorum filium, quo cum eſſet nupta regis Armeniorum ſoror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis multarumque praeterea gentium magna manu veniſſe, Euphratenque jam tranſire coepiſſe : dicique Armenium regem in Cappadociam impetum eſſe facturum : putavi, pro noſtra neceſſitudine, me hoc ad te ſcribere oportere. Publice propter duas cauſſas nihil ſcripſi : quod & ipſum Commagenum legati dicebant ad ſenatum ſtatim nuntios litteraſque miſiſſe : & exiſtimabam M. Bibulum proconſulem, qui circiter Idus Sextilis ab Epheſo in Syriam navibus profectus erat, quod ſecundos ventos habuiſſet, jam in provinciam ſuam perveniſſe : cujus litteris omnia certiora perlatum iri ad ſenatum putabam. Mihi, ut in hujuſmodi re tantoque bello, maximae curae eſt, ut quae copiis & opibus tenere vix poſſumus, ea manſuetudine & continentia noſtra, ſociorum fidelitate teneamus.

M. *T. C. IMPER. M. CATONI*] Quum hanc epiſtolam ſcripſit Cic. nondum *Imp.* fuerat appellatus : ut id nomen omitti debeat. *Corradus.* Recte animadvertit Corradus, Manutius & Sigonius vocem *Imperatoris* mendoſam eſſe. Hinc cum nec in Amſtelodamenſi, nec in Menteliano nec in meo ſecundo conſpiceretur, eam delendam eſſe judicavi. *Grav.*

Regis Parthorum filium] Pacorum. *Corr.*

Regis Armeniorum] Artuaſdes. qui Tigranis fuit filius : quem modo *Artuaſden*, modo *Artabaſden* appellari video. *Idem.*

Armenium regem] Ipſum Artuaſden. *Idem.*

Ut, quae copiis & opibus vix tenere poſſumus] Nonius Marcell. in voce Continens, legit, *ferro vix poſſumus, ea manſ. & contin. noſtra, ſociorum fidelitate teneamus.* Lambin.

neamus. Tu velim, ut conſueſti, nos abſentes diligas & defendas.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Res a ſe in provincia geſtas ordine exponit: & , ut earum cauſſa ſupplicatio ſibi, favente Catone, decernatur a ſenatu, cupere ſe ingenue confitetur. Paullo, Marcello Coſs. Tres partes hujus epiſtolae ſunt, prooemium, narratio, petitio; prooemium, cur narretur, oſtendit; narratio, cur petatur. In prima prooemii parte, Catonis benevolentia quaeritur, commemorata ejus auctoritate & virtute, utraque ſumma & ſingulari. in fine, non ſolere Catonem, oſtenditur, ambitionis cauſſa quidquam concedere, ſed, quod ab eo petendum ſit, probari prius oportere. Narratio duo genera complectitur, unum, res bellicas; alterum, inſtituta pacis & rationem adminiſtratae provinciae. Petitio multas habet partes. Petitur ab eo, cujus allatura ſummam laudem ſententia videatur. Rogare non eſt neceſſe: non enim patitur amicitia, mutuis officiis & ſtudiis confirmata & aucta: admonere ſatis eſt. Amovetur inanis gloriae ſuſpicio: quod fieri neceſſe erat cum ad Stoicum hominem Catonem, qui ad unam virtutem omnia referret, ſcriberetur. Preces adhibentur, cum ea tamen conditione: ſi res geſtae ſupplicatione dignae videantur. quanquam id, quod armis & militari virtute geſtum, ſit illuſtrius ac majus cum adjungitur aequitas Imperatoris & abſtinentia. Poſtremo, quaſi haec ad impetrandum non ſufficiant, allegatur ad Catonem Philoſophia, quae petitionem adjuvet, ſuique alumni laudem alteri alumno commendet. Abſoluta petitione, opinionem & judicium ſuum de Catonis officio, ſi eum ornare ſua ſententia & ſupplicationis honorem decernere voluerit, ita Cicero demonſtrat, ut, ſi aſſequatur quod cupit, id acceptum illi referre velit: quaſi reliquorum amicorum ſtudiis aſſequi non potuerit, niſi Catonis auctoritas acceſſiſſet.

M. T.

M. T. C. IMP. M. CATONI S.D.

SVmma tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tua ſingulari virtute judicium, ut magni mea intereſſe putarem, & res eas quas geſſiſſem tibi notas eſſe, & non ignorari a te qua aequitate & continentia tuerer ſocios, provinciamque adminiſtrarem. His enim a te cognitis, arbitrabar, facilius me tibi quae vellem probaturum. Cum in provinciam pridie Kal. Sext. veniſſem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confeſtim eſſe eundum viderem, biduum Laodiceae fui, deinde Apameae quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cum magni conventus fuiſſent, multas civitates acerbiſſimis tributis & graviſſimis uſuris & falſo aere alieno liberavi. Cumque ante adventum meum ſeditione quadam exercitus eſſet diſſipatus, quinque cohortes ſine legato, ſine tribuno militum, denique etiam ſine centurione ullo apud Philomelum conſediſſent, reliquus exercitus eſſet in Lycaonia, M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, caſtra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cum ab illo diligenter eſſet actum, ego in caſtra a. d. VII Kal. Septemb. veni: cum interea ſuperioribus diebus ex ſenatusconſulto, & evocatorum firmam manum, & equitatum ſane idoneum, & populorum liberorum regumque ſociorum auxilia voluntaria comparaviſſem. Interim cum, exercitu luſtrato, iter in Ciliciam facere coepiſſem Kal. Septemb. legati a rege Commageno ad me miſſi, pertumultuoſe, neque tamen non vere, Parthos in Syriam tranſiſſe nuntiaverunt. Quo audito, vehementer ſum commotus cum de Syria tum de mea provincia, de reliqua denique Aſia. Itaque

B*Iduum Laodiceae fui*] In his diebus, qui aliter hic atque in epiſtolis ad Atticum ſcribuntur, videtur eſſe Ciceronis *μνημονικὸν ἁμάρτημα. Corrad.*

Falſo aere alieno liberavi] *Et magno aere alieno liberavi*, videtur ſcribendum. *Urſinus*. Sed vide Manut.

Evocatorum] Vide ad ep. 6. lib. III.

que exercitum mihi ducendum per Cappadociae regionem eam, quae Ciliciam attingeret, putavi. Nam ſi me in Ciliciam demiſiſſem, Ciliciam quidem ipſam propter montis Amani naturam facile tenuiſſem: Duo ſunt enim aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterque parvis praeſidiis propter anguſtias intercludi poteſt, nec eſt quidquam Cilicia contra Syriam munitius: ſed me Cappadocia movebat: quae patet a Syria, regeſque habet finitimos, qui etiamſi ſunt amici nobis, tamen aperte Parthis inimici eſſe non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybiſtra caſtra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, nova finitimorum conſilia impedirem. Interea in hoc tanto motu, tantaque exſpectatione maximi belli, rex Deiotarus, cui non ſine cauſſa plurimum ſemper & meo & tuo & ſenatus judicio tributum eſt, vir cum benevolentia & fide erga populum R. ſingulari, tum praeſentia, magnitudine & animi & conſilii, legatos ad me miſit, ſe cum omnibus ſuis copiis in mea caſtra eſſe venturum. Cujus ego ſtudio officioque commotus, egi ei per litteras

Tum præſenti magnitudine & animi & conſilii] Ego ex illis ſum qui cum *præſentia* in Mediceo ſcriptum inveniſſem, vitioſum locum putavi, minus tamen quam in impreſſis inquinatum. Quod *præſtanti* aut *præſenti magnitudine* animi, recte dici poſſe nonnulli negant, ſe ipſos quoque reprehendunt, qui in priore ſua editione *præſenti magnitudine* ſcripſerunt: nam quod multos accuſant, qui ex *præſente*, *præſtantem* faciunt: me laudent neceſſe eſt, qui contra ex *præſtanti*, *præſenti* feci. Si vetus autem ſcriptura, elocutioque recta & integra eſſe ab eruditis viris, & non dura & aſpera judicabitur, ego illam valde amabo, quippe quam in libris iis quibus multum tribuo, invenerim. *Victorius.* *Tum præſtanti magnitudine*] Secutus ſum codices Memm. rejecta & vulgata lectione, *præſenti magnit.* quam Florentini probant. Non damno tamen Manutii lectionem, *tum præſentia, magnitudine & animi & conſ.* Lambinus. *Tum præſenti magnitudine*] Palatini, Hittorpianus, *tum præſentia magn.* ſicut & Mediceus. Vnde recte hanc lectionem extricavit Victorius, quæ viſitur quoque in Vaticani excerptis: Manutius tamen, *tum præſentia, magnitudine & animi & conſilii.* Gebhardus. Hercule non eſt ut diſcedamus a ſcriptura librorum antiquiſſimorum, qui omnes *præſentia* legunt, etiam Amſtelodam. & Mentel. qui tamen ſcribit, *tum præſentia, tum magnitudine.* Poſtquam omnia diu conſideravi in eam diſceſſi ſententiam *magnitudine* eſſe interpretationem τῶ *præſentia*, quæ margini illita poſtea in ipſum contextum irrepſit. de quo loquendi genere alibi plura diximus. Sin *magnitudine* retinendum, legerim potius: *Præſentia & magnitudine animi & conſilii.* *Præſentia animi* eſt animus præſens, qui nullis periculis movetur animus in omnibus diſcriminibus

teras gratias: idque ut maturaret hortatus ſum. Cum autem ad Cybiſtra propter rationem belli quinque dies eſſem moratus, regem Ariobarzanem, cujus ſalutem a ſenatu, te auctore, commendatam habebam, praeſentibus inſidiis nec opiniantem liberavi: neque ſolum ei ſaluti fui, ſed etiam curavi ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenaeum, importunitate Athénaidis exſilio multatos, maxima apud regem auctoritate gratiaque conſtitui. Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, ſi ſacerdos armis ſe, quod facturus putabatur, defenderet, adoleſcens & equitatu & peditatu & pecunia paratus, & toto iis, qui novari aliquid volebant: perfecit ut e regno ille diſcederet; rexque ſine

nibus imperterritus; magnitudo conſilii eſt ſumma prudentia. *Grav.*

Metram] *Mithram* opinor ſcribendum ex antiquis lapidum monumentis. *Urſinus.*

Importunitate Athenaidis] *Iniquitate*, pro *importunitate* habent aliquot veteres libri. *Idem.* Sed rectius ii qui *importunitate* habent. *Importunitas* enim eſt impotens & crudelis dominatio, ut *importuniſſimi tyranni*, alibi dixit. vide Manut. ad lib. IX, ep. 21.

Sacerdos] *Sacerdos*, auctore Strabone, in Cappadocia ſecundus poſt regem erat in honore, ſæpiuſque reges & ſacerdotes ex eadem erant gente. *Corradus.* Vid. Manut.

Et toto iis, qui novari aliquid volebant] Hæc erat vulgatorum omnium, nec non antiquorum corrupta profecto lectio: alii aliis modis emendarunt, nonnulli *& pecunia paratus & ſocius* legunt. Quidam, *& pecunia paratus, & animo.* Nos etiam pro viribus conati ſumus hoc mendum corrigere, & in re tam incerta, & in qua omnes laborarint, ſibique indulſerint, nonnihil nobis permiſimus: abundare enim cenſuimus ex priore monoſyllabo, acceptam priorem litteram ſequentis dictionis, & eandem litteram inter duas vocales ſitam, ex *i*, importune *t* factam. Nam parvam illam lineam, quæ elementum id commutat, exiſtimavimus ſupra tres illas vocales adponi debuiſſe, ſic *ōīō* ut nota eſſet quæ compendioſam illam dictionem perficeret, ut *omnino* ſignificaret. Nos hac conjectura ducti, auſi ſumus ita locum reſtituere. Nam quin ſententia egregia ſit ſi ita legas, nullum puto contradicturum: minus etiam a priſcis veſtigiis declinavimus, ut quivis exiſtimare poteſt. *Victorius. Idem in poſterioribus annotationibus: Et toto iis* antea legebatur, non in impreſſis tantum, ſed etiam manuſcriptis codicibus, unum excipio qui *& ſocius* habebat. Locum vitium habere ſuſpicati ſumus, & *omnino* non incommode legi poſſe judicavimus: arbitrati locum quondam ita ſcriptum fuiſſe, *& ōīō* ex qua ſcriptura poſtea ab imperitis librariis *& toto* factum ſit. Deceptine tunc ſimus eruditi judicabunt: nos quidem, niſi aliud contra nos excogitatur, in ſententia permanemus. Nam quam quidam vulgatam lectionem, a ſe quoque olim damnatam, tuentur, utunturque ad eam probandam loco Ciceronis ad Atticum: verum id eſſe crederem, ſi hic ut

ſine tumultu ac ſine armis, omni auctoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtineret. Interea cognovi multorum litteris atque nuntiis, magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiocheam acceſſiſſe, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam tranſiſſet, ab equitum meorum turmis & a cohorte praetoria, quae erat Epiphaneae praeſidii cauſſa, occidione occiſum. Quare cum viderem a Cappadocia Parthorum copias averſas, non longe a finibus eſſe Ciliciae, quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quo ut veni, hoſtem ab Antiochea receſſiſſe, Bibulum Antiocheae eſſe cognovi: Deiotarumque confeſtim jam ad me venientem cum magno & firmo equitatu & peditatu, & cum omnibus ſuis copiis, certiorem feci, non videri eſſe cauſſam cur abeſſet a regno: meque ad eum, ſi quid novi forte accidiſſet, ſtatim litteras nuntioſque miſſurum eſſe. Cumque eo animo veniſſem, ut utrique provinciae, ſi ita tempus ferret, ſubvenirem: tum id, quod jam ante ſtatueram, vehementer intereſſe utriuſ-

ut alibi fecit, *& quod totum eſt*, dixiſſet. Semper enim inveni ita Ciceronem locutum eſſe, cum hoc ſignificare vult, ut præter exemplum ab illis adductum, hoc ad Q. Fratrem aperte oſtendit, 290. *totum in eo eſt (quod mihi erit curæ) tectorium ut concinnum ſit.* nam *& toto* hac ſententia nimis durum eſt, & niſi valde fallor, probari nullo pacto poteſt. *Toto iis*] Al. *ſocii*. alii, *omnino iis* legunt: alii *iis*. & paullo poſt, *e toto regno*: ut verbum illud e loco ſuo in alienum migrarit. *Corradus.* Cum & in vulgatis libris & in manuſcriptis legeretur *& toto in*, Ranconetus conjectura ductus legendum putabat, *extorta iis qui*, &c. Sed Victorius melius, *& omnino iis qui*, &c. Alii, *& ſocii, qui*, &c. *Lambinus.* *Et toto, iis qui novari aliquid volebant*] Retinui lectionem Manutianam, quam & Victorius in ſuis invenit, teſtorque eam extare in Pal. primo, quarto, quinto, & editionum primaria. Victorius tamen ex conjectura, *& omnino iis, qui novari aliquid vol.* quam præ ſe ferunt excerpta Vaticani. Palatinus ſextus & Hittorpianus, *& tuto hi*. Peckio excerpta, & alius Guilielmio inſpectus *& toto ii*. legit inde *ultroneis*, vel *& vero hi*. Puteanus conabatur, *pecunia paratis, extorta iis*, &c. *Gebhard.*

Epiphanea] *Epiphanea* eſt oppidum Ciliciæ, aliud ab illo quod ad Orontem in Syria fuit.

Ut utrique provinciæ] Syriæ & Ciliciæ. *Corrad.*

Si ita tempus ferret] Duo codices Memmiani habent, *ſi ita opus ferret.* quod non placet. *Lambin.*

Tum id, quod jam ante ſtatueram] Hæc lectio ex Mediceo eſt, ab Egnatio, ad primam impreſſionem enotata, & ab Victorio quoque uſurpata in editione: conſpicio jam eam quoque in Palatinis,

utriuſque provinciae, pacare Amanum, & perpetuum hoſtem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cumque me diſcedere ab eo monte ſimulaſſem, & alias partes Ciliciae petere, abeſſemque ab Amano iter unius diei, & caſtra apud Epiphaneam feciſſem, a. d. quartum Idus Octobres, cum adveſperaſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad tertium Idus Octobres, cum luciſceret, in Amanum aſcenderem: diſtributiſque cohortibus & auxiliis, cum aliis Q. Frater legatus, mecum ſimul, aliis C. Pontinius legatus, reliquis M. Anneius & L. Tulleius legati praeeſſent: pleroſque nec opinantes oppreſſimus, qui occiſi captique ſunt interclusi fuga. Eranam autem, quae fuit non vici inſtar, ſed urbis, quod erat Amani caput, itemque Sepyram & Commorin, acriter & diu repugnantibus, Pontinio illam partem

nis, Vaticani excerptis. Hittorp. vulgo *tamen id, quo jam ante conſtitueram.* Paullo poſt Hittorpianus codex legit, *abeſſemque Amano iter unius diei.* putatque Guilielmius legendum *abiſſemque Amane.* Gebhard.

A. d. IIII Idus Octobr.] Ita legi debet. Nam quo profectus eſt IIII Id. eo III Id. pervenit. *Corrad.*

M. Anneius & L. Tulleius] In epiſtolis ad Att. ſemper ſcribitur *M. Annius* & *L. Tullius.* Idem.

Qui occiſi, captique ſunt, interclusi reliqui, fugeranam autem, &c.] Nos hoc loco Mediceum codicem, ut probiorem, integrioremque ſecuti ſumus: nullum enim meliorem, minuſve corruptum invenimus. Quare cum hic noſtrum librum legis, puta te miræ vetuſtatis exemplar ante oculos habere. Confugio autem hic ad vetuſtatem, fidemque antiqui codicis. ſunt enim hæc tam minuta caſtella, ut vix alibi reperias nomina eorum, ut poſſit aliorum ſcriptorum teſtimonio confirmari veræ lectionis integritas. Vox illa *reliqui* in nullis eſt antiquis, & profecto abundat: dicit enim ſe pleroſque, nec opinantes oppreſſiſſe, qui occiſi, captique ſunt *interclusi fuga.* Quos enim fuga ſubito adventu intercluſerunt, hi occiſi, captique ſunt. Docet autem quomodo capi, occidique potuerint. Non enim illis fuga patuit in caſtella, obſtructis a militibus viis. *Intercludi fuga*, ut *intercludi commeatibus*, dictum eſt. *Eranam* autem vicum, ſeu urbem (ut vult Cicero, ut ſe magnas res geſſiſſe oſtenderet) nullibi memini me legiſſe. *Victorius.* *Interclusi reliqui fugeranam*] Alii legunt, *interclusi fuga. Eranam.* Hæc autem loca, quæ a Cicerone ſcribuntur, ſunt adeo ignobilia, ut non multum operæ iis perquirendis ſit ponendum. *Corradus.* *Qui occiſi captique ſunt, interclusi fuga. Eranam* &c.] In Mediceo erat, *interclusi fuga ranam*, ex qua recte hanc lectionem extricavit accuratiſſimus Victorius. Nam vox *reliqui* ab omnibus noſtris æque abeſt. Primus Palatinus & priſca editio, *interclusi fugierant amans autem.* Gebhard.

Acriter & diu repugnantibus] Videtur legendum *repugnantes*: verumtamen nihil muto. ſubintelligi enim poteſt, hoſtibus, vel aliquid tale. *Lambin.*

 Apud

tem Amani tenente, ex antelucano tempore, uſque ad horam diei decimam, magna multitudine hoſtium occiſa, cepimus: caſtellaque ſex capta: complura incendimus. His rebus ita geſtis, caſtra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: & in reliquiis Amani delendis agriſque vaſtandis, quae pars ejus montis meae provinciae eſt, id tempus omne conſumſimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindeniſſum exercitum adduxi: quod cum eſſet altiſſimo & munitiſſimo loco, ab iiſque incoleretur qui ne regibus quidem unquam paruiſſent: cum & fugitivos reciperent, & Parthorum adventum acerrime exſpectarent: ad exiſtimationem imperii pertinere arbitratus ſum comprimere eorum audaciam, quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni eſſent ab imperio noſtro, frangerentur. Vallo & foſſa circumdedi, ſex caſtellis caſtriſque maximis ſepſi; aggere, vineis, turribus oppugnavi, uſuſque tormentis multis, multis ſagittariis, magno labore meo, ſine ulla moleſtia ſumtuve ſociorum, ſeptimo quinquageſimo die rem confeci: ut omnibus partibus urbis diſturbatis, aut incenſis, compulſi in poteſtatem meam pervenirent. His erant finitimi pari ſcelere & audacia Tibarani: ab his, Pindeniſſo capto, obſides accepi, exercitum in hiberna dimiſi. Q. Fratrem negotio praepoſui, ut in vicis aut captis aut male pacatis exercitus collocaretur. Nunc velim tibi ſic perſuadeas, ſi de his rebus ad ſenatum relatum ſit, me exiſtimaturum, ſummam mihi laudem tributam, ſi tu honorem meum ſententia tua comprobaris. Idque, etſi talibus de rebus graviſſimos homines & rogare ſolere

Apud aras Alexandri] Sup. lib. 2. ep. 10. *Corrad.*

Eleutherocilium] Al. ἐλευθερῶν Κιλίκων· hoc eſt, liberorum Cilicum. nam teſtatur Plinius, in illis locis populos plures liberos fuiſſe. *Idem.*

Pindeniſſum] Eſt ad montem Amanum in Cilicia.

Tibarani] Scribendum opinor *Tibareni*: Graece enim Τιβαρηνοί. Urſin. Hi *Tibarani*, ſive *Tebarani*, nam & ſic veteres ſcribunt libri, quinam ſint, nondum eruditorum induſtria potuit indagare. Nam *Tibareni* ſupra Armeniam, vicini Moſſynaecis & Chalybibus longiſſime ab hoc tractu ſunt remoti.

Cum

lere & rogari ſcio, tamen admonendum potius te a me quam rogandum puto. Tu es enim is qui me tuis ſententiis ſaepiſſime ornaſti: qui oratione, qui praedicatione, qui ſummis laudibus in ſenatu, in concionibus ad coelum extuliſti: cujus ego ſemper tanta eſſe verborum pondera putavi, ut uno verbo tuo cum mea laude conjuncto, omnia adſequi me arbitrarer. Te denique memini, cum cuidam clariſſimo atque optimo viro ſupplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, ſi referretur ob eas res quas is conſul in urbe geſſiſſet. Tu idem mihi ſupplicationem decreviſti togato, non ut multis, repub. bene geſta, ſed, ut nemini, rep. conſervata. Mitto, quod invidiam, quod pericula, quod omnes meas tempeſtates & ſubieris, & multo etiam magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratiſſimus fueris: quod denique inimicum meum, tuum inimicum putaris: cujus etiam interitum, ut facile intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis cauſſa in ſenatu defendenda approbaris. A me autem haec ſunt profecta, quae ego in beneficii loco non pono, ſed in veri teſtimonii atque judicii, ut praeſtantiſſimas tuas virtutes non tacitus admirarer, quis enim idem non facit? ſed in omnibus orationibus, ſententiis dicendis, cauſſis agendis, omnibus ſcriptis, Graecis, Latinis, omni denique varietate

Cum cuidam clariſſimo] Cæſari, niſi fallor. Nam cum in ſenatu, ut refert Plutarchus, Cæſari ſupplicatio decerneretur, Cato cenſuit Cæſarem potius hoſtibus dedendum. *Corradus.*

Quas is conſul in urbe geſſiſſet] Antiqui mei vulgatam receptamque lectionem habent: alius codex (ut quidam tradunt) *quas conſul in urbe geſſiſſet.* Verius tutiuſque de tota hac re ſtatui poſſet, ſi vir, de quo loquitur, & negotium etiam ipſum, de quo agit, intelligeretur. Quis enim ſcit an intelligat P. Lentulum, qui cum Ciceronis cauſſam Coſ. enixe adjuviſſet, poſteaque fortaſſe ob res foris geſtas ſupplicationes ſibi decerni poſtulaſſet, adverſum habuerit Catonem, qui in ea re diſputanda vocem illam conjecerit, *Se decreturum fuiſſe, ſi referretur ob eas res quas idem Coſ. in urbe geſſiſſet?* Nam ita etiam Cato præclarum de Cicerone judicium fecerit: cum cenſuerit res illas quæ pro ſalute ipſius ſine armis geſtæ eſſent, dignas eſſe ſupplicatione, ac præponendas iis quas in imperio cum exercitu idem ille, qui ei quondam ſaluti fuerat, pro Rep. geſſiſſet. Neque tamen hoc quod a nobis cogitatum eſt, verum eſſe affirmamus, ſed hujuſmodi aliquid quod idoneum ſenſum habeat, conſervata recepta lectione, intelligi commode poſſe judicamus. *Victorius.*

Rep. conſervata] Conjuratione Catilinæ oppreſſa. *Corrad.*

te litterarum mearum, te non modo iis, quos vidiſſemus, ſed iis de quibus audiſſemus, omnibus anteferrem. Quaeres fortaſſe, quid ſit quod ego hoc neſcio quid gratulationis & honoris a ſenatu tanti aeſtimem. Agam jam tecum familiariter, ut eſt & ſtudiis & officiis noſtris mutuis & ſumma amicitia dignum, & neceſſitudine etiam paterna. Si quiſquam fuit unquam remotus & natura & magis etiam, ut mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina ab inani laude & ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum. Teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua vita, fateor ea me ſtudioſe ſecutum, ex quibus vera gloria naſci poſſet: ipſam quidem gloriam per ſe nunquam putavi expetendam. Itaque & provinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi, neglexi. Sacerdotium denique, cum, quemadmodum te exiſtimare arbitror, non difficillime conſequi poſſem, non appetivi. Idem poſt injuriam acceptam, quam tu reip. calamitatem ſemper appellas, meam non modo non calamitatem ſed etiam gloriam, ſtudui quam ornatiſſima ſenatus populique Roman. de me judicia intercedere. Itaque & augur poſtea fieri volui, quod antea neglexeram: & cum honorem, qui a ſenatu tribui rebus bellicis ſolet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto. Huic meae voluntati, in qua ineſt aliqua vis deſiderii, ad ſanandum vulnus injuriae, ut faveas, adjutorque ſis, quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo: ſed ita, ſi non jejunum hoc neſcio quid, quod ego geſſi, & con-

Litterarum mearum] Hoc eſt, monumentorum ſcriptorum meorum. Livius VI, I. *quod & rara per eadem tempora littera.* vide ibi Gronov.

Neſcio quid gratulationis] Supplicationis. *Corrad.*

Provinciam] Galliam, ep. 2 lib. V. *Idem.* *Prov. ornatam*] Hoc eſt, cujus præfecto in illam ituro a ſenatu decreta erant ex ærario pecunia, miniſtri, jumenta, tabernacula, aliaque neceſſaria ſumptu publico.

Sacerdotium denique] Auguratum. *Corrad.*

Poſt injuriam acceptam] Exilii. *Idem.*

Augur poſtea fieri volui] In P. Craſſi locum, Pompeio & Hortenſio cooptantibus. *Idem.*

Eum honorem] Supplicationem & triumphum. *Idem.*

Neglectum a me olim] Cum provinciam depoſui, ex qua fortaſſe triumphare potuiſſem. *Idem.*

Juſtis-

contemnendum videbitur, ſed tale atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores ſummos a ſenatu conſecuti ſint. Equidem etiam mihi illud animum advertiſſe videor, ſcis enim quam attente te audire ſoleam, te non tam res geſtas, quam mores, inſtituta atque vitam imperatorum ſpectare ſolere, in habendis aut non habendis honoribus. Quod ſi in mea cauſſa conſiderabis, reperies, me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmiſſimum praeſidium habuiſſe, aequitatem & continentiam. His ego ſubſidiis ea ſum conſecutus, quae nullis legionibus conſequi potuiſſem: ut ex alieniſſimis ſociis amiciſſimos, ex infideliſſimis firmiſſimos redderem, animoſque novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos, ad veteris imperii benevolentiam traducerem. Sed nimis haec multa de me, praeſertim ad te, a quo uno omnium ſociorum querelae audiuntur. cognoſces ex iis qui meis inſtitutis ſe recreatos putant. Cumque omnes uno prope conſenſu de me apud te ea, quae mihi optatiſſima ſunt, praedicabunt: tum duae maximae clientelae tuae, Cyprus inſula & Cappadociae regnum, tecum de me loquentur: puto etiam regem Deiotarum, qui uni tibi eſt maxime neceſſarius. Quae ſi etiam majora ſunt, & in omnibus ſaeculis pauciores viri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quam qui hoſtium copias vincerent, eſt profecto tuum, cum ad res bellicas haec, quae rariora & difficiliora ſunt, genera virtutis adjunxeris, ipſas etiam illas res geſtas juſtiores eſſe & majores putare. Extremum illud eſt, ut, quaſi diffidens rogationi meae, philoſophiam ad te allegem: qua nec mihi carior ulla unquam res in vita fuit, nec hominum generi majus a diis munus ullum eſt datum. Haec igitur quae mihi tecum communis eſt ſocietas ſtudiorum atque artium noſtrarum, quibus a pueritia dediti ac de-

Juſtiores eſſe] Manutius malit *illuſtriores*. quod non probo. *Juſta res* ſunt quæ tantæ ſunt ut ſupplicationem & triumphum mereantur. Sic *juſtum prælium*, *juſta arma*, *juſta acies*, apud Liv. *juſtus miles* apud Sueton. *juſta habitudo*, *magnitudo* apud alios. & plura talia. *Gravius.*

Admi-

devinɑi, ſoli propemodum nos philoſophiam illam veram & antiquam, quae quibuſdam otii eſſe ac deſidiae videtur, in forum atque in rempub. atque in ipſam aciem paene deduximus, tecum agit de mea laude; cui negari a Catone fas eſſe non puto. Quamobrem tibi ſic perſuadeas velim: ſi mihi tua ſententia tributus honos ex meis litteris fuerit, me ſic exiſtimaturum, cum auɑoritate tua, tum benevolentia erga me, mihi, quod maxime cupierim, contigiſſe. Vale.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Mirum in hac epiſtola videre licet artificium. cum enim ſe Cato excuſet, quia ſupplicationem non decreverit: idem tamen decretam eſſe gaudet. rurſus, cum ſupplicationis honorem Ciceroni ſua ſententia non tribuerit; ſe tamen de illo ſenſiſſe honorificentius, quam eos qui ſupplicationem decreverunt, probare conatur. Paullo & Marcello Coſſ.

M. CATO M.T.C. IMP. S.P.D.

QVod & reſp. me, & noſtra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari induſtria adminiſtrare gaudeam. Itaque, quod pro meo judi-

ADminiſtrari gaudeam] Amſtelod. Mentel. meus ſecundus, Lambiniana & omnes editiones antiquiores, *adminiſtrare gaudeam* Primus immutavit hanc ſcripturam P. Victorius, eumque ſecutus eſt Manutius & Gebhardus. Sed perperam. Quis enim *adminiſtrari* pro *exercere*, ut Manutius interpretatur, unquam accepit, aut legit? *adminiſtrare* vero pervenuſte ſæpe ponitur abſolute ſubintellecto rem, aut id quod adminiſtratur Cæſar III de bell. Civ. c. 26. *Illi adhibita audacia & virtute, adminiſtrantibus, M. Antonio & Fuſio Caleno, naves ſolvunt.* Id. IV de bello Gallico: *Equiteſque in ulteriorem portum progredi, & naves conſcendere & ſe ſequi juſſit: a quibus cum paullo tardius eſſet adminiſtratum, ipſi hora circiter diei quarta cum primis navibus Britanniam attigit.* Salluſt. Jugurth: *Milites neque pro opere conſiſtere propter iniquitatem loci, neque inter vineas ſine periculo adminiſtrare.* Eadem ratione & *curare* ſæpe ſimpliciter uſurpatur. Salluſt. Catilin. cap. 59. *Caium Manlium in dextra, Feſula-*

judicio facere potui, ut innocentia, conſilioque tuo defenſam provinciam, ſervatum Ariobarzanis cum ipſo rege regnum, ſociorum revocatam ad ſtudium imperii noſtri voluntatem, ſententia mea & decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, ſi tu, qua in re nihil fortuito, ſed ſumma tua ratione & continentia, reipub. proviſum eſt, diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Quod ſi triumphi praerogativam putas ſupplicationem, & idcirco caſum potius quam te laudari mavis: neque ſupplicationem ſequitur ſemper triumphus, & triumpho multo clarius eſt, ſenatum judicare, potius manſuetudine & innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum, aut benignitate deorum retentam atque conſervatam eſſe: quod ego mea ſententia cenſebam. Atque haec ego idcirco ad te contra conſuetudinem meam pluribus ſcripſi, ut, quod maxime volo, exiſtimes me laborare, ut tibi perſuadeam, me & voluiſſe de tua majeſtate quod ampliſſimum ſim arbitratus: & quod tu maluiſti, factum eſſe gaudere. Vale, & nos dilige, & inſtituto itinere

ſulanum quendam in ſiniſtra parte curare jubet. & ſic alibi ſæpius. *Grav.*

Laudarem] Laudarem tantum, ſed ſupplicationem non decernerem, epiſt. 11 lib. VIII. *Corrad.*

Triumphi prærogativam] Quia prærogativæ tribus vel centuriæ tantus erat ſuſpectus & reverentia apud jure vocatos in comitiis, factum, ut vox ipſa *prærogativa* acciperetur pro ſecundo omine, certo ſigno, indicioque & pignore ac quaſi arrhabone futuræ rei optatæ vel ſecundæ. Cic. act. I in Verr. *qui quam ſit iſti amicus attendite: dedit enim prærogativam ſua voluntatis ejuſmodi, ut iſti pro prærogativa eam reddidiſſe videatur.* Liv. lib. III. *Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iiſdem tribunis plebis ſequerentur.* Et lib. XXI. *In Aſdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem, qua extemplo juvenis Hannibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque adſenſu appellatus erat, favor etiam plebis ſequeretur.* Gronov. IV Obſerv. c. 1. apud quem vide plura.

Caſum potius, quam te laudari mavis] Lambinus reſcribendum cenſet *quam te laudari vis.* ſed cui hoc loquendi genus ignotum? Publius Terentius *Ego nunquam adeo aſtutus fui, quin quicquid poſſem mallem auferre potius in præſentia.* Sic *magis velle, rurſus redire,* & mille talia. *Grav.*

Inſtituto itinere ſeveritatem diligentiamque ſociis & reip. præſta] Guilielmius putabat, *inſtituto in munere.* ſed quam poſui, eſt primogenia lectio, in editione prima & in Pall. Vaticano, Peck. Stewech. Hittorp. [ut & Amſtelod.] propagata, adeo ut mirari ſubierit illam nuperam novitiam, *ſecuritatem indul-*

itinere ſeveritatem diligentiamque ſociis & reip. praeſta.

dulgentiamque. cum Cato nihil minus nominatit quam *indulgentiam.* o capi ta! Gebhard. Recte vero omnes libri, *inſtituto itinere.* hoc eſt, ut facere cœpiſti, ſecundum rationem agendi, quam adhuc ſecutus es. Sic apud Terent. Heauton. 1, 1.

——— *cæpi non humanitus,*
Neque ut animum decuit ægrotum adoleſcentuli
Tractare: ſed vi, & via pervulgata patrum.

hoc eſt, modo agendi, quem tenent vulgo patres. Auſon.

Quod vitæ ſectabor iter ſi plena tumultu
Omnia. Grævius.

E P I S T O L A VI.

ARGVMENTVM.

Exponit, eximia cum Catonis laude, quantum ceperit voluptatem ex ejus ſententia, & ex litterarum gratulatione, petitque, ut, ſi favere noluerit in adipiſcendo triumpho, ſaltem, ſi adipiſcatur, gaudeat. Eodem anno.

M. T. C. M. CATONI S. P. D.

LAEtus ſum laudari me, inquit Hector, opinor, apud Naevium, *abs te, pater, a laudato viro.* Ea eſt enim profecto jucunda laus, quae ab iis proficiſcitur qui ipſi in laude vixerunt. Ego vero vel gratulatione litterarum tuarum, vel teſtimoniis ſententiae dictae, nihil eſt quod me non aſſecutum putem. Idque mihi cum ampliſſimum tum gratiſſimum eſt, te libenter amicitiae dediſſe, quod liquido veritati dares. Et, ſi non modo omnes, verum etiam multi Catones

ABs te pat. laud. viro] Al. *abs te pater a laudato viro:* ut etiam in Tuſcul. IV legitur. *Corradus.*

Et, ſi non modo unus, verum etiam multi Catones eſſent] Nos auctoritate veterum codicum, & ratione ducti, *non modo omnes* emendavimus. Si, inquit, omnes eſſent Catones in civitate noſtra, plus me putarem aſſecutum eſſe, poſtquam a te laudatus ſum, quam ſi mihi triumphus decretus fuiſſet. Sed quid dico omnes? ſi multi eſſent Catones, minus autem eſt multi, quam omnes, ejuſdem ſententiæ eſſem ut currum, lauream que præ tua laudatione contemnerem. Cum autem nedum omnes, aut multi ſint Catones, ſed vix unus fuerit, oportet etiam me reliquorum rationem habere, qui non recte, incorrupteque res judicant: nam eorum quoque exiſtimationem de me magnifacere debeo, cum velim famam & dignitatem meam Clodianis temporibus perculſam & labefactatam inſtaurare: apud quos ſi viderint me a ſenatu ornatum, triumphoque

tones eſſent in civitate noſtra, in qua unum exſtitiſſe mirabile eſt, quem ego currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum ſenſum, & ad illud ſincerum ac ſubtile judicium, nihil poteſt eſſe laudabilius, quam ea tua oratio quae eſt ad me perſcripta a meis neceſſariis. Sed cauſſam meae voluntatis, non enim dicam cupiditatis, expoſui tibi ſuperioribus litteris: quae etiam ſi parum juſta tibi viſa eſt, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiſcendus honos, ſed tamen, ſi deferatur a ſenatu, minime aſpernandus eſſe videatur. Spero autem, illum ordinem, pro meis ob remp. ſuſceptis laboribus, me non indignum honore, uſitato praeſertim, exiſtimaturum. Quod ſi ita erit, tantum ex te peto, quod amiciſſime ſcribis, ut,

que decoratum, rurſus ut ſolebam, florebo: ſin autem eo honore indignus exiſtimabor, nunquam maculam illam delere potero. In longa autem ad ipſum epiſtola cauſſam exponit, quare velit vel cupiat potius triumphare: ad ſanandum vulnus injuriæ ſcilicet aptiſſimum triumphum eſſe ſibi judicans: quam etiam cauſſam ad Atticum adfert libro VI his verbis, *Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis (ut ego arbitror) propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram non negligendam.* videbatur enim ſibi poſt integre adminiſtratam provinciam quaſi exoriri, iterumque naſci: nec enim cenſebat aliter poſſe ſe acceptas injurias delere ex animis hominum, niſi ſummis poſtea honoribus ornatus eſſet, antiquaſque laudes ob conſervatam patriam ſibi merito tributas renovaſſet. Si autem omnes, aut multi ſaltem (gratius omnino, meliuſque fuiſſet ſi omnes) eo judicio quo Cato eſſent, non opus ſibi eſſe Cicero exiſtimaſſet novis Senatus populique de ſua laude judiciis. Sciret enim in animis eorum nunquam ſuam laudem imminutam eſſe, caſumque illum ſuum ab ipſis Reip. calamitatem ærumnamque potius quam ſuam habitum eſſe. *Victor.*

Etſi non modo omnes, &c.] Sic legendum ex recenſione Victorii, editione primaria, Palatino ſexto, [Amſtelod.] Vaticani excerptis, Hittorpiano. Lambinus ne non ſincerum vas incruſtaret, faciebat *quod ſi non modo omnes, verum* &c. Guilielmius legebat, *&, ſi modo omnes, vel etiam multi.* Vulgo, *&, ſi non modo unus, verum.* Gebhardus.

Unum extitiſſe] Te. cum vero multi non ſint Catones, ſed plerique omnes potius ſint imperiti, iis etiam aliquid dandum eſt, & quaſi ſcenæ ſerviendum. *Corrad.*

Quem ego currum, quam lauream] Hoc eſt, quem triumphum. Flor. IV, 2. *Primum de Gallia triumphum transmiſerat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus; alterum laurus Ægyptia,* &c. *Tertius de Pharnace currus & Ponto.* Ibid. cap. 12. *Digna res lauro, digna curru ſenatui viſa.* Græv.

Superioribus litteris] Quarta hujus lib. *Corrad.*

Non ut nimis concupiſcendus honos] Sic habent tres codices Memmiani, & Huraltinus & Clericanus. *Lambinus.*

Amiciſſime ſcribis] Epiſtola ſuperiore. *Corrad.*

Sic

ut, cum tuo judicio quod ampliſſimum eſſe arbitraris mihi tribueris, ſi id quod maluero accidit, gaudeas. Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe & verius ſcripſiſſe video, reſque ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis jucundum fuiſſe, quod ſcribendo affuiſti. Haec enim ſenatusconſulta non ignoro ab amiciſſimis ejus cujus de honore agitur, ſcribi ſolere. Ego, ut ſpero, te propediem videbo, atque utinam repub. meliore, quam timeo.

Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & verius ſcripſiſſe video] Sic Victorius & Palatini, ſicque ex codice vetuſto primam impreſſionem emendat Egnatius. neque aliter Vaticani excerpta & Hittorpianus. Guilielmius nihilominus ariolabatur, *etſi ſic & feciſſe te.* Paullo poſt Peckio excerpta, Hittorpianus, Pall. ſcribunt, *cujus honore agitur ſcribi ſolere.* unde ille, *cujus honor agitur.* Gebhardus. Amſtelod. Mentel. & Græv. ſec. quoque non agnoſcunt *de*, ut recte videatur conjeciſſe Guilielmius. Ovid. *Agitur pars tertia mundi.* Cic. pro Sulla: *At vero cum honos agebatur ampliſſimus familia noſtra, hoc eſt, conſulatus parentis noſtri.* Grævius.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

C. Marcello de conſulatu gratulatur: ſuamque illi dignitatem commendat. Sulpicio & Marcello Coſſ.

M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

MAxima ſum laetitia affectus, cum audivi te conſulem factum eſſe: eumque honorem tibi deos fortunare volo, atque a te pro tua parentiſque tui dignitate adminiſtrari. Nam cum te ſemper amavi dilexique, tum mei amantiſſimum cognovi in omni varietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficiis, vel defenſus triſtibus temporibus, vel ornatus ſecundis: & ſum totus veſter, & eſſe debeo:

TE *Coſ. factum*] Cum L. Paullo. *Corrad.*

Parentiſque tui] Epiſtola ſequenti. *Idem.*

Secundis: & ſum totus veſter & eſſe debeo] Succinctius ac melius ſic editio prima & Victoriana, Palat. Hittorp. [Amſtelodam.] Peckio, Vaticanique excerpta; emiſſo illo ſuperfluo humore ac pituita ſcholæ, *neceſſe eſt, ut & ſim totus veſter & eſſe debeam.* Gebhardus.

debeo: cum praeſertim matris tuae, graviſſimae atque optimae feminae, majora erga ſalutem dignitatemque meam ſtudia, quam erant a muliere poſtulanda, perſpexerim. Quapropter a te peto in majorem modum, ut me abſentem diligas atque defendas.

Matris tua] Juniæ: Epiſtola ſequenti. *Corradus.*

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Gratulatur C. Marcello de filio conſule deſignato: petitque ut ſe abſentem diligat atque defendat. Eodem anno.

M. T. C. PROC. C. MARCELLO COLLEGAE S. P. D.

MArcellum tuum, conſulem factum, teque ea laetitia affectum eſſe quam maxime optaſti, mirandum in modum gaudeo: idque cum ipſius cauſſa, tum quod te omnibus ſecundiſſimis rebus digniſſimum judico: cujus erga me ſingularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perſpexi: totam denique domum veſtram vel ſalutis, vel dignitatis meae ſtudioſiſſimam cupidiſſimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, ſi uxori tuae Iuniae, graviſſimae atque optimae feminae, meis verbis eris gratulatus. A te id, quod ſueſti, peto, me abſentem diligas atque defendas.

COLLEGÆ] In auguratu: quod ex lib. II de Divinat. diſces. *Corr.*

Marcellum tuum] C. Marcellum filium tuum. *Idem.*

Cos. factum] Cum L. Paullo. *Idem.*

Mirandum in modum gaudeo] Sic Pall. Stewech. Vaticani & Peckio excerpta: editiones, prima atque Victorii, non *miram.* ſicut infra introduxi ex editione prima, Victorio, Palatino primo [ſic & Amſtelod. & Mentel. & Græv. ſec.] *A te id, quod ſueſti, peto:* licet negare non poſſum, reſtare in Palatino ſexto, Stewechiano, Hittorpiano, quemadmodum & Lambinus edidit, *conſueſti:* ſed illud germanius eſſe putavi. Vulgo excuſum eſt, *quod conſuevisti.* Gebhardus.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

M. Marcello gratulatur de fratre patruele conſule deſignato: petitque ab eo ut ſibi quamprimum, annuo provinciae imperio finito, ſucceſſor mittatur. Eodem anno.

M.T.C. PROCOS. M. MARCELLO COS. S.P.D.

TE & pietatis in tuos, & animi in rempub. & clariſſimi atque optimi conſulatus, C. Marcello conſule facto, fructum cepiſſe, vehementer gaudeo. Non dubito, quid praeſentis ſentiant. nos quidem longinqui, & a te ipſo miſſi in ultimas gentes, ad coelum mehercule te tollimus veriſſimis ac juſtiſſimis laudibus. Nam cum te a pueritia tua unice dilexerim, tuque me in omni genere ſemper ampliſſimum eſſe & volueris & judicaris: tum hoc vel tuo facto, vel populi R. de te judicio, multo acrius vehementiuſque diligo: maximaque laetitia afficior, cum ab hominibus prudentiſſimis, viriſque optimis, omnibus dictis, factis, ſtudiis, inſtitutis, vel me tui ſimilem eſſe audio, vel te mei. Vnum vero ſi addis ad praeclariſſimas res conſulatus tui, ut aut mihi ſuccedat quam primum aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & ſenatuſconſulto & lege finiſti, omnia me per te conſecutum putabo. Cura ut valeas, & me abſentem diligas atque defendas. Quae mihi de Parthis nuntiata ſunt, quia non putabam a me etiam nunc ſcribenda eſſe publice, propterea ne pro familiaritate quidem noſtra volui ad te ſcribere: ne, cum ad conſulem ſcripſiſſem, publice viderer ſcripſiſſe.

M. *MARCELLO COS.*] Cum Ser. Sulpitio. *Corrad.*

C. Marcello] Fratre tuo patruele. *Id.*

Cos. facto] Cum L. Paullo. *Idem.*

Et a te ipſo miſſi] Ut a Cos. *Idem.*

Hoc tuo facto] Quo C. Marcellum Cos. deſignandum curaſti. *Idem.*

Populi R. de te judicio] Suffragiis declarato. *Idem.*

Similem] Æmulum quoque & imitatorem ſtudiorum & laborum ſuorum, in Oratione pro ipſo, & in Bruto vocat. *Idem.*

Et lege] Ep. 7 lib. ſec. *Idem.*

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Commendat ſtudioſe ſuam exiſtimationem conſuli Marcello in ſupplicatione decernenda.

M.T.C. IMP. C. MARCELLO C. F. COS. DESIGN. S.P.D.

QVum id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, mirificus enim generis ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus, quum ergo ita accidit, ut omnium veſtrum ſtudio tuus conſulatus ſatisfacere poſſet, in quem meae res geſtae, lauſque & honos earum potiſſimum incideret: peto a te id, quod facillimum factu eſt, non aſpernante, ut confido, ſenatu, ut quam honorificentiſſimum ſenatuſconſultum, litteris meis recitatis, faciundum cures. Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me praecipue diligi. Patris tui beneficia in me ſunt ampliſſima. neque enim ſaluti meae, neque honori amicior quiſquam dici poteſt. Frater tuus quanti me faciat, ſemperque fecerit, eſſe hominem qui ignoret arbitror neminem. Domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officiis proſecuta eſt. Neque vero tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum. Quare a te peto in majorem modum, ut me per te quam ornatiſſimum velis eſſe: meamque & in ſupplicatione decernenda, & in ceteris rebus exiſtimationem ſatis tibi eſſe commendatam putes.

P*Atris tui*] Epiſt. 8 hujus libri. *Corradus.*

Frater tuus] Patruelis M. Marcellus, ſuperiore epiſtola. *Idem.*

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Agit gratias conſuli Marcello de ſupplicatione decreta: eo ſe propediem ad urbem fore ſignificat.

M.T.C. IMP. C. MARCELLO COS. DESIGN. S.P.D.

QVantae curae tibi meus honos fuerit, & quam idem exſtiteris conſul in me ornando & amplificando, qui fueras ſemper cum parentibus tuis & cum tota domo, etſi res ipſa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium litteris. Itaque nihil eſt tantum, quod ego non tua cauſſa debeam, facturuſque ſim cum ſtudioſe ac libenter. Nam magni intereſt, cui debeas. debere autem nemini malui quam tibi: cui me cum ſtudia communia, beneficia paterna tuaque jam ante conjunxerant: tum accedit, mea quidem ſententia, maximum vinculum, quod ita remp. geris, atque geſſiſti, qua mihi carius nihil eſt, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam, non recuſem. Quamobrem tibi velim hi ſint exitus quos mereris, & quos fore confido. Ego, ſi me navigatio non morabitur, quae incurrebat in ipſos Eteſias, propediem te, ut ſpero, videbo.

MEus honos] In decernenda mihi ſupplicatione. *Corrad.*

Parentibus tuis] Epiſt. 8 hujus libri. *Idem.*

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Et gratulatur Paullo de conſulatu, ſicuti epiſt. 7. gratulatus eſt Marcello: & ab eo petit; ut operam det, ne quid ſibi temporis ad annuum provinciale munus addatur. Marcello & Ser. Sulpicio Coſs.

M. T. C. IMP. L. PAVLLO COS. DESIGN. S. P. D.

ETſi mihi nunquam fuit dubium quin te populus R. pro tuis ſummis in remp. meritis, & pro ampliſſima familiae dignitate, ſummo ſtudio, cunctis ſuffragiis conſulem facturus eſſet: tamen incredibili laetitia ſum affectus, cum id mihi nuntiatum eſt: eumque honorem tibi deos fortunare volo, a teque ex tua majorumque tuorum dignitate adminiſtrari. Atque utinam praeſens illum diem mihi optatiſſimum videre potuiſſem, proque tuis ampliſſimis erga me ſtudiis atque beneficiis tibi operam meam ſtudiumque navare. Quam mihi facultatem quum hic nec opinatus & improviſus provinciae caſus eripuit, tamen, ut te conſulem rempub. pro tua dignitate gerentem videre poſſim, magnopere a te peto, ut operam des, efficias, nequid mihi fiat injuriae, neve quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod ſi feceris, magnus ad tua priſtina erga me ſtudia cumulus accedet.

L. *PAVLLO COS. DES.*] Cum C. Marcello. *Corrad.*
Illum diem] Comitiorum. *Idem.*

Navare] In petitione Conſulatus. *Idem.*

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Petit ut ſibi ſupplicationem decernendam curet: ſuamque ceteris in rebus exiſtimationem commendat. Paullo & Marcello Coſs.

M.T.C. IMP. L. PAVLLO COS. S.P.D.

MAxime mihi fuit optatum Romae eſſe tecum, multas ob cauſſas, ſed praecipue, ut & in petendo & in gerendo conſulatu meum tibi debitum ſtudium perſpicere poſſes. Ac petitionis quidem tuae ratio mihi ſemper fuit explorata: ſed tamen navare operam volebam. In conſulatu vero cupio equidem te minus habere negotii: ſed moleſte fero, me conſulem ſtudium tuum adoleſcentis perſpexiſſe, te meum, cum id aetatis ſim, perſpicere non poſſe. Sed ita fato neſcio quo contigiſſe arbitror, ut tibi ad me ornandum ſemper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil ſuppetat praeter voluntatem. Ornaſti conſulatum, ornaſti reditum meum. Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipſum conſulatum tuum. Itaque cum & tua ſumma amplitudo & dignitas, & meus magnus honos magnaque exiſtimatio poſtulare videatur, ut a te plurimis verbis contendam ac petam, ut quam honorificentiſſimum ſenatuſconſultum de meis rebus geſtis faciendum cures, non audeo vehementer a te contendere, ne aut ipſe tuae perpetuae conſuetudinis erga me oblitus eſſe videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam: atque ab eo quem omnes gentes ſciunt de me optime meritum, breviter petam. Si alii conſules eſſent, ad te potiſſimum, Paulle, mitterem ut eos mihi quam amiciſſimos redderes, nunc, cum

MIhi ad remunerandum] Legendum cenſeo, *mihi ad te remunerandum*, &c. *Lambinus*.

Ornaſti reditum meum] Ab exilio. *Corrad.*

Rerum gerendarum] In Cilicia. *Idem.*

Et

cum tua ſumma poteſtas ſummaque auctoritas, notaque omnibus noſtra neceſſitudo ſit, vehementer te rogo, ut & quam honorificentiſſime cures decernendum de meis rebus geſtis, & quam celerrime. Dignas res eſſe honore & gratulatione, cognoſces ex iis litteris quas ad te, & collegam, & ſenatum publice miſi: omniumque mearum reliquarum rerum, maximeque exiſtimationis meae procurationem ſuſceptam velim habeas. In primiſque tibi curae ſit, quod abs te ſuperioribus quoque litteris petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te conſulem videre, omniaque ſpero cum abſens tum etiam praeſens te conſule aſſequi. Vale.

Et collegam] C. Marcellum. *Corradus.*

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Facturum ſe ſtudioſe Fabii cauſſa, quae Caſſius rogaverat, pollicetur: dolet ſe Caſſium non vidiſſe ad urbem e provincia redeuntem: rogat, operam det ne quid ſibi temporis ad annuam provinciae adminiſtrationem accedat: Paullo & Marcello Cos.

M. T. C. IMP. C. CASSIO PROQVAEST. S. P. D.

M. Fabium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaeſtum. multi enim anni ſunt cum ille in aere meo eſt, & a me diligitur propter ſummam ſuam humanitatem & obſervantiam. Sed tamen quod ab eo egregie diligeris, multo amicior ei ſum factus. Itaque quanquam profecerunt litterae tuae, tamen ali-

C. *CASSIO PRO QVÆST.*] Epiſt. 10 lib. VIII. *Corradus.*
M. Fabium] Epiſt. 14 lib. II. *Idem.*
Sed tamen quod ab eo egregie diligi ſenſi] Sic Victorius emendavit. Antea legebatur, *ſed tamen quod te ab eo egregie diligi ſenſi.* Sed in MSS. abeſt *te*: ſenſus tamen id poſtulat. Itaque rectius ſcribi cenſeo in Amſtelodam. Palat. prim. Mentel. meo ſecundo, *ſed tamen quod ab eo egregie diligeris.* Graevius.

aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipſius erga te, mihi perſpectus & cognitus. Sed de Fabio faciemus ſtudioſe quae rogas: tu multis de cauſſis vellem me convenire potuiſſes: primum, ut te, quem jamdiu plurimi facio, tanto intervallo viderem: deinde, ut tibi, quod feci per litteras, poſſem praeſens gratulari: tum, ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: poſtremo, ut amicitia noſtra, quae ſummis officiis ab utroque culta eſt, ſed longis intervallis temporum interruptam conſuetudinem habuit, confirmaretur vehementius. Id quum non accidit, utemur bono litterarum, & eadem fere abſentes quae ſi coram eſſemus conſequemur: Vnus ſcilicet fructus, qui in te videndo eſt, percipi litteris non poteſt. alter gratulationis eſt, is quidem exilior quam ſi tibi te ipſum intuens gratularer. Sed tamen & feci ante, & facio nunc, tibique cum pro rerum magnitudine, quas geſſiſti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem ſumma laus & ſumma gratia provinciae proſecuta eſt. Tertium eſt, ut id quod de noſtris rebus coram communicaſſemus inter nos, conficiamus idem litteris. Ego ceterarum rerum cauſſa tibi Romam properandum magnopere cenſeo. Nam & ea quae reliqui tranquilla de te erant: & hac tua recenti victoria tanta, clarum adventum tuum fore intelligo. Sed ſiqua ſunt

Convenire potuiſſes] In Cilicia. *Corradus.*

Tanto intervallo viderem] Ad annos quatuor: hoc eſt, a profectione Craſſi in Parthos ad L. Paullum & C. Marcellum Coss. *Idem.*

Vnus ſcilicet ille fructus] Secutus ſum libros vulgatos. Nam manuſcr. alii habent *unus ille fructus*: alii *unus ſcilicet fructus*: alii *unus ſcilicet uni fructus*. Lambinus. *Vnus fructus, qui in te videndo eſt*] Sic ſcripſi, quod alii libri ignorant τὸ *ille* (ſicut Pall. Hittorpianus. Peckio excerpta, editio priſca & Manutiana,) alii τὸ *ſcilicet*, quae revera duae voculae ab gloſſographo interjectae ſunt. Palatinus certe ſextus, *unus ſcilicet fructus*. quod nunquam alias facere ſolet, ut inter ſcribendum voluerit conſulere captui ſuo. Nihil verius eſt hac noſtra emendatione. *Gebhard.* Amſtelod. *unus ſcilicet uni fructus*. *Scilicet* cum in omnibus extet libris Pall. quos Gebhardus, Guilielmius & ego inſpexi, minime delendum eſt.

Pro rerum magnitudine] Quas geſſiſti in Syria contra Parthos. *Corrad.*

Hac tua recenti victoria tanta] Contra Parthos, quos ab oppido Antiochia inſe-

ſunt onera tuorum, ſi tanta ſunt, ut ea ſuſtinere poſſis, propera: nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius. ſin majora: conſidera, ne in alieniſſimum tempus cadat adventus tuus. Hujus rei totum conſilium tuum eſt. tu enim ſcis quid ſuſtinere poſſis. Si potes: laudabile atque populare eſt. ſin plane non potes: abſens hominum ſermones facilius ſuſtinebis. De me autem idem tecum his ago litteris, quod ſuperioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & ſenatus & populus annuam eſſe voluit, temporis prorogetur. Hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas poſitas putem. Habes Paullum noſtrum noſtri cupidiſſimum: eſt Curio, eſt Furnius. Sic velim enitare, quaſi in eo ſint mihi omnia. Extremum illud eſt de iis, quae propoſueram, confirmatio noſtrae amicitiae, de qua pluribus verbis nihil opus eſt. Tu puer me appetiſti, ego autem ſemper ornamento te mihi fore duxi. fuiſti etiam praeſidio triſtiſſimis meis temporibus. Acceſſit poſt tuum diſceſſum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in veſtro ingenio & induſtria mihi plurimum & ſuavitatis & dignitatis conſtitutum puto. Id tu ut tuo ſtudio confirmes, te vehementer rogo: litteraſque ad me & continuo mittas, & cum Romam veneris, quam saepiſſime.

inſecutus, rem bene geſſiſti, quo tempore ego Amanum vaſtavi. *Corrad.*

Prope nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius] Recepi quidem hanc lectionem ob conſenſum tot librorum: habetur enim illa in Palatino primo, Vaticani, Peckio excerptis, editionibus, primana, Victoriana; ſed tamen ut magis probem Palatini ſexti ſcripturam, *propera; nihil tibi erit lautius:* ut emendavit recte Manutius, quod in uno Maſſeorum inveniſſe teſtatur, & in altero uno *propere.* Vulgatum eſt, *ut ea ſuſtinere poſſis: nihil tibi erit lautius.* Gebhardus. In contextu tamen recte ſecutus eſt Manutium, quamvis & Amſtelod. & Mentel. legunt quoque *prope.*

Paullum noſtrum] Conſulem. *Corradus.*

Eſt Curio, eſt Furnius] Ambo Tribuni plebis. *Idem.*

Poſt tuum diſceſſum] Cum Craſſo. *Idem.*

Cum Bruto tuo] Cum M. Bruto, cujus tu ſororem Juniam tertiam habes uxorem. *Idem.*

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Conſilium ſuum de non renovando civili bello demonſtrat: clementiam Caeſaris laudat: Italiae gemitum, & civitatis querelas oſtendit: Caſſii ſententiam non de praeſentibus modo, ſed etiam de futuris rebus exquirit. Caeſare iterum & Servilio Coſſ.

M.T.C. CASSIO S.P.D.

ETſi uterque noſtrum ſpe pacis & odio civilis ſanguinis abeſſe a belli pertinacia voluit: tamen, quum ejus conſilii princeps ego fuiſſe videor, plus fortaſſe tibi praeſtare ipſe debeo, quam a te exſpectare. Etſi, ut ſaepe ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus, adduxit utrumque noſtrum ad id conſilium, ut uno proelio putaremus ſi non totam cauſſam, at certe noſtrum judicium definiri convenire. Neque quiſquam hanc noſtram ſententiam vere unquam reprehendit, praeter eos qui arbitrantur melius eſſe deleri omnino remp. quam imminutam & debilitatam manere. Ego autem ex interitu ejus nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. Sed ea ſunt conſecuta, ut magis mirum ſit accidere illa potuiſſe, quam nos non vidiſſe ea futura: nec, homines cum eſſemus, divinare potuiſſe. Equidem fateor meam conjecturam hanc fuiſſe, ut illo quaſi quodam fatali proelio facto, & victores communi ſaluti conſuli vellent, &

ABiſſe a belli pertinacia voluit] Vulgo *neceſſaria pertinacia*. ſed nos tum voculam non neceſſariam & hic ineptam, tum a Palatino ſexto, Hittorpiano, Mediceo, Victoriana editione excluſam rejicere ipſi quoque voluimus. *Gebhardus.*

Voluit] Ego, Pompeio victo, in Italiam rediens: tu, claſſem in Helleſponto Caeſari tradens. *Corradus.*

Ejus conſilii princeps] Diſcedendi ab armis. *Idem.* Ejus ego rei primum conſilium cepi & dedi.

Praeter eos] Intelligit eos qui bellum in Africa renovarunt. *Corradus.*

Praelio facto] Primo, hoc eſt, Pharſalico. *Idem.*

Et victores communi ſaluti conſuli vellent, & victi ſua: utrumque autem propoſitum eſſe arbitrari in celeritate victoris] Ita hunc orationis tractum reformavi ex Palatino primo, duobus Guiliel-

mia-

& victi ſuae. utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar in celeritate victoris. Quae ſi fuiſſet, eandem clementiam experta eſſet Africa, quam cognovit Aſia, quam etiam Achaia, &, ut opinor, ipſo legato ac deprecatore. Amiſſis autem temporibus, quae plurimum valent, praeſertim in bellis civilibus, interpoſitus annus alios induxit, ut victoriam ſperarent, alios, ut ipſum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna ſuſtinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adjunctum iri, aut neſcio quem iſtum Pharnacem Aſiae terrorem illaturum putaret? Nos tamen in conſilio pari caſu diſſimili uſi ſumus. tu enim eam partem petiſti, ut & conſiliis intereſſes, &, quod maxime curam levat, futura animo proſpicere poſſes. ego, qui feſtinavi ut Caeſarem in Italia viderem, ſic enim arbitrabamur, eumque multis honeſtiſſimis viris conſervatis redeuntem, ad pacem currentem, ut ajunt, incitarem: ab illo longiſſime & abſum & afui. Verſor autem in gemitu Italiae, & in urbis miſerrimis querelis: quibus aliquid opis fortaſſe ego pro mea, tu pro

tua,

mianis, ac Mediceo; niſi quod ille *conſule*, pro *conſuli*, antiqua ſcriptura. Paullo etiam ante *quaſe* (ſicut & Hittorpianus) ponit pro *quaſi*: ut *ſibe* pro *ſibi*. Vulgo editum eſt, *communi ſaluti conſulere vellent, & victi ſua: utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar*. Gebhard. Quamvis etiam in Amſtelodam. legatur *propoſitum*, ſententia tamen non fert hoc verbum. Praeterea quo hunc locum conſidero diligentius, tanto magis mihi perſuadeo *arbitrari* irrepſiſſe hic, & eo remittendum, unde malum pedem tulit. Sin haec videantur φορτικώτερα diſtinguendum & legendum cum Manutio & vulgatis, *victi ſua. utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar in celeritate victoris*. Illam tamen ſcripturam, *propoſitum* & *arbitrari* omnes tres codices prae ſe ferunt. *Grav.*

Experta eſſet Africa] Ubi tunc bellum a Pompeianis renovabatur. *Corrad.*

Quam cognovit Aſia, quam etiam Achaia] Caeſar enim multis, qui ſe in Aſiam aut in Achaiam contulerant, veniam dedit. *Idem.*

Ipſo legato] Caeſare. *Idem.* Sed Caeſar non fuit legatus. Hinc conjicit Gronovius: *te, ut opinor, ipſo allegato ac deprecatore*. te apud Caeſarem pro iis interveniente. Sic *allegare* accipitur ep. 4, & 10 hujus libri. *Grav.*

Iſtum Pharnacem] Mithridatis filium, Ponti regem, quem cum Caeſar viciſſet, tria illa verba ad amicos ſcripſit, *Veni, vidi, vici*. Corrad.

Illaturum putaret?] Victo Cn. Domitio Calvino, cui Caeſar Aſiam, finitimaſque provincias adminiſtrandas tradiderat. *Idem.*

Conſiliis intereſſes] Primum Alexandriam profectus, deinde Caeſarem contra Pharnacem ſecutus. *Idem.*

Miſerrimis querelis] Propter ſcelera & ſeditiones Marci Antonii, magiſtri equitum, & L. Trebelli, atque P. Dolabellae Trib. pleb. *Idem.*

Si

tua, pro ſua quiſque parte ferre potuiſſet, ſi auctor affuiſſet. Quare velim pro tua perpetua erga me benevolentia, ſcribas ad me, quid videas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiſtimes. Magni erunt mihi tuae litterae: atque utinam primis illis, quas Luceria miſeras, paruiſſem. ſine ulla enim moleſtia dignitatem meam retinuiſſem. Vale.

Si auctor] Cæſar. *Corrad.*

Luceria] Luceria eſt oppidum Apuliæ infra Teanum ad fluvium Cerbalum, qui nunc *Foggia* dicitur. Ipſum vero oppidum nunc *Lucera* & *Nocera*. Fuit colonia Romanorum, quam Pompeius hoc bello civili ſibi ſedem belli elegerat. Appiano dicitur *Nuceria*. ſicut & hoc loco in Amſtelodam. ſcribitur *Nuceria*, in aliis *Niceria*. Nimirum hæ litteræ facile invicem permutantur, uti & vulgata hujus temporis oſtendit appellatio. Nam & nunc *Lucera* & *Nocera* dicitur. Eſt alia in Gallia Togata ejuſdem nominis urbs, quæ itidem in antiquis monumentis modo *Luceria*, modo *Nuceria* dicitur.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Iocatur in opiniones Epicureorum, id eſt, in ipſum Caſſium, Epicureae philoſophiae deditum. Caeſare quartum conſule, bellum in Hiſpania contra Pompeii liberos gerente. videtur autem ſcripta poſt ſequentes duas: ut hic ſit ordo: prima, quae incipit, Longior epiſtola: *ſecunda*, Praepoſteros, *quam ipſe alteram eſſe dicit: tertia*, Puto te, *quam tertiam appellat.*

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

PVto te jam ſuppudere, cum haec te tertia jam epiſtola ante oppreſſit, quam tu ſcidulam aut litteram. ſed non urgeo.

C*Um haec tertia jam epiſtola ante te oppreſſit*] Nos cum antiquis codicibus *ante operis ſit* ſcripſimus, eleganti (ni fallimur) ſenſu: etſi nos intelligimus eruditos viros, ut in aliis quibuſdam, receptam lectionem ſecutos, eodem modo dicendi uſos eſſe, ut qui antiquam ſcripturam non vidiſſent: illam enim, ut opinor, magis probaſſent. *Puto te ſuppudere*, inquit, *cum haec tertia jam epiſtola ſit operis*, id eſt opus, volumenque pene conficere poſſit, quam tu ſchidam, aut litteram. Hæc enim infra poſita non reſpondent numero epiſtolarum, ſed magnitudini ſuarum jam trium: illius ſe mirari dicit ne *ſchidulam* quidem habere, aut litteram. *Scidulam* autem ut in antiquis

rgeo. longiores enim exſpectabo, vel potius exigam. Ego,
ſemper haberem cui darem, vel ternas in hora darem. Fit
nim neſcio quid, ut quaſi coram adeſſe videare, cum ſcri-
o aliquid ad te: neque id καὶ εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt

uis libris ſemper invenimus, ſci-
ſimus ſine aſpiratione, licet a verbo
-ίζω videatur deductum eſſe nomen.
lia autem ſunt nomina a Græcis de-
vata aſpiratam litteram habentibus,
ſa tamen non retinent. Sic autem
in epiſtolis ad Atticum hoc nomen
criptum invenimus libro primo, *Eni-*
tra per amicos, clientes, hoſpites, libertos
enique ac ſervos tuos, ut ſcida neque de-
ereat. Et in Plinianis vetuſtis codici-
us. Alii autem *ſcedam* ſcribunt, ut hic
mnes vulgati codices habebant, quod
on tam probo. *Victorius.* In poſte-
ioribus annotationibus: *Cum hac ter-*
a jam epiſtola ante operis ſit] Quod ita
lim ſcripſimus, dedimus id antiquo-
um codicum auctoritati, in quibus
a ſcriptum offendimus. vetuſtam le-
tionem quibus potuimus argumentis
onfirmavimus, quam qui non pro-
at, receptam ſequatur. *Idem.* Quin-
ue Palatini, Gruterianus, *ante operu*
t, quam tu ſcedam aut litteram. ut mi-
er profecto tum hic maxime Manu-
ium obſcævantem tam candidis Vi-
torii auſpiciis. Palatinus ſextus ſolus,
um hac te tertia jam epiſtola ante oppreſ-
ſerit quam tu cedulam. Retinui ergo le-
tionem a Victorio, homine antiqui
atis & Ciceronis ſtudioſiſſimo, pri-
mo ex Mediceo productam, & a tot
Palatinis libris ſtabilitam. ſed in eo
b illo diſſenſi, quod *ſchedulam* præ-
ulerim, licet non damnem illius *ſci-*
dam & in Vaticani excerptis propoſi-
am: Lambini fidem hic merito ſu
pectam habeo, reponentis *ſyllabam*
aut litteram. Vulgo, *cum hac te tertia*
jam epiſtola ante oppreſſit quam tu ſchedu-
lam, &c. *Gebhardus.* Tres quoque
codices, quibus uſus ſum, ſcribunt,
operu ſit, ſed ſine ullo ſenſu. Nam il-
lum, quem P. Victorius elicuit in-
de, nemo deprehendere poteſt Latine
ſciens in his verbis. Quis enim ita lo-

quitur *epiſtola operis eſt*, pro *opus eſt*? Sed licet hoc loquendi genus poſſet probari, ſententiam tamen quis probabit; ut recte vidit Manutius. Itaque cum Riccii codici adſtipuletur Palatinus ſextus, & unus alterque Guilielmii & omnes editiones ante Victorianam, non dubitavi & hic Manutium potius ſequi quam Victorium. *Gravius.*

Quam tu ſchedulam aut litteram] Ego potius putavi eſſe legendum *quam tu ſyllabam aut litt.* quemadmodum reperi ſcriptum in cod. Memm. & Clerie. quam vel, ut habent excuſi, *ſcedulam*, vel, ut P. Victorius edidit, *ſcidam*: quod Chariſius interpretatur chartam. Nam præter horum librorum auctoritatem (quam non puto contemnendam præ aliorum auctoritate) longe, meo quidem judicio, concinnius & elegantius eſt ita loqui: Hæc epiſtola te oppreſſit, ante quam tu ad me ſyllabam, aut litteram miſeris: quam ſic, Ante quam tu ad me chartam, aut litteram. Supra autem legendum fortaſſe eſt, *oppreſſerit*, ubi eſt *oppreſſit*, pro *operu ſit*: quod eſt in libris manuſcriptis. *Lambinus.* Alii tamen omnes libri refragantur.

Κατ' εἴδη ἢ φαντασίας] Antiqui codices aliter, nec tamen, ut putamus, incorrupte, ſed longe minore errato, κατ' εἰδῶν φαντασίας. Nos duas litteras in medio defeciſſe arbitrati pro εἰδῶν, εἰδώλων ſcripſimus. Putabant enim Epicurei, ut infra copioſe diſputat, non aliter nos de aliquo abſente cogitare, niſi ſimulacrorum ſpectrorumve phantaſiis impulſi. Quod cum apertius hac epiſtola diſſeratur, planumque omnibus mediocriter doctis ſit, a nobis longius non tractabitur. *Victor.*
Κατ' εἴδη, ἢ φαντασίας] Per ſpecies vel viſa. *per ſpecies & imagines*, videtur quaſi

cunt tui amici novi: qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catius Inſuber, Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quae ille Gargettius, etiam ante Democritus, εἴδωλα, hic ſpectra nominat. His autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quod vel iis ipſa occurrunt, animus qui poſſit ego non video. Doceas tu me oportebit, cum ſalvus veneris, in mea ne poteſtate

quaſi interpretari Cicero ipſe lib. II de Divinatione, ubi de his plura diſputat. alii tamen legunt, κατ' εἰδώλων φαντασίας. alii κατ' εἰδώλων φαντασίας. Corradus.

Tui amici novi] Epicurei. Caſſius enim, auctore Plutarcho in Cæſare & Bruto, Epicureus erat. *Idem.*

Catius inſuper Epicureus ——— qua ille Gargettius] Sic omnes vetuſti & impreſſi codices. Quidam nuper *Inſuber* emendarunt, quam nec damnamus, nec ſequimur adhuc lectionem: nuſquam enim patriam ejus, regionemve, in qua ortus eſſet, invenimus. Eſt autem *Catius* ille, de quo Horatius in Satyris: nam per *Gargettium* Epicurus intelligitur a loco ubi natus. Laertius in principio ejus vitæ, Ἐπίκουρος Νεοκλέους καὶ Χαιρεστράτης, Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Γαργήττιος, γένους τοῦ τῶν Φιλαϊδῶν. Statius etiam eundem, *ſenem Gargettium* appellat. *Victorius.* *Catius*] Hic ſcripſit quatuor libros de rerum natura, & de ſummo bono, de quo Quintilianus ita ſcribit: *In Epicureis levis quidem, ſed non injucundus tamen auctor eſt Catius.* Corrad. *Ille Gargettius*] Epicurus, qui τῶν δήμων Γαργήττιος a Diogene Laertio, a Suida vero Γαργήττειος fuiſſe dicitur. *Idem.* *Gargetthius* poſcit Græca ſcribendi conſuetudo, & in veteribus etiam numiſmatibus ΓΑΡΓΗΤΘΟΣ ſcriptum reperitur. *Urſin.* Puto falli Urſinum. Non enim Γαργήττιος extat in nummis, ſed Γεργίθων. Apud Golzium in theſauro exhibetur nummus Γεργιθίων. Γέργιθος erat oppidum Æolidis, quod etiam dicebatur Γέργις, & Γέργηθα, teſte Strabone, & Stephano, de quo plura Viri Cl. Holſteinius ad Stephanum & Harduinus in nummis antiquis populorum & urbium illuſtratis. Δῆμος Epicuri dicebatur *Gargettus*: hinc ipſe Statio I Sylv. 3. *ſenior Gargettius.* Græv.

Democritus] Quem ſecutus eſt Epicurus. *Corradus.*

Quod vel iis ipſa occurrunt] Quis non videat hunc locum, *quod velis ipſa currunt* depravatum eſſe? & tamen omnes codices ſic habent. Germanicus tantum pro *currunt*, *occurrunt* habet. Nos vocem illam *velis* in duas diviſimus dictiones, ut a principio fuiſſe credimus, vitioque poſtea librariorum compactas, ut ſit, *vel iis*. ſæpe autem, cum duæ hærent vocales, in antiquo codice una tantum ſcribitur, ut alibi adnotavimus. Adfert autem rationem, quare difficilius credat nos de aliquo cogitare occurſu ſimulacrorum, quam eorundem incurſu videre quippiam (videre autem nos διὰ τῶν τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως cenſebant Democritus & Epicurus: quod in epiſtola ad Atticum etiam oſtendit Cicero, in qua diſputat de feneſtratum anguſtiis). Quod ſi, inquit, his ſpectris oculos feriri poſſe conceſſerim (vix autem hoc concedit, ut ſpectra cum ſint tam ἀπαθῆ oculos ferire poſſint,) ſed ſi conceſſerim inquit, videbor aliqua ratione facere, quod ſaltem oculis ſpectra occurrunt, ut poſſint τῇ ἐμπτώσει & occurſu viſionem conficere & excitare. Quomodo autem animus & εἴδωλα feriri poſſint, non video, non enim ſpectra animo, ut oculis occurrunt: qua enim ratione corpus penetrare poſſent? frangerentur enim ἀπαθῆ ὄντα. Libro autem primo de finibus hanc eandem rem

teſtate ut ſit ſpectrum tuum, ut, ſimul ac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat: neque ſolum de te, qui mihi haeres in medullis: ſed ſi inſulam Britanniam coepero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus. Sed haec poſterius. tento enim te quo animo accipias. ſi enim ſtomachabere & moleſte feres, plura dicemus: poſtulabimuſque, ex qua haereſi vi hominibus armatis dejectus ſis, in eam reſtituare. In hoc interdicto non ſolet addi, *In hoc anno.* Quare ſi jam biennium, aut triennium eſt, cum virtuti nuntium remiſiſti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit. quanquam quicum loquor? cum uno fortiſſimo viro: qui poſtea quam forum attigiſti, nihil feciſti

rem tangit, *Imagines quae εἴδωλα nominant, quorum incurſione non ſolum videamus, ſed etiam cogitemus.* Etſi ante vulgati depravare *incurſionem* legebant. Sunt autem verba Ciceronis contra L. Torquatum, qui Epicuri diſciplinam ſectabatur diſputantis. Ubi etiam minus veriſimile eſſe putat nos incurſione & ἐμπτώσει ſimulacrorum cogitare quam videre. De occurſu autem ſimulacrorum hac ipſa epiſtola paullo poſt: ut prorſus hanc veram eſſe credam hujus loci lectionem, depravatam autem ab aliquo, qui has Epicuri rationes (quod nunc amiſſis ejus diſciplinae libris, obſcurae ſunt) ne guſtaſſet quidem. Qui tamen ut Ciceronis infinita loca intelligat, atque Lucretium candidiſſimum poetam legere poſſit, non penitus rudis ejus diſciplinae eſſe vult, Epicuri vitam a Laertio perſcriptam legat, ubi fere omnes illius ſententias decretaque ipſius verbis explicata colligit. Liber autem primus de finibus, & non parva pars ſecundi, ex verbis pene Epicuri contexti ſunt, a Cicerone ſumma fide & elegantia converſis. *Victorius.* Iis facile aſſentior, qui legunt, *quod vel in ipſa occurrunt.* Corradus. Sic reſtitui *quod, cum velis, ipſa accurrunt* conjectura ductus. Dicebat enim Epicurus, imagines ſeu ſimulacra ad arbitrium noſtrum ad nos advolare, ſive ea quibus cerneremus, ſive quibus cogitaremus. Praeterea, quae ſequuntur, meam conjecturam confirmant, ibi, *In meane poteſtate ſis ſpectrum tuum,* &c. Poſtremo *accurrunt*, non *occurrunt.* Sic enim Lucret. lib. IV.

> *Anne voluntatem noſtram ſimulacra tuentur,*
> *Et ſimulac volumus, nobis accurrit imago?*

Et M. Tullius lib. II de Divinat. *Quid? ergo iſtae imagines ita nobis dicto audientes ſunt, ut, ſimulatque velimus, accurrant?* Lambinus.

Ex qua haereſi] Hoc eſt, ſecta Philoſophorum. *Haereſis* enim apud Graecos & Latinos in bonam partem accipiebatur olim, ut & *ſecta*, etiam apud primos Chriſtianos. Fortaſſe autem Stoica fuit aut Academica ſecta, quam deſeruit. *Grav.*

Vi, hominibus armatis] Ep. 13 lib. VII. *Corrad.* Eſt formula ſollemnis in interdicto praetorio VNDE VI, quo aliquis in poſſeſſionem ſuam, de qua vi & armatis hominibus erat deturbatus, reſtituebatur. de qua vide ad lib. VII, ep. 13.

Forum attigiſti] Virilem togam induiſti. vide ſuperius ad lib. V, ep. 11.

Aſpi-

ciſti niſi pleniſſimum ampliſſimae dignitatis. In iſta ipſa αἱρέσει metuo ne plus nervorum ſit, quam ego putarim, ſi modo eam tu probas. Quid tibi in mentem venit? inquies: quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. De rep. enim nihil ſcribere poſſum, neque enim quod ſentio libet ſcribere.

Αἱρέσει] Epicuream intelligit. *Corradus.*

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Queritur de tabellariorum importunitate: P. Sullae mortem, rumores de bello Hiſpanienſi, Panſae profectionem in provinciam ſignificat: Caſſii conſilium de manſione Brundiſina probat: officium litterarum & poſtulat & pollicetur. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S.P.D.

PRaepoſteros habes tabellarios; etſi me quidem non offendunt; ſed tamen cum a me diſcedunt, flagitant litteras, cum ad me veniunt, nullas afferunt. atque id ipſum facerent commodius, ſi mihi aliquid ſpatii ad ſcribendum darent: ſed petaſati veniunt: comites ad portam exſpectare dicunt. Ergo ignoſces: alteras habebis has breves. ſed

ALteras habebis has breves] Nos putamus punctis male diſtinctas eſſe has dictiones: ut longe diverſum ſenſum præ ſe ferant a vero, niſi fallimur: non enim *alteras habebis*, intelligimus, quod alias longiores plenioreſque nunc polliceatur, ideoque æquiore animo velit ferre illum harum brevitatem: nam id paullo poſt large promittit verbis illis, *ſed expecta πάντα περὶ πάντων.* ſed ignoſci ſibi vult, quod hæ non ſolum breves ſint, ſed alias etiam ante breves acceperit, ut hæ ſint jam ſecundæ litteræ ad eum ſcriptæ breves. Quo magis poſtea liberalius ſpondet, ſe copioſe omnia perſcripturum: videbatur enim ſibi nonnihil culpæ admiſiſſe, qui iterum jam breves miſiſſet: ut ſi *alteras has habebis breves*, dixiſſet, nullus ſcrupulus fuerit interpoſita autem vox illa *habebis* locum obſcuriorem facit, ſed eſt elegantiſſimus modus dicendi a Cicerone crebro uſurpatus, ut lib. x ad Atticum tres dictiones in medium incaverit, *alteram tibi eodem die hanc epiſtolam dictavi.* Lib. autem XIII ordine permutato, *Has alteras hodie litteras*, dixit: ut etiam lib. IV. *Nam ut veni Romam, iterum nunc ſum certior factus*

ego

ſed exſpecta πάντα περὶ πάντων. Etſi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes veniant, ad te cum epiſtolis revertantur? Nos hic tamen ad te ſcribam aliquid D. Sullam patrem mortuum habebamus. alii a latronibus, alii cruditate dicebant. populus non curabat: combuſtum enim eſſe conſtabat. hoc tu pro ſapientia tua feres aequo animo. quanquam πρόσωπον πόλεως amiſimus. Caeſarem putabant moleſte laturum, verentem ne haſta refrixiſſet. Mindius Marcellus & Attius pigmentarius valde gaudebant, ſe adverſarium perdidiſſe. De Hiſpania novi nihil; ſed exſpectatio valde magna: rumores triſtiores, ſed ἀδέσποτοι. Panſa noſter paludatus a. d. III Kalend. Ian. profectus eſt, ut quivis intelligere poſſet id, quod tu nuper dubitare coepiſti, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe.. Nam quod multos miſeriis levavit, & quod ſe in his malis hominem praebuit, mirabilis eum virorum bonorum benevolentia proſecuta eſt. Tu quod adhuc Brundiſii moratus es, valde probo & gaudeo: & mehercule puto te ſapienter facturum, ſi ἀκενόσπουδος fueris.

ſſe cui darem literas: itaque has alteras dedi. prioribus tibi declaravi, &c. Ut nihil ſcrupuli reſtet quin hic per *has alteras* ſecundas ſignificet. *Victorius.*

Tamen ad te ſcribam aliquid. Nos hic D. Syllam patrem, &c.] Omnino elegantius in antiquis codicibus, quemadmodum nos ſcripſimus, legitur hic locus: ut verba illa *tamen ad te ſcribam aliquid* ſint poſt duas illas dictiones *nos hic*. Cum enim ſupra dixiſſet non opus ſibi eſſe excuſatione cum Caſſio, nec debere ſe illi purgare, cum inanes ab eo veniant tabellarii, ad eumque cum epiſtolis revertantur, quaſi hoc loco finem epiſtolae facere voluiſſet: imprudenter tamen addit, *nos hic* principium narrationis. Ideoque ſtatim cognito errore infert, *tamen ad te ſcribam aliquid.* ſe caſtigans quod propoſitum mutaverit: quaſi dicat, Non tamen potui, ut decreveram, me continere quin aliquid ad te ſcriberem. Nos profecto hanc lectionem argutiorem politioremque putavimus: inventamque in priſcis exemplaribus nullo pacto praetermittere debuimus. Speramus etiam eruditos ingenioſoſque multo hanc magis vulgata probaturos eſſe. *Victorius.* *D. Syllam*] Al. *P. Syll.* Corradus. Stephanus Pighius monuit in faſtis ſuis ad annum urbis conditae DCCII. legendum heic & infra *D. Silanum.* Gebhardus. Vide lib. IX, ep. 10.

Combuſtum] Quamvis Syllani, quorum unus fuerat *P. Sylla*, olim M. Marium comburi prohibuerint. *Corrad.*

Rumores triſtiores] De Scapula & Pompeii filiis. *Idem.*

Quod tu nuper dubitare coepiſti] Factus Epicureus. *Idem.*

Si ἀχρεῖος πιλὸς fueris] Nos deletis his ineptiſſimis verbis cum antiquis codicibus ἀκενόσπουδος ſcripſimus, una tantum parum perverſa littera. In illis clara haec erat ſcriptura, ut miror unde Graecas illas voces eruerint, quae in

ciſti niſi pleniſſimum ampliſſimae dignitatis. In iſta ipſa *αἱρέσει* metuo ne plus nervorum ſit, quam ego putarim, ſi modo eam tu probas. Quid tibi in mentem venit? inquies: quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. De rep. enim nihil ſcribere poſſum, neque enim quod ſentio libet ſcribere.

Αἱρέσει] Epicuream intelligit. *Corradus.*

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Queritur de tabellariorum importunitate: P. Sullae mortem, rumores de bello Hiſpanienſi, Panſae profectionem in provinciam ſignificat: Caſſii conſilium de manſione Brundiſina probat: officium litterarum & poſtulat & pollicetur. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

PRaepoſteros habes tabellarios; etſi me quidem non offendunt; ſed tamen cum a me diſcedunt, flagitant litteras, cum ad me veniunt, nullas afferunt. atque id ipſum facerent commodius, ſi mihi aliquid ſpatii ad ſcribendum darent: ſed petaſati veniunt: comites ad portam exſpectare dicunt. Ergo ignoſces: alteras habebis has breves. ſed

A *Literas habebis has breves*] Nos putamus punctis male diſtinctas eſſe has dictiones: ut longe diverſum ſenſum præ ſe ferant a vero, niſi fallimur: non enim *alteras habebis*, intelligimus, quod alias longiores plenioreſque nunc polliceatur, ideoque æquiore animo velit ferre illum harum brevitatem: nam id paullo poſt large promittit verbis illis, *ſed expecta πάντα περὶ πάντων.* ſed ignoſci ſibi vult, quod hæ non ſolum breves ſint, ſed alias etiam ante breves acceperit, ut hæ ſint jam ſecundæ litteræ ad eum ſcriptæ breves. Quo magis poſtea liberalius ſpondet, ſe copioſe omnia perſcripturum: videbatur enim ſibi nonnihil culpæ admiſiſſe, qui iterum jam breves miſiſſet: ut ſi *alteras has habebis breves*, dixiſſet, nullus ſcrupulus fuerit. interpoſita autem vox illa *habebis* locum obſcuriorem facit, ſed eſt elegantiſſimus modus dicendi a Cicerone crebro uſurpatus, ut lib. x ad Atticum tres dictiones in medium inculcaverit, *alteram tibi eodem die hanc epiſtolam dictavi.* Lib. autem XIII ordine permutato, *Has alteras hodie litteras*, dixit: ut etiam lib. IV. *Nam ut veni Romam, iterum nunc ſum certior factus* eſſe

ſed exſpecta πάντα περὶ πάντων. Etſi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes veniant, ad te cum epiſtolis revertantur? Nos hic tamen ad te ſcribam aliquid D. Sullam patrem mortuum habebamus. alii a latronibus, alii cruditate dicebant. populus non curabat: combuſtum enim eſſe conſtabat. hoc tu pro ſapientia tua feres aequo animo. quanquam πρόσωπον πόλεως amiſimus. Caeſarem putabant moleſte laturum, verentem ne haſta refrixiſſet. Mindius Marcellus & Attius pigmentarius valde gaudebant, ſe adverſarium perdidiſſe. De Hiſpania novi nihil; ſed exſpectatio valde magna: rumores triſtiores, ſed ἀδέσποτοι. Panſa noſter paludatus a. d. III Kalend. Ian. profectus eſt, ut quivis intelligere poſſet id, quod tu nuper dubitare coepiſti, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe.. Nam quod multos miſeriis levavit, & quod ſe in his malis hominem praebuit, mirabilis eum vitorum bonorum benevolentia proſecuta eſt. Tu quod adhuc Brundiſii moratus es, valde probo & gaudeo: & mehercule puto te ſapienter facturum, ſi ἀκενόσπουδος fueris.

Te cui darem literas: itaque has alteras dedi. prioribus tibi declaravi, &c. Ut nihil ſcrupuli reſtet quin hic per *has alteras* ſecundas ſignificet. *Victorius.*

Tamen ad te ſcribam aliquid. Nos hic D. Syllam patrem, &c.] Omnino elegantius in antiquis codicibus, quemadmodum nos ſcripſimus, legitur hic locus: ut verba illa *tamen ad te ſcribam aliquid* ſint poſt duas illas dictiones *nos hic*. Cum enim ſupra dixiſſet non opus ſibi eſſe excuſatione cum Caſſio, nec debere ſe illi purgare, cum inanes ab eo veniant tabellarii, ad eumque cum epiſtolis revertantur, quaſi hoc loco finem epiſtolae facere voluiſſet: imprudenter tamen addit, *nos hic* principium narrationis. Ideoque ſtatim cognito errore infert, *tamen ad te ſcribam aliquid*, ſe caſtigans quod propoſitum mutaverit: quaſi dicat, Non tamen potui, ut decreveram, me continere quin aliquid ad te ſcriberem. Nos profecto hanc lectionem argutiorem politioremque putavimus: inventamque in priſcis exemplaribus nullo pacto praetermittere debuimus. Speramus etiam eruditos ingenioſoſque multo hanc magis vulgata probaturos eſſe. *Victorius.* *D. Syllam*] Al. *P. Syll.* Corradus. Stephanus Pighius monuit in faſtis ſuis ad annum urbis conditae DCCII. legendum heic & infra *D. Silanum.* Gebhardus. Vide lib. IX, ep. 10.

Combuſtum] Quamvis Syllani, quorum unus fuerat *P. Sylla*, olim M. Marium comburi prohibuerint. *Corrad.*

Rumores triſtiores] De Scapula & Pompeii filiis. *Idem.*

Quod tu nuper dubitare coepiſti] Factus Epicureus. *Idem.*

Si ἀχρεῖος πίλος fueris] Nos deletis his ineptiſſimis verbis cum antiquis codicibus ἀκενόσπουδος ſcripſimus, una tantum parum perverſa litera. In illis clara haec erat ſcriptura, ut mirer unde Graecas illas voces eruerint, quae in

fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum. & amabo te, cum dabis poſthac aliquid domum litterarum, mei memineris. Ego nunquam quenquam ad te, cum ſciam, ſine meis litteris ire patiar.

in vulgatis nihil prorſus quod hic quadraret ſignificantes, legebantur. Cic. ad Att. prima noni libri epiſtola, nimiam ſuam diligentiam in rebus inanibus, & nullius momenti inveſtigandis taxans, *ſed hæc fortaſſe* κενόσπουδα dixit, ut non debeat majus ſtudium in illis inquirendis poni. κενόσπουδος autem Suidæ eſt, qui in rebus inanibus levibuſque ſtudium ponit: ut quid hic κενόσπουδος ſignificet, dubium non ſit, elegans prorſus verbum, & quod ſolum declaret ſententiam, quæ niſi pluribus verbis Latine exprimi non poſſet. *Victorius.* Ἀχρεῖος πηλὸς] Inutile cœnum, al. ἀχρεῖος πῖλος inutilis galea, al. Ἀκενόσπουδος minime curioſus: idque magis placet. *Corrad.*

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Epiſtolae brevitatem excuſat feſtinationem tabellarii: triſtitiam temporum ſignificat: de bello Hiſpanienſi nihil ait eſſe certi, nihil novi. abſenti Caſſio gratulatur, ſua cauſſa dolet. Eodem anno.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

LOngior epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore petita eſſet a me cum jam iretur ad te. longior etiam, ſi φλύαρον aliquem

SI *φαιδρὸν aliquem habuiſſet*] Antiqua exemplaria φλύαρον recte. φλύαρος enim φλήναφος καὶ λῆρος, ut docet Suidas, quod pulchre reſpondet ſequenti Græcæ dictioni. Longior, inquit, epiſtola fuiſſet, ſi nugas fabulaſque habuiſſet aliquas, quas jocoſe ſcribendo pleniorem epiſtolam feciſſem: de rebus enim ſeriis vix ſine periculo agere poſſumus, quod temporum iniquitate accidebat. Opponitur autem σπουδάζειν jocis, riſui, nugis, ut exprimit Ariſtophanes, σκώπτειν σπουδῇ καὶ κωμῳδεῖν τῷ σπουδάζειν ἁμιλλῶντας· ut nihil de loci hujus integritate dubitari poſſit. Quod autem paullo poſt in eadem epiſtola legitur, *& quidem in culina mea moleſta eſt* verba alicujus poetæ videntur: nullibi tamen ea me legere memini: nos autem nihil mutavimus: invenimus enim hoc loco antiquos codices cum vulgatis convenire: quare tantum librorum conſenſum condemnare temerarium viſum eſſet. Scimus alios aliis modis emendaſſe: cum autem docuerint quo conſilio auctoritateque hoc fecerint, nos ſententiæ illorum ſubſcribemus: verum dum nihil certius adferunt, non peccare nobis videmur (ut in malis) qui antiquorum codicum fidem ſequamur. *Victor.*

ſive

aliquem habuiſſet. nam σπουδάζειν ſine periculo vix poſſumus. Ridere igitur, inquies, poſſumus. Non mehercule facillime. verumtamen aliam aberrationem a moleſtiis nullam habemus. Vbi igitur, inquies, philoſophia? Tua quidem in culina, mea moleſta eſt. pudet enim ſervire. Itaque

Sine periculo] Ne Cæſarianos offendamus. *Corrad.*

Vbi igitur, inquies, philoſophia tua? Quidem in culina mea, moleſta eſt] Quid de his verbis ſentiremus antea locuti ſumus: operam dederunt alii, ut ex hoc tam depravato loco commodus aliquis ſenſus eliceretur, in quo mihi laborandum eſſe non putavi: in tanta enim caligine ac tenebris, me lucem aliquam diſpicere poſſe non ſperavi. Illorum lectionem, ut acute excogitatam, non reprehendo: ut veram, germanamque laudare, nullo modo poſſum: nam verba etiam illa, quæ adjunguntur, *pudet enim ſervire* non valde mihi videntur ſententiæ, quam excogitarunt, convenire. *Victorius.*

Philoſophia -- quidem inquilina] Quaſi a te civitate donata: hoc eſt, Latinis litteris ſcripta. al. *in culina.* Corradus. Libri omnes MSS. habent, *Vbi igitur, inquies, philoſophia tua? & quidem in culina mea moleſta eſt.* Sed Paullo Manutio non aſſentiri olim non potui, qui locum corruptum ac mendoſum eſſe putat. Sic autem legendum exiſtimat, *Vbi igitur philoſophia? tua quidem, in culina: mea, in palaſtra eſt.* ut hoc membrum, *mea, in palaſtra eſt*, opponatur illi ſuperiori membro, *tua quidem, in culina eſt.* Nunc nondum conſtitui apud me, probare debeam, necne. Quidam amicus meus, vir doctus, ſic potius legi putat oportere, *Vbi igitur philoſophia? tua quidem, in culina: mea, in moleſtia eſt:* cui aſſentior. Sic autem loquitur lib. IV epiſtolarum ad P. Nigidium Figulum, *Id tibi affirmo, te in iſtis moleſtiis, in quibus et hoc tempore, non diutius futurum.* Idem lib. VI epiſt. ad Ligarium, *Quare mihi crede, & memoria manda, me tibi id affirmaſſe, te in iſtis moleſtiis diutius non futurum.* Sic eadem epiſtola, infra, non longe, *Ne tu quidem in iſtis incommodis eſſes.* Idem eod. lib. *Atque illa arbitrabantur, cum a te abeſſent ipſa, multo in graviore te cura futurum.* Idem lib. IX. *Scio te ſemper mecum in luctu fuiſſe*, &c. Terent. in Andr. *Propterea nunc miſera in mœrore'ſt.* Paullo ante, hac epiſt. 18, videtur legendum, *ſi φλύαρον aliquem habuiſſem*, non, ut vulgo, *habuiſſet.* Lambinus.

Vbi ig. inquies, Philoſoph. t. Quid. in cul. m. mol. e.] Sic habet Palatinus ſextus, [ſic & Amſtelodam.] ſic quoque Mediceus, niſi quod ſuo more *moleſtaſt.* Notatque Egnatius illam lectionem emendatorum ingenio exiviſſe, *In culina quidem mea, ſed moleſta eſt.* Manutius putabat legendum olim, teſte Lambino, *ubi igitur Philoſophia? tua quidem, in culina: mea, in palaſtra eſt.* quam tamen conjecturam ipſe probare non potuit, ſed hanc cujuſdam amici ſui, *ubi igitur Philoſophia? tua quidem, in culina: mea in moleſtia eſt.* Guilielmius pro *in moleſtia eſt*, putabat, *in moleſtra eſt.* Videndus Feſtus. Palatinus primus [& Mentel.] *ubi igitur, inquies Philoſophia tua? quidem in culina mea moleſtaſſet:* quæ ſcriptura vitioſa nata eſt ab Mediceo. Editio prima exhibebat, *ubi igitur, inquies, Philoſophia tua, & quidem inquilina mea moleſtia eſt.* Nos ſtetimus ab optimo Palatino & Victorio. *Gebhard.* Meus ſecundus, *ubi igitur, inquies, Philoſophia tua, Quidem in culina mea, ſed moleſta.* Sed recte videtur omnino Manutius hunc locum interpunxiſſe, & verum ejus ſenſum deprehendiſſe. Nam Philoſophia ei moleſta erat, quod ei exprobraret quaſi; quod ſerviret, & non potius ut Cato fortiter ſe a ſervitute vindicaret. de qua re in aliis quoque queritur epiſtolis. *Gravius.*

que facio me alias res agere, ne convicium Platonis audiam. De Hiſpania nihil adhuc certi, nihil omnino novi. Te abeſſe, mea cauſſa moleſte fero, tua gaudeo. Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meque, ut a puero feceſti, amabis.

Facio me alias res agere] Pro *facio* alii leg. *ſcito*. Corradus. *Facio me alias res agere*] Fingo me non philoſophiæ, ſed aliis rebus operam dare.

Convicium Platonis] Juſtos eſſe, qui in veri veſtigatione verſentur, quique ea, quæ plerique expetunt, contemnant: cum potius peccent. Nam ſtudio diſcendi impediti, quos tueri debent, deſerunt. Ego vero ne ita peccem, fingo me alias res agere, quamvis hoc tempore parum proficiam. *Corradus.* *Convic. Platonis*] Monuit Claudius Puteanus, V. Cl. Comicum intelligi, cujus hi ſunt verſus in Phaone,

Ὑμῖν γὰρ οὐδὲν κωμῳδεῖν ἡ προθυμία,
Ἐν τῷ καπήλῳ τῆς ἐπινοίας μοι δοκεῖ.

Gebhardus. Nihil hæc ſententia Platonis Comici ad rem facit & intelligentiam hujus loci. Rectius utroque Manutius: quia reprehendit Plato ſervientes.

EPISTOLA XIX.

Argumentum.

Reſpondet ad duas Ciceronis epiſtolas, quae ante proximam ſuperiorem leguntur. maxime autem Epicurum, & Epicureos, quorum ipſe in numero erat a ſtudio virtutis & juſtitiae laudat. Cupere videtur ut Caeſar in Hiſpania vincat, tam cognita jam ejus clementia. Eodem anno.

C. CASSIVS M. T. C. S. P. D.

S. V. B. Non mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentius facio, quam ſcribo ad te. videor enim cum praeſente loqui & jocari. Nec tamen hoc uſu venit propter ſpectra Catiana: pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum ſecunda voluntate hominum paludatum

Tot ruſticos Stoicos] Ii enim & oratione, & moribus duriores ſunt habiti. *Corrad.*

Secunda voluntate hominum] Omnibus volentibus & plaudentibus. Liv. lib. VIII. *Tres leges ſecundiſſimas plebi, adverſas nobilitati tulit.*

Ea

tum ex urbe exiſſe, cum ipſius cauſſa gaudeo, tum mehercule etiam omnium noſtrum. Spero enim homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia: atque ea, quae maxime mali petant & concupiſcant, ad bonos pervenire. Difficile eſt enim perſuadere hominibus, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe: ἡδονὴν vero & ἀταραξίαν virtute, juſtitia, τῷ καλῷ parari, & verum

Ex urbe exiſſe] Palatinus primus, Stewechianus, Peckio excerpta, editio princeps, *exſurrexiſſe*. Gebhardus.

Ἡδονὴν *vero & διαξίαν*] Sic omnes habebant vulgati codices, prorſus mendoſe. Germani videntur exemplar habuiſſe, quod minus incorruptum hunc locum conſervarit: credimus enim illos, ut teſtati ſunt, ex vetuſto codice collegiſſe, quas in marginibus collocarunt, lectionum varietates: ἀταξίαν enim legunt. Quod ſi in medio ſyllabam unam reponas, errore librariorum (ut puto) omiſſam, rectiſſime hic locus reſtitutus erit. nec mirum videri debet in Latinis libris antiquitus exaratis Græcas voces aliquantum perverſas eſſe, & inquinatas: cum enim ſermonem illum ignorarent, vix poterant ab erroribus cavere: videmus enim illos quaſi deſcripſiſſe pinxiſſeque Græcos characteres non negligenter, ſi conſideres eos eorum quæ ſcribebant ſententiam non percepiſſe. Quod ſi quandoque aliqua deſunt, aut abundant, venia digni ſunt: ego potius miror quomodo potuerint tam integras Græcas voces effingere ejus linguæ rudes: ſed de hoc nimis. ἀταραξίαν inquam, facies, quam genuinam eſſe hic vocem puto, & antiquis veſtigiis propinquam, & ſententiæ ipſi optime quadrantem. Nam diviſerat Epicurus voluptates, ut quædam illarum in motu, quædam in ſtatu eſſent. ſed hæc verbis ipſius Epicuri, quæ apud Laertium ſunt, melius declarabuntur. ſic enim Laertius dicit, Ὁ δ' Ἐπίκουρος ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων οὕτω λέγει, ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί, ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται. quam etiam diviſionem percurrit Cic. lib. 1 de Finibus his verbis: *Non enim hanc ſolam ſequimur, quæ ſuavitate aliqua naturam ipſam movet, & cum jucunditate quadam percipitur ſenſibus, ſed maximam illam voluptatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto*, &c. Sæpe autem eſt ἀταραξία in ſcriptis Epicuri: nam hoc præcipue nomine tranquillum iſtum ſtatum hominis declarat, quo vacuus omni perturbatione degit. ut qui ante nos ἀπαλγησίαν emendarant, cum locum corruptum eſſe in vulgatis animadvertiſſent, nihil laborantes circa antiqua veſtigia, ſententiamque tantum ſecuti, non penitus aberrarint: noſtra tamen lectio verior, ut quæ ex antiquis exemplaribus eruta ſit: & nomen illud habeat quo præcipue uteretur ipſe Epicurus: nam qui λείαν κίνησιν emendarunt, multo audacius & improbius fecerunt: lenis enim motus, interpretatio eſt voluptatis, ut idem ſit ἡδονὴ & λεία κίνησις. voluit autem Caſſius utramque voluptatem declarare: per ἡδονὴν enim hic voluptatem in motu intelligit. neceſſe igitur eſt vocem, quæ ſequitur, voluptatem eam, quæ detractis perturbationibus percipitur, ſignificare. Qui autem εὐεξίαν repoſuerunt, conati ſunt ex corruptis illis characteribus, qui vulgo legebantur, vicinam, & ſimilem vocem elicere: ſed nimis ſe rudes rationis Epicuri oſtenderunt. & nedum Epicuri rationem expreſſerunt, ſed vix idoneam ſententiam effinxerunt. cum enim εὐεξία ſit bona corporis habitudo: quomodo ullus unquam proferret eam virtute, juſtitia, dignitate parari: cum voluptas, ſecuritaſque ex his virtutibus

verum & probabile eſt. Ipſe enim Epicurus, a quo omnes Catii, & Amaſinii, mali verborum interpretes, proficiſcuntur, dicit: οὐκ ἔςιν ἡδέως, ἄνδυ ξ καλῶς καὶ δικαίως, ζῆν. Itaque & Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, virtutem retinet: & ii, qui a vobis φιλήδονοι vocantur, ſunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omneſque virtutes & colunt & retinent. Itaque Sulla, cujus judicium probare debemus, cum diſſentire philoſophos videret, non quaeſiit, quid bonum eſſet, omnia bona coemit: cujus ego mortem forti mehercules animo tuli. Nec tamen Caeſar diutius nos eum deſiderare patietur. nam habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat: nec ipſe ſecto-

In animis hominum gignatur? *Victor.* Sed amplius diſputavit de hoc loco in nota quæ in poſterioribus legitur, & nunc ſubnectitur notis Manutii in hanc epiſtolam.

Omnes Catii & Amaſinii] Vetuſti codices *Amaſinii*, etſi noſter aliter operarum vitio habet: ſcilicet *Amaſanii*. C. enim Amaſinius Epicuri diſciplinam ſectatus edidit libros, qui eam rationem explicarent. nam de *Catio* ex Horatio præcipue notum eſt: etſi hi videntur fuiſſe ex illis quos legitimi Epicurei σοφιςὰς (ut ait Laertius) ſoliti eſſent appellare: degenerabant enim nonnihil ab Epicuri decretis, &, ut inquit Caſſius, *mali* erant Epicuri *verborum interpretes*. Amaſinii multis aliis locis Cicero mentionem fecit, etſi fere ſemper hoc nomen corruptum aliquantulum eſt. In procemio lib. IV Tuſculanarum quæſtionum bis *Amaſanium* appellat: ubi tamen manuſcripti codices *Amaſinium* habent. *Cum interim illis ſilentibus C. Amaſinius extitit dicens.* Et paullo poſt, iterum. Nos cum tot antiqui & probati codices concurrant, *Amaſinium* legi debere exiſtimamus. ſed cum hoc loco *Amaſinii* ante cunctis in libris ſcriptum eſſet, aliis vero multis locis in Cicerone *Amaſanius*: quis unquam putaſſet eundem intelligi debere? Non parum igitur hæc menda, quæ alioqui minuta videntur, ſæpe tenebrarum offundunt, ut omnia animadvertere non inutile, nec ineptum negotium eſſe videatur. *Victorius.* *Amaſinii*] Propter C. Amaſinium, ſive Amaſanium: ut etiam in Quæſtura diximus. *Corrad.*

Mali verborum interpretes] Qui non recte Epicuri verba ſint interpretati. *Idem.*

Qui ἡδονὴν ſeq.] Qui voluptatem ſequitur: quia & ipſe Epicureus eſt. *Idem.*

Qui a nobis] Epicureis. al *a vobis.* Idem. Recte *a vobis* Hittorp. & Manut. ed. vulgo *a nobis.*

Itaque Sylla] Ep. 17 hujus libri. *Corradus.*

Quid bonum eſſet] Jocus ex ambiguo. *Idem.*

Nam habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat] Ita in manuſcriptis legitur, quam lectionem Paullus quoque poſteriore ſua editione ſequitur, & illius ſenſum declarat, cum in priore *domi natos* legiſſet culpa impreſſorum, ut arbitror, cum *domi natos* ſcribi vellet. Quod ſi priſca exemplaria *domi natos* haberent, non inſulſus fortaſſe ſenſus ex illa ſcriptura duci poſſet, ut appellaſſet *domi natos* paratos, qui in manu ejus ſemper eſſent, quorum magna copia nunquam illum deficeret: (*reſtituat* autem ſupponat ſignificare, & in ejus locum ſubſtituat) hic enim eſt ſignificatus illius elegantiſſimæ vocis, crebro a Cicerone uſurpatæ. nec tamen hanc receptæ lectioni præponendam cenſemus. Potiuſque

ſectorem deſiderabit, cum filium viderit. Nunc, ut ad remp. redeam, quid in Hiſpaniis geratur reſcribe. Peream, niſi ſollicitus ſum, ac malo veterem & clementem dominum habere, quam novum & crudelem experiri. Scis, Cnaeus quam ſit fatuus: ſcis, quomodo crudelitatem virtutem putet: ſcis, quam ſe ſemper a nobis deriſum putet. Vereor ne nos ruſtice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat, ſi me diligis, reſcribe. Hui, quam velim ſcire, utrum iſta ſollicito animo, an ſoluto legas. ſciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior ſim, vale, & me, ut facis, ama. Si Caeſar vicit, celeriter me exſpecta.

que e genere illarum caſtigationum eſſe cenſemus, quæ ſubtiliter magis quam vere excogitantur. *Victor.* *Domi notos*] Al. *damnatos*. Corradus. P. Manutius in prima editione edidit *domi natos*. Lambinus.

Malo veterem] Cæſarem. *Corradus.*

Quam novum] Cn. Pompeium filium. *Idem.*

Si Cæſar vicit] Pompeii filios in Hiſpania. *Idem.*

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Interfecto Caeſare, Trebonius ad Aſiam regendam profectus eſt. euntem Cicero amantiſſimis litteris proſequitur, miſſo jam ad eum libro ſuo de perfecto oratore: quem librum cum Sabino neſcio cui commendaverit, laudat in Sabina gente fidem & probitatem: petit autem a Trebonio crebras litteras, & rationem itineris. Antonio & Dolabella Coss.

M. T. C. TREBONIO P. S. D.

ORATOREM MEVM, ſic enim inſcripſi Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit ut ei recte puta-

TREBONIO] In Hiſpania Procos. *Corradus.* Aliud in argumento & commentar. docet Manutius.

ORAT. MEVM] Ad M. Brutum: quo Galliam Ciſalpinam obtinente, ille ſcriptus eſt liber. *Idem.*

Natio] A Sabinis, qui tetrici, ſeveri durique, & continentes etiam a ſcriptoribus appellantur. *Idem.*

putarem, niſi forte candidatorum licentia hic quoque uſus, hoc ſubito cognomen arripuit. etſi modeſtus ejus vultus, ſermoque conſtans, habere quiddam a Curibus videbatur. Sed de Sabino ſatis. Tu, mi Treboni, quum ad amorem meum aliquantum olim diſcedens addidiſti: quo tolerabilius feramus igniculum deſiderii tui, crebris nos litteris appellato, atque ita, ſi idem fiet a nobis. Quanquam duae cauſſae ſunt cur tu frequentior in iſto officio eſſe debeas quam nos: primum, quod olim ſolebant, qui Romae erant, ad provinciales amicos de repub. ſcribere: nunc tu nobis ſcribas oportet: Res enim publica iſtic eſt. deinde, quod nos aliis officiis tibi abſenti ſatisfacere poſſumus, tu nobis, niſi litteris, non video, qua re alia ſatisfacere poſſis. Sed cetera ſcribes ad nos poſtea. Nunc haec primo cupio cognoſcere, iter tuum cujuſmodi ſit, ubi Brutum noſtrum videris, quamdiu ſimul fueris: deinde, cum proceſſeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio, ut exiſtimare poſſimus, quo ſtatu ſimus. Ego tantum me ſcire putabo, quantum ex tuis litteris habebo cognitum. Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo ſingulari.

Hoc ſubito cognomen arripuit] De hoc more neſcio quid in Quæſtura relatum eſt. *Corradus.*

Habere quiddam a Curibus] Habere ſpeciem aliquam gravitatis & ſanctitatis morum. *Cures* enim caput Sabinorum cives habebat antiquorum morum & diſciplinæ ac continentiæ. Virgil. Æn. VIII.

Romulidis Tatioque ſeni, Curibuſque ſeveris.

Olim diſcedens] Ex Italia in Hiſpaniam. *Corrad.* aliter Manutius.

Iſthic eſt] Ubi ſit Cæſar. *Corrad.* ſed vide Manut.

Ubi Brutum noſtrum videris] M. Brutum, Galliam Ciſalpinam regentem. Si quis tamen hæc omnia ad profectionem, de qua in epiſt. 28 lib. x. & epiſt. 16 lib. XII. dictum eſt referat, non video cur magnopere ſit repugnandum. *Corrad.*

EPI-

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Rogat ut ſui abſentis deſiderium crebris & longis epiſtolis leniat: enumerat Trebonii erga ſe officia: de Calvo oratore jam mortuo, quid ſentiat, exponit. Caeſare dictatore II. *anno* DCCVI.

M.T.C. TREBONIO S.P.D.

ET epiſtolam tuam legi libenter & librum libentiſſime; ſed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quod cum incendiſſes cupiditatem meam conſuetudinis augendae noſtrae, nam ad amorem quidem nihil poterat accedere, tum diſcedis a nobis, meque tanto deſiderio afficis, ut unam mihi conſolationem relinquas, fore, ut utriuſque noſtrum abſentis deſiderium crebris & longis epiſtolis leniatur. Quod ego non modo de me tibi ſpondere poſſum, ſed de te etiam mihi. Nullam enim apud me reliquiſti dubitationem quantum me amares. Nam, ut illa omittam quae civitate teſte feciſti, cum mecum inimicitias communicaſti, cum me concionibus tuis defendiſti, cum quaeſtor in mea atque in publica cauſſa conſulum partes ſuſcepiſti, cum tribuno pleb. quaeſtor non paruiſti, cui tuus praeſertim collega pareret; ut haec recentia, quae meminero ſemper, obliviſcar, quae tua ſollicitudo de me in armis, quae laetitia in reditu, quae cura, qui dolor, cum ad te curae & dolores mei perferrentur? Brundiſium denique te ad me venturum fuiſſe, niſi ſubito in Hiſpaniam miſſus eſſes? Vt haec

EPiſtolam tuam] 16 libri XII. Videri poteſt & *liber*, ex verſiculis, qui in ea dicuntur: ſi modo credimus hanc epiſtolam & ſuperiorem a Cicerone ad Treboninm in Aſiam, & non in Hiſpaniam miſſas fuiſſe. *Corrad.* Vide Manut.

Vt hac recentia] Fortaſſe de Caeſaris morte. *Corradus.*

In armis] In bello civili. *Idem.*

In reditu] Poſt victum Pompejum. *Idem.*

Brunduſium] Quo ego Dyrrachio veneram. *Idem.*

Miſſus eſſes] Procoſ. a Caeſare. *Idem.*

haec igitur omittam, quae mihi tanti aeſtimanda ſunt, quanti vitam aeſtimo & ſalutem meam: liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam habet declarationem amoris tui? primum, quod tibi facetum videtur quidquid ego dixi, quod aliis fortaſſe non item: deinde, quod illa, ſive faceta ſunt, ſive ſic fiunt narrante te venuſtiſſima. quin etiam ante quam ad me veniatur, riſus omnis paene conſumitur. Quod ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de uno me tam diu cogitaviſſes, ferreus eſſem, ſi te non amarem. Cum vero ea, quae ſcriptura perſecutus es, ſine ſummo amore cogitare non potueris, non poſſum exiſtimare, plus quenquam a ſe ipſo, quam me a te amari. Cui quidem ego amori, utinam ceteris rebus poſſem, amore certe reſpondebo: quo tamen ipſo tibi confido futurum ſatis. Nunc ad epiſtolam venio, cui copioſe & ſuaviter ſcriptae nihil eſt quod multa reſpondeam. Primum enim ego illas Calvo litteras miſi, non plus quam has quas nunc legis exiſtimans exituras. aliter enim ſcribimus quod eos ſolos quibus mittimus, aliter quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium ejus melioribus extuli laudibus, quam tu id vere potuiſſe fieri putas. Primum, quod ita judicabam, acute movebatur. genus quoddam ſequebatur, in quo judicio lapſus, quo valebat, tamen aſſequebatur, quod probaret. Multae erant & reconditae litterae, vis non erat. ad eam igitur adhortabar. In excitando autem & in acuendo plurimum valet, ſi laudes eum quem cohortere. Habes de Calvo judicium & conſilium meum: conſilium, quod hortandi cauſſa laudavi: judicium, quod de ingenio ejus valde exiſtimavi bene. Reliquum eſt, tuam

Sive ſic fiunt] Al. *ſive non, fiunt, ſic.* Vide an legi debeat, *ſive ſecus, fiunt.* Corrad.

Quo tamen ipſo tibi confido futurum ſatis] Vel ſic legendum ut edi juſſi, *q. t. i. confido me facturum ſatis*: vel *quod tamen ipſum tibi confido futurum ſatis.* Lambinus.

Calvo] Epiſtola viceſima quinta libri ſeptimi. *Corradus.*

Ab

tuam profectionem amore proſequar, reditum ſpe exſpectem, abſentem memoria colam, omne deſiderium litteris mittendis accipiendiſque leniam. Tu velim tua in me ſtudia & officia multum tecum recordere: quae cum tibi liceat, mihi nefas ſit oblivisci, non modo virum bonum me exiſtimabis, verum etiam te a me amari plurimum judicabis. Vale.

Abſentem memoria colam] Malim legi *abſentiam*, &c. *Lambinus.*

M. TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM AD TIRONEM, LIBER XVI.

ORdinem epiſtolarum fere omnium ad Tironem oſtendit ratio temporis, ex adſcripta cuique die, & in ipſo argumento ſatis nota. Prima ſine dubio eſt, quae incipit, *Paullo facilius*: ſecunda, *Non queo*: tertia, *Nos apud*: quarta, *Varie*: quinĉta, *Vide*: ſexta, *Facilius*: ſeptima, *Septimum*: octava, *Nos a te*: nona, *Etſi opportunitatem*: decima, *Quo in diſcrimine*: undecima, *Magnae*: duodecima, *Omnia*: tertiadecima, *Menandrus*: quartadecima, *AEgypta*: quintadecima, *Spero*: ſextadecima, *Video*: decimaſeptima, *Sollicitat*; decimaoctava, *Exſpecto*: decimanona, *Ego vero*: vigeſima, *Quid igitur?* vigeſimaprima, *De Tirone*: vigeſimaſecunda, *Etſi mane*: vigeſimatertia, *Tu vero*: vigeſimaquarta, *Cum vehementer*: vigeſimaquinta, *Etſi juſta*: vigeſimaſexta, *Verberavi*: vigeſimaſeptima, *Mirificam*.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Suum Cicero Tironi deſiderium ſignificat. Cum enim e Cilicia proconſul ad urbem rediret, ſervum ſibi cariſſimum Tironem, cujus praecipue opera in litteris utebatur, aegrum Patris reliquit: ad eum ſaepe ex itinere teſtes amoris ac deſiderii ſui litteras miſit. L. Paullo, C. Marcello Coſſ.

M. T. C.

M. T. C. ET CICERO MEVS, ET FR. ET FRATRIS FIL. TIRONI S. P. D.

PAullo facilius putavi poſſe me ferre deſiderium tui, ſed plane non fero: & quanquam magni ad honorem noſtrum intereſt, quam primum ad urbem me venire, tamen peccaſſe mihi videor qui a te diſceſſerim. Sed quia tua voluntas ea videbatur eſſe, ut prorſus, niſi confirmato corpore, nolles navigare, approbavi tuum conſilium, neque nunc muto, ſi tu in eadem es ſententia. Sin autem poſtea quam cibum cepiſti, videris tibi poſſe me conſequi, tuum conſilium eſt. Marionem ad te eo miſi, ut aut tecum ad me quam primum veniret, aut, ſi tu morarere, ſtatim ad me rediret. Tu autem hoc tibi perſuade, ſi commodo valetudinis tuae fieri poſſit, nihil me malle quam te eſſe mecum. ſi autem intelliges opus eſſe, te Patris convaleſcendi cauſſa paullum commorari, nihil me malle quam te valere. Si ſtatim navigas, nos Leucade conſequere. ſin te confirmare vis, & comites & tempeſtates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. Vnum illud, mi Tiro, videto, ſi me amas, ne te Marionis adventus & hae litterae moveant. Quod valetudini tuae maxime conducet ſi feceris, maxime obtem-

HArum epiſtolarum ordinem, in omnibus libris perturbatum, nos, rationem & judicium virorum doctorum ſecuti, reſtituimus. *Lambin.* Ordo Epiſtolarum in hoc extremo libro valde perturbatus eſt. nos eum, quem Lambinus conſtruxit, ſecuti ſumus, non multum intereſſe exiſtimantes, quo loco hæc vel illa legatur. Vitiis bellum indiximus, ut ſuum nitorem Tullio reciperemus: velitari vero, quid priore, quid poſteriore acie collocandum ſit, cum tot editionibus animum nunquam induximus. *Gebhard.* Addeſis Var. Lect. libell.

M. T. C. ET CIC. MEVS ET FR.] Ex Cilicia redeuntes. *Corradus.*

TIRONI] Patris ægro relicto. *Idem.*

Adprobavi tuum conſilium; neque nunc muto] Nihil mutandum cenſeo: Peckio excerpta, *neque nunc nuto*, ſicut & prima editio. Palatinus tertius legit *mitto*. Gebhard.

Poſteaquam cibum cepiſti] Ex Medicorum præceptis, qui de cibo ægris dando multa ſcribunt, & inter ſe etiam diſſentiunt, ut ſcribit Celſus. *Corradus.*

Patris] *Patra* urbs Achaiæ nobilis, quæ portum habet commodum.

Leucade] *Leucas* urbs Acarnaniæ.

temperaris voluntati meae. Haec pro tuo ingenio conſidera. Nos ita te deſideramus ut amemus: amor ut valentem videamus hortatur deſiderium, ut quam primum. Illud igitur potius. Cura ergo potiſſimum ut valeas: De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratiſſimum. III Nonas Novembres.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Scribit de ſua ſollicitudine, ſuoque ad Alyziam acceſſu: rogat ut valetudinem diligenter curet.

TVLLIVS TIRONI SVO S.P.D.

NOn queo ad te nec lubet ſcribere quo animo ſim affectus: tantum ſcribo, & tibi & mihi maximae voluptati fore, ſi te firmum quam primum videro. Tertio die abs te ad Alyziam acceſſeramus. Is locus eſt citra Leucadem ſtadia CXX. Leucade aut te ipſum, aut tuas litteras a Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis tantum fac ut valeas, vel quantum te a me ſcis diligi. Nonis Novembr. Alyzia.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Rogat ut omni cura valetudini ſerviat.

TVLLIVS ET CICERO TIRONI SVO, ET Q. PATER, ET Q. FILIVS S.D.

NOs apud Alyſiam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati ſumus, quod Quintus nos conſecutus non erat. Is dies fuit Nonae Novembr. Inde ante lucem proficiſcentes, ante diem VIII Idus Novemb.

vemb. has litteras dedimus. Tu, ſi nos omnes amas, & praecipue me, magiſtrum tuum, confirma te. Ego valde ſuſpenſo animo exſpecto, primum te ſcilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. Omnes cupimus, ego in primis, quam primum te videre, ſed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris: ſatis quotidie videro, ſi valebis. Vtilitatibus tuis poſſum carere: te valere, tua cauſſa primum volo, tum mea, mi Tiro. Vale.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Tota cohortatio eſt ad curandam valetudinem.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S.

VArie ſum affectus tuis litteris, valde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane valeas, te neque navigationi, neque viae committas. ſatis te mature videro, ſi plane confirmatum videro. De medico & tu bene exiſtimari ſcribis, & ego ſic audio. ſed plane curationes ejus non probo. Ius enim dandum tibi non fuit, cum κακοστόμαχος eſſes: ſed tamen & ad illum ſcripſi accurate, & ad Lyſonem. Ad Curium vero, ſuaviſſimum hominem & ſummi officii ſummaeque humanitatis, multa ſcripſi: in his etiam, ut, ſi tibi videretur, te ad ſe transferret. Lyſo enim noſter

IVs enim tibi dandum non fuerat, cum κακοστόμαχος] Celſus quoque l. 11, cap. 24. inter ea quæ aliena ſtomacho ſunt juſulenta ponit. merito igitur culpavit Aſclaponem Medicum Cicero: ſi enim firmo ſtomacho juſulenta non conveniunt, quanto magis infirmum affectumque Tironis jus quod ei dederat, lædere potuit? κακοστόμαχον appellavit, qui ſtomacho laboraret. Idem Medicinæ candidiſſimus auctor, cum inquit, *at imbecillo ſtomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omneſque pene cupidi litterarum ſunt*, κακοστομάχους intellexit. *Victor.* *Jus dand. t. non f.*] Jus enim, ut docent medici, ſtomachum languidum reddit, præſertim ſi frequentius ſumatur. *Corrad.*

Quod

noſter vereor ne negligentior ſit: primum quia omnes Graeci, deinde, quod cum a me litteras accepiſſet mihi nullas remiſit. ſed cum tu laudas. Tu igitur quid faciendum ſit judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, ſumtui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus ſit. Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret. Medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior. Innumerabilia tua ſunt in me officia, domeſtica, forenſia, urbana, provincialia, in re privata, in publica, in ſtudiis, in litteris noſtris. Omnia viceris, ſi, ut ſpero, te validum videro. Ego puto te belliſſime, ſi recte erit, cum quaeſtore Meſcinio decurſurum. non inhumanus eſt, teque, ut mihi viſus eſt, diligit, & cum valetudini tuae diligentiſſime conſulueris, tum, mi Tiro, conſulito navigationi. Nulla in re jam te feſtinare volo. nihil laboro niſi ut ſalvus ſis. Sic habeto, mi Tiro, neminem eſſe qui me amet, quin idem te amet: & cum tua & mea maxime intereſt te valere, tum multis eſt curae. Adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe vis, nunquam te confirmare potuiſti. nunc te nihil impedit: omnia depone, corpori ſervi. quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri judicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale

Quod dixiſſet daret medico. ipſi puto aliquid dandum eſſe] Haec verba (niſi fallor) perperam diſtincta ſunt: &, ut arbitror, ita interpungi debent, *quod dixiſſet, daret. medico ipſi puto aliquid dandum eſſe.* ut certiorem faciat Cicero Tironem ſe ad Curium ſcripſiſſe, ut ei daret numeraretque pecuniam, quam dixiſſet ac popoſciſſet, ut illa ipſe in ſumptum uti poſſet. Admonet tamen Tironem, ut ante omnia medico ipſi partem aliquam illius pecuniae ſolvat, quo ſtudioſior ac diligentior ille ſit. neque enim veriſimile eſt, jubere Ciceronem mercedem aliquam Curio dari, qui civis Romanus erat & locuples homo, & Ciceronis in primis familiaris, quemadmodum ex epiſtolis ipſius intelligi poteſt, quae ſunt in libro ad Marium, nec non ex epiſtola Curii ad Ciceronem: quicquid enim ille pro ſalute & commodis Tironis faciebat, officii gratia faciebat & jure amicitiae, qua cum patrono ipſius arcte conjunctus erat. Hanc etiam ſuſpicionem confirmant verba illa, quae ſunt in tertia ab hac epiſtola, *Curio miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus eſſet: me cui juſſiſſet curaturum.* Oſtendunt enim voluiſſe Ciceronem in poteſtate Tironis nummos eſſe, quamvis ei mandet, quod praetermitti non potuit, ut medico ſtatim mercedem diſſolvat. *Victor.*

Meſcinio.] Epiſt. 20. lib. v. *Corradus.*

Lepta]

le & ſalve. Lepta tibi ſalutem dicit, & omnes. Vale. VII Idus Novembr. Leucade.

Lepta] Ep. 7 lib. III. *Corradus.*

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Rogat Tironem ut valetudinem curet.

TVLLIUS ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI HVMANISS. ET OPT. S.P.D.

VIde, quanta ſit in te ſuavitas. duas horas Thyrei fuimus. Xenomenes hoſpes tam te diligit quam ſi vixerit tecum. Is omnia pollicitus eſt quae tibi eſſent opus: facturum puto. Mihi placebat, ſi firmior eſſes, ut te Leucadem deportaret, ut ibi te plane confirmares. Videbis quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere, quem, cum meliuſcule tibi eſſet, ad me mitteres: ſed cogitavi, unas litteras Marionem afferre poſſe, me autem crebras exſpectare. Poteris igitur, & facies, ſi me diligis, ut quotidie ſit Acaſtus in portu: Multi erunt quibus recte litteras dare poſſis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem praetermittam. Ego omnem ſpem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil poteſt illo fieri humanius, nihil noſtri aman-

DUas horas Thyrei fuimus] Monet vir eruditus, (indicarunt alii, quorum verba fere pono) videamus an rectius *Thyreu*, legatur: cujus, ut Epiri inſulae, mentionem facit Strabo. Paullo poſt legunt Palatinus ſextus, Hittorpianus, *quaſi vixerit tecum:* ſed vulgatum defendit Catullus, *uter tam bene, quam mihi pararim:* imo potius illam, quam ex vet. cod. orae vulgatarum editionum impreſſerunt, *quam vixerit tecum.* mihi illa genuinam ac veterem elegantiam redolere videtur. *Gebbardus.*

Rectum eſt *Thyrei.* Thyreum enim oppidum eſt Acarnaniae Stephanus. *Ἔστι καὶ Ἀκαρνανίας Θύρειον διὰ τοῦ ι, ἐθνικὸν Θυρειεύς.* Meminit ejus Livius etiam lib. XXXVI.

Ut te Leucadem deportaret] Sic rectius ex Pall. Vaticani excerptis, editione prima, ac Victoriana. Hittorpianus tamen *adportaret.* vulgo *deportares.* Gebbard.

Curio] Ep. 29 lib. VII. *Corrad.*

Lyſoni] Ep. 19 lib. XIII. *Idem.*

Medico] Aſclaponi, ep. 20 lib. XIII. *Idem.*

amantius. ei te totum trade. Malo te paullo poſt valentem, quam ſtatim imbecillum videre. cura igitur nihil aliud niſi ut tu valeas: cetera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiſcens VII Idus Novembr.

EPISTOLA VI.

Argumentum.

Rogat, ne quid omittat, quod ad recuperandam valetudinem ſpectet.

M. TULLIUS CIC. PATER ET FIL. ET Q. Q. TIRONI S.D.

Tertiam ad te hanc epiſtolam ſcripſi eodem die, magis inſtituti mei tenendi cauſſa, quia nactus eram cui darem, quam quod haberem quid ſcriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiae. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratiſſimum omnium. cum valetudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem praetermitto. Cura, cura te, mi Tiro. quum non contigit ut ſimul navigares, nihil eſt quod feſtines: nec quidquam cures niſi ut valeas. Etiam atque etiam vale. VII Idus Novembr. Actio veſperi.

Tertiam] Prima fuit I hujus libri, ſecunda fuit 6 hujus libri. *Corrad.* Sed vide de hoc epiſt. ordine Var. Lect. lib. XVI, ep. 1.

Cura te mi Tiro] Nos auxilio vetuſtorum codicum bis *Cura* ſcripſimus, nota figura, & quæ oſtendat majore quodam affectu pronuntiata eſſe hæc verba. Quod veriſimile eſt cum tantum de ſalute Tironis ſollicitus eſſet. Ariſtoph. In Ranis non ſemel ſic locutus eſt, *πρᾶγμα πρᾶγμα γὰρ κεκίνηται μέγα ἐν τοῖς νεκροῖς, καὶ στάσις πολλὴ πάνυ.* Item,

Ἄρτι ἄρτι μέλαιναν παῖδ᾽ ἐξετέγξατε.

Sed tam frequens eſt apud poetas & oratores hæc figura, ut omnes ſciant vim quam habet, ejuſque elegantia capiantur. ſæpe tamen (quod incommode accidit) vitio librariorum deleta eſt: qui cum in exemplari eandem vocem repetitam viderent, mendum eſſe putantes, ſemel tantum ſcribebant. *Victorius.*

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Adverſis ventis Corcyrae ſe teneri ſignificat. Tironem hortatur ut ſe curet, nec niſi confirmatus naviget.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

SEptimum jam diem Corcyrae tenebamur, Quintus autem pater & filius Buthroti. Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum. nec mirabamur nihil a te litterarum. Iis enim ventis iſtinc navigatur, qui ſi eſſent, nos Corcyrae non ſederemus. Cura igitur te & confirma: & , cum commode, & per valetudinem & per anni tempus navigare poteris, ad nos amantiſſimos tui veni. Nemo nos amat qui te non diligat. carus omnibus exſpectatuſque venies. Cura ut valeas etiam atque etiam, Tiro noſter. Vale. xv Kalend. Novembr. Corcyra.

COrcyra tenebamur] Corcyra inſula maris Ionii, quæ nunc *Corfu*.

Tenebamur] Ego, filius, & reliqui familiares. Q. autem *frater*, ſive (utroque enim modo legitur) *pater*, & ejus filius, Buthroti tenebantur. *Corradus*.

Buthroti] *Buthrotum* Epiri urbs eſt.

xv *Kal. Nov.*] xv Kal. Decemb. legendum, nemo non videbit, qui epiſt. 9 hujus lib. leget, in qua a Tirone ad iv Non. Novemb. diſceſſiſſe oſtendit. *Corradus*. Videtur ſcribendum xvi. ſcribit enim in 9 hujus libri epiſtola, *Corcyra fuimus uſque ad* xvi *Kal. Decembris*. Urſin.

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Q. Cicero, quantae ſibi Tironis valetudo curae ſit, amantiſſimis verbis oſtendit.

Q. C. TIRONI S.

MAgnae nobis eſt ſollicitudini valetudo tua. nam, tametſi qui veniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant,

Q. CIC. TIR. S. *Magnae nobis &c.*] Nos ſecuti antiquorum codicum fidem, qui in hoc omnes conveniebant, hanc epiſtolam Q. Ciceronis

tiant, tamen in magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo, ſi diutius a nobis afuturus eſt is, cujus uſum & ſuavitatem deſiderando ſentimus. Attamen quanquam videre te tota cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longae navigationi, & viae per hiemem, niſi bene firmum committas, neve naviges niſi explorate. Vix in ipſis tectis & oppidis frigus infirma valetudine vitatur, nedum in mari & via ſit facile abeſſe ab injuria temporis.

ψύχος ᾖ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον,

inquit Euripides. Cui tu quantum credas neſcio. ego certe ſingulos ejus verſus ſingula ejus teſtimonia puto. Effice, ſi me diligis, ut valeas, & ut ad nos firmus ac valens quam primum venias. Ama nos, & vale. Q. F. tibi ſalutem dicit.

ceroni reſtituimus. nam etſi quaſdam conjecturas quæ id confirmarent adferre poſſemus, ſatis eſſe putavimus librorum vetuſtatem, teſtimonium, ut ſuum unicuique reddatur. Quod autem in cunctis impreſſis ante legebatur *Q. Frater tibi Sal. dic.* Nos cum iiſdem codicibus ſcripſimus, *Qu. F. tibi Sal. dic.* F. autem filium ſignificare non fratrem, nemo eſt qui neſciat. *Victor.* *T. CICERO*] Al. *Q. Cicero*: itaque legendum eſt. *Corradus.*

Λεπτῷ χρωτὶ] Optime Palat. prim. λεπτόχρωτι Heſychio eſt θρυψίχρως, qui exponit τρυφερός. Heſiodo vero ἁπαλόχροος, qui tenui ſive tenero eſt corpore, ac cute. Eadem ratione μελάγχρως apud Eurip. qui nigra eſt cute. *Grav.*

Q. Frater] *Q. F.* hoc eſt, *Quintus filius*, deſcribendum fuit. *Corradus.*

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Navigationis deſcriptio, & ad curandam valetudinem benevolentiae plena cohortatio.

M. T. ET C. ET Q. TIRONI S. P. D.

NOs a te, ut ſcis, diſceſſimus a. d. IV Non. Novemb. Leucadem venimus a. d. VIII Idus Novembr. a. d. VII Actium. ibi propter tempeſtatem ad VI Idus morati ſumus. Inde a. d. quintum Idus Corcyram belliſſime navigavimus. Corcyrae fuimus uſque ad XVI Kalend. Decembr. tempeſtatibus retenti. a. d. XV Kalend. Decembr. in

in portum Corcyraeorum ad Caſſiopen ſtadia CXX proceſſimus. Ibi retenti ventis ſumus uſque ad IX Kalendas. Interea, qui cupide profecti ſunt, multi naufragia fecerunt. Nos eo die coenati ſolvimus. Inde Auſtro leniſſimo, coelo ſereno, nocte illa & die poſtero in Italiam ad Hydruntem ludibundi pervenimus: eodemque vento poſtridie, id erat a. d. VII Kalend. Decembr. hora quarta Brundiſium venimus: eodemque tempore ſimul nobiſcum in oppidum introiit Terentia, quae te facit plurimi. A. d. V Kal. Decemb. ſervus Cn. Plancii Brundiſii tandem aliquando mihi a te exſpectatiſſimas litteras reddidit, datas Idib. Novembr. quae me moleſtia valde levarunt, utinam omnino liberaſſent. Sed tamen Aſclapo medicus plane confirmat, propediem te valentem fore. Nunc quid ego te horter, ut omnem diligentiam adhibeas ad convaleſcendum? Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me novi. ſcio te omnia

A *Portu Corcyraeorum ad Caſſiopen*] Vetuſta exemplaria *Caſſioden*. Nos erratum unius litteræ in illis eſſe exiſtimavimus, & *Caſſiopen* reſtituimus: de quo portu Strabo lib. I. *ἐν τούτῳ δ' ἐστὶ τῷ διαστήματι Πάνορμός τε λιμὴν μέγας ἐν μέσοις τοῖς Κεραυνίοις ὄρεσι· καὶ μετὰ ταῦτα Ὄγχησμος λιμὴν ἄλλος, καθ' ὃν τὰ δυσμικὰ ἄκρα τῆς Κερκυραίας ἀντίκειται· καὶ πάλιν ἄλλος Κασσιόπη, ἀφ' οὗ ἐπὶ Βρεντέσιον χίλιοι ἑπτακόσιοι στάδιοι, οἱ δ' ἴσοι ἐπὶ Τάραντα ἀπὸ ἄλλης ἀκρωτηρίας νοτιωτέρας τῆς Κασσιόπης, ὃ καλοῦσι Φαλακρόν.* Plinius etiam lib. IV, cap. 12. *Inſula autem ex adverſo Theſprotiae Corcyra, a Buthroto XII. m paſſ. eadem ab Acroceraunüs L. m. cum urbe ejuſdem nominis Corcyra libera civitatis & oppido Caſſiope temploque Caſſii Jovis, paſſ LXXXXVII. in longitudine patens.* Sed & A. Gellius in initio l. XXI. *Navigabamus a Caſſiope Brundiſium.* Victorius. *A portu Corcyraeorum ad*] Al. *in portum Corcyraeorum, & ad.* Corrad. *Caſſiopen*] Ita nunc quoque vocant. *Idem.* *Ad Caſſopen* legendum ex Plinio lib. IV. extant etiam numiſmata vetera ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. Urſin. Utrumque recte dicitur *Caſſiope* & *Caſſope*. Sed omnes exarati manu codices, quos vidi, meus ſecundus, Mentel. Amſtelod. & præter hos Hittorp. Pal. ſex. ſcribunt *in portum*. quam lectionem cur ſpreverint editores non video. Nam in Epiro vicina Corcyræi portum habuerunt ad oppidum Caſſiopen, qui & *Caſſiope* dictus eſt, quem deſcripſit Strabo, & memorat Ptolem. & Ulpian. lib. XIV Pandect. *Ut ecce ſunt naves quæ Brunduſium a Caſſiopa, vel a Dyrrachio vectores trajiciunt.* Ex illo enim trajiciebant in Italiam. *Grav.*

Ad Hydruntem] *Hydrus*, ſeu Hydruntum, hodie *Otranto*. eſt Calabriæ oppidum Brunduſio diſtans centum quinquaginta ſtadia, Strabone teſte.

Nunc quid ego te horter?] Elegantiſſime & rectiſſime ſic reſtituo ex Vaticani excerptis ac Victorii editione, ſimulque interpungo. Nec multum me deſtituunt Palatini, duabus litteris peccantes, *nunc quidem ego te horter.* [ſic & Amſtelod.] Vulgo, *nunc equidem ego te hortor.* Gebhard.

omnia facturum ut nobiſcum quam primum ſis. ſed tamen ita velim ut ne quid properes. Symphoniam Lyſonis velim vitaſſes, ne in quartam hebdomada incideres. Sed, quum pudori tuo maluiſti obſequi, quam valetudini, reliqua cura. Curio miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus eſſet: me cui juſſiſſet curaturum. Equum & mulum Brundiſii tibi reliqui. Romae vereor ne ex Kal. Ian. magni tumultus ſint. Nos agemus omnia modice. Reliquum eſt ut te hoc rogem & a te petam, ne temere naviges. Solent nautae feſtinare quaeſtus ſui cauſſa. Cautus ſis, mi Tiro. Mare magnum & difficile tibi reſtat. Si poteris, cum Meſcinio. caute is ſolet navigare. ſi minus, cum honeſto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. In hoc omnem diligentiam ſi adhibueris, teque nobis incolumem

Symphoniam Lyſonis] Concentum omnes interpretantur: ſed alii ad convivium, alii ad venam referunt, quaſi venam Lyſo Tironi tetigiſſet. Nos tantum dicimus, in duobus veteribus libris aliter legi: in altero quidem *Symponiam*, ut forte ſcribi poſſit *συμπονεῖν*. in altero autem, *ſeu quam viam*. ut omnino ad quendam potius laborem, quam ad voluptatem accommodandum videatur. *Corradus.*

In quartam hebdomadam] Medici eos dies, quos *κρισίμους* vocant, in hebdomadas contrahunt, quarum hic *quartam* dici potius arbitror, quam quod quidam putarunt, unam ex illis duodecim hebdomadibus, quibus in libris Hetruſcis fatalem hominis ætatem deſcribi Varro commemorat. qua in re Cœlius Calcagninus, Ferrariæ decus atque adeo Italiæ, a me non diſſentiebat. *Idem.* Recte de diebus *κρισίμοις* ægrotorum intelligit, quæ hebdomadibus deſcribebantur apud Græcos Medicos. Cenſorinus de Die natali, cap. XI. *Hippocrates quoque, aliique medici in corporum valetudinibus non aliud oſtendunt. Namque ſeptimum quemque diem κρίσιμον obſervant.* Idem. cap. 14. *Ut in morbis dies ſeptimi ſuſpecti ſunt ac κρίσιμοι dicuntur, ita per omnem vitam ſeptimum quemque annum periculoſum, & velut κρίσιμον eſſe & κλιμακτηρικὸν vocari.* Gell. III, cap. 10. *Diſcrimina etiam periculorum in morbis majore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero ſeptenario: eoſque dies omnium maxime, ita ut medici appellant, κριτικὰς ἢ κρισίμους, cuique videri primam hebdomadam & ſecundam & tertiam.* Videtur igitur Lyſo invitaſſe Tironem ad audiendam ſymphoniam, ſed ea defatigatus, deterius ſe habuit, ut hinc Cicero vereretur ne in quartam hebdomadem ejus morbus incurreret & protraheretur. *Gravius.*

Ut medico honos haberetur] Recte Manutius de pecunia intelligit. Cæſar II de Bello civili: *quibuſdam civitatibus habitu honoribus Tarracone diſcedit.* hoc eſt, præmiis diſtributis. Curtius lib. IX, 1. *Rex copiarum duces corona & mille aureis ſingulos donat: ceteris quoque pro portione aut gradus, quem in amicitia obtinebant, aut navata opera honos habitus eſt.* Græv.

Me, cui juſſiſſet, curaturum] Romæ tantum pecuniæ, quantum mihi expenſum tuliſſet. *Corrad.*

Magni tumultus] Cæſaris cauſſa. *Idem.*

Tem-

lumem praeſtiteris, omnia a te habebo. Etiam atque etiam noſter Tiro vale. Medico, Curio, Lyſoni de te ſcripſi diligentiſſime. Vale, ſalve.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Narrat, quam Tironi periculoſum ſit, poſt morbum in viam ſe dare: & ejus operam in ſtudiis exigit.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

EGo vero cupio te ad me venire, ſed viam timeo. graviſſime aegrotaſti, inedia & purgationibus, & vi ipſius morbi conſumtus es. Graves ſolent offenſiones eſſe ex gravibus morbis, ſi quae culpa commiſſa eſt. Iam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ad III Kalend. eſſe volo. Ibi te ut firmum oſtendam, mi Tiro, effice. Litterulae meae, ſive noſtrae, tui deſiderio oblanguerunt. Hac tamen epiſtola, quam Acaſtus attulit, oculos paullum ſuſtulerunt. Pompeius erat apud me cum haec ſcribebam. Hilare & libenter ei cupienti audire noſtra dixi, ſine te omnia mea muta eſſe. Tu Muſis noſtris para ut operas reddas. noſtra ad diem dictam fient. Docui enim te, fides

POmpeius erat apud me] Niſi *Pomponius* legatur, hæc epiſtola ante quam in Ciliciam Cicero proficiſceretur, ſcripta fuerit neceſſe eſt. nam a Cic. reditu ex Cilicia ad Pompeii diſceſſum ex Italia, nec Tiro in Italia fuit, nec Pompeius animo ita tranquillo, ut Ciceronis ſcripta audire cupierit: vel certe alius Pompeius ſignificabitur. *Corrad.*

Noſtra ad diem dictam fient] Modus loquendi ſumptus a Græcis, illi enim ἐς ῥητὴν ἡμέραν. Utuntur eo ſæpe Romanarum rerum Græci ſcriptores, Plutarchus, Dion, Appianus. Terentius, *Ad præſtitutam diem*, inquit: quemadmodum etiam ſæpe Cicero, qui *ad præfinitam* quoque dixit. Plutarch. in Cæſare, ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ῥητῇ, μὴ καταθῶνται τὰ ὅπλα. Appianus in Libycis, de Scipione, qui primus Africanus eſt appellatus, Σικελῶν δ' αὖ τριακοσίους καταγράψας εὐδαίμονας, ἐκέλευσεν ἥκειν ἐς ἡμέραν ῥητήν. Dion lib. XLVII. de Dolabella poſt Trebonii cædem, καὶ τοῖς τε συνοῦσιν οἱ ῥητὴν ἡμέραν ἐς ἔκλειψιν τῆς φιλίας αὐτοῦ προεῖπον. Et militibus certam diem præfinierunt, intra quam illis fraudi non eſſet, ſi a Dolabella diſceſſiſſent. *Victorius.* *N. a. d. d. fient*] Al. *a. d. d. fiant*; ut quaſi ex his oſtendat quod ἔτυμον *fides* habeat, quæ dicta ſit quod *fiant* dicta. *Corrad.*

fides ἔτυμον quod haberet. Fac plane ut valeas. nos ad ſummum. Vale. XIIII Kal.

Ἔτυμον] Ἐτυμολογίαν, hoc eſt, notationem. ſic enim Cicero mavult quam veriloquium transferre. *Corradus.*

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Rogat ut praeter valetudinem nihil curet: addit de ſuo ad urbem adventu, de ſtatu reip. civilibus diſcordiis perturbato, de triumpho, de praefectura Campana. Lentulo, Marcello Coſs.

M.T. ET C.TERENTIA ET TVLLIA, Q.FRATER ET Q.F. TIRONI S.P.D.

ETſi opportunitatem operae tuae omnibus locis deſidero, tamen non tam mea quam tua cauſſa doleo te non valere. Sed quum in quartanam converſa vis eſt morbi, ſic enim ſcribit Curius, ſpero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modo fac, id quod humanitatis tuae eſt, ne quid aliud cures hoc tempore, niſi ut quam commodiſſime convaleſcas. Non ignoro, quantum ex deſiderio labores, ſed erunt omnia facilia ſi valebis. feſtinare te nolo, ne nauſeae moleſtiam ſuſcipias aeger & periculoſe hieme naviges. Ego ad urbem acceſſi pridie Nonas Ianuar. obviam mihi ſic eſt proditum ut nihil poſſit fieri ornatius. Sed incidi in ipſam flammam civilis diſcordiae vel potius belli: cui cum cuperem mederi, &, ut arbitror, poſſem, cupiditates certorum hominum, nam ex utraque parte ſunt qui pugnare

UT *nihil poſſit fieri ornatius*] Hæc eſt Pall. Vaticani, [ut & Amſtelod.] editionis Victorianæ ipſiſſima atque optima lectio. nec longe abit impreſſio prima, *ut nihil fieri potuerit ornatius.* at Hittorpianus, *ut nihil fieri poſſit ordinatius.* vulgatum eſt, *ut nihil f. potuerit honoratius.* Paullo poſt ex Pall. Hittorpiano, Peckio excerptis, editione prima ac Victoriana ſcripſi, *omnino ex hac quoque parte diligentiſſime comparatur:* cum alias editum fuerit, *ducem omnino. Ex hac quoque parte diligentiſſime bellum comparatur.* Gebhard.

Civilis diſcordiae] Inter Cæſarem & Pompeium. *Corradus.*

gnare cupiant, impedimento mihi fuerunt omnino. & ipſe Caeſar, amicus noſter, minaces ad ſenatum & acerbas litteras miſerat. & erat adhuc impudens, qui exercitum & provinciam invito ſenatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noſter, & Q. Caſſius, nulla vi expulſi, ad Caeſarem cum Curione profecti erant. Poſtea quam ſenatus conſulibus, praetoribus, tribunis pl. & nobis, qui proconſules ſumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid reſp. detrimenti caperet, nunquam majore in periculo civitas fuit, nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte diligentiſſime comparatur. Id fit auctoritate & ſtudio Pompeii noſtri, qui Caeſarem ſero coepit timere. Nobis inter has turbas ſenatus tamen frequens flagitavit triumphum: ſed Len-

Cæſar amicus noſter] Ep. 9. lib. 1. *Corradus.*

Minaces ad ſenatum] Ut omnes ab exercitibus diſcederent: quod niſi fieret, ſe dignitatem ſuam armis defenſurum minabatur. *Idem.*

Curio meus] C. Curio, qui ſuperiore anno Trib. pleb. fuerat. *Idem.*

Antonius quidem] M. Antonius Tribun. pleb. *Idem.*

Noſter] Epiſtola 5 lib. XI. *Idem.*

Q. Caſſius] Q. Caſſius Trib. pl. *Idem.*

Nulla vi expulſi] Expulſos tamen alii ſcribunt. *Idem.*

Poſteaquam ſenatus, conſulibus, prætoribus, tribunis plebis & nobis, qui proconſules ſumus] Præſidio hujus loci emendatur alter in Oratione pro Deiotaro rege: qui cum eandem ſententiam haberet, negligentia librariorum corruptus fuerat, vel potius vitio veteris illius ſcripturæ aliquantulum perturbatus: *Cum audiſſet ſenatus conſentientis auctoritate arma ſumpta, Coſſ. Præt. Tribb. nobis imperatoribus remp. defendendam datam:* ita enim legendum eſt, non *novis* ut nunc in omnibus impreſſis mendoſe legitur. Notum autem jam omnibus eſt, veteres librarios nullo pene diſcrimine illis litteris uſos eſſe, quæ etiam ſcriptura in lapidibus antiquis reperitur: Erat enim tunc Cicero cum imperio, & habebat faſces laureatos, quare & illum, & reliquos omnes qui cum imperio eſſent, voluit Senatus providere publicæ ſaluti. In II Philip. *Tum contra te dedit arma hic ordo Coſſ. reliquisſque imperiis & poteſtatibus.* Cæſar etiam in primo comment. cum de hoc SC. loqueretur, inquit: *Dent operam Coſſ. Præt. Trib. pleb. quique cum imperio ſunt ad urbem, nequid reſp. detrimenti capiat.* Romæ de hac animadverſione cum eruditis viris locuti ſumus. *Victor.* *Nobis q. proconſ. ſ.*] Vetus liber habet, *nobis qui pro conſulibus ad urbem ſumus.* Urſinus. *Proconſ. ſumus*] Nondum urbem ingreſſi, epiſt. 6 lib. VIII. *Corrad.*

Diligentiſſime comparatur] Sic optime viri doctiſſimi ex vett. codd. reſtituerunt hunc locum. Veteres enim abſolute *comparare*, intellecto ex proximis quid comparetur, amant uti. Liv. XXXVIII, 12. *Attalum igitur fratrem ejus arceſſit a Pergamo, hortatusque ad capeſſendum ſecum bellum, pollicetur ſuam ſuorumque operam, domum ad comparandum dimittit.* vide ibi Not. Gronov.

Lentulus conſul, quo majus ſuum beneficium faceret, ſimul atque expediſſet quae eſſent neceſſaria de rep. dixit ſe relaturum. Nos agimus nihil cupide, eoque eſt noſtra pluris auctoritas. Italiae regiones deſcriptae ſunt, quam quiſque partem tueretur. Nos Capuam ſumſimus. Haec te ſcire volui. Tu etiam atque etiam cura ut valeas, litteraſque ad me mittas, quotieſcunque habebis cui des. Etiam atque etiam vale. D. pridie Idus Ian.

Lentulus Conſul] L. Lentulus Cruſcellus Coſ. cum C. Claudio Marcello. *Corrad.*

Deſcripta ſunt] Hoc eſt, diviſæ. Sic alibi dixit, *deſcribere civitatibus vectigalia.*

Nos Capuam ſumſimus] Sic ad Atticum, *Vult me Pompeius eſſe, quem tota haec Campania, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & negotii ſumma referatur.* Corradus.

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Deplorat ſtatum reip. & initia bellorum civilium exponit, tum ſuam in Tironem benevolentiam ſignificat.

M.T.C. TIRONI SUO S.P.D.

QUo in diſcrimine verſetur ſalus mea, & bonorum omnium, atque univerſae reipub. ex eo ſcire potes, quod domos noſtras, & patriam ipſam, vel diripiendam vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta eſt, ut, niſi qui deus, vel caſus aliquis ſubvenerit, ſalvi eſſe nequeamus. Equidem ut veni ad urbem, non deſtiti omnia & ſentire & dicere & facere quae ad concordiam pertinerent: ſed mirus invaſerat furor non ſolum improbis, ſed

SEd *mirus invaſerat furor non ſolum improbos*] Nos hic vulgatam receptamque lectionem non mutavimus, priſca tamen exemplaria ab ea diſſentiunt: quorum lectionem a recentioribus Grammaticis repudiatam fuiſſe, obidque hinc deletam exiſtimo. Non ſum autem illam ego contra hos reſtituere auſus: nec tamen committere volui ut hujus locutionis exemplum e Latina lingua extinguatur, ſi forte doctioribus probaretur. Quare rectum me facere putavi, ſi hic eam adnotaſſem. Scias igitur optime lector *improbis*

ſed etiam his qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil eſſe bello civili miſerius. Itaque cum Caeſar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis atque honorum ſuorum, Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium occupaviſſet, Vrbem reliquimus: quam ſapienter, aut quam fortiter, nihil attinet diſputare. Quo quidem in caſu ſimus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in Hiſpaniam: dilectus qui ſunt habiti, & prae-

his tertio multitudinis caſu in illis legi. Quod quia non facile credas librariorum negligentia accidiſſe: quod ſequitur, eadem ratione in illis legitur, *si [illegible]tiam his*, non *hos* accuſandi caſu, ut in reliquis libris. Vix autem veriſimile eſt imperitos librarios temere in ambobus locis lapſos. Nos tam novam, & noſtris auribus inauditam ſtructuram verborum recipere & probare auſi non ſumus: nec tamen culpam mereri nobis videmur, quod hanc rem, quantulacunque eſt, admonere non piguit. Quicquid de hoc ſtatuent elegantiores & eruditiores viri, nos libenter ſequemur. *Victorius.* *Idem in poſterioribus:* Admonuimus olim Mediceum codicem, & alium item bonum *improbis* habere, tertio multitudinis caſu: & paullo poſt eadem ratione *his*. nec tamen tanti mihi fuit auctoritas illorum ut ita ſcriberem, quamvis non ſine cauſſa id factum eſſe exiſtimarim: animadvertimus poſtea optimos auctores ita locutos eſſe. quare veterem omnino lectionem recipiendam cenſemus. Citatur teſtimonium Accii Meleagro, a Nonio Marcello in Vaſtities, *Quae vaſtitudo haec, aut unde invaſit mihi?* Item Terentii Varronis e IV libro de vita populi Rom. 1413. *Tanta porro invaſit cupiditas honorum pleriſque, ut vel caelum ruere, dummodo magiſtratus adipiſcantur, exoptent.* Aliis etiam in locis apud eundem, niſi memoria me decipit, veteres ſcriptores ita locuti eſſe reperiuntur, & (ut arbitror) exempla paſſim occurrerent, niſi omnia quae contra certas quaſdam ipſorum regulas facerent, a recentioribus grammaticis temere deleta eſſent. *Invaſerat -- improbis -- his*] *Invado* enim, & incedo, verba, tertio quoque caſui veteres jungebant. *Corrad.* *Non ſolum improbis, ſed etiam iis qui*] Secutus ſum codicum manuſcr. auctoritatem: qui omnes fere ſic habent: atque ita edidit P. Victorius. Vulgati autem ſic, *non ſolum improbos, ſed etiam eos*, &c. *Lambin.* *Improbis*, & *iis* firmant Palatini, Amſtelodam. Mentel. Graevianus. *Sed. mir. invaſ. fur. non ſol. improbis, ſed et. his*] Haec quoque eſt Palatt. codicum lectio, quam Victorius indicavit; tum etiam editionis primae: ut flagellanda merito veniat aliorum temeritas, intrudentium caſum accuſandi pro tertio. nam excudebatur, *ſed miſtus invaſerat furor non ſolum improbos, ſed etiam hos.* Timiditas tamen hic Victorii mihi non placet, rectius Lambinus, qui fidenter eam admiſit, ſicut & Manutius. *Gebhardus.*

Ariminum] Oppidum Umbriae perantiquum maritimum, hodie *Rimini.*

Piſaurum] Et hoc oppidum Umbriae maritimum, hodie *Peſaro.*

Anconam] Picentium urbs, quae antiquum nomen retinet.

Arretium] Etruriae urbs, colonia & municipium, hodie *Arezzo.*

Eat in Hiſpaniam] Provinciam ſuam. *Proficiſcatur*, inquit Caeſar, *Pompeius in ſuas provincias, ipſi exercitus dimittantur, diſcedant in Italia omnes ab armis, metus e civitate tollatur, libera comitia, atque omnis*

praeſidia noſtra dimittantur: ſe ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Conſidio Noniano, his enim obtigerunt, traditurum: ad conſulatus petitionem ſe venturum, neque ſe jam velle, abſente ſe, rationem haberi ſui: ſe praeſentem trinum nundinum petiturum. Accepimus conditiones: ſed ita, ut removeat praeſidia ex his locis quae occupavit, ut ſine metu de iis ipſis conditionibus Romae ſenatus haberi poſſit. Id ille ſi fecerit, ſpes eſt pacis non honeſtae. leges enim imponuntur. ſed quidvis eſt melius, quam ſic eſſe ut ſumus. Sin autem ille ſuis conditionibus ſtare noluerit, bellum paratum eſt: ejuſmodi tamen quod ſuſtinere ille non poſſit, praeſertim cum a ſuis conditionibus ipſe fugerit: tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem poſſit accedere: quod ſperabamus fieri poſſe. Dilectus enim magnos habebamus, putabamuſque illum metuere, ſi ad urbem ire coepiſſet, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimiciſſimas, praeter Tranſpadanos: ex Hiſpaniaque ſex legiones, & magna auxilia, Afranio & Petreio ducibus, habet a tergo. Videtur, ſi inſaniet, poſſe opprimi, modo ut urbe ſalva. Maximam autem plagam accepit, quod is qui ſummam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, ſocius ſceleris eſſe noluit: reliquit illum, & nobiſcum eſt: multique idem facturi eſſe dicuntur. Ego adhuc orae maritimae praeſum a Formiis. Nullum majus negotium ſuſci-

omnis Reſpub. S. P. Q. R. permittatur. Corradus.

Domitio] L. Domitio Ænobarbo. *Idem.*

Conſidio Noniano] Opinor deſignari *C. Conſidium Nonianum*, qui in argenteo denario deſcriptus eſt. *Urſin.*

Ad conſulatus] Secundi. *Corradus.*

Trinundinum peteret] Al. *trinum nundinum.* mos enim fuit candidatis, in comitium nundinis venire, & in colle conſiſtere, unde coram poſſent ab univerſis videri, ut trinundino in ſuffragiis gratiores eſſent. *Idem.*

Ut removeat praeſidia] Hæc conditio Cæſari viſa eſt iniqua, ob idque repudiata. *Idem.*

Leges enim imponuntur] Quod uni Favonio non placebat. *Idem.*

Tranſpadanos] Præſertim Novocomenſes, quos Cæſar non multo ante colonos deduxerat. *Idem.*

T. Labienus] Ep. 14 lib. xiv. *Idem.*

Reliquit illum] Cæſarem. *Idem.*

Ora maritima] Epiſt. ſuperiore. *Idem.*

A Formiis] *Formia* Auruncorum oppidum maritimum in Latio, hodie *Mola.*

A. Var-

ſuſcipere volui, quo plus apud illum meae litterae cohortationeſque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum, video me caſtris & certis legionibus praefuturum. Habeo etiam illam moleſtiam, quod Dolabella noſter apud Caeſarem eſt. Haec tibi nota eſſe volui: quae cave ne te perturbent, & impediant valetudinem tuam. Ego A. Varroni, quem cum amantiſſimum mei cognovi, tum etiam valde tui ſtudioſum, diligentiſſime te commendavi, ut & valetudinis tuae rationem haberet & navigationis, & totum te ſuſciperet ac tueretur: quem omnia facturum confido. recepit enim & mecum locutus eſt ſuaviſſime. Tu, quum eo tempore mecum eſſe non potuiſti, quo ego maxime operam & fidelitatem deſideravi tuam, cave feſtines, aut committas ut aut aeger, aut hieme naviges. Nunquam ſero te veniſſe putabo, ſi ſalvus veneris. Adhuc neminem videram, qui te poſtea vidiſſet quam M. Voluſius, a quo tuas litteras accepi: quod non mirabar. neque enim meas puto ad te litteras tanta hieme perferri. Sed da operam ut valeas: &, ſi valebis, cum recte navigari poterit, tum naviges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia & Tullia Romae. Cura ut valeas. IV Kalendas Febr. Capua.

A. Varroni] Is eſt quem ſcribit Caeſar libro tertio de Bello civili, ad colloquium pro Pompeianis venturum fuiſſe, niſi a Labieno res impedita fuiſſet. *Corrad.*

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Cohortatio ad valetudinem curandam.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

OMnia a te data mihi putabo, ſi te valentem videro. ſumma cura exſpectabam adventum Menandri, quem ad te miſeram. Cura, ſi me diligis, ut valeas, &, cum te bene confirmaris, ad nos venias. Vale. IV Idus April.

EPI-

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Tirone aegrotante, litterarum ſuavitate & fructu ſe carere dicit, eumque rogat ut omnem curam ad convaleſcendum adhibeat.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

ANdricus poſtridie ad me venit quam exſpectaram. Itaque habui noctem plenam timoris ac miſeriae. Tuis litteris nihilo ſum factus certior quomodo te haberes: ſed tamen

ANdricus] Al. *Menandrus*, ut in praeced. epiſtola. *Corradus.*

Itaque habui noctem plenam timoribus ac miſeriis] Sic omnes vulgati libri tam magno conſenſu, ut noſter etiam communem culpam ſuſtineat. ut verum enim fateamur, parum in hoc ipſo vidimus. Quod tamen tunc peccati cum aliis admiſimus, nunc omnino rejecimus, auctoreſque uniquique ſumus, ut noſter etiam liber caſtigetur, cum antiquiſque concordare cogatur, qui rectam lectionem retinent: ſic enim legunt, *Itaque habui noctem plenam timoris: ac miſerius, tuis litteris nihilo ſum factus certior*, &c. Ut meo judicio ſic prorſus legi, & intelligi debeat, duo accidiſſe quae maxime Ciceronem cruciarint, unum, Andricum poſtridie veniſſe quam expectarat, ut ſollicitus de valetudine Tironis, multaque quae nollet cogitans, noctem quae interceſſit inter diem illum quo expectabat, & illum quo venit, plenam timoris habuerit. Alterum quod (*miſerius*) appellat, in litteris Tironis, quas Andricus attulit, non ſcriptum fuiſſe quomodo ſe haberet, ſe tamen recreatum dicit. Cognovit enim & adventu Andrici, & ipſius litteris illum vivere: quare majorem illum metum depulit, quem mora Andrici attulerat de morte ipſius: magnum tamen ei dolorem adportavit poſt ſollicitudinem quam ea nocte habuerat, non eſſe accurate a Tirone certiorem factum quomodo ſe haberet. Quod ipſe miſeriam quandam ſuam & infelicitatem putat. Nolumus hic amplius communem lectionem damnare, ne noſtrum judicium una condemnemus, qui primo tam contaminatam, & foedam ſcripturam non animadvertimus: verae tantum & incorruptae collatio, quam beneficio priſcorum codicum nunc promulgamus, ſatis valet ad illam convincendam in hac ipſa epiſtola. *Victor.* *Plenam timoris: ac miſerius, tuis litteris nihilo ſum*, &c.] Sic edidit P. Victorius: quorum verborum negare non poſſum ſententiam facilem eſſe ac planam: *miſerius* enim tantundem fere valet quantum, Quod miſerius eſt. Sed non videtur tamen codicum Memm. ſcriptura eſſe repudianda, *plenam timoris ac miſeriis. Tuis litteris*, &c. *Lambin.* *Habui noctem plenam timoris ac miſeriae*] Secutus hic ſum codicem Hittorpianum, qui fere obnoxium habet Palatinum ſextum: in illo enim, ſicut & ex Memmianis libris adnotat Lambinus, *plenam timoris ac miſeriis.* Victorii lectio mihi valde coacta videtur, *itaque habui noctem plenam timoris: ac miſerius, tuis litteris:* & revera eſt interpolatitia ex illa, quam attuli de Palatino ſexto. editum eſt, *plenam timoribus ac miſeriis.* Porro pro

nihilo

tamen ſum recreatus. Ego omni delectatione litteriſque omnibus careo, quas, ante quam te videro, attingere non poſſum. Medico mercedis quantum poſcet promitti jubeto. id ſcripſi ad Vmmium. Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex ſomno tuas litteras, humanitatemque, propter quam mihi es cariſſimus. nunc opus eſt te animo valere, ut corpore poſſis. Id cum tua, tum mea cauſſa facias, a te peto. Acaſtum retine, quo commodius tibi miniſtretur. Conſerva te mihi. dies promiſſorum adeſt. quem etiam repraeſentabo, ſi adveneris. Etiam atque etiam vale. IV Idus horâ VI.

nihilo Hittorpianus codex, *nullo modo.* Gebhardus.

Scripſi ad Vmmium] Antiqui codices *Vmmium* habent, ubi vulgati *Mummium.* quod nomen noſtri librarii corruperunt, quare corrigatur. Ne autem hoc nomen quia rarum eſt, amplius ut novum repudietur, adſcribemus epiraphium quod Piſis in antiquo lapide vidimus: in quo valde ſimile huic & quaſi ab eo derivatum nomen legitur:

D. M.
VMMIDIAE CALE
FELICIO PATER
CALE MATER
MYRTILVS TATA
ET EROS CONIVX
FECER.
VIX. A. XVI. M. VIII. DIEB. VIII.

Victor.

Dies promiſſorum adeſt] Manumiſſionis. ſic enim ex epiſt. 16 hujus lib. judicamus. *Corradus.*

Id. Apr.] Al. *id. h.* III. hoc eſt, Id. hora tertia: ut interpretor. al. *Id. Jun.* Idem.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Suam de Tironis valetudine ſollicitudinem ſignificat.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

AEGypta ad me venit pridie Idus Apriles. Is etſi mihi nuntiavit, te plane febri carere & belle habere, tamen, quod negavit te potuiſſe ad me ſcribere, curam mihi attulit, & eo magis quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili ſum ſollicitudine de tua valetudine, qua ſi me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura ſcriberem, ſi jam putarem libenter te legere poſſe.

poſſe. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibique conſervandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta jam epiſtola, Hermia venit. Accepi tuam epiſtolam vacillantibus litterulis: nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te AEgyptam miſi, quod nec inhumanus eſt, & te viſus eſt mihi diligere, ut is tecum eſſet: & cum eo cocum, quo utere. Vale.

EPISTOLA XVI.

ARGUMENTUM.

Q. Cicero Marco fratri de Tirone manumiſſo & gratias agit, & gratulatur. Haec epiſtola aut eodem tempore quo ea quae incipit, Quid igitur? *aut paullo poſt, vel ante videtur eſſe ſcripta; cum utraque Tironem paullo ante manumiſſum ſignificet.*

Q. C. M. CICERONI FRATRI S. P. D.

DE Tirone, mi Marce, ita te meumque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratiſſimum feciſti, cum eum indignum illa fortuna, ac nobis amicum quam ſervum eſſe maluiſti. Mihi crede, tuis & illius litteris perlectis, exſilui gaudio. tibi & ago gratias & gratulor. Si enim mihi Statii fidelitas eſt tantae voluptati, quanti eſſe in iſto haec eadem bona debent, additis litteris, ſermonibus, humanitate, quae ſunt his ipſis commodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de cauſſis, verum etiam propter hanc, vel quod mihi ſic, ut debuiſti, nuntiaſti. Te totum in litteris vidi. Sabini pueris & promiſi omnia, & faciam.

CUm eum indignum illa fortuna, ac nobis amicum*] Al. *fortuna, hac nobis.* Corrad. Omnino aut ſic legendum eſt, aut *ac* cum Manutio delendum.

Statii fidelitas] Liberti mei: in epiſtolis tamen ad ipſum Q. fratrem ſemper ſcribitur, *Stathius.* Corradus.

In iſto] Tirone. *Idem.*

EPI-

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Reprehendit, modeſte tamen, Tironem, quia ſcripſerat, Valetudini fideliter inſerviendo: *eumque rogat ut omnino valetudini ſerviat.*

M. T. C. TIRONI S. P. D.

Video quid agas. tuas quoque epiſtolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui κανών eſſe meorum ſcriptorum ſoles, unde illud tam ἄκυρον, *valetudini fideliter inſerviendo?* Vnde in iſtum locum *fideliter* venit? cui verbo domicilium eſt proprium in officio, migrationes in alienum multae. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici poteſt, ut ſit, quomodo Theophraſtro placet, verecunda tralatio. Sed haec coram. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu ἀφωμίλησα· ſatis ſcis. tu eum videlicet non potuiſti videre: cras aderit: videbis igitur. Nam ego hinc perendie mane cogito. Valetudo tua me valde ſollicitat: ſed inſervi, & fac omnia: tum te mecum eſſe, tum mihi cumulatiſſime ſatisfacere putato. Cuſpio quod operam dediſti, mihi gratum eſt. Valde enim ejus cauſſa volo. Vale.

D*emetrius*] Libertus. *Corradus.*
Quo quidem comitatu ἀφωμίλησα, ſatis ſcis] Locus obſcurus, & fortaſſe depravatus: nullam in priſcis exemplaribus varietatem inveni: nam quod paullo ante dixit, *doctrinam fidelem* non incommode dici poſſe, & eſſe tranſlationem quae ferri poſſit. ipſe ea uſus eſt, cum de Oratore inquit, *& habeat qui docere fideliter poſſit.* Victor. *Quo quidem comitatu ἀφωμίλησα*] Locus eſt obſcurus & ſuſpectus. ego nihil varietatis in libris veteribus reperi. Licet dicere, hanc eſſe ſententiam, Ego me ab hoc comitatu abſtraxi ac removi, neque cum eo congreſſus aut collocutus ſum. *Lambinus.*
Cuſpio] Ep. 6 lib. XIII. *Corrad.*

EPISTOLA XVIII.

Argvmentvm.

Cum epiſtolam ſuam Cicero, poſt manumiſſum Tironem, inſcripſiſſet hoc modo: M. Tullius Cicero M. Tullio Tironi; *veritus invidiam Tiro, non ſic inſcribendum, ſed ut ante manumiſſionem, reſpondit. Cicero non eſſe mutandam inſcriptionem contendit, quin etiam addendum,* ſuo: *quod majoris etiam eſſet benevolentiae ſignum. Tironi melius eſſe factum, gratulatur: eumque rogat ut valetudini prorſus indulgeat, & alia quoque breviter attingit.*

TVLLIVS TIRONI S. P. D.

QVid igitur? non ſic oportet? Equidem cenſeo ſic, addendum etiam, ſuo. ſed, ſi placet, invidia vitetur, quam quidem ego ſaepe contemſi. Tibi διαφόρησιν gaudeo profuiſſe. ſi vero etiam Tuſculanum, dii boni, quanto

NOn ſic oportet] Inſcribere tam familiariter meas litteras ad te? *Corradus.*

Equidem cenſeo ſic] Inſcribi oportere. *Idem.*

Addendum etiam, ſuo] Ut inſcribam, Tironi ſuo. *Idem.*

Invidia vitetur] Quæ tibi ex ea re fortaſſe apud reliquos familiares naſci videtur. *Idem.*

Tibi διαφώνησιν gaudeo profuiſſe] Hæc eſt vetus & ſincera lectio *tibi διαφόρησιν*, &c. Quid ſit διαφόρησις docet Galenus lib. XIV. Therapeutices, cap. de Jecoris inflammatione, his verbis, Τανῦν χρῶνται γὰρ ἡ μὲν ἀπὸ τῆς φλεγμονῆς ἔνδειξις τῆς ποιητέον ἐστὶ μία· καλοῦσι δ' αὐτὴν διαφόρησιν ἐκκενοῦσαν λόγῳ θεωρητῷ πόρους τὸν ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ χυμόν. Latini *digeſtionem* aut *evaporationem* dixerunt. hujuſcemodi res non meum eſt hic longius declarare: ſunt enim medicorum vocabula, & ad eorum artem pertinet ea accuratius explicare. Satis mihi fuit priſcam lectionem notam facere, & quam ea huic loco conveniat, oſtendere. *Victor.* διαφόρησιν] Digeſtionem: alii migrationem interpretantur, ſcil. ex urbe in Tuſculanum. Alii legunt, διαφώνησιν, declamationem, quæ etiam ſtomacho prodeſt. *Corradus.* Habent ἀναφώνησιν nonnulli codices veteres. quam lectionem ſi probabimus, vocis contentionem & exercitationem intelligemus Tironi profuiſſe. *Lambin.*

Sed

quanto mihi illud erit amabilius! Sed, ſi me amas, quod quidem aut facis, aut perbelle ſimulas, quod tamen in modum procedit: ſed ut eſt, indulge valetudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deſervis, ſerviſti non ſatis. ea quid poſtulet non ignoras: πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τρῖψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. Fac bellus revertare. non modo te, ſed etiam Tuſculanum noſtrum plus amem. Parhedrum excita ut hortum ipſe conducat: ſic olitorem ipſum commovebis. Helico nequiſſimus HS CIↃ

Sed ut eſt indulge valetudini tuae] Sic Amſtelodam. Mentel. Graev. ſec. & omnes veteres libri. Male Lambinus & Gebhardus *ut ut eſt*, quod & Manutius malebat. *Ut* ſaepe in eodem *ſenſu* ponitur, pro *ut ut*, quomodocunque. Terent. Phorm. v, 4.

Laetus ſum, ut meae res ſe ſe habent, fratri obtigiſſe quod vult.

hoc eſt, quomodocunque meae res ſe ſe habent. Plaut. in Poenulo iv, 2.

——— *qui habet, quod det, ut homo eſt,*

Omnia genera recipiuntur.

Sic MSS. Senec. ep. 19. *Ut ſe res habet ab Epicuro verſura facienda eſt.* Gronovius Obſerv. iii, c. 6. ubi vide plura.

Ἀλυπίαν] Nos emendavimus ἀκοπίαν, adjuti ab antiquis exemplaribus: quid enim ἀλυπία poteſt ad bonam valetudinem? quae vacuitas eſt doloris. nam quod ſanitatem adjuvat laetitia animi delectatioque, paullo poſt addit, πέψιν dicendo. ἀκοπία autem, id eſt, vitatio immodicarum defatigationum, neceſſaria eſt ei qui ſanitatem tueri vult. κόποι enim, id eſt, nimiae defatigationes, febrim gignunt: ut recte ἀκοπίαν poſuerit inter ea quae bonam valetudinem conſervant. Simplic. in Commentariis in Phyſicam Ariſtotelis: Τῷ γὰρ ἰσχύος χάριν γυμναζομένῳ πλείω καὶ διὰ κόπων πυρέξαντι, ἀπροαίρετον μὲν τὸ πυρέξαι ἐκ τύχης μέν τοι. εἴωθε γὰρ ἐπὶ τῶν πλείστων τῶν ἀσυμμέτρων γυμνασίων κόπος ἐπιγίνεσθαι, ἐπὶ δὲ τούτῳ πυρετός. ſed tam frequens eſt hoc verbum apud medicos & alios etiam bonos auctores, ut nihil notius ſit. Remedia etiam quaedam medici quae defatigationes has ex nimiis laboribus ortas levent, ἄκοπα appellant. *Victorius.* Hoc loco quidam legunt non ἀλυπίαν, ſed ἀκοπίαν, quietem quandam a magnis laboribus. *Corradus.*

Τρῖψιν, εὐλυσίαν, &c.] Sic habent iidem libri, non, ut vulgati πέψιν. quod probo. τρῖψις autem, id eſt frictio. *Lambin.* Sed praeſtat πέψιν.

Ut hortum ipſe conducat] Eo tempore hortos quoſdam Cicero emere cupiebat, ut in epiſtolis ad Atticum ſaepe ſcribit. *Corrad.*

Helico nequiſſimus ſeſtertia ducenta dabat, &c.] Vetuſti libri ſic habent *Helico nequiſſimus* HS ∞ *dabat.* Noſter tamen hic pro nota qua veteres mille ſignificabant, M habet, cum nondum typi illi, qui a nobis renovati ſunt, fabricati eſſent: aliis autem locis ſemper ubi M habebant vulgati codices, ∞ in cunctis priſcis exemplaribus a nobis inventam notam repoſuimus: neque ſolum in his vidimus epiſtolarum antiquis libris hoc ſemper ſervatum eſſe, ſed etiam in Livianis quibuſdam vetuſtiſſimis exemplaribus quae in D. Marci bibliotheca ſervantur: quod idem & M. Varronis in eadem bibliotheca mirae antiquitatis codex retinet, & Columellae non negligenter ſcriptus a Nicolao Nicolo liber, quem olim Politianus viderat & laudat. Sed quid opus eſt haec tam accurate vel ambitioſe potius teſtimo-

HS CIↃ dabat nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa. Iſte nos tanta impenſa derideat? calface hominem, ut ego Mothonem: itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etſi nunc quidem etiam nimium

nia colligere? nullos unquam vidi antiquiores codices, qui non ſemper loco millenarii numeri hanc notam retinerent. Non debuimus igitur licet omiſſam & obſoletam rem contemnere: cum noſtrum totum ſtudium fuerit ad priſcam & genuinam ſcripturam hos libros reducere. Nec enim caſtigare aut emendare receptos Ciceronis codices voluimus: ſed ope priſcorum exemplariorum importunas & ineptas quorundam audaciorum caſtigationes ejicere & delere: ſecuti conſilium Timonis Philaſii, qui, Diogene Laertio auctore, ab Arato interrogatus quomodo ſincerum, & integrum Homeri poema ſibi parare poſſet, reſpondiſſe fertur, Si antiqua ejus exemplaria ſibi propoſuiſſet, non quæ ab aliquo caſtigata jam eſſent. Cenſuit ille optimi judicii vir, quo magis tractati eſſent & caſtigati antiqui auctores, eo magis contaminatos inquinatoſque eſſe: jam tum enim vigebat hæc peſtis, quæ noſtris temporibus adeo pervagata eſt, ut omnes meliores libros fœdis maculis deturpatos habeamus. Eandem igitur notam renovavimus, ut quantum a nobis fieri potuit, vetuſtatem illam & integritatem, quam ſummo noſtro labore deprehendimus, exprimeremus. Quomodo autem hæc nota conflata fuit, quia ſcimus eruditos quoſdam viros in hoc multum laboraſſe, nec tamen rem, ut erat, invenire potuiſſe, ex Priſciano docebimus, qui in libello de ponderibus & menſuris id aperit, his verbis, *Mille ſecundum Atticos per χ litteram, ſed ut ſit differentia, ad x circumſcriptu lateribus* (x). quod infra etiam tangit. Quam ſimile autem haberent Latini ſuum x (qua littera decem ſignificant) χ Græcæ litteræ, declaratur maxime, quia id quod Græci χιάζειν ab hac littera formato verbo appellant, id ipſi a ſua itidem littera *decuſſare* dicunt. Licet igitur hac ætate omnes mille numerum prima ejus nominis littera deſcribant, cum tamen antiquos potius hac nota uſos & antiqua omnia exemplaria, & non contemnendus Grammaticus doceant: non debuimus eorum libros aliter, quam ipſis viſum ſit deſcribere. nam qui in ſuis libris morem uſumque noſtri temporis potius ſequetur, nunquam a nobis reprehendetur, quemadmodum nos culpa digna non ſumus, ſi antiquos auctores antiqua conſuetudine, & quæ uſque ad hæc fere tempora duravit, ſcribimus. nam in multis etiam non ita antiquis iiſdem notis hi numeri deſignati ſunt. modeſtiores enim librarii tunc erant, & non omnia, quæ aliquem ſcrupulum habebant rejiciebant, quod poſteriores nimis audacter fecerunt. Quod autem olim hanc notam non perciperent, intemperanter temereque aliquis pro ipſa, ducenta ſcripſit: quod erratum in omnes codices invaſit. *Victorius.*

Aprico horto] Apricus hortus eſt tepido ac leni, non torrentiſſimo Soli expoſitus. *Aprici colles*, qui Orienti Soli obverſi ſunt Ovidio. *Apricas terras* poeta ſimpliciter oppoſuit frigidioribus Cl. Salmaſ. exercitat. Plin. p. 990, ubi vide plura.

Ut ego Mothonem] His temporibus hortos ab Othone empturus erat Cicero, ut, niſi velimus hunc ſignificari, & *M. Othonem* legamus, neſciam prorſus, quid ſit hominis. *Corrad.*

De Crabra] In Oratione ult. contra Rullum: *Ego Tuſculanu pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: Si a Sulla mihi datum eſſ*

Rulli

mium eſt aquae, tamen velim ſcire. Horologium mittam, & libros, ſi erit ſudum. Sed tu nulloſne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. A. Ligurius, Caeſaris familiaris, mortuus eſt, bonus homo, & nobis amicus. Te quando exſpectemus fac ut ſciam. Cura te diligenter. Vale.

Rulli lege non penderem. Quamvis in impreſſis mendoſe *Crebra.* Frontinus quoque ſæpe hujus aquæ mentionem facit.

Bonus homo] Obſervatum eſt a ſtudioſis Ciceronis, raro ab eo dictum eſſe *bonus homo*, ſemper fere *bonus vir.* Itaque legendum hic fortaſſe eſt, *bellus homo.* Ego tamen nihil muto. *Lambinus.*

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

De litteris, de Demetrio, de Aufidiano nomine.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

EXſpecto tuas litteras de multis rebus: te ipſum multo magis. Demetrium redde noſtrum, & aliud, ſi quid poteſt boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor. ſcio tibi curae eſſe: ſed confice. Et, ſi ob eam rem moraris, accipio cauſſam: ſi id te non tenet, advola. Litteras tuas valde exſpecto. Vale.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

De valetudine curanda, de libris componendis, de olitore, de reditu Tironis.

M. T. C. TIRONI S. P. D.

SOllicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo: ſed confido, ſi diligentiam, quam inſtituiſti, adhibueris, cito te firmum fore. Libros compone, indicem cum Metrodoro lubebit, quando ejus arbitratu vivendum eſt. cum olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis ſpectare gladiatores, poſtridie redire, & ita cenſeo. verum, ut videbitur. Cura te, ſi me amas, diligenter. Vale.

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Propenſionem animi ad virtutem, ſtudiumque ſuum Cicero filius ſignificat: de praedio empto gratulatur. ſcripta videtur vel Antonio & Dolabella Coss. vel etiam ſuperiore anno, Fabio & Trebonio. nam aliquanto ante conſules Antonium & Dolabellam profectum eſſe Athenas, Ciceronis filium, ex epiſt. 51 lib. XII *ad Attic. epiſt. 24 lib.* XIII *ad eundem intelligitur.*

C. FIL. TIRONI SVO DVLCISS. S. P. D.

CVm vehementer tabellarios exſpectarem quotidie, aliquando venerunt poſt diem XL & VI. quam a vobis diſceſſerant; quorum mihi fuit adventus adoptatiſſimus.

Q*Vorum mihi fuit adventus adoptatiſſimus*] Sic habet Palatinus prim. ſec. ſextus, [Amſtelodam.] Vaticani excerpta, editio Victorii: quod licet puſillum, tamen indicandum fuit, eo quod Hittorpianus, *exoptatiſſimus*. editiones

mus. Nam cum maximam cepiſſem laetitiam ex humaniſſimi & cariſſimi patris epiſtola, tum vero jucundiſſimae tuae litterae cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non poenitebat intercapedinem ſcribendi feciſſe: ſed potius laetabar. fructum enim magnum humanitatis tuae capiebam ex ſilentio mearum litterarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam ſine dubitatione accepiſſe excuſationem. Gratos tibi optatoſque eſſe, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulciſſime Tiro: praeſtaboque & enitar, ut in dies magis magiſque haec naſcens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorem fore exiſtimationis meae, firmo id conſtantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata aetatis meae, ut non ſolum animus a factis, ſed aures quoque a commemoratione abhorreant. Cujus te ſollicitudinis & doloris participem fuiſſe, notum exploratumque eſt mihi; nec id mirum. Nam cum omnia mea cauſſa velles mihi ſucceſſa, tum etiam tua. ſocium enim te meorum commodorum ſemper eſſe volui. Quod igitur tum ex me doluiſti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, praeſtabo. Cratippo me ſcito non ut diſcipulum, ſed ut filium, eſſe conjunctiſſimum. nam cum & audio illum libenter, tum etiam propriam ejus ſuavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctiſque ſaepenumero partem. exoro enim ut mecum quam ſaepiſſime coenet. Hac introducta conſuetudine, ſaepe in-

tiones aliæ, *adventus optatiſſimus.* ſtatim idem & Pal. ſextus, *nam cum maximam cepiſſem lætitiam; & humaniſſimi & cariſſimi patris epiſtolam.* Et iterum paullo poſt, *Itaque etiam non pœnitebat.* Gebhardus.

Nam cum omnia mea cauſſa velles, tum etiam tua] Duas has voces, *mihi ſucceſſa*, quæ fuerant interjectæ, delevi. Erant enim ſupervacaneæ, & ſolœciſmum gignebant. Ita enim Latini loquuntur, Omnia tua cauſſa volo: neque addunt hæc, *mihi ſucceſſa*. Lambinus. *Velles mihi ſucceſſa* pro *ſucceſſiſſe*. Sic *ſol occaſus* eſt qui occidit, in legibus XII Tabb. *homo ventus* & *adventus*, qui advenit, apud Terent. & Sall. *G. Scioppius.*

Cratippo] Epiſt. 16 lib. XII. *Corradus.*

inſcientibus nobis & coenantibus obrepit, ſublataque ſeveritate philoſophiae, humaniſſime nobiſcum jocatur. Quare da operam ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quam primum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore a me patior diſcedere: cujus cum frugi ſeveraque eſt vita, tum etiam jucundiſſima convictio. non eſt enim ſejunctus jocus a philologia, & quotidiana συζήτησις. Huic ego locum in proximo conduxi. &, ut poſſum, ex meis anguſtiis illius ſuſtento tenuitatem. Praeterea declamitare

De Bruttio] Alii legunt, *de Bruto.* & intelligunt de M. Bruto, qui interfecto Cæſare ſe Athenas contulit, & paullo poſt ſecum in Macedoniam ipſum Cic. Ciceronis F. duxit, ep. 14 lib. XII. *Corradus.* Sed MSS. & Victor. edit. *de Bruttio.* quod & Manutio probatur, quem vide ad hunc locum.

Tum etiam jucundiſſima convictio] Elegans hæc lectio debetur Mediceo, ut adnotat Egnatius, uſurpavitque ut genuinam Victorius in editione ſua; poſt eaque in ſuam tranſmovit Lambinus. confirmatur jam mihi de excerptis Vaticani. Alias plebeie eſt, *jucundiſſima conjunctio.* & cur non a *convivere*, *convictio?* Gebhardus.

Non eſt enim ſejunctus jocus] Sic recte Amſtelod. & editiones priſcæ. P. Victorius & Gebhardus ex quibuſdam libris ſuppoſuerunt, *non eſt enim ſejunctus locus,* quos hic ſequi nos vetat ſententia hujus loci. Dicit enim, ſeveram quidem eſſe vitam Bruttii, conſuetudinem tamen ſuaviſſimam, præcipue inter cœnandum. Philologicis enim illis quæſtionibus, & quotidianis diſquiſitionibus, quibus cœnas ſuas condiant, adſpergi ab eo jucundos jocos. Peek. codex pro *Philologia* ſcribit *Philoſophia*, quod ſi muniretur antiquiorum librorum auctoritate, non improbem. Sed vero ſimilius tamen eſt ſuper cœnam non in tetricis & ſpinoſis diſputationibus philoſophicis, ſed potius philologicis amœnitatibus illos eſſe verſatos, pro more doctorum ætatis priſcæ: ſicut convivales quæſtiones Plutarchi, & Athenæi convivantes ſapientes argumento ſunt. Hinc vulgata lectio non eſt ſollicitanda. *Jocus* vero mutari in membranis priſcis ſæpe in *locus* oſtendunt etiam Phædri verſus in Præfat. libri II.

Quicunque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non auctoris nomine.

Narrandi locus ſane nec aurem capit, nec re commendatur. legendum eſt ut puer fere vidi,

Quicunque fuerit ergo narrantis jocus.

Quemcunque ego jocum his libris admiſcuero, dummodo oblectet audientes, & corrigat errores hominum, dum ridendo verum dicit, non magni fit, quod ſive a me, ſive ab Æſopo aut alio inſigni viro ſit prolatus, ſed quod ſit feſtivus, urbanus & juxta ſalutaris. Nec enim frigidi ſi qui iis exciderunt, magnorum virorum joci probantur, quod Ciceronem noſtrum expertum eſſe nemo paullo humanior ignorat. *Grævius.*

Locum in proximo conduxi] Hoc eſt, ſive ædem, ſive cubiculum, in quo habitet. Sæpe *locus* eſt diverſorium, hoſpitium, ut in illa ſollemni locutione, *locus lautiaque legatis præbita*, quæ ſæpe apud Livium legitur.

Caſſium

re Graece apud Caſſium inſtitui, Latine autem apud Bruttium exerceri volo. Vtor familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos ſecum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatiſſimis. Multum etiam mecum eſt Epicrates, princeps Athenienſium, & Leonides, & horum ceteri ſimiles. τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς τάδε. De Gorgia autem quod mihi ſcribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: ſed omnia poſtpoſui, dummodo praeceptis patris parerem. Διαῤῥήδην enim ſcripſerat, ut eum dimitterem ſtatim. tergiverſari nolui, ne mea nimia σπουδὴ ſuſpicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi ſuccurrebat grave eſſe, me de judicio patris judicare. Tuum tamen ſtudium & conſilium gratum acceptumque eſt mihi. Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio. ſcio enim quam ſoleas eſſe occupatus. Emiſſe te praedium vehementer gaudeo, feliciterque tibi rem iſtam evenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari noli mirari. eodem enim fere loco tu quoque emiſſe te feciſti me certiorem. Habes deponendae ubi ſunt urba-

Caſſium] C. Caſſium, qui & ipſe illo venerat. *Corrad.* Male. vide Manutii notam de Bruttio.

Mitylenis] *Mitylena* Lesbi oppidum nobiliſſimum & amœniſſimum.

De Gorgia] Leontino, cujus libros hic Cicero filius legebat: vel *Gorgia* rhetore aliquo, qui tunc viveret. *Corradus.*

Ne mea nimia σπουδὴ ſuſpicionem ei aliquam importaret] Guilielmius ex veteri libro notat *ſuſceptionem*, ſed revera leg. *ſuſpectionem.* quæ vox & ſuperius occurrit. *Gorgias* autem hic erat Rhetor, ut notat ad primam impreſſionem Egnatius, quem Cicero ſummovit a contubernio convictuque filii; cauſſatus, quod adoleſcentes pelliceret ad voluptates & vinum, teſte Plutarcho in Cicerone. *Gebhard.*

Hoc loco me tibi gratulari] *Hoc loco* Epiſtolæ. *Corradus.* *Hoc loco*, eſt, hac parte epiſtolæ meæ, quum gratulationibus tribuere primas fere epiſtolarum partes ſoleamus. Cicero ipſe ad Cœlium: *Primum tibi, ut debeo, gratulor.* Cœlius ad Ciceronem: *Gratulor tibi affinitate viri medius fidius optimi.* Cicero ad Appium: *Gratulor tibi primum, ſic enim ordo rerum poſtulat, deinde ad me convertar.* Et ad Balbum: *Gratulor tibi mi Balbe, vereque gratulor.* Bern. Rutil.

Habes: deponenda tibi ſunt urbanitates] Sinceriſſima lectio hæc a Lambini libris eſt: quam quoque deprendi in Pall. Vaticani exceiptis, & editione prima. Victorius edidit, *habes ubi ſunt deponenda urbanitates.* Vulgo vero, *habes ubi deponenda tibi ſint urbanitates.* Gebhardus. *Ubi* deſideratur etiam in Amſtelodam. Mentel. & meo ſecundo; ſed

urbanitates. ruſticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum jucundiſſimum conſpectum propono; videor enim videre ementem te ruſticas res, cum villico loquentem, in lacinia ſervantem ex menſa ſecunda ſemina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuiſſe aeque ac tu doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te ſublevaturus ſim, ſi modo fortuna me: praeſertim cum ſciam, communem nobis emtum eſſe iſtum fundum. De mandatis quod tibi curae fuit eſt mihi gratum. Sed peto a te ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus: multum mihi enim eripitur operae

ſed a deſcriptoribus in *tibi* mutatum eſt, & inde non ſuo loco repetitum, quod & Victorius vidit. Reſcripſi igitur: *habes deponenda ubi ſunt urbanitates.* Grævius.

Ruſticus Romanus] Honeſtum nomen eſt plebei ordinis: quia vera Romuli proles agreſtibus operibus exercebatur, & ruſticam plebem præponebat urbanæ, quum proceres civitatis in agris morarentur, & ubi conſilium publicum deſiderabatur, e villis arceſſebantur in ſenatum, unde qui eos evocabant, *viatores* nominati. Cic. pro Sextio in Optimatium, hoc eſt, qui conſilia ſua optimo cuique probari vellent, ſecta collocat *municipales ruſticoſque Romanos.* Id. de Senectute: *Poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos, vicinos & familiares meos.* Lib. I de Divin. *Exin cuidam ruſtico Romano dormienti viſus eſt venire qui diceret, præſultorem ſibi non placuiſſe ludis.* Tib. Atinium *de plebe hominem* appellat Livius. *Gronovius.*

Cum villico loquentem] Quod in priſcis aliis monimentis adnotavi, in Mediceo hic obſervatum eſt, *Vilico* ſcribi conſuetudinem fuiſſe per unum *l*, tantum, quod quamvis omnino non magni momenti ſit, tamen quia admirabile eſt, cum a *villa* deducatur, præterire nolui. libri M. Varronis de re Ruſtica pleni ſunt hujus nominis, nuſquam autem non ſic ſcriptum in perantiquo illo, qui eſt in divi Marci bibliotheca, inveni. In Pandectis Florentinis quoties hoc nomen eſt, toties ita ſcriptum eſt. Romæ etiam v[illegible]re in lapide ita ſcriptum eſt *Decimo vilico.* Rei parvæ doctiſſimum & optimum virum teſtem dabimus, Ludovicum Fabrum Panenſem, qui cum hoc adnotavi præſens aderat: utebar enim judicio illius ſumme officioſi hominis, in hujuſcemodi rebus, quarum ille peritiſſimus eſt, perſcrutandis. Sed ajunt etiam Capuæ in ſacello Divi Benedicti hanc inſcriptionem inveniri,

EVTYCHVS VILICVS
A. PLVMBO EVAGOGVS
A. F L A M.
FECERVNT SIBI ET SVIS.

Victor.

In lacinia] In veſtis ſinu. *Corrad.*

Ex ſecunda menſa] Ex pomis. *Idem*

Semina] Quæ poſtea in tuo fundo ſeras. *Idem.*

Multum enim mihi eripitur opera] Legendum cenſeo *deripitur*, quod valet, detrahitur. *Lambinus.* Nihil hic contra omnem librorum conſenſum eſt mutandum. *Opera* hoc loco eſt tempus, ut apud Plautum Trucul. IV, 4, 30.

Numquid vis? Di. fac valeas. opera ubi mihi erit, ad te venero.

Gell. I, 17. *Nunc mihi opera non eſt: cum otium*

operae in exſcribendis hypomnematis. Tu velim in primis cures ut valeas, ut una συμφιλολογεῖν poſſimus. Antherum tibi commendo. Vale.

otium erit reviſes ad me, atque diſces. de hac notione alia notavit exempla Johannes Schultingius, vir inſignis, quem rei litterariæ & mihi, erat enim inter nos ſumma animorum & voluntatis conjunctio, præceps fatum eripuit, in notis ad 1 Senec. Suaſor. *Gravius.*

Antherum tibi commendo] Delenda aſpirationis nota ex nomine *Antherum*. F. Urſin.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

Prima pars epiſtolae Tironem hortatur ad curandam valetudinem, reliquae variis de rebus agunt. Scripta eſt Tirone iterum aegrotante: cum in agris Cicero, in urbe Tiro eſſet: quantum ex ipſa licet epiſtola conjicere.

TVLLIVS TIRONI S. P. D.

SPero ex tuis litteris tibi melius eſſe: cupio certe. Cui quidem rei omni ratione cura ut inſervias: & cave ſuſpiceris, contra meam voluntatem te facere quod non ſis mecum. mecum es, ſi te curas. Quare malo te valetudini tuae ſervire, quam meis oculis & auribus. Etſi enim & audio te & video libenter: tamen hoc multo erit, ſi valebis, jucundius. Ego hic ceſſo, quia ipſe nihil ſcribo: lego autem libentiſſime. Tu iſtic, ſi quid librarii mea manu non intelligent, monſtrabis. Vna omnino interpoſitio difficilior eſt, quam ne ipſe quidem facile legere ſoleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura ut facis. Ter-

T*VLLIVS TIRONI*] Videtur ſcribendum *M. Tironi*, quia manumiſſus Tiro a Cicerone, Marci patroni prænomen libertus aſſumpſit. *F. Urſin.*

De quadrimo Catone] Sic omnes & anti-

Tertia aderit, modo ne Publius rogatus ſit. Demetrius iſte nun-

antiqui & impreſſi codices habent. Aliquos tamen ſcimus *de qua primo Catone* emendaſſe : parva omnino licentia, unius ſcil. tantum litteræ converſione, ut eum ſuperiore ſermone conjunctum ſit hoc membrum : de qua omnino interpoſitione primo Catone diximus, ſeu aliquid tale intelligentes. ſed quia nunquam ſcimus illum ſic appellaſſe librum de ſenectute, ſed ſemper Catonem majorem : ideo receptam lectionem commovere auſi non ſumus : Quia tamen res non omnino contemnenda viſa eſt, noluimus præterire, quin lectorem admoneremus, præſertim cum ſit locus obſcuriſſimus, & noſtro etiam judicio non vacuus mendo. *Victor.* *De quadrimo Catone*] Hæc eſt illa interpoſitio: & Catonem Uticenſem ſignificat, cujus laudationem ipſe Cicero ſcripſit, quam Cæſar ſæpiſſime legendo ſe dicebat copioſiorem factum, quamvis Anticatones conſcripſiſſet. Al. tamen hic legunt, *de qua primo Catone.* Nonnulli vero etiam viri docti ita legunt, *de qua primo caveto.* Corrad. *Una omnino interpoſitio difficilior eſt quam ne ipſe quidem facile legere ſoleo de quadrimo Catone*] Faernus nullum his verbis ineſſe mendum exiſtimabat, ſed ex Plutarchi auctoritate ita locum explicabat, ut ad Catonis factum referret, cum in domo M. Druſi avunculi Trib. pl. Latinis petentibus civitatem, & ſe præcipitem illum daturos joco minantibus, quadrimus conſtantiſſime negavit. quod Ciceronem in laudibus Catonis non prætermiſiſſe veriſimile eſt in eo libro, qui Cato minor inſcriptus fuit; ſed quia aut totam rem, aut aliquam partem interpoſuiſſet litteris minutulis, id eſſe, quod ſcriberet, ne a ſe quidem facile legi poſſe. Quadrimum vero fuiſſe tunc Catonem, cum egit ea quæ Plutarchus ſcribit, colligere poſſumus ex ea ætate, qua mortuum Catonem Hiſtorici tradunt, & ex Druſi Tribunatus anno : Plutarchus quidem anno ætatis duodequinquageſimo obiiſſe Catonem ſcribit, Appianus pæne quinquageſimo, & Florus XLIX. Dion annum non refert ætatis, ſed mortis tempus rejicit in conſulatum C. Cæſaris tertium, & M. Lepidi, hoc eſt, ſi Faſtos Capitolinos ſequimur, annum Urbis DCCVII. Druſi Tribunatus fuit anno proximo ante bellum Marſicum L. Marcio Philippo, Sex. Julio Cæſare Coſ. ann. DCLX. ut in eiſdem Faſtis eſt; quibus accedit Ciceronis auctoritas in lib. II. de Legibus, Aſcon. in Corneliana, & Val. Max. lib. IX. Itaque ſi fingamus natum Catonem ann. Urbis DCCVII. quinquennium explebit die natali an. DCLXII. & quinquageſimum annum die natali DCCVII. ſi mors fuit ante diem natalem ejus anni, erat annorum XLIX. ſi ante diem natalem ea geſſit quæ Plutarchus refert in Druſi Trib. pleb. domo, quadrimus Cato ea geſſit. Quod ſi fingamus natum ann. Urb. DLIIX. facilius dicemus in Tribunatu avunculi quadrimum fuiſſe, ſive ageret quartum annum, ſive excederet aliquot menſibus. mors vero incidet in XLIIX. exactum, & pæne quinquageſimum inchoatum. qua ratione Florus & Appianus cum Plutarcho conſentient. ſed & initium Tribunatus fuit ante Idus Decembris an. DCLXI. in quo veriſimile eſt hæc tum Catonem egiſſe, licet id Plutarchus non ſcribat. *F. Urſin.* *De quadr. Cat.*] Extat in Palatino primo, tertio, & editione antiquiſſima, *de qua primo Catone.* unde alii cum Manutio legunt, *de quo primo caveto.* Alii, *de primo Catone.* nos in hoc obſcuriſſimo loco nihil adferre adjumenti poſſumus. Palatinus ſextus videtur præferre *de quadrimo Catone* Gebhardus.

Tertia] Fœmina, vel potius penſio. *Corrad.* Sed vid. Manut.

Publius] Non Clodius, ut quidam putant, ſed alius quiſpiam, cui Cicero ſeſtertios debere in epiſtolis ad Atticum ſæpe teſtatur. *Corrad.*

Phalo-

nunquam omnino Phalereus fuit, ſed nunc plane Bilienus eſt. Itaque te do vicarium. tu eum obſervabis. Etſi, verumtamen, de illis: noſti cetera. Sed tamen, ſiquem cum eo ſermonem habueris, ſcribes ad me, ut mihi naſcatur epiſtolae argumentum, & ut tuas quam longiſſimas litteras legam. Cura, mi Tiro, ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Phalereus] Similis Demetrio Phalereo. *Corrad.*

Bilienus] Al. *Belianus*, ut epiſt. 15 lib. VIII. *Idem.*

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Hortatur ut profeſſionem conficiat, ſcribitque ſibi eſſe in animo amicitiam Antonii conſervare.

TVLLIVS TIRONI SVO S. P. D.

TV vero confice profeſſionem, ſi potes. etſi haec pecunia ex eo genere eſt, ut profeſſione non egeat. Verumtamen. Balbus ad me ſcripſit, tanta ſe epiphora oppreſſum, ut loqui non poſſit, Antonius de lege quid egerit. liceat modo ruſticari. Ad Bithynicum ſcripſi. De Servilio tu videris, qui ſenectutem non contemnis. Etſi Atticus noſter, quia quondam me commoveri πανικοῖς intel-

VErumtamen] Scilicet *confice*. Corr.

Epiphora] Oculorum morbo. *Id.*

Ut loqui non poſſit, Anton. de l. q. egerit. liceat m. r.] Jocatur Cic. nam qui ab oculis laborat, non impeditur quo minus loqui poſſit. Balbus vero Cornelius vir erat rectus, & ut Caeſarianus Antonium amabat, ob idque quid Antonius egiſſet de lege, quam poſt Caeſaris mortem fixerat, loqui nolebat. *Idem.*

Liceat modo ruſticari] Quando in urbe cum dignitate per Antonium eſſe non licet. *Idem.*

Bithynicum] Ep. 16 lib. VI. *Idem.*

Non contemnis] Ut ego jam contemno. *Idem.*

Commoveri πανικοῖς] *Panica* vocantur, ut arbitror, a Graecis repentini quidam terrores & conſternationes quales utique lymphatici metus, uſque adeo irrevocabiles, ut non ratione modo, ſed mente etiam careant. Quo item verbo Cicero idem utitur in epiſtola

intellexit, idem ſemper putat, nec videt, quibus praeſidiis philoſophiae ſeptus ſim : & hercle, quod timidus ipſe eſt, θορυβοποιεῖ. Ego tamen Antonii inveteratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere ſane volo, ſcribamque ad eum, ſed non ante quam te videro : nec tamen te avoco a ſyngrapha, γόνυ κνήμης. Cras exſpecto Leptam. etenim ad cujus rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt. Vale.

ſtola ad Atticum lib. v. *Scis enim*, inquit, *quadam πανικὰ* dici. Facit item Higinius de Panico terrore mentionem, quo loco de Capricorno, his verbis: *Hic enim dicitur, cum Jupiter Titanas oppugnaret, primus objeciſſe hoſtibus terrorem, qui panicos dicitur, ut ait Eratoſthenes, quam fabulam & Germanicus innuit, in Arateo commentario*. Euripides in Medea ſic ait:

> Καί τις γεραιὰ προσπόλων, δόξασά τε
> Ἠ Πανὸς ὀργὰς, ἤ τινος θεῶν μολεῖν,
> Ἀνωλόλυξε.

Panos autem vocat *iras* Euripides, ſic uti eſt apud antiquiſſimum ipſius interpretem, τὰ πανικὰ δείματα, panicos terrores, ὅτι τῶν αἰφνιδίων φόβων καὶ ταραχῶν αἰτίαν τῷ Πανὶ ἀνατιθέασιν. Quoniam, inquit, repentinorum terrorum & conſternationum cauſſam, deo Pani tribuunt. Et apud Syneſium in lib. de Providentia, ſic invenio ferme, καὶ πανικοὶ θόρυβοι μεθ' ἡμέραν τὸ στράτευμα κατελάμβανον. Et panici tumultus interdiu exercitum occupabant. Quo loco ampliter etiam, cujuſmodi eſſent hi denique terrores, explicatur. Politianus Miſcell. 28. ubi vide plura. Πανικοῖς] Repentinis terroribus vel rumoribus, ſed plerunque falſis. ut illud ad Atticum : *De Ventidio πανικὸν puto : de Sexto, pro certo habebatur, ad arma.* Conradus.

Amicitiam] Ep. 5 lib. XI. *Idem.*

Γόνυ κνήμης] Ἔγγυον. Idem.

Pulegio] Al. *puleio*. Et ſane Celſus docet, rutam & puleium herbas etiam ſomno aptas eſſe. *Idem.* *Ad cujus rutam pulegio mihi tui ſermonis ut.*] Vide Manut. Imitatus eſt Ambroſius lib. [illegible], ep. 5. *Non mediocrem ſumſi ad convaleſcendum gratiam, quaſi quodam tui alloquii pulegio refectus.*

EPI-

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Domeſticas res primum, deinde publicas complectitur haec epiſtola: quam poſt Caeſaris obitum ſcriptam eſſe, conſtat, conſulatum gerentibus M. Antonio, P. Dolabella.

TVLLIVS TIRONI S. P. D.

ETſi mane Harpalum miſeram, tamen cum haberem cui recte darem litteras, etſi novi nihil erat, iiſdem de rebus volui ad te ſaepius ſcribere: non quin confiderem diligentiae tuae: ſed rei me magnitudo movebat. Mihi prora & puppis, ut Graecorum proverbium eſt, fuit a me tui dimittendi, ut rationes noſtras explicares. Ofillio & Aurelio utique ſatis fiat. A Flamma, ſi non potes omne, partem aliquam velim extorqueas, in primiſque ut expedita ſit penſio Kalendis Ian. De attributione conficies. De repraeſentatione, videbis. De domeſticis hactenus. De publicis omnia mihi certa, quid Octavius, quid Antonius: quae hominum opinio: quid futurum putes. Ego vix teneor quin accurram. Sed ſt! Litteras tuas

NOn quin confiderem tua diligentia] In antiqua editione ex vetuſto codice emendatum erat, *non quin diffiderem tua diligentia*. Sic omnino legendum. quod & Gronovio meo doctori probabatur. *Grav.*

Mihi prora & puppis] Summa conſilii. *Corradus.*

Flamma] Flamma Flamminio debitore. *Idem.*

De publicis omnia mihi certa] Antiqui codices cum recepta lectione conſentiunt: cogitandum tamen an legi debeat *incerta*. Rogat enim Tironem, ut ſcribat, quæ ſtatim exponit, ut qui nihil certi de illis rebus haberet. *Victor.*

Mihi certa] Scribas. *Corrad.*

Octavius] Qui nuper Romam venerat, ut Cæſaris hæreditatem cerneret. *Idem.*

Ego vix teneor, quin accurram: ſed ſi] Hæc eſt Medicei codicis lectio non ſine aliqua macula, ut exiſtimare facile poſſemus. non diſplicet Paulli conjectura: nam & perverſio parva eſt, ſi ita legi debet, & idoneum ſenſum habet: jubet enim Tironem tacere, quod ante dixerat, ſe vix teneri quin accurrat. Eodem modo locutus eſt in epiſtolis ad Attic. nec tamen notam ibi

tuas exſpecto: & ſcito Balbum tum fuiſſe Aquini, cum tibi eſt dictum, & poſtridie Hirtium. Puto utrumque ad aquas.

ibi poſuit, aut ſibilo hoc ſignificavit, ſed verbo expreſſit quid eum facere vellet lib. 11. *non libet fugere: aveo pugnare: magna ſunt hominum ſtudia: ſed nihil affirmo, tu hoc ſilebis.* Victorius. *Sed litteras tuas exſp.*] Quidam libri habent, *ſed ſcil.* alii *ſed ſc.* Fort. legendum *ſed ſt.* Litteræ *ſt* autem, ſilentii nota ſunt. Ego nihil affirmo. *Lambinus.* *Sed ſ litt. t. exſp.*] Vetus liber *ſed ſt litteras tuas exſpecto.* Urſin. *Sed litt. t. exſp.*] Non aliter eſt hic locus in Mediceo. ſed Pall. aliquot & editio prima, quemadmodum & Victorius edidit, *ſed ſi litteras tuas exſpecto.* Lambinus non male, quod quidam libri haberent, *ſed ſcilicet litteras*, finxit, *ſed ſt! litteras*, &c. *Gebhard.* Non inſpexit hic notam Victorii Gebhardus, quod in aliis pluribus locis deprehendi. Mediceus enim ut Amſtelodamenſis, & plures alii libri habent, *ſed ſi*, quod recte mutatum eſt a Manutio & Lambino in *ſt.* *Sed ſt litteras tuas exſpecto.* quod cum in antiquo codice Fulvius invenerit, non dubitavi in ipſum recipere contextum. *Grævius.*

Aquini] Galliæ Ciſpadanæ oppidum, nunc *Acquario.* incolæ *Acquinates.*

Puto utrumque ad aquas. Sed quod eg.] Omnes vulgati codices habebant, *utrique ad aquas Semas.* Nos his neglectis, ut in veteribus libris invenimus, ſcripſimus. *Ad aquas* autem intelligit Baianas, quemadmodum in epiſtolis ad Atticum lib. XIV. *Haud amo vel hos deſignatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidem acquieſcere liceret.* id eſt, Baiis: nam quod in cunctis in fine epiſtolæ *Appiam* legebatur, nos iiſdem antiquis codicibus auctoribus *Papiam* ſcripſimus. *Victor.* *Idem in poſterioribus:* In noſtrum impreſſum codicem Medicei lectionem tranſtulimus: quæ tamen culpa impreſſorum aliquantulum perturbata eſt: ſejungere enim debebant hæc verba ab inferioribus ut diſtincta eſſent, quemadmodum res ipſæ diſtinctæ ſunt. Quod ſi hoc ſervaſſent, nihil, ut arbitror deſideraretur: intelligi ſane debet verbum, quo illa regerentur, non tamen poni, vel *nondum ſcio* vel *ad me ſcribe* aut aliquid quod ſententiam illam expleat, ut in epiſtola ante hanc in illo loco, *Antonius de lege quid egerit.* *Ad aquas* autem cum dicebant, quamvis nihil adderent, aquas tamen calidas Baiaſque intelligebant. *Ad aquas Semas. quod eg.*] Al. *ad aquas, ſeu quod elegerint.* *Aquas* autem Baianas intelligit, ſi ita legas. *Corradus.* *Puto utrumque ad aquas. Emas quid egerint*] Sic legendum putat hunc locum Adr. Turnebus in Adverſar. ubi libri vulgati habent, *Puto utrumque ad aquas Semas, quid egerint.* hac ſententia, Puto utrumque ad aquas venturum. magno pretio emas ſcire quid egerint. Manutius autem ſic, *Puto utrumque ad aquas. Sciemus quid egerint.* quod aliquanto remotius eſt a ſcriptura vulgata, eademque antiqua. Quid ſi ſic legendum dicamus? *Puto utrumque ad aquas xenias. quid egerint, ſcribam ad te, ſcilicet.* Omnino Turnebi conjectura mihi magis placet. *Lamb.* *P. utrumq; ad aq. Sed q. e.*] Victorianæ editionis lectionem tenuimus, approbatam & confirmatam a Palatino ſexto & Hittorpiano. Nam, primus [ut & Amſtelod. & Mentel. & Grævian.] ſicut & antiquiſſima editio, *puto utrumque ad aquas ſeu quod elegerint Del. proc.* Turnebus ex conjectura emendabat, vel, *puto utrumque ad aquas. Emas quid egerint:* vel, *puto utrumque ad aquas Xenias, quid egerint, ſcribam ad te ſcilicet:* quod Lambino magis placet, quam Manutianum commentum, *puto utrumque ad aquas. ſciemus quod egerint:* quod tamen aliquanto remotius eſſe a ſcriptura vulgata eademque antiqua ait idem. Editiones

aquas. Sed quid egerint. Dolabellae procuratores fac admoneantur. appellabis etiam Papiam. Vale.

tiones quippe ferunt, *puto utrumque ad aquas ſemas:* unde faciendum Guilielmius eſſe putat *aquas ſenias*. Gebhardus.

Sed quid egerint.] Scilicet neſcio, aut reſcribes, aut, poſtea intelligemus. Sic in epiſt. 22 hujus libri. *Itaque de te vicarium; tu ipſum obſervabis. Et ſi. Verum tamen de illis. noſti cetera.* Graevius.

Admoneantur] Ut nobis, quod Dolabella ſatiſdato debet, diſſolvant. *Corradus.*

Appiam] Appiam Clodiam, quae & ipſa debet: certe cum Cicerone neſcio quid negotii habebat. Alii tamen legunt *Papiam*. Idem.

EPISTOLA XXV.

ARGUMENTUM.

Litteras a Tirone quam creberrimas M. Cicero filius requirit.

CICERO FIL. TIRONI S. P. D.

ETſi juſta & idonea uſus es excuſatione de intermiſſione litterarum tuarum, tamen id ne saepius facias, rogo. nam etſi de repub. rumoribus & nuntiis certior fio, & de ſua in me voluntate ſemper ad me perſcribit pater: tamen de quavis minima re ſcripta a te ad me epiſtola ſemper fuit gratiſſima. Quare cum in primis tuas deſiderem litteras, noli committere ut excuſatione potius expleas officium ſcribendi, quam aſſiduitate epiſtolarum. Vale.

EPISTOLA XXVI.

ARGVMENTVM.

Tironem Q. Cicero & accuſat, quia litteras non miſerat, & rogat, ut omnino, etiam ſine argumento, ſcribat.

Q. CICERO TIRONI SVO S. P. D.

VErberavi te cogitationis tacito duntaxat convicio, quod faſciculus alter ad me jam ſine tuis litteris perlatus eſt. Non potes effugere hujus culpae poenam. De patrono Marcus eſt adhibendus: iſque diu & multis lucubrationibus commentata oratione. vide ut probare poſſit, te non peccaſſe. Plane te rogo, ſicut olim matrem noſtram facere memini, quae lagenas etiam inanis obſignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuiſſe, quae furtim eſſent exſiccatae: ſic, tu etiam ſi quod ſcribas non habebis, ſcribito tamen, ne furtum ceſſationis quaeſiviſſe videaris. Valde enim mi ſemper & vera & dulcia tuis epiſtolis nuntiantur. Ama nos, & vale.

V*Ide ut probare poſſit, te non peccaſſe*]. Legendum fortaſſe eſt, *vereor ut probare poſſit, te non peccaſſe*. Lambinus. Imo *vide ut probare poſſit* eſt, vix eſt ut probare poſſit. III de Off. 29: *Videant ne latebra quaeratur perjurio*, id eſt, vix eſt, ut non quaeratur. *Gronovius.*

EPI-

EPISTOLA XXVII.

ARGUMENTUM.

Invehitur Q. Cicero in Conſules deſignatos A. Hirtium, C. Panſam. Benevolentiam ſuam in Tironem ſignificat.

Q. C. TIRONI SUO S.P.D.

MIrificam mihi verberationem ceſſationis epiſtola dediſti. Nam, quae parcius frater perſcripſerat, verecundia videlicet, & properatione, ea tu ſine aſſentatione, ut erant, ad me ſcripſiſti, & maxime de conſulibus deſignatis: quos ego penitus novi libidinum & languoris effeminatiſſimi animi plenos; qui niſi a gubernaculis receſſerint, maximum ab univerſo naufragio periculum eſt. Incredibile eſt, quae ego illos ſcio, oppoſitis Gallorum caſtris, in aeſtivis feciſſe, quos ille latro, niſi aliquid firmius fuerit, ſocietate vitiorum deliniet. Res eſt aut tribunitiis, aut privatis conſiliis munienda. Nam iſti duo vix ſunt digni quibus alteri Caeſenam, alteri Coſſutianarum tabernarum

MIrificam mihi verberationem*] Hæc Q. Ciceronis epiſtola acerba & aſpera eſt. ſic autem illum ſolitum ſcribere Marcus oſtendit, cum ei præciperet, quomodo ſe in Aſia Procos. gerere deberet, in primiſque hortaretur, ut ſe in ſcribendo maledictis abſtineret. Invehitur in conſules deſignatos, eoſque magna verborum contumelia perſtringit. Arbitror autem intelligere eum Hirtium ac Panſam: multis hoc conjecturis ductus credo. ſe autem conſcium eſſe dicit multis illorum ſceleribus ac libidinibus, quibus ita dediti erant ut in maximis periculis vix ſibi a luxuria temperare poſſent: ipſe enim una cum illis in Gallia Imper. Cæſare militaverat. *Victorius.*

De Coss. deſ.] Hirtio & Panſa. *Corr.*

Quos ego penitus novi] Quippe qui Cæſaris legatus in Gallia fui, & illos optime noſſe potui. *Idem.*

Quos ille latro] Antonium intelligit, contra quem illi bellum geſturi erant: exiſtimat enim Quintus Antonium niſi copiis ſuis viribuſque confiſus fuerit, alia via illos aggreſſurum eſſe: & omnia facturum ut illos ſibi placet, & in ſententiam ſuam traducat, putat eum id facile conſecuturum ſimilitudine vitæ & ſocietate vitiorum. *Victor.* *Latro*] M. Anton. *Corrad.*

Quibus alteri Caſenam, alteri Coſſutianarum tabernarum] Omnibus iniquus erat Quintus & nemini parcebat, dummodo iræ ſuæ ac furori obtemperaret. De ambobus illis Coss. deſſ. peſſime ſentiebat: verumtamen quantum ſuſpicari poſſumus, alterum

rum fundamenta credas. Te, ut dixi, ſero oculis. Ego vos a. d. III Kalend. videbo, tuoſque oculos, etiam ſi te veniens in medio foro videro, diſſaviabor. Me ama. Vale.

rum illorum ignaviorem inertioremque altero exiſtimabat: nam quem aliquid conſilii habere putabat, vix dignum eſſe dicebat cui Cæſena committeretur. alterum, qui nullius conſilii eſſet, ſed penitus infirmi ingenii, ac intemperantiſſimæ naturæ, vix recte poſſe judicabat curare fundamenta Coſſutianarum tabernarum. Alii hunc locum procul dubio corruptum eſſe dixerunt: quibus non accedo: invenio enim vulgatam hanc lectionem nulla mendi ſuſpicione in optimis & antiquiſſimis libris. Quæ mens eum impulerit, ut poneret *Caſenam* pro ignobili, & obſcuro oppido, non facile enuntiarim: neque æquum eſſe puto de hujuſcemodi rebus quid ſentias reſpondere cogi. Furore animi & magna aſperitate verborum illum in epiſtolis ſemper uſum, prodente M. Fratre liquido poſſumus affirmare. *Victorius.* *Quibus alteri Caſenam*, &c.] Locus obſcuriſſimus, ab Aldo Manutio Paulli F. nuper accurate tractatus in libro de Orthographia, ſed nondum perpurgatus. *Lambinus.* *Caſena* eſt oppidum Senonum in Gallia Togata apud Rubiconem, quod etiamnum retinet antiquum nomen. Olim non fuiſſe tantum oſtendit Procop. qui φρούριον vocat, *caſtellum*.

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS
IN
M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLAS AD FAMILIARES.

TOMVS II.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS IN EPISTOLAM I.

LIBRI IX.

PAG. 3.

NON eſt inſtituti noſtri qui vir quantulſque M. Terentius Varro fuerit, quamque multis veterum teſtimoniis ejus eruditio prædicetur, oſtendere. Quinctiliani tantum verba recitabo, quæ ſunt libro 10. *Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus, plurimos libros & doctiſſimos compoſuit, peritiſſimus Latinæ linguæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum noſtrarumque, plus tamen ſcientia collaturus quam eloquentia.* Vixit annos centum: quod Valerius lib. 8. cap. 7. docet. *Antequam duodecimam annorum hebdomadam expleviſſet, compoſitos a ſe libros ſeptingentos, ipſe ſcripſit in primo libro de imaginibus numeri ſeptenarii.* Gellius lib. 3. cap. 10.

A *Te miſſas*] Sic antiqui libri ſeptem. nec mutationis cauſſam video.

Tuum adventum] Abfuit igitur ab urbe Varro diutius, quam Cicero, poſt devictum in Pharſalia Pompejum.

Non ſtultiſſimus] Stultiſſimum eſſe oportet, qui tam gravi reip. tempore, allevationem ullam ſperare poſſit.

Pag. 4. *In urbem*] Cum Cæſar, confecto Alexandrino bello, reverſus Ciceroni, qui Pompejum ſecutus erat, peperciſſet, eique permiſiſſet, ut in urbem veniret.

In res turbulentiſſimas] In bellum civile.

Infideliſſimis ſociis] Pompejanis, de quorum in remp. atque in me voluntate nihil mihi certum poſſem polliceri.

Præceptis illorum] Præcipiunt enim libri, non temere credendum. unde illud Epicharmi, epiſt. 17. ad Attic. l. 1.

Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Et epiſt. 20. ad Att. lib. 2. *Pragmatici homines omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus denique cavere jubent, & vetant credere.*

In eo] Sic veteres libri omnes. fortaſſe refertur ad *Uſum*. dixit enim: *Eorum uſum dimiſeram*. quod tamen diſtat longius. Vel, *In eo*: quod præceptis illorum parueris: in quo ego non permanſi. quamquam hoc falſum videtur. nam & Varro Pompejum ſecutus eſt, fuitque una cum Cicerone & M. Catone Dyrrhachii, cum in Pharſalicis campis dimicarunt Cæſar & Pompejus. l. 1. de Divin. itaque malim accipere, *In eo*, id eſt in eorum uſu, quem ego dimiſi: ut intelligatur illud tempus, quod Pharſalicam pugnam conſecutum eſt. tunc enim Brundiſii Cicero in mœrore jacuit, nullo librorum uſu, victorem Cæſarem timens, cujus ex Alexandrino bello adventus exſpectabatur. Varro autem, victo in Pharſalia Pompejo, videtur in Italiam rediiſſe, ut ex epiſtola 6. colligitur, nec ſe mœrori, ut Cicero, ſed litteris dediſſe: quod ex hac epiſtola licet conjicere.

Quæ premant] Supra: *Tot tantiſque rebus urgemur*. Tranſlata ſunt, *Premant*, *Impendeant*, *Tranſiturum*.

Impendeant] Poſt Africanum bellum, quod Cæſar tunc gerebat.

Tranſiturum] Tranſeuntes vitamus ea, quæ impendent. *tranſire* etiam dicuntur ea, quæ impendent, ut epiſt. 21. ad Att. lib. 2.

Adte] Subaudi, *venire*, &, *Adte*, pro ad villam tuam, ſive in Tuſculano, ſive in Cumano. epiſt. 2. 4. 6.

Perficiam] Mutuo ſermone & ſtudiis communicandis.

Videatur] Sic placet, & ita legitur in duobus antiquis libris. alii habent, *Videbitur*: vel *Dividetur*. quod utrumque perſpicue mendoſum. alii, *Judicetur*: quod minus probavimus. Nonnullis placuit, *Dijudicetur*: quos ſequi noluimus.

Epistola II.

Pag. 5. *Caninius idem tunc & idem noster*] Sic aliquot libri veteres. quod placuit. nam eodem modo locutum eſſe Ciceronem libro 2. de Divin. animadverti. *Marcellus*, inquit, *idem imperator, idem augur*. Sic Varro Seſquiulyſſe: *Idem ſenatus, idem populi caput*. Alius liber, *Caninius tunc, & idem noſter*. non male. nam & infra, epiſt. 17. *Ego vir fortis idemque Philoſophus*. Ceteri libri, *Caninius idem & idem noſter*. quod probare nullo modo poſſum: quamquam alii probarint, qua ratione ducti, non equidem video. miror enim, eoſdem negare, *Tunc*, in veteribus libris eſſe.

Aliquid] Litterarum.

At tibi] *Tibi*, ornatus gratia & hic, & alibi addidit Cicero. epiſt. 6. ad M. Brutum, epiſt. 14. lib. 10. ad Att. & Cœlius epiſt. 2. lib. 8.

Ἕωλον] Obſoleta, non recens.

Tantis novis rebus] Victoriam Cæſaris Africanam ſignificat.

Perire meam lucubrationem nolui] Perire laborem illum nolui, quem in elucubrando ſuſceperam. Ne quis, *Lucubrationem meam*, pro epiſtolam meam, accipiat. non enim *Lucubratio* eſt id, quod remanet poſt nocturnam operam, ſive epiſtola, ſive oratio, ſive aliud; ſed actus ille, ut ita dicam, operaque illa, quæ ponitur in elucubrando: quantum quidem nobis exemplorum obſervatione colligere licuerit. Nam, quod ſubjungitur, *Et eam ipſam Caninio dedi*, ad epiſtolam refertur.

Pag. 6. *Locutus ea ſum*] Fortaſſe litteris non committenda.

Vitemus oculos hominum] Qui vitari in urbe non poſſunt.

Nos dolent vivere] Vide epiſtola 5.

Tam lynceus] Lynceum ea vidiſſe, quæ longiſſime diſtabant, memoriæ proditum eſt. unde adagium, *Lyncei perſpicacior*.

Qui in tantis tenebris nihil offendat] Ad metaphoram hæc omnia pertinent, *lynceus, tenebris, offendat, incurrat*. Inde Livius lib. 35. *Si in re navali, cujus eſſet ignarus, offendiſſet, &c.*

Calumniabar] Suſpicabar ea, quæ fortaſſe falſa ſunt.

Quoſdam homines] Victores Cæſarianos.

Oculi mei ferre non poſſent] Epiſt. 16. libro ſecundo: *Noſti oculorum meorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium*.

Ἀπαλγήσας] Senſim.

Callum jam obduxit ſtomacho meo] Ut ea minus aliquanto ſentiat, quibus angebatur antea. Tuſcul. 2. *Ipſe labor quaſi callum quendam obducit dolori*. Epiſt. 5. lib. 4. *in illis rebus exercitatus animus callere jam debet*. Et epiſt. 18. ad Att. lib. 2. *De Statio manumiſſo, & nonnullis aliis rebus, angor equidem, ſed jam prorſus occallui*.

Deferveſcat] Quædam res, cum in ſummo ſunt, *fervere* dicuntur: unde in oratione pro Quinctio, *Fervet avaritia*. eædem *deferveſcere*, cum imminui cœptæ ſunt: ut *Ira deferveſcit*, Tuſcul. 4. *Cupiditates deferveſcunt*, pro Cœlio.

Pag. 7. *Gratulatio*] Ob res a Cæſare in Africa contra Scipionem, Pompeii Magni ſocerum, & Jubam, Mauritaniæ regem, proſpere geſtas.

Magni intereſt] Noſtra. diverſum enim conſilium, pro victoris in victos vel clementia, vel crudelitate, capimus.

Quo me conjectura ducat] Quid conjiciat Cicero de Cæſaris animo, non facile eſt exiſtimare. clementem tamen eum potius, quam crudelem, fore (ut arbitror) opinatur: itaque ſubjungit, *ſed tx ſpecto tamen*.

Rumor] De victoria Cæſaris.

Raucus erit factus] Raucorum vox minus clara eſt. inde ſumptum, ut raucum rumorem dicat eſſe, cum homines

ea de re, quæ in ore omnium fuerat, minus jam loquantur.

Ad Bajas venire] Ad aquas Bajanas: quo ibant oblectationis & valetudinis cauſſa. In oratione pro Cœlio.

Videri] Nam nunc, ſi eamus ad Bajas, recenti adhuc nuncio de Africana Cæſaris victoria, videbimur iviſſe natatum lætitiæ cauſſa: quod turpe nobis erit. ſin exſpectamus, donec rumor ſit imminutus; non natandi, ſed plorandi cauſſa Bajas veniſſe videbimur: quod erit honeſtius.

Stet nobis illud] Ita ſtatuamus vivere in ſtudiis noſtris, ut ſententiam ne mutemus.

Antea] Stante rep.

Nunc vero] Afflicta rep. cum nulla in re alia acquieſcamus. Vide eandem ſententiam epiſt. 3. lib. 4. & 13. lib. 5. 12. lib. 6.

Pag. 8. *Ut architectos*] Tamquam principes cives, quales olim fuimus.

Ut fabros] Non ut conſilio & ſententia, ſed opera tantum opem reip. feramus.

Ædificandam] Quæ nunc everſa jacet. Verbo tranſlato uſus eſt, quia dixerat jam, *Architectos*, & *Fabros*.

Potius libenter accurrere] Non modo non deeſſe, verum etiam libenter accurrere. Omnes mei libri veteres habent, *Et potius.* unus, *Et*, non habet: quod elegantius videtur.

Πολιτείας] Libros de regenda rep.

In curia] Dicenda in ſenatu ſententia.

In foro] Agendis cauſſis, ut olim ſolebam.

Navare remp.] Sic duo veteres libri, mendoſe; mihi non diſpliceret, *Juvare remp.* quod omnino ſententia poſtulat. certe enim, quæ de optimi civis officio ſcribuntur, utilia ſunt reip. quod niſi ita eſſet; quorſum & ſcribere, & legere πολιτείας Cicero cogitaret? In reliquis antiquis libris, *Gravare* eſt, non *Navare*, mendo manifeſto. Quidam opinantur legi poſſe, *Gubernare*: alii, verbo addito, *Navare operam reip.*

EPISTOLA III.

Pag. 9. C*Aninio*] Ordo poſtulat, ut hæc ſit hujus libri ſecunda epiſtola: eſt enim illa, quam Caninio ſe daturum, ſi petiiſſet, dixit in proxima ſuperiore. ſunt apud me duo veteres libri, in quibus plane ſcriptum eſt, *Caninio.* itaque conjectura nihil opus eſt in re præſenti, atque ante oculos poſita. quod ideo dixi, ne quis excogitatam putet, ideoque minus certam, correctionem; quia mendoſe in quibuſdam libris, & in Mediceo quoque illo, quem ceteris emendatiorem eſſe quidam arbitrantur, legitur, *Animo*: ex quo iidem legendum putarunt, *Caninio.*

Rectum] Non conſiderat hic *Rectum* tamquam honeſtum, ſed tamquam id, quod fieri oporteat. quaſi dicat; vide, quæſo, debeamus ne in iſtis locis eſſe, hoc tam miſero ſtatu reip. quod homines reprehendent.

Pag. 10. *Incendio*] Calamitatem publicam vocat *incendium.* nondum autem, cum hæc ſcribebat, Africanæ Cæſaris victoriæ nuncius allatus erat. quod ſignificatur in eo loco epiſtola ſecunda: *Etſi erat* ἐωλ. *&* *illa epiſtola, præſertim tantis poſtea novis rebus allatis.*

In iſtis locis] In amœniſſimis villis.

Eundem cultum, eundem victum eſſe] Mutatione loci neque cultum, neque victum mutamus: quid igitur habent, cur de nobis loquantur? *Cultus* omnia ſignificat, excepto victu, quibus utuntur homines vel commodi, vel ornamenti, vel voluptatis etiam gratia. De Divin. libro 1. *Cultus atque victus ſalubris & moderatus.* De Off. lib. 1. *Studeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum & ad victum.* Cæſar lib. ſexto: *Germani eodem victu & cultu corporis utuntur.*

Quid refert? tamen in ſermonem incidemus] Modus loquendi: ut Philip. 7. *Quam turpe eſt, legiones ad ſenatum legatos mittere, ſenatum ad Antonium? quanquam illa legatio non eſt: denunciatio eſt, paratum illi exitium niſi paruerit huic ordini. quid refert? tamen opinio eſt gravior.*

Credo] Ironia. Spernendus inquit, eſt hominum ſermo, præſertim eorum

qui honeſtum otium vituperent, cum eorum actiones flagitioſiſſimæ ſint. Epiſtola quinta libro quarto: *An illius vicem, credo, doles?*

Et ſcelerum & flagitiorum] Geminata copula diverſitatem indicat: omne enim ſcelus flagitium eſt, non contra: & minor in aliquo flagitio culpa, quam in ſcelere.

Volutentur] Hoc verbum actionem continet: & poſitum eſt de induſtria, ut inferiori verbo, *Ceſſatio*, opponeretur.

Nobiſcum aut inter nos] Bona correctio. nam poterat aliquis objicere, ceſſare eos etiam cum aliis: ſiquidem in urbe non viverent. Ceſſamus, inquit, inter nos, non inter alios; quia remoti a multitudine vivimus.

Barbarorum] Indoctorum. De Orat. lib. 1. *Hæc turba & barbaria forenſis dat locum vitioſiſſimis oratoribus.*

Artes noſtræ] Litterarum tractatio.

Gravitas morbi] Servitus reipub. in qua, tamquam in morbo, ad litterarum remedia confugimus.

Cum valeamus] Incolumi reip. ſtatu.

Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] Vide epiſtola 3. lib. 6.

Me exſtellare] Poſtea ſuam commorationem excuſavit in epiſtol. ſuperiore; quam poſt hanc ſcriptam eſſe, jam dixi.

EPISTOLA IV.

Περὶ δυνατῶν] De rebus, quæ fieri poſſunt: de poſſibilibus. hoc enim verbo, quod vitaſſe Cicero videtur, Plautus in Sticho uſus eſt: & Quinctilianus, quod Græce δυνατὸν, Latine dici *Poſſibile*, quamquam appellatione duriore, auctor eſt libro tertio cap. 8.

Κατὰ Διόδωρον κρίνειν] Ex Diodori ſententia judicare. Quid ſentiret Diodorus, oſtendit Cicero in libro de Fato, his verbis: *Maxime tibi Chryſippe cum Diodoro certamen eſt. ille enim, id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut futurum ſit: &, quidquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe: & quidquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. tu, & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis: ut, frangi hanc gemmam, etiamſi id numquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe, Cypſelum regnare Corinthi; quamquam id milleſimo ante anno Apollinis oraculo editum eſſet.*

Venturus] In urbem.

Pag. 11. Τῶν ἀδυνάτων] Ex iis rebus, quæ fieri non poſſunt.

Utra te κρίσις magis delectet] Utrum malis, κατὰ Διόδωρον, an κατὰ Χρύσιππον judicare. Chryſippi ſententiam ideo non exponit Cicero, quia notam Varroni ſciebat, homini eruditiſſimo.

Chryſippias hac] Mendoſum locum eſſe conſtat. quidam veteres libri, *An Chryſippias hac.* vetuſtiores autem omnes, *An*, non habent. ex quo nobis orta conjectura eſt, mendum tolli poſſe unius litteræ mutatione: ut legatur hoc modo, *Chryſippi, an hac.*

Noſter Diodotus] Stoicus. Acad. libro ſecundo: *Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audivi: qui mecum vivit tot annos: qui habitat apud me: quem & admiror, & diligo.* De nat. deor. l. 1. *Cum minime videbamur, tum maxime philoſophabamur, quod & orationes declarant, refertæ Philoſophorum ſententiis; & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit; & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, a quibus inſtituti ſumus.* Vide in Bruto.

Non concoquebat] Non probabat: cum Cicero ipſe probaret: dixit enim, *Περὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν.* A cibis tranſlatio: quorum alii rejiciuntur a ſtomacho non concoquente: alii, concoctione facta, in ſuccum & ſanguinem convertuntur. Lib. 3. ad Q. fr. *A Vatinio ita me obſervari ſcio, ut ejus iſta odia non ſorbeam ſolum, ſed etiam concoquam.*

De his etiam rebus] De utraque κρίσει.

Hoc etiam eſt κατὰ Χρύσιππον δυνατόν] Ita fieri hoc poteſt, ut neceſſe non ſit. quod eſt e Chryſippi ſententia.

Pag. 12. *Hortum in bibliotheca*] Illatum, non ibi natum.

EPISTOLA V.

Mihi vero] Sic incipit epiſt. 6. l. 4. 30. lib. 7. 12. 22. libro 16.

Ad nonas] Ut nonis una ſimus in Cumano.

Propter rempub.] Exſpectandum enim, & ibidem latendum videbatur, dum deferveſceret gratulatio. alioqui præſentem reip. ſtatum odiſſe viderentur. epiſtola ſecunda.

Propter anni tempus] Fortaſſe vitandi caloris cauſſa non propinquam diem probabat.

Conſilii noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem] Erant qui Ciceronem Varronemque reprehenderent, quod ſtatim, poſt devictum in Pharſalia Pompejum, ab armis diſceſſiſſent. hujus noſtri conſilii, inquit Cicero, ne tum quidem nobis pœnitendum putarem, ſi eos, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteret. cum vero eos pœniteat, quod in bello remanſerint: multo minus nobis, qui ſaniores fuimus, pœnitendum puto. Libri omnes veteres habent, *Niſi*, ſed mendoſe, ut ſatis liquet. itaque recte Hieronymus Ferrarius reſtituit, *Ne ſi*: a quibus particulis, cum præponuntur, ad verbum infra poſitum vis negandi transfertur. quod ſi verbum præponatur, altera negatio cum eo conjungitur. id, exemplo ſiet illuſtrius. hoc quidem in loco, *Ne ſi*, verbo præponuntur, & in eo tamen verbo ineſt vis negandi. nam illud, *Nobis pœnitendum putarem*, valet, non putarem, quia reſpicit ſuperiores particulas, *ne ſi*, quæ ſi poſtponantur, addenda erat eidem verbo altera negatio, ut ita dicatur: *Nobis pœnitendum non putarem, ne ſi eos quidem, &c.* Prioris generis exemplum habemus illud epiſt. 10. lib. 13. ad Att. *Purgat Cæſarem de interitu Marcelli: in quem, ne ſi inſidiis quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla ſuſpicio.* pro, non caderet. Et in Oratore: *Nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere vocales conceditur*, pro non conceditur. Alterum genus agnoſcitur epiſt. 22. lib. 12. ad Attic. *Enitar, ut præter me, nemo dolorem meum ſentiat, ne tu quidem.* Et ibidem epiſt. 35. *Non habeo, ne me quidem ipſum, quicum tam audacter communicem, quam te.*

Non ſpem] Vincendi. victoriam enim deſperabam. epiſt. 7. lib. 4. & 3. lib. 7.

Officium] Epiſt. 1. lib. 6. *Quoddam nobis officium juſtum, & pium, & debitum reip. videbatur.* Et epiſt. 6. ejuſdem libri: *Vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus.*

Deſperationem] Epiſt. 3. lib. 7. *Non putavi, cum integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore.* Et epiſt. 7. lib. 4.

Amiſſis opibus] Victi Pharſalico prœlio; quo vires amiſerunt.

Severitatem otioſorum] Eos, qui cum ſe domo non commoverint, nos tamen, quia domum, relictis armis, redivimus, ſevere admodum reprehendunt: abſurde: nam neque reprehendendi omnino ſumus; &, ſi eſſemus, non ab iſtis otioſis, verum ab iis potius, qui perſequi belli civilis extrema voluerunt.

Quoquo modo res ſe habet] Pœnituiſſe eos jam ſignificavit, qui ab armis non diſceſſerint. nunc igitur, cum eos quaſi laudare velit, dicturus, *Vereor*, correctione quadam prius utitur, & ait, *Quoquo modo res ſe habet*: id eſt, quamquam parum ſapienter fecerint, qui, ſemel victi, rurſus tamen pugnare voluerint.

Vereor] Vereri dicimur parentes, & ſeniores, & qui ſunt in honore aliquo aut dignitate conſtituti. verebatur igitur nonnihil Cicero Pompejanos quoſdam vel mortuos, quaſi ei poſſent exprobrare, quod domum revertiſſet: illos autem, qui domi remanſerant, nequaquam curabat.

In bello] Africano: nam in Pharſalico ipſe etiam affuit, licet in acie non fuerit. non enim erat, cur vereretur eos, quibuſcum in bello fuerat, ſed eos, quos deſeruiſſe videri poterat, qui poſtea in Africano bello occiderunt.

Hos] Quidam otioſi, qui domi manſerant, Pompejanis partibus faventes dolebant eos vivere, qui poſt Pharſalicam pugnam domum redierant. epiſt. 2. *Qui victos eſſe noſtros moleſte ferunt, nos dolent vivere.*

Ante nonas] Quem diem probare ſe dixit.

Lavatio] In balneo. Infra: *Balneum calfaciat oportebit.* Veteribus admodum familiaris, & pæne quotidiana lavatio fuit.

EPISTOLA VI.

Pag. 13. ADventus] Cæſaris ex Africa.

Alſienſe] Alſienſem agrum ab Alſio, quod in ſuperi maris litore Plinius & Ptolemæus conſtituunt.

Sui] Hirtius, Balbus, Oppius.

Multos] Cum ibi eſſent multorum villæ ob regionis amœnitatem.

Pag. 14. *Ubi*] Non in Alſienſi, ſed Oſtiæ. ſcripſerant enim ad Cæſarem ejus familiares, videri commodius, eum Oſtiæ exire poſſe.

Utrubique] Ex verbo *Scires*, apte non pendet. quid enim eſt, *Ut ſcires utrubique tibi hoſpitium parares.* nam *Utrubique* non ſignificat, utro in loco, ſed utroque in loco: at hic videtur Cicero ſignificare, utro in loco; cum incertum eſſet, quid Cæſar facturus eſſet, utrum in Alſienſe venturus, an Oſtiæ exiturus. permittit enim Varroni, qui Cæſari obviam ire cogitabat, ut ſtatuat ipſe utro in loco ſibi hoſpitium paret. cui ſententiæ non ſervit, *Utrubique*, quod affirmationem habet utriuſque loci, ſed potius *Utrubi*, quod dubitationem oſtendit utrius loci. hoc autem verbum ideo fortaſſe mutatum eſt, quod ejus exempla non facile invenirentur in Latina lingua. Nos, veteres Grammaticos, ut interdum ſolemus otioſi, pervolutantes, Nævium ita locutum in Tarentilla, apud Cariſium obſervavimus. *Utrubi*, inquit, *cœnaturi eſtis, hiccine; an in triclinio?* Idem M. Catonis hæc verba recitat ex oratione pro Hiſpanis: *De frumento, utrubi bona, utrubi mala gratia capiatur, utrinde iras, utrinde factiones tibi pares.* Dixit etiam Plautus in Sticho; *Utrubi accumbo? Sa. Utrubi tu vis.* Et Ulpianus lib. 43. Dig. tit. 31. l. 1. Prætor ait: *Utrubi hic homo, de quo agitur, majore parte hujuſce anni fuerit, quo minus is eum ducat, vim fieri veto.* Ac me quidem, jam pridem de mendo ſuſpicantem, hanc in conjecturam illa quoque ratio deduxit, quod in nullo vetere libro, cum prope innumerabiles inſpexerim, ſcriptum eſt, *Utrubique*, ſed in omnibus fere, *Utar ubique.*

Pag. 15. *Et ſimul*] Scripſi ad te duabus de cauſſis ea, quæ mihi Hirtius dixit, primum ut ſcires, hoſpitium tibi ubi parares; deinde ut oſtentarem tibi, me iſtis eſſe familiarem, & conſiliorum participem fieri.

Non enim eſt idem] Arguta ſententia. Fero, inquit, quæ ferenda ſunt: (quis enim cum temporum neceſſitate pugnet?) non ideo tamen probo, quæ probanda non ſunt. Simile illud epiſt. 3. lib. 10. *Si te ea, quæ patiebare, probaſſe etiam arbitrarer.*

Etſi quid non probem quidem, neſcio, præter initia rerum] Veteres libri: *Etſi quid non probem? quid enim jam ſcio, præter initia rerum?* Ut hoc dicatur: quid enim jam ſcio quod non probem, præter initia rerum? Vetus liber unus: *Etſi quid non probem, quid jam neſcio præter initia rerum.* Ex quo libro, & ex aliis, videtur haud inepte legi poſſe: *Etſi, quid non probem quidem, jam neſcio, præter initia rerum.* Initia vero rerum, quæ non probabat in Cæſare, illa, ut opinor, fuerant, quod conſul Cæſar leges multas contra auſpicia tulerat: quod a populo provinciam invito ſenatu acceperat: quod abſens conſulatum petere voluerat: & ſimilia.

Hæc] Quæ poſtea conſecuta ſunt; quæ nobis vitare licuit.

Aberas] Pompeji legatus in Hiſpania cum Afranio & Petreio. Cæſar l. 2. de bel. Civ. & Dio lib. 41.

Noſtros amicos] Pompejanos.

Cupere bellum] Epiſt. 1. lib. 4. *Incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias.* & epiſt. 21. lib. 6. & epiſt. 11. lib. 16.

Hæc conſilii fuerunt] Voluntatis: nos hæc voluimus.

Neceſſaria] Neceſſe enim fuit, ut ex bello calamitates orirentur, & alterutra pars vinceret. non igitur hæc, quaſi facta Cæſaris, improbanda, quæ bellorum natura peperit.

Ducum] Sive Cæſar ſive Pompejus obiiſſet.

Extre-

Extremum malorum omnium] Epiſt. 9. lib. 4. *Omnia ſunt miſera in bellis civilibus: ſed miſerius nihil, quam ipſa victoria; quæ, etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit.*

Crudeliter enim otioſis minabantur] Vide epiſt. 14. lib. 4. & ult. libro 8. & ad Atticum epiſt. 6. lib. 11. & Cæſ. libro primo de bell. civ.

Inviſa] Quia propenſior ad pacem: cum ipſi bellum cuperent.

Mea oratio] Vel in ipſo bello pacem Cicero ſuaſit. epiſt. 3. lib. 7. *Quæ cum vidiſſem, deſperans victoriam, primum cœpi ſuadere pacem, cujus fueram ſemper auctor.*

Pag. 16. *Nunc vero*] Africano bello.

Ad beſtiarum auxilium] Ad Iubæ regis elephantos; quos in aciem contra Cæſarem duxit. epiſt. 7. ad Att. lib. 11. *Ex omnibus nihil magis deſideratur, quam quod in Africam non ierim, judicio hoc ſum uſus, non eſſe barbaris auxiliis fallaciſſimæ gentis remp. defendendam, præſertim contra exercitum ſæpe victorem.*

Vel mori] Mori præſtitit, quam ad beſtiarum auxilium confugere. Neque hoc dicit Cicero; quod ex iis, qui ſe poſt Pharſalicam pugnam Cæſari crediderunt, quiſquam ab eo ſit interfectus: ſed ut oſtendat, etiam ſi id accidiſſet, minus tamen detrimenti rempub. fuiſſe paſſuram, quam Africano bello, ſpe beſtiarum ſuſcepto.

Vel cum ſpe, ſi non optima, at aliqua tamen vivere] Spe ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte reſtituendæ reip., qua cum ſpe nos vivimus.

Nulla ſibi ſubſidia] Quæ nobis magna parata ſunt. nam ſtudia ſolatium & ſalutem afferunt in adverſis rebus. epiſtola ſecunda.

Superior] Ad illud reſpicit: *Quod ego cur nolim, non video.* ideo enim fluere cœpit oratio.

His tempeſtatibus es prope ſolus in portu] Quia, cum omnes fere moleſtiis miſeriiſque vexentur, tu tamen in ſtudiis jucundiſſime conquieſcis. Epiſt. 1. *Tique, quod in eo permanſeris, ſapientiorem, quam me, dicunt fuiſſe.* Huc ſpectat & illud ex epiſt. 2. *Tu enim ipſe, qui & me & alios prudentia vincis, omnia credo, vidiſti: nihil omnino te fefellit.*

Vt ea conſideres, eaque tractes] Hi ſunt fructus doctrinæ maximi.

Iſtorum] Cæſarianos dici conſtat; qui ob victoriam lætiſſimi erant.

Inſtar eſſe vitæ puto] Tanti æſtimandos puto, quanti vitam quiſque ſuam æſtimat. Similis, ac illuſtrior etiam illa ſententia in Piſonem: *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redii.* Nec diſſimile illud pro Sextio: *Ei, qui pendet a rebus leviſſimis, plauſum immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt. Inſtar mortis*, lib. 2. de Off. Et Virg. lib. 2. Æn. *Inſtar montis equum.*

Pag. 17. *Eam vitam*] Remotam ab actione rerum, cum ſtudiis & litterarum tractatione conjunctam.

Doctis hominibus] Vt Plato, Theophraſtus, alii, qui ſe totos, omiſſa reip. cura, contemplationi dediderunt.

Fortaſſe non recte] Quia multis actio prodeſt, uni tantum, aut paucis contemplatio. Quod autem hic dicit, *Fortaſſe non recte*: nec affirmare voluit, rectum non eſſe; quia, ſublata reip. procuratione, Cæſare dominante, probanda magis contemplatio videbatur: alibi, non eſſe rectum, & actionem contemplationi præferendam, plane dixit: ut l. 3. Off. *Cognitio contemplatioque naturæ manca quodam modo, atque inchoata ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur. ea vero actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet igitur ad ſocietatem generis humani. ergo hæc cognitioni anteponenda eſt. atque id optimus quiſque re ipſa oſtendit, & judicat.* Hanc Ciceronis opinionem, in ejus fortaſſe libris de Rep. notatam, Lactantius ita refert lib. 3 cap. 6. *Recte Tullius civiles viros, qui remp. gubernant; qui urbes aut novas conſtituunt aut conſtitutas æquitate tuentur; qui ſalutem, libertatem civium, vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervent, Philoſophiæ doctoribus præfert.*

Etiam reip.] Quæ nunc nulla eſt. quo magis nos amplecti ſtudia debemus, eorum exemplo, qui etiam reip. ſtudia præpoſuerunt.

Magnorum hominum] Dnctos proxime vocavit.

Etiam publici muneris] Etiam cum

reſp. non concedere videtur, ut otioſi ſimus; cum ſcilicet, rebus ſalvis, quæ nunc perditæ ſunt, officium atque operam a civibus exigit.

Concedente] Quia libere adminiſtrari non poteſt, ideo concedit nobis, ut in litteris vivamus.

Abutamur] Non accipio in malam partem, ſed quaſi dictum ſit, utamur arbitratu noſtro.

Qua tua audiero] Sic omnes libri ſcripti. rectius, *Quaque audiero.* alioqui ſubeſſe mendum videtur.

Epistola VII.

M*Aturum*] Vt eamus obviam Cæſari.

Quod antea te calumniatus ſum] Abundare, *Te*, ſemper putavi, nunc eo magis, quod, opinionem meam qui comprobaret, veterem librum inveni. Conjecturam meam inde ducebam, quia Cicero numquam Varronem calumniatus erat, ſed ipſe ſecum, ea cogitans, vel potius ea ſe cogitare ſimulans, (hoc enim oſtendunt illa verba, *Indicabo malitiam meam*) quæ nullo modo cogitabat. quæ *Calumnia* recte dicitur, ut epiſt. 4. & 4. lib. 1. Significat autem illa, quæ ſcripſit epiſt. 2. *Sed calumniabar ipſe, &c.*

Pag. 18. *Volebam prope alicubi eſſe te*] Omnes libri veteres, *Eſſet*, uno excepto, in quo eſt, *Eſſe.* quo librorum conſenſu, ut legendum arbitrarer, *Eſſe te*, ſum adductus. Vel, ſi legamus, *Eſſe*, ſubaudiendum, *Te.* Non diſpliceret, *Eſſet*; quod video placuiſſe nonnullis, ſi vel unum antiquum librum, qui ſuffragaretur, invenirem.

Si quid bona ſalutis] Si de Pompejanorum victoria nuncius afferretur. timebat enim eos Cicero, ſi viciſſent. itaque in epiſt. 6. *Nunc vero*, ait, *ſi eſſent noſtri potiti, valde intemperantes fuiſſent: erant enim nobis perirati.* Quod ſi ad eos uterque ſimul iviſſent; aliquanto minus timendum exiſtimaverat. Poteſt etiam intelligi, Si quid bonæ ſalutis, ſi ſalus noſtra tutior eſſet, utroque ſimul ad Cæſarem eunte. Verum hæc ſententia ideo mihi non probatur, quia ſequitur, *Quando confecta ſunt omnia.* quod omnino pertinere videtur ad Cæſaris victoriam: de qua antea cum ſubdubitaſſet, licet allato nuncio, malitioſe calumniatus erat, non veras morandi cauſſas afferens, in ep. 2. in qua etiam dixit, *Rumor ipſe*: ut incertum adhuc eſſe oſtenderet. nunc vero moras tollit, affirmatque obviam omnino eundum Cæſari.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω] Utroque ſimul eunte. ſumptum ex Homeri libro decimo Il. quod etiam uſurpatum eſt epiſt. 6. libro nono ad Atticum.

Quando] Sic duo veteres libri: alii, *Quoniam*: nonnulli, *Quom.* nihil rejicio: ſed, *Quando*, libentius retineo.

Confecta ſunt omnia] In Africa, afflictis omnino Pompejanis.

Equis viris] Omni conatu, manibus pedibuſque, ſubaudi, Cæſari obviam eamus. Tranſlatio a militari certamine, quo contenditur equis viriſque. inde manavit proverbium. cum vero celeritas indicatur, *Equis, velis*, dicitur, fugientium ſimilitudine terra marique.

L. Cæſare filio] Quem Cæſar occiderat. Suetonius: *Nulli periiſſe, niſi in prœlio, reperiuntur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fauſto, & L. Cæſare juvene: ac ne hos quidem voluntate ipſius interemptos putant. quorum tamen & priores, poſt impetratam veniam, rebellaverant: & L. Cæſar, libertis ſervisque ejus ferro & igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat.* Dio tamen libro 43. juſſu Cæſaris occulte interemptum oſtendit, quia perpetuo contra ipſum pugnaſſet. Hujus Cæſaris pater fuit L. Cæſar, vir optimus, avunculus M. Antonii. epiſt. 1. & libro duodecimo epiſt. 2. 5.

Pag. 19. *Quid hic mihi faciet patri*] Si L. Cæſarem propinquum ſuum, necavit: quid mihi faciet? Sumpſit ex Andria Terentii.

Apud iſtos] Vt eorum gratia tueatur me apud Cæſarem. Significat in primis Hirtium, Balbum, Oppium, Matium, alios.

Miſſa] Subaudi, *ſint*: vel, *faciamus.* epiſt. 12. libro ſexto.

Afri-

Africa terribili tremit, horrida terra, tumultu] Ennii verſus. Africa, inquit, afflicta bello eſt. itaque nihil eſt tam rejectum, quod non timeam. Hic libet Feſti verba recitare. *Metonymia*, inquit, *eſt tropus, cum ab eo quod continet, ſignificatur id quod continetur: ut Ennius, cum ait, Africa terribili tremit, horrida terra, tumultu: aut ab eo quod continetur, id quod continet: ut cum dicitur, epota amphora vini.*

Quando, qua, quo] Quando ſit Cæſar venturus, qua via, ad quem locum. De tempore Cicero reſpondit, *Nihil adhuc ſcimus*: de via, *Nonnulli dubitant, an per Sardiniam*: de loco, *Iſtuc ipſum de Bajis.* Hinc opinor hanc epiſtolam, in qua nihil certi de Cæſaris adventu Cicero ſignificat, ante ſuperiorem proximam ſcriptam eſſe, in qua Cæſaris adventum exſpectari dicit, & exiturum vel Oſtiæ, vel in Alſienſe.

Iſtuc ipſum] Quod dicitur: eum ſcilicet Bajas ire velle.

Per Sardiniam] Per quam eum veniſſe, ſcriptum eſt apud Hirtium.

Prædium ſuum] Per jocum Sardiniam vocat Cæſaris prædium: quaſi provinciæ populi R. Cæſaris eſſent prædia.

Non inſpexit] Cum cetera prædia, id eſt, ceteras provincias, inſpexiſſet. primum enim contra Pompeji legatos in Hiſpania bellum geſſerat, deinde in Theſſalia contra ipſum Pompejum, poſtremo in Africa, quo per Siciliam trajecit, contra Scipionem & Jubam regem. quibus in bellis ditionem fere omnem inſpexit populi R. nam Gallias ante ſubegerat.

Deterius] Ob inſalubre cælum. ep. 24. libro ſeptimo.

Non contemnit] Cum joco dictum. prædiorum enim domini, quæ non contemnunt, inſpiciunt.

Per Siciliam] Per Sardiniam venit, ut jam diximus.

Dolabella] P. Cornelius Dolabella, qui fuerat Ciceronis gener. is ex Africano bello redibat, Cæſare mox venturo. Phil. 2. *Ter depugnavit Cæſar cum civibus, in Theſſalia, Africa, Hiſpania. omnibus affuit his pugnis Dolabella.*

Magiſtrum] Docebit me, qua ratione amiſſam Cæſaris gratiam recuperem: cum ego eum in arte oratoria docere ſolitus ſim. Jocatur Cicero, ut epiſt. 46. lib. 13. ad Att. *Dolabella ſcribit, ſe ad me poſtridie idnum. O magiſtrum moleſtum.* epiſt. 16. lib. 7. epiſt. ult. de Dolabella, diſcipulo Ciceronis, mentio fit.

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων] *Multi diſcipuli meliores magiſtris.* Senarius eſt veteris Poetæ. Utilior, inquit, erit mihi illius doctrina, quam illi mea.

Conſtitueris] De obviam itione. uterque enim revertenti ex Africa Cæſari obviam ire cogitabat. quo ſpectat illud, *Dubitandum non eſt, quin equis viris.*

EPISTOLA VIII.

Pag. 20. *Oſtenderit*] Significaverit ſe daturum. epiſt. 1. *Se acerrimum tui defenſorem fore oſtendit.* & epiſt. 41. lib. 13. *Ea, quæ initio oſtendiſti. Munus declarare*, idem eſt. vide epiſt. 2. lib. 2.

Promiſſi tui] Fortaſſe libros de ling. Lat. ſignificat, quos poſtea Varro ad Ciceronem miſit.

Quatuor admonitores] Quattuor libros Academicos: quorum primus duntaxat exſtat: reliqui tres deſiderantur. ejuſdem argumenti libros duos antea ſcripſerat, Catulum, & Lucullum. ſic enim inſcripſerat. Catulus interiit, ſupereſt Lucullus. poſtea diſputationem illam ad Catonem Brutumque transtulit: poſtremo ad Varronem, Attici admonitu. qua de re vide libro tertio ad Atticum, epiſt. 12. 13. 14. 16. 18. 19. 22. 23. 24. 25. 26. 35. 43.

Non nimis verecundos] Itaque metuo, ne promiſſum tuum efflagitent.

Noſti] Hoc dicit, quia veterem, non novam Academiam Varro probabat, cum Antiochi Aſcalonitæ, magiſtri ſui, ſententiam ſequeretur. ad Att. ep. 12. 16. 19. lib. 12.

Os] Impudentiam: cum auderent affirmare, nihil poſſe percipi: quam vocabant ἀκαταληψίαν: ejuſque Academiæ princeps Arceſilas contra omnia ſemper diceret, ut eſt lib. 5. de Fin. *Os* autem ideo ſumitur pro impudentia,

tia, quia pudoris indicium exortus in ore rubor eſt: qui vero nihil commovetur, os ei ſemper idem eſt, perpetuuſque naturalis color. Os igitur ita durum, ut mutetur numquam, impudentia eſt: quia naturam vincit culpa, & quaſi dominatur, infamiam contemnens: natura enim, quod dedeceat, & adverſetur honeſtati, ferre nihil ſolet. propterea apud comicos probri loco objicitur illud, *Os hominis.* Et Vatinius epiſt. 10. lib. 5. *Si Appii os haberem, tamen hoc ſuſtinere non poſſem.*

Adoleſcentioris Academia] Dicturi aliquid de Academiis, præponemus, quod a Sexto philoſopho traditum l. 1. Pyrrh. legimus, philoſophandi tres fuiſſe rationes, maxime diverſas: *δογματικὴν*, in qua fuere Ariſtoteles, Epicurus, Stoici, aliique nonnulli, qui ſe putabant ſummum bonum inveniſſe: *ἀκαταληπτικὴν*, in qua Clitomachus, Carneades, aliique Academici negabant percipi quidquam poſſe: *σκεπτικὴν*, in qua ſemper quærebant, & in ea Pyrrho in primis excelluit. Tres autem Laertius nominat Academias, (nec tamen defuere, ut ait Sextus, qui quinque conſtituerent) veterem, mediam, novam. veteris auctorem Platonem, mediæ Arceſilam, novæ Lacydem. quinque Sextus Empiricus videtur agnoſcere, & auctorem primæ Platonem, ſecundæ Arceſilam, tertiæ Carneadem, quartæ Philonem & Charmidam, quintæ Antiochum. Cicero duas tantum, veterem, & novam: quique in vetere floruerint, hos memorat in Lucullo, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, Parmenidem, Xenophanem, Socratem, Platonem, Speuſippum, Xenocratem, Polemonem, Cratetem, Crantorem: in recentiore autem Arceſilam, qui negabat eſſe quidquam, quod ſcire poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet: poſt eum, Lacydem, Euandrum, Egeſimum, & quartum, ut ait Cicero, ab Arceſila, ejuſque imitatorem ſententiæ Carneadem, Clitomachum, & Philonem: qui, Arceſilam ſecuti, contra omnium ſententias diſputabant: in quo modeſtiores fuerant veteris Academiæ philoſophi. *Honeſte enim vivere, fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, vetus Academia cenſuit.* In Lucullo. Recentioris ut principes agnoſcere Cicero videtur libro primo de leg. Arceſilam & Carneadem. ſic enim ſcripſit: *Perturbatricem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arceſila & Carneade recentem, exoremus, ut ſileat. nam ſi invaſerit in hæc, nimias edet ruinas. quam quidem ego placare cupio, ſubmovere non audeo.* Adoleſcentiorem, cum de nova loquatur, appellat Cicero lepide jocans, quia ſolent adoleſcentes impudentiores eſſe, quam qui majore ſunt ætate: & quia loqui cœperat de libris Academicis, tamquam de animatis; cum dixit: *Miſi ad te quattuor admonitores, non nimis verecundos.* qua ſimilitudine ita delectatur, ut infra quoque, nihil ab ea recedens, intulerit: *Qui, metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent.*

Ex ea igitur media excitatos] In iis enim quattuor libris ea tractabantur, quæ ſumpta erant de media recentiore Academia. In verbo, *Excitatos*, mittentis cupiditas indicatur, ut ſuo munere Varronem ad remunerandum eliceret.

Flagitent] Vt ſunt impudentes.

Mandavi, ut rogarent] Sum enim, ut unus ex vetere Academia, modeſtior. Hoc Cicero tacite ſignificat.

Exſpectabam] Excuſat ſe, quia prior ad Varronem, quaſi promiſſum eius exigens, munus miſerit Academicorum librorum.

Meque ſuſtinebam] In magna ſcribendi ad te voluntate. ſic Acad. lib primo editionis ſecundæ: *Cum ſe a reſpondendo ſuſtineret.*

Quam ſimillimo munere] Epiſt. 12. ad Atticum, libro decimotertio: *Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi miſiſſet*, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, &c.

Cum tu tardius faceres, id eſt, ut ego interpretor, diligentius] Acad. libro primo in prooemio ſic loquitur Varro: *Habeo opus magnum in manibus: quod jampridem ad hunc ipſum (me autem dicebat) quædam inſtitui; quæ & ſunt magna ſane, & limantur a me politius.* Tum Cicero ita reſpondet: *Et ego iſta quidem,*

in.

inquam, Varro, jamdiu exſpectans, non audeo tamen flagitare. audive enim e Libone noſtro, non ea te intermittere, ſed accuratius tractare, nec de manibus umquam deponere. De his libris, quos arbitror, ut jam dixi, eos eſſe, qui de lingua Lat. inſcripti ſunt, hodieque exſtant, ſic epiſt. 12. ad Atticum, libro decimotertio: *Varro mihi denunciaverat magnam ſane & gravem προσφώνησιν. biennium præteriit, cum ille Καλλιππίδης aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſerat. ego autem me parabam ad id, quod ille mihi miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, ἢ λώϊον; ſi modo potuiſſem.*

Antiochinas] Ut ea Varro diſputans exponeret, quæ Antiochus Aſcalonita, Academicus Philoſophus, contra Philonem dixerat, & ſcripſerat. Plutarchus in Lucullo, Bruto, Cicerone: & alii. *Antiochinas* ab Antiocho deduxit, ut a Bruto *Brutinus*, a Theopompo *Theopompinus*, a Metello *Metellinus*, & reliquis nominibus in *us* deſinentibus, antecedente tamen conſonante: nam ſi vocalis antecedit, in *anus* deſinunt, ut a Pompejo *Pompejanus*, a Tullio *Tullianus*. ſuperior tamen regula ne exceptionem habeat, interdum vereor. nam cum a Druſo *Druſinus* fieri debeat, *Druſianis* tamen *hortis*, non *Druſinis*, Cicero dixit epiſt. 24. libro duodecimo ad Att. & Tacitus lib. 2. *Druſiana foſſa*: ſi modo libri vulgati vacant mendo: quod eo magis licet ſuſpicari, quia Sueton. in Claudio, *Druſina foſſa*, non *Druſiana* dixit. Et apud Plinium, l. 34. cap. 18. ubi eſt in impreſſis libris: *Hujus eſt Minerva, quæ dicitur Catuliana*: ſcriptum eſt in antiquo Maffeorum *Catulina*: idque poſtulat analogia.

Pag. 21. *Philonis*] Qui novam Academiam, ex Arceſilæ ſententia, quaſi meliorem vetere tuebatur. In Bruto: *Cum princeps Academiæ Philo Romam veniſſet, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus.*

Morem dialogorum] Scribuntur enim in dialogis ea, quæ, licet diſputata non ſint, veriſimilia tamen ſunt.

De nobis] Non de aliis, ut in his dialogis, in quibus de Antiocho & Philone diſputamus.

Inter nos] Simul enim vivemus. epiſtola ſecunda: *Modo ſit nobis illud, una vivere in ſtudiis noſtris.*

Superiorum temporum fortuna reip. cauſſam ſuſtineat] Quod ſero hæc inter nos ſtudia incipiamus exercere, fortunæ reipub., non nobis, adſcribi oportet: excuſat nos, quod attinet ad ſuperiora tempora, & ſuſtinet cauſſam noſtram fortuna reip. convictum enim noſtrum reip. calamitas impedivit. hæc vero tempora præſtare ipſi debemus: nobis horum temporum reddenda ratio eſt. otium enim habemus, cum in oppreſſa repub. nihil jam agere liceat. itaque ſcribamus & de nobis, & inter nos.

Saltem certe] Optat ſi non bonam, ſaltem aliquam reip. formam. non enim mitiorem tyrannum, ſed rempublicam, ſi non optimam, ſaltem tolerabilem exoptat.

Quamquam] Correctio: quia dixerat, *Hæc inter nos ſtudia exercere*. quamquam, inquit, tum quidem eſſet, quod honeſte curare poſſemus.

Vel alia] Etiam aliæ. nam, *Vel*, interdum valet, *Etiam*, auctore Donato, cum illud interpretatur in Andria Terentii; *Vel hoc quis non credat.* Sic Virg. ecl. 8.

Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam.

Et Cicero ipſe epiſt. 16. lib. 4. ad Att. *Occupationum mearum vel hoc ſignum erit, quod epiſtola librarii manu eſt.* Alibi eſt pro, *Veluti*, ut epiſt. 13. lib. 2. & 24. lib. 7.

Honeſtas] Quæ nunc honeſtæ non ſunt, rep. ſerviente.

Sine his] Studiis.

Vix] Vix eſt, cur velim vivere, cum his ipſis etiam ſtudiis.

Ne vix quidem] Sic locutus lib. 2. de Fin.

Migrationem] In domum nuper emptam.

EPISTOLA IX.

Pag. 22. T*Erentia*] Vixiſſe eam annos centum & octo, auctor eſt Plinius.

Partium] Cæſaris, cum quo ipſe fuit in omnibus bellis civilibus.

Jam

Jam inclinata victoria] Jam enim Pompejus Italiam Hiſpaniaſque amiſerat.

Pie] Pro noſtra affinitate.

Nominis ſui] *Magnus* enim ob res geſtas vocabatur.

Capto] In Hiſpania.

Veterano] Legimus in Suetonio, dixiſſe Cæſarem, cum iret adverſus Pompeji legatos in Hiſpaniam, ire ſe ad exercitum ſine duce, & inde reverſurum ad ducem ſine exercitu. Quod res ipſa comprobavit. collecticio enim exercitu Pompejus in Pharſalia dimicavit. epiſt. 3. lib. 7.

Circumvallato] Ad Dyrrhachium. Suetonius, Cæſar ipſe lib. 3. de bel. civ. Plutarchus, alii.

Quod, neſcio, an ulli umquam noſtro acciderit imperatori] Pro, *fortaſſe*, uſurpat ſæpe Cicero, *Neſcio*, vel, *Haud ſcio*, majore quadam elegantia, ut infra, epiſt. 14. *Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini.* Et epiſt. 15. *Eſt id quidem magnum, atque haud ſcio an maximum.* Et de Orat. lib. 2. *Videtisne, quantum munus ſit oratoris hiſtoria, haud ſcio an flumine orationis & varietate maximum.* Ibidem: *Magnum quoddam opus eſt, atque haud ſcio, an de humanis operibus longe maximum.*

Animum adverte] Sic Plautus & Terentius locuti.

Evitaverit] Evitavit.

Abdiderit] Non abdidit, ſed tamquam victor Dyrrhachio diſceſſit.

Aliquando] Quaſi jam antea Cicero peccaſſet, cum in Græciam ad Pompejum navigavit, Cœlio in primis diſſuadente. epiſt. 16. lib. 8.

Satisfactum eſt jam a te vel officio, vel familiaritati] Sic Virg. lib. 2. Æn.

Sat patriæ, Priamoque datum. ——

Officio] Erga hominem bene meritum. epiſt. 6. lib. 6. *Veritus ſum deeſſe Pompeji ſaluti; cum ille aliquando non defuiſſet meæ.*

Familiaritati] Quæ Ciceroni cum Pompejo fuit.

Pag. 23. *Partibus*] Pompejanis, quas probaſti.

His quoque locis] Dyrrhachio, ſicuti pulſus eſt Italia.

EPISTOLA X.

S*Alvio noſtro*] Libero.

Niciam] Hic eſt Curtius Nicias Grammaticus, de quo Suetonius in libro de Grammaticis. familiaris Dolabellæ fuit. epiſt. ult. lib. 13. ad Att.

Judicem] De pecunia, quam ſibi a Nicia deberi Vidius ajebat.

Alter] Vidius.

Vt opinor] *Opinari* ſe dicit, quia Vidii codicem accepti & expenſi nondum fortaſſe viderat.

Alter Ariſtarchus] Vt Ariſtarchus olim, quos Homeri non eſſe verſus arbitrabatur, obeliſco notabat, ut inducerentur tamquam nothi: ſic Nicias verſiculos illos, expenſam ſibi pecuniam indicantes, non agnoſcebat, fictoſque a Vidio dicebat.

Pag. 24. Ὀβελίζει] Veru notat.

Criticus] Vt Ariſtarchus.

Τῷ ποιητῇ] Poetæ, Homeri. Jocum Cicero quæſivit in ſimilitudine. nam quia, *Verſiculis*, dixerat, & mox, *Ariſtarchus*; ideo poetam nominavit; cum Vidium ipſum ſignificet, qui verſiculos illos ſcripſerat.

Παρεμβεβλημένοι] Interjecti: ſic a Vidio ficti, ut in Homeri poemate interjecti a neſcio quo verſus aliquot erant, de quibus Ariſtarchus judicavit.

Quos apud Niciam] Comediſti.

Culinarum] Lautæ cœnæ ſignificantur, quibus affuit Cicero cum Nicia, & ejus fortaſſe uxore Sophia. Hic veteres libri diſcrepant inter ſe. habent enim, *Cularum*, *Gularum*, *Tullarum*, *Ganearum*, *Cochlearum*, *Ferculorum*: duo, *Culinarum*: quos probavi.

Septima] Filia. Mulieres interdum ab ordine naſcendi appellabantur, Prima, Secunda, Tertia, ſive Tertulla, & ſic deinceps.

Exenſam] Dejectam, ereptam.

Severitatem] Pro veritate & juſtitia ponitur: in Verrem: *De quo ſi vos ſevere religioſeque judicaveritis: auctoritas ea, quæ in nobis remanere debet, hærebit. ſin iſtius ingentes divitiæ judiciorum religionem veritatemque perfregerint: &c.* Pro eo, quod dixerat, *ſevere*, *religioſeque*, reddidit, *Religionem*, *veritatemque*.

Vt

Vt ne in foro quidem] In uno tantum vetere libro, *Quidem*, invenimus quod ideo ſignificandum duximus, quia, vel ſi tollatur, ſententia tamen conſiſtit, & fortaſſe rectius.

Priſtina frontis] Severitatis, quæ fronte oſtenditur.

Appareant] In judicando.

Συμβιώτην] Convictorem.

Præſtabo integellum] Efficiam, ne quid damni patiatur.

Nec committam, ut ſi ego eum condemnaro, tu reſtituas] Jocari cœpit, cum dixit: *Vt ne in foro quidem reliquiæ priſtinæ frontis appareant.* non enim de Niciæ & Vidii controverſia judicaturus erat in foro, ſed intra domeſticos parietes, judex ab utroque electus communis amicitiæ jure, patique æquitatis ejus opinione. fori vero mentionem facit, quia lites in foro judicabantur. itaque ut ingenio valebat, eratque cum familiaribus feſtivus & facetus, primum, a forenſibus judiciis ad eam, quam inter duos litigantes, perſonam ſuſceperat, ducta ſimilitudine, jocum quæſivit: deinde, ut iniquam notaret condicionem temporum, quia Cæſar damnatos lege Pompeja reſtituerat; cur ego, inquit, amicum tuum Niciam condemnem, cum vos Cæſariani judicia reſcindere, & damnatos reſtituere ſoleatis? itaque vereri poſſum, ne judicium meum, ſi tibi diſplicuerit, irritum facias, &, quem ego condemnaro, tu in integrum reſtituas.

Ne habeat Plancus Burſa] Tuo beneficio, ob Niciam a te reſtitutum.

Apud quem litteras diſcat] Mordet veterem ſuum inimicum Burſam, ut imperitum litterarum, & Grammaticis uti ſolitum, fortaſſe etiam hoc ipſo Nicia, ut aliquid diſceret. Erat autem hic quoque Burſa, unus ex iis, quos lege Pompeja damnatos reſtituerat Cæſar. epiſt. 2. lib. 7.

Vt in bello] Hiſpanienſi.

Te libenter eſſe riſurum] Confectum eſſe bellum, nec te jam in aliqua majuſcula curа negotiove verſari.

Antequam certum ſcierit] Verebatur enim, ne falſum eſſet, quod eſſe verum cupiebat; quia P. Sulla, quod & antea dictatore propinquo ſuo L. Sulla, & poſtea Cæſare, proſcriptorum civium bona emere conſueverat, populo in primis odio erat. de ejus obitu ep. 17. & 19. libro decimoquinto. nominatur etiam libro ſecundo de Off. his verbis: *Nec vero umquam bellorum civilium ſemen & cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sulla cum vibraſſet dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta eadem non receſſit.* Opinor eſſe, quem Cicero defendit oratione, quæ exſtat.

Pag. 25. *Quo modo perierit*] Alii enim, a latronibus; alii, cruditate, dicebant. epiſt. 17. lib. 15.

Quod ſciunt] Illum eſſe mortuum.

Pag. 26. *Vnum vereor*] Cum ironia dictum. haſtam enim illam Cæſaris, ad quam bona Pompejanorum veniebant, Cicero & omnes boni vehementer oderant.

Refrixerit] *Refrigeſcere* dicuntur ea, quæ ceſſant. epiſt. 5. lib. 2. ad Q. fr. *Quod de Pompejo Caninius agit, ſane quam refrixit.* Contrario ſenſu accipitur, *Calere.* pro Plancio: *Crimen de nummis caluit re recenti, nunc in cauſſa refrixit.* epiſt. 17. libro decimoquinto: *Cæſarem putabant moleſte laturum, verentem ne haſta refrixiſſet.*

EPISTOLA XI.

DEſiderares] Petierat Dolabella per litteras a Cicerone, ut ſibi de Tulliæ obitu aliquid ſcriberet; indicaretque quam fortiter eum caſum ferret.

Et oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis] Epiſt. 6. lib. 4. *Et ea ſcripſiſti, quæ levare luctum poſſent; & in me conſolando, non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti.*

Brevi tempore] Iam enim Hiſpanienſis belli, cui Dolabella intererat, exitus exſpectabatur.

Hominem me eſſe] Epiſtola decimaſexta libro quinto: *Homines nos ut eſſe meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunæ telis propoſita ſit vita noſtra.* Et epiſt. 17. ejuſdem libri: *Vt & hominem te, & virum eſſe meminiſſes.* Et epiſtola 18. ibidem: *Qua conditione omnis homi-*

homines, & quibus temporibus nati ſumus, cogites.

Fortunæ ſuccumbendum] Quod infirmi animi eſt. In eo tamen libro, quem de luctu minuendo ad ſe ipſum ſcripſit, victum ſe a fortuna fatetur. *En* (ait) *manum tollo, cedo, viciſti.* Quæ verba recitant Lactantius & Divus Hieronymus.

Hilaritas illa noſtra, &c.] Eadem eſt ſententia de eadem re in epiſt. 39. l. 12. ad Att. *Hilaritatem*, inquit, *illam, qua hanc triſtitiam temporum condiebamus, in perpetuum amiſi: conſtantia & firmitas nec animi nec orationis requiretur.*

Prælia ſuſtinere] Acriter concertare cum obtrectatoribus meis.

Confirmatus] Ex eo caſu, quo ſum graviſſime afflictus.

EPISTOLA XII.

Pag. 27. B*Ajis*] Salubres Bajarum aquæ. Plinius lib. 31. c. 2.

Noſtris] Blanditur loco, quia valetudinem commodiorem amico reſtituerit.

Oratiunculam] Quæ exſtat.

Habebam mecum] Ruſticabatur igitur Cicero.

Tenuem & inopem] In qua non ſuppeterent argumenta, quæ aliis in cauſſis deeſſe non ſolent.

Munuſculum mittere volui levidenſe, craſſo filo] Verbum, *Volui*, eſt in quattuor antiquis libris. itaque non video, cur in dubium vocetur, præſertim requirente ſententia. *Levidenſe* autem, ſine diphthongo in ultima ſyllaba, legitur in omnibus antiquis libris; nec de mendo ſuſpicari poſſum, cum Iſidorus libro decimonono inter nomina veſtium *Levidenſem* appellet, eamque ſic vocatam oſtendat, quod raro filo ſit, leviterque denſata. Deinde ſubjungit hæc: *Pavidenſis, contraria levidenſi, dicta, quod graviter denſa atque calcata ſit.*

Pag. 28. *Cujuſmodi ipſius ſolent eſſe munera*] Quia non admodum liberalis erat.

Aliorum] Cæſarianorum.

Injuriam] Quam inferebant viris bonis, & legibus, atque inſtitutis majorum.

EPISTOLA XIII.

L*Epta*] Q. Leptæ, qui Ciceronis in provincia præfectus fabrum fuerat. epiſt. 7. lib. 3.

Vitandi belli] Civilis, quod primum in Italia geſtum eſt.

M. Varrone] Legato Pompeji in Hiſpania cum Afranio & Petrejo.

Pag. 29. *Ante bellum*] Quod Cæſar cum legatis Pompeji geſſit in Hiſpania.

Poſt Afranium ſuperatum] Unum de tribus nominat, quia conſularis erat ſolus, ideoque honore primus.

Bellum ullum fore] Quod fuit, & graviſſimum omnium, cum Pompeji liberis.

In ea ipſa mala] In bellum, cujus vitandi cauſſa profectus erat in Hiſpaniam.

Scapula] T. Quinctio Scapula, equite Romano. Dio lib. 43.

Nulla ratione] Ingenioſa excuſatio: quaſi Suberinus voluerit quidem, ſed nullo modo potuerit ejus belli ſocietatem vitare.

Eadem cauſſa] Quod de Suberino, idem fere de Planio dictum puta.

Heredis] Non dubito, quin ſit hoc Planii cognomen. itaque ſcripſi prima littera majuſcula.

Cura, ſtudio, ſollicitudine] Singula vim petitionis augent.

Volo ipſorum cauſſa] Nota locutio. epiſt. 1. lib. 1. *Regis cauſſa ſi qui ſunt, qui velint.*

Humanitas] Humanitatis eſt, miſereri afflictorum hominum, præſertim ſi fortuna magis, quam culpa, miſeri ſint, quod infra dicitur.

Vel, ſi pateris, oro] Non enim pati videtur amor in me tuus, ut te orem. petere ſatis eſt. Simile illud epiſt. 9. lib. 1. *Ea tanta mihi cura ſunt, ut me nolim admoneri, rogari vero ſine magno dolore vix poſſim.*

Quem omnibus antepono] Non omnibus plane hominibus, (non enim Leptæ tantum tribueret) ſed omnibus Calenis. nam & Lepta ex eodem erat municipio.

Nihil obeſt dicere] Fortaſſe etiam prodeſt.

prodeſt. nam eorum, qui commendantur, inopia miſerationem elicit.

Vix equeſtris] Vix poſſidet quadringenta millia nummum. hic enim cenſus equeſtris erat. Horatius epiſtola 1. lib. 1.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris. ———

EPISTOLA XIV.

Pag. 30. *Dolabella*] P. Cornelio Dolabellæ: qui cum antea gener Ciceronis fuiſſet, (epiſt. 16. lib. 2. & 13. lib. 8.) poſtea divortium fecerat. epiſt. 18. lib. 6.

Convenio autem quotidie plurimos] Sic locutus, verbo repetito, epiſtola 5. lib. 6.

In hac loca] Bajas. epiſt. 10.

Summis laudibus] Ob everſam columnam & aram. epiſt. 2. lib. 11. & 1. lib. 12. & ad Att. epiſt. 15. 16. 19. libro 14. & Phil. 1. præterea Suetonius, Appianus lib. 3. Lactantius lib. 1. c. 15. alii.

Conſulem] Interfecto Cæſare, Dolabella cum faſcibus tamquam conſul in forum venit. nam eum ſibi Cæſar, iturus ad bellum Parthicum, ſuffecerat.

Pag. 31. *Non alienum dignitate tua*] Sic epiſt. 53. lib. 13. nonnulli veteres libri, *A dignitate tua*: alii, *Dignitati tua*. omnes recte, quod attinet ad conſuetudinem Latini ſermonis. nam & dandi, & auferendi, & generandi etiam caſibus *Alienum* jungitur.

Regum regi] Quia regibus omnibus ad bellum Trojanum profectis imperabat.

Neſtorem] Quo potiſſimum conſiliatio utebatur Agamemnon. Homerus Il. lib. 1.

Quaſi alumnum diſciplina mea] Diſcipulum ſuum vocat epiſt. 7. & 18. & lib. 7. epiſt. ult.

J. Cæſar] Juliæ, M. Antonii matris, frater: avunculus igitur Antonii. Hunc Antonius, oppreſſa ruſus poſt obitum Cæſaris rep. necandum Octavio tradidit; Octavius ei Ciceronem. Sed cum ad eum interficiendum milites ab Octavio miſſi veniſſent, confugit ad Juliam ſororem: quæ fratrem, objecto percuſſoribus corpore, clamans Antonii matrem una cum fratre necandam, incolumem ſervavit. Plutarchus, Appianus.

Neapolim] Epiſt. 17. lib. 14. ad Attic.

Sororis filium] M. Antonium, Dolabellæ collegam in conſulatu.

De ſaxo] De columna & ara ſublata.

De regeſta] De ſervis cruci affixis, liberis de rupe Tarpeja dejectis. epiſt. 15. lib. 14. ad Att. *O mirificum Dolabellam meum! jam enim dico meum: antea, crede mihi, ſubdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet, de ſaxo, in crucem, columnam tollere, locum illum ſternendum locare. quid quæris? heroica.* Et ad eundem, infra.

Reip. ſalutaris] Epiſt. 1. lib. 12.

Quaſi falſam hereditatem] Tu enim, quæ facis, tuo judicio & tua ſponte facis. itaque hæc non vera hereditas.

Pag. 32. *Aliena gloria*] Tuæ.

Cernere] Uſitatus loquendi modus, *Cernere hereditatem*, pro adire. Feſtus. epiſt. 2. lib. 2. ad Att. & 43. lib. 13.

Transfuderim] Contraria tranſlata poſuit, *Transfuderim, exhauſerim.*

Ardentius] *Flagrare amore, incendi, inflammari, ardere,* dicimus.

Nihil formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius] Ex forma & pulchritudine oritur amor: ideo, *Amabilius*, tertio loco poſuit. Apparet autem, cum dicat, *Nihil formoſius, nihil pulchrius*, quiddam eſſe, quo differant inter ſe forma & pulchritudo: idque, niſi fallor, tale eſt. Forma movet, & ad venerationem quandam animum adducit, decora ſpecie, & apta partium omnium compoſitione. Pulchritudo allicit, & fruendi cupiditatem gignit. Ex hac diſtinctione poteſt aliquid eſſe formoſum, nec tamen pulchrum; & aliquid pulchrum, nec tamen formoſum. itaque, formoſus ſenex, proprie dicetur; pulcher, non item: & contra, pulchra oratio, veſtis, domus, non formoſa. Confundit interdum Cicero, ut nihil a pulchritudine differre forma videatur: hic, quia perſpicue alteram ab altera diſtinguit, utriuſque vim indicare operæ pretium fuit.

Idibus Mart.] Quo die Cæſarem Brutus occidit. epiſt. 28. lib. 10. & omnes hiſtorici.

Tantum acceſſit] Ob everſam columnam, hominesque libertatis inimicos extremo ſupplicio affectos.

Amare videar, antea dilexiſſe] *Diligere* levius eſt, quam *Amare*. in epiſtola ad M. Brutum: *Clodius valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον, valde me amat.* epiſt. 47. lib. 13. *Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipſe diligis? ſed tamen, ut ſcires eum non a me diligi ſolum, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc ſcribo.* Et ad M. Brutum apud Nonium: *Aut amabis me, aut, quo contentus ſum, diliges.* Terentius quoque ut diverſa poſuit in Eun. *Non pol, quo quenquam plus amem, aut plus diligam, eo feci.*

Tecum ipſe certes] Non jam ut alios, ſed ut te ipſum vincas. Egregius laudandi mos. de Orat. lib. 3. *Sæpe inter homines ſapientiſſimos conſtare vidi; quamquam hoc Craſſo, cum aliquid accuratius dixiſſet, ſemper fere contigiſſet, ut numquam dixiſſe melius putaretur; tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum judicatum, ceteros a Craſſo ſemper omnes, illo autem die etiam ipſum a ſeſe ſuperatum.* Epiſtola 1. libro primo ad Q. Fr. *Non ut cum aliis, ſed ut tecum ipſe certes.*

Quod haud ſcio an nemini] Idem erat, *Haud ſcio an cuiquam.* Et utroque modo utitur Cicero. vide quæ diximus epiſt. 9.

Summa ſeveritas animadverſionis] Hac de re ſic in Philip. 1. *Cum ſerperet in urbe infinitum malum; idque manaret in dies latius; iidemque buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant; & quotidie magis magiſque perditi homines cum ſui ſimilibus ſervis tectis ac templis urbis minarentur: talis animadverſio fuit Dolabellæ cum in audaces ſceleratoſque ſervos, tum in impuros & nefarios liberos, taliſque everſio illius exſecratæ columnæ, ut mihi mirum videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die diſſenſiſſe.*

Invidioſa] Odioſa: ut epiſt. 1. lib. 1. *Regia largitionis invidia.*

Popularis] Grata omnibus: cum gratios ſoleat eſſe clementia. epiſt. 4. lib. 10. ad Att. *Ipſum non voluntate aut natura non eſſe crudelem, ſed quod putaret, popularem eſſe clementiam.*

Infimo cuique] Quod mirum videbatur: cum infimi homines licentia & rerum novitate delectentur. Eadem de re in epiſt. 16. lib. 14. ad Attic. *Quis audeat violare, propoſita cruce, vel ſaxo? præſertim tantis plauſibus, tanta approbatione infimorum.*

Felicitati tuæ] Non virtuti.

Animi] Hoc refertur ad rem geſtam.

Ingenii atque conſilii] Hoc ad concionem ipſam, in qua vehementer eos accuſabat, qui columnam illam in foro Cæſari mortuo erexerant.

Pag. 33. *Acceſſus a te ad cauſſam facti*] Acceſſiſti ad rem narrandam ita pedetentim & gradatim, indeque ita receſſiſti, non ut impetu quodam & temeritate raptus ad animadvertendum videreris, ſed ut ipſa res, a te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animadverſionem, omnium conceſſu.

Maturitatem animadvertendi] In eos, qui columnam erexerant.

Urbem periculo, civitatem metu] Tecta ab igne, cives a cæde. Differre *Urbem* a *Civitate*, quis jam neſcit? Pro Sulla: *In qua civitate res tantas geſſerim, memini; & in qua urbe, intelligo.* De hoc periculo ſic epiſt. 1. lib. 12. *Manebat illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & etiæ diffiderem urbano.* Et Philip. 1.

Ad tempus] Ut aliquandiu tua nobis hæc præclara actio fructum ferat.

Ad exemplum] Ut hoc exemplo ſemper homines ad bene de rep. merendum excitentur. In Vatinium: *Quo etiam majore es malo mactandus, quod non ſolum facto tuo, ſed etiam exemplo remp. vulneraſti.*

Tuendos] Ab injuria.

Ornandos] Honoribus afficiendos.

Illos viros] M. Brutum, C. Caſſium, & alios, qui Cæſarem regnantem occiderant.

Initium libertatis] Quaſi dicat, a te conſule reliqua exſpectantur; ut ſis particeps ejuſdem gloriæ. Ad hanc Ciceronis epiſtolam reſcripſit Dolabella luculente. epiſt. 21. lib. 14. ad Att.

EPISTOLA XV.

Papyrio Peto] *Patum* ab oculis leviter declinatis, Porphyrio in Horat. Sat. 3. deductum ait: Acro, quod ejus oculi huc & illuc moverentur.

Phileros] Servorum nomina, Zethus, & Phileros.

Intelloxi pergratam tibi eſſe curam meam valetudinis tuæ? quam tibi perſpectam eſſe gaudeo] Sic unus omnino vetus liber, & recte. reliqui omnes mendoſe, *Intelloxi pergratam tibi perſpectum eſſe gaudeo.*

Pag. 34. *Reapſe*] Antique, pro *Re ipſa*, ut *Meapte*, *Suapte*. Sic Cicero, Pacuvius, Plautus, Africanus minor, Seneca loquuti ſunt. Feſtus.

Atque haud ſcio, an maximum] Et fortaſſe maximum. epiſt. ſuperiore: *Contigit tibi, quod haud ſcio an nemini:* pro, quod opinor nemini: vel, quod fortaſſe nemini. Dubitatio quædam eſt, ita rem amplificans, ut ſpecies minuatur aſſentationis. Pro Flacco: *Cujus ego civitatis diſciplinam atque gravitatem non ſolum Græcia, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam putem.*

Attici] Qui laudati in primis ſolent. epiſtola trigeſima prima libro ſeptimo.

Noſtratibus] Romanis, non Latinis, aut Gallicis.

Oblitas] Inquinatas.

Latio] Ex Latio.

Cum in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas] Cum Latinis data civitas eſt. quorum conſuetudo Romanum ſermonem infuſcavit. *Peregrini* autem ab initio Latini Romæ vocabantur: & lex lata de peregrinis urbis uſu prohibendis. & hic Cicero a peregrinis, id eſt, a Latinis, Gallos diſtinguit, quos Braccatas & tranſalpinas nationes appellat.

Braccatis & tranſalpinis nationibus] Gallia Braccata, quæ cis Alpes fuit, dicebatur provincia Narbonenſis, a genere veſtimenti: Comata vero, quæ Romanis antequam a C. Cæſare ſuperaretur, non paruit, dicta a comis alendis. Hic Cicero jocatur, non ſine ſtomacho, in Cæſarem, qui Gallis quibuſdam, non modo ciſalpinis, verum etiam tranſalpinis civitatem dederat: ex quibus nonnullos etiam in ſenatum recepit. Suetonius, *Civitate*, ait, *donatos, & quoſdam e ſemibarbaris Gallorum, recepit in curiam.* Et infra: *Illa vulgo canebantur, Gallos Cæſar in triumphum ducit. iidem in curia Galli braccas depoſuerunt, latum clavum ſumſerunt.*

Pag. 35. *Omnes mihi Granios*] Quicumque Granio ſimiles in dictis fuere. Granius præco dicax admodum fuit. nominat eum Cicero lib. 2. de Orat. & in Bruto, & in oratione pro Plancio, & Lucilius Poeta apud Gellium libro 4. cap. 17.

Conjicere in verſus dictum præconis volebam
Granii. ——

Vero ut dicam] Hoc interponit, quia tranſit ad majorem Pæti laudem. nam Craſſus & Lælius non modo faceti, ut Granius, ſed eloquentes etiam fuere.

Craſſos] L. Craſſum, oratorem ſummum, cujus mortem Cicero deplorat libro 3 de Orat.

Lælios] C. Lælium, Sapientis cognomine honeſtatum, Africani minoris amiciſſimum, cui ſermonis elegantiam Cicero tribuit in Bruto. Miror hic omiſſum eſſe Cæſarem illum, Catuli fratrem, qui dicacitate & facetiis omnes vicit: ut lib. 2. de Orat. & lib. 1. de Off.

Vernacula] Domeſticæ, Romanæ, non oblitæ Latio, aut braccatis & tranſalpinis nationibus.

Auctorem moderationis urbanæ] Quod ſuaſeris, ut neque ſemper in urbe maneam, neque ſemper abſim.

Neque ego aliter accepi] *Neque*, non disjungit hic, ut alibi, ſed fere valet idem, quod *Ne quidem:* ut ſi dixiſſet, *ne ego quidem aliter accepi.* Simile illud epiſt. 1. lib. 6. *Qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes.* Et epiſt. 4. ad Atticum lib. 1. *Quod ſcribis, etiam ſi cujus animus in te eſſet offenſior, a me recolligi oportere: quid dicas? neque id neglexi.*

Arbitrabar] Licere mihi arbitrabar, res has ſi non omnino, ſaltem ex magna parte relinquere. quod tu mihi non exiſtimas licere.

Magnam partem] Ex magna parte. epiſt. 9. lib. 8. *Soles libenter, ut ego, majorem*

jorem partem nihil curare. Cæſar lib. 4. de bel. Gal. *Magnam partem lacte vivunt.* Terentius in Eun. & Cicero ipſe Acad. 2. & Tuſc. 4.

Catulum] Q. Catulum, ejus filium. qui cum C. Mario conſul fuit.

Mihi narras] Ais Catulum ab reip. cuſtodia numquam diſceſſiſſe.

Illa tempora] Cum viveret Catulus.

Quid ſimile] Sic epiſt. 23. lib. 7. *Bacchas iſtas cum muſis Metelli comparas: quid ſimile?*

Sedebamus in puppi] Remp. gubernabamus ut principes, dignitate & auctoritate ſumma.

Pag. 36. *Vix eſt in ſentina locus*] Tantum abeſt, ut remp. regamus, ut vix ullam ejus partem attingere nobis liceat.

An minus multa S. C.] Abeſſe mihi licet nullo reip. damno. non enim, ſi ego Romæ non ſim, ideo minus multa S. C. fient.

Urgeo forum] In forum ſæpe venio.

Scribuntur apud amatorem tuum] Quæ ſcribi ſolebant in curia. dictis relata de re ſententiis, ita ex voluntate unius omnia geruntur: ſenatorum ſententiæ non rogantur, ſed S. C. inſcio ſenatu domi ſcribuntur. Amatorem Pæti Cæſarem vocat; apud quem auctoritate & gratia plurimum valebat Pætus.

Cum in mentem venit] Quaſi contemnens Cæſar non cogitat, ſed, cum in mentem venit, in S. C. ponit, affuiſſe me ſcribendo.

Ad ſcribendum] Opinor, ſcriptum fuiſſe, ADF. SCRIB. id eſt, adfuiſſe ſcribendo. de quo more diximus epiſt. 8. libro octavo.

Ultimis] Qui regnant in finibus imperii Romani.

Reges appellaverim] Fingebat Cæſar, ut adhuc reſpub. ſtare videretur, S. C. eſſe factum in ſententiam Ciceronis de aliquo rege appellando. epiſt. 17. libro ſecundo.

Quid ergo eſt? tamen] Sic Cœlius epiſt. 13. lib. 8.

Præfectus moribus] Cæſar, quem ſenatus moribus in triennium præfecerat. Dio lib. 43.

Parebo auctoritati tuæ] Faciam, quod ſuades: ab urbe non diſcedam. Joci non nihil eſt in hoc, *Parebo auctoritati tuæ* Sunt enim verba minoris ad majorem.

Fungos] Fungi, ut hodie quoque, apud veteres optime conditi, inter exquiſitas epulas habebantur. epiſt. 10. & lib. 7. epiſt. 26.

Domum ſi habebo] Neapoli.

In denos dies] Quem ſumptum in ſingulos dies præſcribit ſumptuaria lex, eum in decem dies diſtribuam. ita non modo non contra legem, ſed etiam intra legem epulabor. Tulit eam legem Cæſar poſt bellum Africanum, Dione teſte. vide epiſt. 26. lib. 7. & epiſt. ult. hujus libri, & epiſt. 7. lib. 13. ad Att.

Sin minus invenero, quod placeat] Si domum non invenero, quæ placeat.

Sullanam] In urbe Neapoli.

Non abjeci] Adhuc ſpero. epiſt. 1. lib. 13. *Te abjeciſſe illam ædificationem, conſtabat inter omnes.*

EPISTOLA XVI.

Pag. 37. S*Uo nuncio*] Videtur nunciaſſe, ut ex epiſtola colligitur, Cæſarem ſalibus Ciceronis eſſe offenſum.

Pag. 38. *Ab iis, qui a Cæſare diliguntur*] Epiſt. 12. lib. 6.

Amari putem] Coli enim & obſervari aliquis poteſt, nec tamen amari.

Ut, quaſi aurum igne; ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit] Sumptum fortaſſe ex Iſocratis oratione (ſcriptam ab Iſocrate Apolloniate, Harpocration putat) ad Demonicum, in qua ſic eſt: Τὸ μὲν χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν.

Signa communia] Tam eorum, qui vere amant, quam qui ficte.

Sed ego] Ratio Latini ſermonis, *Tamen* poſtulabat: verum Cicero, ſententiam ſpectans potius quam verba, *Sed*, pro *Tamen* intulit.

Noſtra fortuna] Humilis & abjecta: itaque non eſt, cur quiſquam, qui vere non amet, amare ſe ſimulet.

Illorum] Florentiſſima: cum ſit penes Cæſarem poteſtas omnis.

Præſtari] Ut certum affirmari.

Ne dicam libidine] Voluntas enim juſta poteſt eſſe, libido non poteſt.

Cujus

Cujus opera] Ob Catilinæ conjurationem oppreſſam.

Acute aut facete] Quædam enim acuta, nec tamen faceta: & *facetum* latius patet, quam *acutum*.

Offenſionem] Non, læſionem; (nam ſubjungit, nihil ſe loqui, quod offendat aut Cæſaris, aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem) ſed, nonnulla dicta, in quæ vel ſine induſtria offendo & incurro. Hoc verbum eſt in antiquis libris omnibus, quibus nunc utor: & erat in iis, quibus utebar olim adoleſcens: quod ideo teſtatum volui, quia nonnulli de hoc loco ita ſcripſerant: *Nulli veteres codices, Offenſionem, habent*. poſtea, mendoſum hic eſſe librum illum, quem reliquis omnibus præferre non dubitant, iidem confeſſi ſunt. omnino valde mirabar, cur illud verbum, quod ego in cunctis veteribus libris videbam, ipſi in nullis eſſe affirmarent. ſatis igitur liquet, quod ſæpe dixi, non unum, aut paucos veteres libros, ſed multos inſpiciendos eſſe, ſi reſtituere antiquitatem cupimus. interdum enim, ubi libri ante multa ſæcula deſcripti, mendis inquinati ſunt, recentiores vacare vitio animadverti: itaque vetuſtiores quidem diligentius inquirere, nullum tamen contemnere debemus.

Pag. 39. *Fama ingenii mihi eſt abjicienda*] Quam abjicere non poſſum; itaque nec effugere acute aut facete dictorum offenſionem.

Si id poſſem] Effugere offenſionem ſupra dictam.

Tritas] Admodum exercitatas.

Notandis] Diligenter obſervandis.

Pag. 40. *Et conſuetudine legendi*] Cum aſſidue quoque Poetas legeret.

Jam confecerit] Puer cum eſſet. Suetonius.

Ἀποφθεγμάτων] Salſe dictorum a multis. Hunc librum, *Dicta collectanea*, Suetonius vocat.

Actis] Et publica, & privata erant acta: publica, ut edicta, S. C., leges: privata, quidquid privatim ageretur. Phil. 2. *In publicis actis nihil eſt lege gravius: in privatis firmiſſimum eſt teſtamentum*. Epiſt. 28. lib. 10. *Quod niſi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer; ipſe perſcriberem*. Et ep. 15. l. 2. *In actis non erat*. Hic autem privata ſignificantur acta.

OEnomao tuo] Attii tragœdia, cujus teſtimonio utuntur Feſtus & Nonius.

Nihil utor] Verſus ex OEnomao tragœdia, a Papirio recitati, vitandam invidiam, admonebant.

Poſuiſti loco] Opportune eorum exemplum attuliſti. *Loco*, aut *in loco* dicere aliquid aut facere, ſumitur pro, ubi tempus poſtular, non alieno tempore, cum oportet. epiſt. 16 lib. 11. *Epiſtola offendunt non loco reddita*. Libro 3. de Leg. *Senatori tria juſſa ſunt: ut adſit: nam gravitatem res habet, cum frequens ordo eſt: ut loco dicat, id eſt, rogatus: ut modo, ne ſit infinitus*. Et in Partit. *Loco tu quidem quæris*. Loco igitur Pætus, cum de vitanda ageret invidia, verſus Attianos poſuit.

Pag. 41. *Fac eſſe omnia*] Eſto, ut invideatur mihi, licet invidendi cauſſa nulla ſit.

Iis] Non omnibus, Stoicis, Academicis, Peripateticis.

Vim virtutis tenere] Intelligere, in quo ſita ſit virtus.

Nihil eſſe ſapientis præſtare, niſi culpam] Hoc unum ſapientis eſſe, culpam vitare: quod poteſt: cetera eum præſtare non poſſe: quæ ſi eveniant, reprehendi eum non debere. vide infra.

Ad ea] Quæ rectiſſima fuere.

Cum valentioribus] Cum Cæſare. epiſt. 7. libro 4. epiſt. 1. & 6. libro 6. epiſt. 1. libro 7.

Id quoque puto eſſe ſapientis] Quia ſupra dixerat, *Nihil eſſe ſapientis præſtare, niſi culpam*: ne videatur in una tantum re ſapientis officium poſuiſſe, ſubjunxit, *Id quoque puto eſſe ſapientis*. ſed illud e ſententia Stoicorum dixit, qui de vitanda culpa tantum laborabant, cetera contemnebant omnia: hoc ex opinione ſua, qui non modo culpam vitare, ſed tueri etiam ſalutem vult. itaque ſupra, *Quidquid*, ait, *arte effici potuerit, &c.*

Præſtare non poſſum] Aliorum voluntatem & fidem præſtare non poſſum: culpam quidem præſtabo: quod unum ſapientis eſſe, Stoicis placuit: etiam illud, quod præterea ſapientis eſſe mihi

videtur, ne quid ſtulte, ne quid temere dicam faciamve contra potentes.

Et illam Attii ſimilitudinem non modo jam ad invidiam; ſed ad fortunam transferam] *Similitudinem* appellat verſus Attianos, in quibus imago quædam cernebatur ſuæ ſervituris: &, quoniam iis verſibus præcipiebatur, vitandam eſſe invidiam, præſertim iis qui lædi facile poſſent; quo in numero, poſt Cæſaris victoriam, Cicero fuit; propterea non ſibi invidiam potius, quam fortunam, timendam ſignificat: quam tamen ipſam fortiter ſuſtineri oportere, & ita frangi ab animo firmo & gravi, ut fluctus frangitur a ſaxo. in quo imitabor, inquit, eos, qui vel Athenis, vel Syracuſis, ita tyrannidem tulerunt, ut, ſervientibus ſuis civitatibus, fuerint ipſi quodam modo liberi.

Levem & imbecillam, ab animo firmo & gravi] Antitheta, *leve* & *grave*; *imbecillum*, & *firmum*: quibus admodum ornatur oratio.

Sapientiſſimi viri] Athenis Socrates, cum triginta tyranni, a Lacedæmoniis impoſiti, dominarentur; Syracuſis Plato, atque etiam Ariſtippus, regnante majore Dionyſio. Laertius, & alii.

Quodam modo] Non omnino, ſed quodam modo. non enim, ubi e ſua libidine unus omnia moderatur, ibi perfecta libertas eſſe poteſt. erant igitur illi viri quodam modo liberi, quia quædam patienter ferrent, quædam autem, quæ dominantibus placerent, ipſi facere nollent, aut dicere.

Offendam] Supra bis idem dixit, primum his verbis: *Ut olim arbitrabar eſſe meum, libero loqui, cujus opera eſſet in civitate libertas: ſic, ea nunc amiſſa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum qui ab illo diliguntur, voluntatem.* Deinde ſic: *Reliquum eſt, ne quid ſtulte, ne quid temere dicam faciamve contra potentes.*

Dignitatem] Quæ frangitur dimiſſione animi, aſſentatione, mutatione ſententiarum, denique rebus omnibus indecore factis.

Secundum OEnomaum] Poſt OEnomaum. epiſt. 12. lib. 4.

Non ut olim ſolebat, Atellanum, ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti] Papirius in epiſtola ſua, poſt eos verſus, quos ex Attii OEnomao recitaverat, Ciceronem irriſerat, non modeſte ut ſolebant olim Attellanarum actores, ſed liberius, ut actores mimorum. multis modis enim fabula mimus ab Atellana differebat: quod parum modeſte dicax; quippe quæ dicta ſit, ut ait Donatus in Terentii vita, ab imitatione diuturna vilium rerum, & levium perſonarum. itaque Macrobius lib. 3. Saturn. mimis laſciviam tribuit: quod Romana lingua, non Oſca, ut Atellana: quod ab uno tantum agebatur: quod exodiis carebat: neque enim in quinque actus, ut Atellana, & reliquæ fabulæ, quibus actibus inſerebantur ad animos recreandos exodia, dividebatur, ſed perpetuam actionem habebat: poſtremo, ut arbitror, quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquæ fabulæ, agebatur. hinc Laberii, hinc Publii mimi; e quibus argutiſſimos & pulcherrimos verſus recitant Macrobius, Nonius, & alii. apud Græcos autem Sophron, & Xenarchus, quos libro primo Poet. nominat Ariſtoteles, mimos conſcripſere: & ab iis, niſi me opinio fallit, imitatione aliqua, ut a Græcis Latinæ comœdiæ, item fluxit Latinus mimus. Atellanæ vero fabulæ jocis quidem & ipſæ, ſed aliquanto modeſtioribus, compoſitæ erant, & (ut ait Donatus) in ſe non habebant niſi vetuſtam elegantiam: id eſt, ut ego interpretor, minus dicaces erant, quam mimi. Propterea Valerius Maxim. libro ſecundo, cap. primo, genus hoc delectationis Italica ſeveritate temperatum, ideoque nota vacuum, & ab Oſcis accitum eſſe dicit. Livius autem, a quo ſumpſit Valerius, hæc prodidit lib. 7. *Poſtquam ludus in artem paulatim verterat; juventus, hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula, intexta verſibus, jactitare cœpit: quæ exodia poſtea appellata: conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt. quod genus ludorum, ab Oſcis acceptum, tenuit juventus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. eo inſtitutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tamquam expertes artis ludicræ, faciant.* Quod igitur elegantiam

in

in Atellanis Donatus eſſe dixit: non ad ſermonis genus, quod rude, & impolitum fuiſſe duco, qualis erat Oſcorum lingua, a quibus Atellanæ acceptæ, ſed ad ſententiarum munditiam refero, jucundam auribus nobilium virorum, ſicuti mimorum laſcivia dicacitate inferiorum ordinum homines delectabantur magis. Præterea ſermone Oſco, non Romano, Atellana componebatur: a pluribus, non ab uno tantum, agebatur: habebat exodia, ut oſtendit Livius; de quo patet, in actus diſtributam fuiſſe, poſtremo cum tibicine, cantu, motu corporis agebatur: quod ex eodem Livio licet intelligere. Præter hæc, quæ mimum ab Atellana diſtinguebant, addam id quod mihi nunc in mentem venit, cives Romanos ingenuos Atellanas tantum agere ſolitos eſſe, quia genus illud nota vacuum fuit; reliquas fabulas, & in iis mimum a ſervis, aut libertis, aut a peregrinis actas eſſe: quis enim civis Romanus, præſertim ingenuus, ludicram artem exercere vellet, cum ſciret ſe tribu motum iri, nec ſtipendia deinde poſſe facere? At D. Laberius, non modo civis ingenuus, ſed etiam eques Romanus, mimum ſuum egit. Excuſatur neceſſitate: Cæſar enim juſſit, qui cogere poterat. in quo ſibi factam eſſe injuriam, queritur ipſe verſibus egregiis apud Macrobium libro tertio. Recte igitur mimum, non Atellanum, id eſt, Atellanæ fabulæ hiſtrionem, Pætus induxiſſe dicitur; quia dictis acutioribus, quam quæ inleri olim Atellanis ſolita fuerant, in Ciceronem jocaretur.

Ut olim] Nondum inventa mimo fabula, in qua mores alicujus, ut avaritia, libido, ſuperbia, deſcribebantur.

Pag. 42. *Hirtium*] Qui ſæpe audiit Ciceronem in Rhetoricis. nam in procemio libri de Fato, *Mihi*, ait Hirtius, *rhetorica noſtra ſunt nota; teque in his & audivimus ſæpe, & audiemus.*

Dolabellam] Epiſt. 7. lib. 7. epiſtola ultima.

Pag. 43. *Declamitare*] In quo æquiſſimis Ciceronis auribus utebantur: epiſtola ult. lib. 7.

Illos apud me declamitare, me apud illos cænitare] Ne quis hunc locum ex ingenio ſuppletum arbitretur, moneo lectorem, hoc totum eſſe in duobus antiquis libris: cum quibus olim conſenſiſſe memini librum Vincentii Riccii: idque mea Scholia, ante multos annos edita, teſtantur.

Tu autem quod mihi bonam copiam ejures, nihil eſt] Hieronymus Ferrarius, contra veteres omnes libros, legendum arbitrabatur, *Bonam copiam jures*, hoc ſenſu: non eſt, quod te mihi ſemper præſto fore, tuique bonam copiam facturum jures. ut reſpexerit ad id, quod M. Varro ſcribit lib. 6. de lingua Lat. *Debitores nonnulli pro pecunia, quam debebant, operas in ſervitutem dabant, dum ſolverent. C. Popilio rogante, L. Sulla dictatore, ſublati: & omnes, qui bonam copiam jurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti, id eſt, qui ſui facultatem creditoribus ſemper eſſe facturos, jurejurando promitterent.* Ego autem puto hic dictum eſſe, *Quod mihi bonam copiam ejures*, pro, quod jures mihi te non habere unde ſumptum facias. Tantumque abeſt, ut ex Varrone Ciceronis locum emendem, ut potius ex Cicerone Varronis locum putem eſſe corrigendum: ut legatur, *Voluitque, ut ii bonam copiam ejurarent*. id eſt, ut jurarent, ſe non habere, unde creditoribus ſatisfacerent. Mecum faciunt, ut dixi, veteres libri omnes, præterea Sex. Pompejus; qui noſtram ſententiam ita confirmat, ut dubitatio prorſus nulla relinquatur. *Ejuratio* (inquit) *ſignificat, id, quod deſideretur, non poſſe præſtari.* Et Cicero lib. 2. de Orat. *Ejero, iniquus eſt.* Et in Verrem: *Prætor provinciam ſuam totam ſibi iniquam ejurat.* Et Phil. 12. *Me iniquum ejurabant.* Plautus quoque: *Ejuravit militiam.* Tacitus lib. 12. *Adactus Syllanus ejurare magiſtratum.* Et lib. 4. *Regulus in locum Cæcinæ, cui dies unus ſupererat, conſulatum iniit, ejuravitque.*

Nihil eſt] Nihil opus eſt. damnum ne timeas, cum me hoſpitio recipies.

Cum rem habebas] Integra tibi re domeſtica, ante æſtimationem a Cæſare decretam.

Quæſticulis] Lucellis. dandi caſu potius, quam auferendi, opinor dictum:

ctum: ut ſit, *Attentiorem, vel ad minimos quæſtus.* Sic Terentius in Adel. *Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt.* *Attentus* enim dicitur, qui parcus eſt & diligens in re vel augenda, vel conſervanda. Pro Quinctio: *Paterfamilias prudens & attentus.* Horatius epiſt. 7. lib. 1.

Durus (ait) Vultei, nimis, attentuſque videris.

Pag. 44. *Tam æquo animo*] Jocatur: quis enim æquo animo bona perdit? ep. 18. *Video te bona perdidiſſe.*

Æſtimationem te aliquam putes accipere] Alluſit ad æſtimationem poſſeſſionum, quam Cæſar per arbitros debitorum cauſſa fieri voluerat, ut ii creditoribus facilius ſatisfacerent. Qua de re initio lib. 3. de bel. civ. his verbis: *Cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque credita pecunia ſolverentur; conſtituit, ut arbitri darentur; per eos fierent æſtimationes, po[ſſe]ſſionum, & rerum, quanti quaque earum ante bellum fuiſſent; atque ea creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumve, qui fere bella & civiles diſſenſiones ſequi conſuevit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſſimum exiſtimavit.* Suetonius etiam in Cæſare, *De pecuniis,* inquit, *mutuis, disjecta novarum tabularum exſpectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quaſque ante civile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet. qua condicione quarta pars fere debiti deperibat.* Cum igitur Papirius ex eo Cæſaris decreto magnam a debitoribus plagam accepiſſet, æſtimatis eorum poſſeſſionibus, non quanti eſſent eo tempore, ſed quanti ante civile bellum fuiſſent; jocans, ut ſolet, Cicero, *Ne credas,* inquit, *cum me hoſpitio receperis, æſtimationem te aliquam accepturum.* Et dixit, *Æſtimationem aliquam,* tamquam ſi, magnum aliquod damnum, dixiſſet. Papirius enim æſtimationes, id eſt prædia per arbitros æſtimata, a debitoribus accipiens, credidi jacturam non minimam fecerat, cum quarta fere pars debiti, ut dixit Suetonius, deperiret. Deinde ſequitur: *Etiam hac levior eſt plaga ab amico, quam a debitore:* hoc eſt, & tamen, quod ab amico bona tua comedantur, non id tibi æque grave eſſe debet, atque illud eſt, quod debitorum cauſſa deperdis: a quibus poſſeſſiones, quanti vendere numquam poteris, accipiendæ tibi ſunt. Eædem æſtimationes infra nominantur epiſt. 18.

Nec tamen eas cœnas quæro] Hoc refertur ad proxima ſuperiora verba, *Etiam hac levior eſt plaga ab amico.*

Magnificum ſit & lautum] *Magnificum,* genere, ut pavones, attagenes, aves Phaſianæ, acipenſeres, muſtelæ, aſelli: *Lautum,* arte coci, & apparatus elegantia.

Phamea] Qui fuit avus Tigellii tibicinis. epiſt. 24. lib. 7.

Temperius] Maturius. refero enim ad tempus, non ad frugalitatem. hoc verbum alibi ſemel dumtaxat, quod equidem legendo obſervaverim, uſurpatum invenio. Sic autem locutum eſſe Cornelium Nepotem, Ciceronis æqualem, ex Donati verbis, quæ ſunt in Terentii vita, facile poſſum conjicere. *Nepos* (inquit) *auctore certo comperiſſe ſe ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kalendis Mart. admonitum ab uxore, temperius ut diſcumberet, petiiſſe ab ea, ne interpellaretur: ſerius tandem ingreſſum triclinium dixiſſe, non ſæpe in ſcribendo magis ſucceſſiſſe ſibi: deinde rogatum, ut ſcripta illa proferret, pronunciaſſe verſus, qui ſunt in Heautontimorumeno*

Satis, pol, proterve me Syri promiſſa huc induxerunt.

Ovidius & Columella, *Temperius,* dixere: quod recentius videtur, deductum a *Tempus temporis: Temperius:* autem, antiquum, a *Tempus temperis:* quemadmodum dixere veteres, *pignus pigneris,* unde *Pignero* verbum: poſteriores autem, *Pignus pignoris.* Plautus in Perſ. *Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam.* Et infra *Cedo partem, quam pepigi.* To. *temperi.* Et in Rudent. *Qui ſua vult temperi conficere negotia.*

Ad matris tuæ cœnam] Ut accipias me frugali cœna, qualem dare ſolebat mater tua.

Feram id quoque] Non illud modo, quod

quod mihi bonam copiam ejuras, ve rum hoc etiam feram, tenui cœna me accipi.

Iſta] Viliſſima edulia.

Polypum] Piſcem, ita vocatum, a multitudine pedum, non magni pretii. Plinius libro nono, cap. 29.

Miniani Jovis ſimilem] Rubentem, non ſua ſponte, (nam polypus ruber non eſt) ſed jure tinctum. Jovis ſimulacri faciem in Capitolio illini minio ſolitam, ait Plinius lib 33. cap. 7. & lib. 35. cap. 12. inde Miniano cognomen.

Non audebis] Quia putabis lautius aliquid me velle.

Promulſide] Potione ex mulſo. epiſt. 20.

Totam ſuſtuli] Prorſus rejicere ſoleo.

Pag. 45. *Delectari*] Sic in quinque libris antiquis, & duobus præterea Caroli Sigonii: nonnulli, *Debilitari*: unus, *Delibari*; quaſi leviter paſci: a *Delibo*.

Lucanicis] Notum genus fuiſſi farciminis, a Lucanis populis inventum.

Iſto] Neapolim, ubi tu es.

De Villa Seliciana] Domum Sullanam in urbe Neapoli, (epiſt. 15.) villam Selicianam in agro Cicero emere cogitabat.

Curaſti] Vt eam totam noſſes, deinde ad me ſcriberes.

Prætermiſſurum] Non emptutum.

Salis enim ſatis eſt, ſannionum parum] Papirii verba, vel certe ſententiam ponit, qui dixerat, Villam Selicianam, in litore poſitam, ſalinas habere: deinde ſubjunxerat: ſale quidem abundamus, ſed, quod ſale condiatur, non habemus. ut facetias non deeſſe, ſed ridendi materiam, ſignificaret: quia ridendi cauſſas adverſa reip. tempora eriperent. *Sal* pro facetiis accipi ſolitum, quis ignorat? Afranius in Compitalibus: *Quidquid loquitur, ſal merum eſt*. Sannio autem is eſt, qui ridetur. Plerique veteres libri, *Sannonum*: duo, *Sannionum*, quos probavi.

P. VICTORIUS.

Aut facete dictorum offenſionem famæ ingenii, &c.] Nulli veteres codices *Offenſionem* habent. quidam ejus loco alio atramento repoſitum habent, *Opinionem*. Nos *Famam* maluimus ſcribere. Hae conjectura ducti, quod ſæpe eum duo ſint eadem fere vocabula, librarii alterum vacare arbitrantes, relinquant. Sententia autem egregia ex hac lectione colligitur. Querebatur Cicero quod ſæpe nonnulla acute, & facete dicta ad Cæſarem adferebantur, quæ fortaſſe illum reipub. ſtatum taxarent, aut aliqua ratione Cæſarem læderent: quorum eum auctor ignoraretur, omnes ajebant a Cicerone eſſe pronuntiata, quod illi creare periculum poſſet. Dolet ſe nulla ratione poſſe id incommodum vitare. Vnam tantum viam ſibi dicit eſſe, ut effugiat famam acute, & facete dictorum (famam autem, quia uno ore omnes omnia ſalſe, & urbane dicta illi tribuebant) & hanc eſſe famam ingenii abjicere, id eſt, ex hominum mentibus firmam opinionem delere, quam de ſuo ingenio habebant. Si enim quod fieri non poterat, famam, quæ erat de ſuo ingenio extinxiſſet, non amplius hominum conſenſus omnia acute dicta in illum contuliſſet. Nos in re incerta, & in qua alii etiam ſibi non parum permiſerint, expoſita noſtri judicii ratione, nonnihil nobis indulſimus: rationem tamen noſtram patefacere voluimus, ut ſi cui quod fieri poteſt, noſtrum judicium diſplicuerit, poſſit vulgatam, communemque lectionem ſequi. nos nihil repugnabimus. Videat tamen acutatc, cum una omnino dictio ſupplenda ſit, an noſtra commodior, aptiorque ſit. nam quod facilius hanc librarius negligens omittere potuerit, multo veriſimilius eſt.

EPISTOLA XVII.

B*Albus*] L. Cornelius Balbus Gaditanus, intimus Cæſaris amicus.

Iſtis] Neapoli, & aliis. nam Neapoli videtur fuiſſe Pætus hoc tempore. epiſt. 15.

Municipiis & agris] Numquid fore putem, ut municipiorum agri dividantur.

Pag. 46. *Nobis*] Non de agris, ſed de nobis ipſis, de communi ſalute.

De lucro] Quia mori debuimus anno primo civilis belli, nec ſuperſtites eſſe reip. Infra: *Quando ego, vir fortis, idemque Philoſophus, vivere pulcherrimum duxi.*

Prope jam quadriennium] *Prope*, dixit, quia nondum integer præterierat civilis belli quartus annus. nam hæc epiſtola ſcripta eſt Cæſare tertium & Lepido coſſ. bellum ante biennium Marcello & Lentulo coſſ. geri cœptum eſt.

Quid futurum ſit] Quod cum ſciam, cur iſta quæram, quæ ne fiant, prohibere non poſſum?

Va: bant autem] Similis illa repetitio epiſtola quinta libro ſexto, *Video autem fere quotidie.*

Mori debuit] Vel in acie, ut multi, vel, poſt Cæſaris victoriam, ut Cato, & Pompeji ſocer Scipio.

Quando] Sic libri ſeptem veteres: duo, *Quoniam*: unus, *Cum.*

Vir fortis, idemque Philoſophus] Sic omnes, quos ego viderim, antiqui libri. & eſt pervenuſta ſententia. Cum, inquit, & viri fortes ex animi quadam præſtantia, & Philoſophi ex doctrina, patriam, honeſtatem, libertatem vitæ anteponant; ego tamen, qui utrumque profiteor, & virum fortem, & Philoſophum, vivere pulcherrimum duxi. Itidem locutus eſt epiſt. 2. *Caninius idem tuus, & idem noſter.* Et lib. 2. de Divin. *Marcellus, idem imperator, idem augur optimus.* Cum igitur & veterum librorum teſtimonium, & ſententiam ipſam, & conſuetudinem loquendi ſequar; diſſentire cogor ab iis, qui non *Idemque*, ſed, *Idem quod*, legere maluerunt. nunquam enim, quoad quidem per me liceat, ſtudioſum lectorem fraudari veritate patiar.

Cujus beneficio id conſecutus ſum] Supra: *De lucro prope jam quadriennium vivimus.*

Qualem] Nullam eſſe, jam oſtendit in eo, *Superſtitem reip. vivere.*

Ille vult] Epiſt. 4. lib. 4. *De reliquis, nihil melius ipſo eſt.*

Ita ſe cum multis colligavit] Eadem ratione Cæſarem excuſat epiſt. 9. lib. 4. *Multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, facienda ſunt.*

Ad te] Cui hæc nota ſunt.

Pag. 47. *Non modo me*] Qui legendum opinabantur, *Non modo non me*, ſine cauſſa diſcedebant ab omnibus antiquis libris. vide, quæ diximus in locum illum epiſt. 9. lib. 1. *Non modo præmiis, ſed ne periculis quidem compulſus ullis.*

De iſto periculo] De agris dividundis.

Ferre] Ergo, ut in argumento diximus, timebat ſuis agris Pætus, quamquam apud Cæſarem gratioſus, ut ep. 15. & 25.

EPISTOLA XVIII.

OTioſus] Nam, cum diſcipuli adeſſent, & dicebat ipſe, & declamantes audiebat. epiſt. 7. & 16. & lib. 7. epiſt. ult. & Quinctilianus l. 12. cap. 11.

Diſcipulos] Hirtium, & Dolabellam, epiſt. ult.

Obviam] Cæſari, ex Africa redeunti.

Dionyſius] Minor, qui poſt patrem Syracuſis regnavit. Juſtinus lib. 31.

Ludum] Pueros docebat in triviis: ut imaginem regni aliquam, pueris imperando, conſervaret.

Regno forenſi] Cum in cauſſis ob ſingularem eloquentiam regnare videretur.

Pag. 48. *Quid quæris*] Idem valet, *Noli quærere.* epiſt. 4. lib. 4.

Munio me ad hæc tempora] Munio me Cæſaris familiarium amicitia, Hirtii, Dolabellæ, & aliorum.

Cujuſmodi ſit] Quam firmum ſit.

In acie non fui] Dyrrhachii fuit, cum in Pharſalia dimicatum eſt. lib. 1. de Divin.

Pompejus] Magnus, juſſu Ptolemæi Ægyptii regis interfectus. nota hiſtoria.

Lentulus] L. Lentulus, qui conſul fuit anno primo belli civilis, ejuſdem regis juſſu in cuſtodia necatus. Cæſar lib. 3. de bel. civ.

Scipio] Pompeji ſocer: de quo in libro de bello Africano, quem ab Hirtio vel Oppio ſcriptum nonnulli exiſtimant, hæc leguntur: *Scipio cum Da-*

maſippo, & Torquato, & Plætorio Caſtiano navibus longis diu multumque jactati, cum Hiſpaniam peterent, ad Hippone regium deferuntur, ubi claſſis P. Sittii per id tempus erat: a qua pauciora ab amplioribus circumventa navigia deprimuntur: ibique Scipio interiit. Et Epitome Liviana lib. 14. *P. Scipio, in nave circumventus, honeſta mortis vocem quoque adjecit: quærentibus enim hoſtibus imperatorem, dixit: Imperator bene ſe habet.* Eadem fere Dio lib. 43. Ita videtur Scipio non fœde, ut Pompejus, Lentulus, Afranius, ſed præclare, ut Cato, periiſſe: cum ſe ipſe interfecerit. quod Cicero fortaſſe non credidit, ideoque conjunxit eum cum iis, qui fœde interierant.

Afranius] L. Afranius, conſularis, qui a P. Sittio cum Fauſto, L. Sullæ filio, captus, diſſenſione mox in exercitu orta, cum eodem Fauſto necatus eſt: ut in eodem libro de bello Africano, & in eadem Epitome, & apud Suetonium, & Dionem.

Cato] Qui ſibi Vticæ, ne in Cæſaris victoris poteſtatem veniret, manus intulit: unde Vticenſis vocatus. Plutarchus, & omnes hiſtoriæ.

Præclare] Quia ſervire noluit, honeſtamque turpi vitæ mortem antepoſuit, e Stoicorum ſententia. quod M. Brutus, ſororis ejus filius, edito in eum libro, cum reprehendiſſet, poſtea, mutato conſilio, voluntariam ſibi mortem prælio victus in Pharſalia conſcivit. Plutarchus.

Quam illi fuit] Neceſſe id Catoni fuit, quia Cæſarem, vetere odio incenſum, timere potuit. nos damus operam, ut ejus nobis animum reconciliemus: itaque cum ejus familiariſſimis conjunctiſſime vivimus. Paullo ante: *Id quod maxime opus eſt, munio me ad hæc tempora.*

Confeci] Conſumpſi: ut ignes conficiunt ſilvas, apud Lucretium lib. 1. Confecit autem apud Hirtium & Dolabellam, non dumi ſuæ. vide epiſt. 16. 20.

Iſtic] Neapoli.

Ateriano jure] Videtur Pætus cum Aterio quodam cœnitaſſe.

Hirtiano] Epiſt. 16. 20.

Si vir es] Modus hortandi. Simile illud epiſt. 2. lib. 2. ad Attic. *Herodes, ſi homo eſſet, eum potius legeret, quam unam litteram ſcriberet.*

Diſce προλεγομένας, quas quæris] Sic omnes libri veteres, excepto Græco verbo, quod in uno tantum eſt. Diſce, inquit, e cœnis Hirtianis, quales tuæ futuræ ſint. Προλεγομένας vocat, quia, ſicut ἐκ τῶν προλεγομένων, quæ præponuntur libris, docemur ea, quæ ad ipſos libros attinent, ſic Hirtii cœnæ Papirium, quas cœnas dare deberet, admonere & erudire poſſent.

Pag. 49. *Sus Minervam*] Uſurpatur hoc adagium in eos, qui, cujus rei ſcientia carent, in ea peritiſſimos conantur erudire.

Quando] Sic tres antiqui libri: alii vel, *Quoniam*, vel, *Quo modo.*

Æſtimationes tuas] Ea, quæ per æſtimationem a debitoribus accepiſti. epiſt. 16. Hunc locum qui recte interpretaretur, neminem video fuiſſe. Significat autem poſſeſſiones per æſtimationem a debitoribus acceptas. Et, quemadmodum ſupra, poſuit *æſtimationes* pro rebus æſtimatis.

Ollam denariorum] Fortaſſe ſcripſerat Pætus, tunc velle ſe, cum ollam denariorum, æſtimationibus venditis, impleviſſet, Romam redire.

Bona perdidiſſe] Epiſt. 16.

Familiares tuos] Apud quos cœnare ſolitus es.

Cantherium] Caſtratum equum.

In ludo.] Meo. Supra: *Quaſi ludum habere cœperim.* ſed hic de ludo urbano loquitur: quia dixit proxime, *Romam pervehi.* epiſt. 20.

Hypodidaſcalo] Ei, qui ſubdoceat.

Proxima] Meæ. nam ſe quaſi ludum habere cœpiſſe, jam dixit.

Eam pulvinus ſequetur] Vt in ſella commodius ſedeas, non erit ſella ſine pulvino, ſed eam pulvinus ſequetur. Plautus in Stich. *Iſtic vos ſedetes ego ſedero in ſubſellio.* Pi. *Mane pulvinum.* Et lib. 1. de Orat. *Immo vero commodius etiam: pulvinoſque popoſciſſe: & omnes in iis ſedibus, quæ erant, ſub platano, conſediſſe.*

EPISTOLA XIX.

Reges] Quaſi rex eſſet Balbus, quia potentiſſimus apud Cæſarem. epiſtola 13. lib. 12. ad Att. *Balbi regia condi.te delegandi.*

Conſulares] Se ipſum ſignificat.

Pag. 50. *Balbos*] locatur in ambiguo Balbi nomine. *balbi* enim dicuntur, qui linguæ vitio parum expedite loquuntur. epiſt. 10. lib. 2.

Diſertos] Et hic ſeipſum, jocans more ſuo, deſignat. Noli, inquit, minus laute diſertos accipere, quam Balbos.

EPISTOLA XX.

Vt ſcurram velitem] Tamquam militem parum utilem. nam *velites*, tirones erant & minimam in exercitu operam præbebant, neque ſua vexilla, neque ſuos centuriones habebant. Livius haſtas, gladium, parmam iis tribuit lib. 31. & libro 38. cum tamen jacula, non haſtas, quo primum tempore ſunt inſtituti, ſeptena habuiſſent, ut idem Livius lib. 36. oſtendit.

Malo] Quæ vel miſerat fortaſſe Pætus ad Ciceronem; vel ſcripſerat, ſiad eum iter, egregia daturum in ſecunda menſa.

Oneratum] Vt velites in itinere ſarcinis onerabantur.

Pag. 51. *Contubernalem*] Diutius enim, quam ſolent hoſpites, apud te manſiſſem.

At quem virum] Imitatus eſt Terentium, qui eodem modo eſt locutus.

Conficere] Satiatum dimittere.

Ad ovum] Quod erat cœnarum initium: mala vero finis. Horatius Sat. 3. libro primo:

—— *Si collibuiſſet, ab ovo*
Vſque ad mala citaret. ——

Itaque] Non *Itaque*, pro quamobrem, ſed. *Itaque*, pro Atque ita.

Ad aſſum vitulinum] Ad exitum cœnæ. aſſo enim veteres claudebant æſtivam cœnam: quod in libro de anima ſcriptor in primis eruditus Tertullianus docet, in eo loco: *Finita ſit in illa περιτομηρηαπωσις, ut aſtiva cœna poſt aſſum.*

Opera perducitur] Strenue comeditur uſque ad finem cœnæ.

Facilem] Quovis cibo contentum. epiſt. 16. *Facilitate mea iſta ferebantur antea.*

Non gravem] Qui ſumptum exiguum afferat.

Adverſarii noſtri] Magna enim Epicuro cum Academicis de ſummo bono controverſia eſt: cum hi felicitatem honeſtis actionibus, ille ſola voluptate metiretur.

Caſtra] Apte: quia dixerat, *Adverſarii noſtri*. *Caſſatra*, in veteribus libris quidam dicunt. nos in omnibus [illegible], quos habemus, *Caſtra*, videmus eſſe. itaque nodum in ſcirpo quærere deſinamus.

Nec tamen ad hanc inſolentiam] Plane ab iis diſſentio, qui mendum eſſe in verbo, *Inſolentiam*, exiſtimarunt. eſt enim hic *Inſolentia* nimius ſumptus, qui fiebat in cœnas: a quo ſe alienum eſſe Cicero dicit, lautitiam tantum quærere. quod etiam epiſt. 15. his verbis oſtendit: *Nec tamen eas cœnas quæro, ut magnæ reliquiæ fiant. quod erit, magnificum ſit & lautum. Inſolentiam* eodem ſenſu poſuit Phil. 9. *Magnifice enim* (inquit) *Ser. Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus ſæculi inſolentiam vituperabat.* Et in oratione pro Sex. Roſcio: *Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, ut fit, inſolens in aliena.* Tollatur igitur omnis mendi ſuſpicio, & elegans Latini verbi ſignificatio conſervetur.

Cum in ſumptum habebas] Vetuſtiorum librorum hæc eſt lectio: quam alii quoque receperunt, licet eam, ut ipſi dixerunt, mendoſam ſuſpicati. mihi ea vel maxime probatur, ut deſiderari nihil credam. dixit autem: *Cum in ſumptum habebas*, pro eo quod dicimus; cum ad ſumptum copiæ ſuppetebant, cum pro ſumptu facultates aderant; cum erat tibi, quod eſſet in ſumptum ſatis. ſic enim hoc loco, *In ſumptum*, id eſt, pro ſumptu, dixit, quemadmodum etiam ad Attic. epiſt. 5. lib. 8. *Tironem Curio commendes, ut ei, ſi quid opus erit, in ſumptum eroget.* Epiſtola etiam, quæ ſequitur, eodem libro, *Sed eum*, inquit, *video, in ſumptum ab aliis mutuatum.* Et ad eundem lib. 15. *Velim cures, ut permuta-*

mutetur Athenas, quod ſit in annuum ſumptum. Imitamur igitur lautitiam tuam, inquit, non hanc recentem, ſatis tenuem, ſed illam veterem, cum habebas in ſumptum: etſi nunc quidem plura prædia tibi ſunt: quæ ſcil. a debitoribus pro pecunia, quam credideras, invitus accepiſti, æſtimata ex edicto Cæſaris, quanti quæque ante civile bellum fuiſſent. Hæc quaſi per jocum dicta ſunt; ut irrideatur Pætus, qui non habeat in ſumptum, ut antea; cum ei poſſeſſiones multo, quam antea, plures ſint: quas vendere cum vellet, non poterat: ut eſt in epiſt. 18.

Pag. 52. Ὀψιμαθεῖς] *Sero diſcentes.* didicerat autem ab Hirtio & Dolabella, quos *dicendi diſcipulos, cœnandi magiſtros* vocavit epiſt. 16.

Inſolentes] Inſolenter enim ſuam ſcientiam patefaciunt.

Sportella] Sportulæ, & ſportellæ, vel mittebantur ad amicos, vel dabantur auferendæ: ut e Suetonio, Martiale, aliiſque conſtat. hic *ſportella* cibi genus videtur eſſe, quod Pætus cum artolaganis apponere ſoleret.

Artolagani] Panis genus: de quo Plinius lib. 18. cap. 2. *Panis ipſius varia genera perſequi, ſupervacuum videtur, alias ab obſoniis appellati, ut oſtrearii: alias a deliciis, ut artolagani.* Athenæus, vino, pipere, lacte, oleo, aut adipe confectos, ait libro tertio. Hic omnes mei libri veteres habent, *Artolagini* mendoſe, ut ipſa compoſitio docet, ex ἄρτος, & λάγανα. prætetea Plinius *artolaganos*, Athenæus ἀρτολάγανον appellat.

Ex artis] Mendum ſubeſſe quis non videt? Antiqui libri quinque habent, *Ex arcis*: unus, *Ex orcis*: reliqui, *Ex artis.* nihil horum eſt, in quo animus acquieſcat. quidam legunt, *Et artis.* non improbo conjecturam: licet particula, *Et*, otioſa videatur eſſe. poteſt hoc referri ad verbum ὀψιμαθεῖς. ut hoc dicat: quamquam ſero didicerim cœnas facere, tamen artis tantum jam ſum adeptus, ut Verrium, &c. *Ex arcis*, olim placuit: nunc in dubio ſum: tum quia Cicero non abundabat hoc tempore: itaque dixit epiſt. 15. *Domum ſi habebo in denos dies, ſingulos ſumptuariæ legis conſeram.* Et epiſt. ult. *Epulamur una non modo non contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto.* Tum etiam quia non hic ſuas copias, verum audaciam extollit: inopiam autem potius indicat, cum ait infra: *In ea cœna cocus meus, præter jus fervens, nihil potuit imitari.* Præterea, cum invitentur ad cœnam mundi homines & elegantes, quales hic Verrius & Camillus vocantur; non tam ſumptu, quam lautitia & ſcientia opus eſt, ut eleganter potius accipiantur, quam opipare. Hæc ſunt, cur id quod olim nobis placuit, nunc pæne diſpliceat.

Verrium] Opinor hunc eſſe Verrium Flaccum, juris Pontificii peritiſſimum, quem Macrobius libro primo Sat. nominat, ejuſque libertum fuiſſe Verrium illum, a quo ſumpſit Feſtus: qui & ipſe, accepto patroni cognomine, Flaccus dictus eſt. libertinum enim appellat Suetonius in libello de claris Grammaticis.

Pag. 53. *Camillum*] Epiſt. 20. libro quinto.

Qua munditia] Elegantis gulæ.

Sine pavone] Cum Hirtii cœnæ ſine pavone eſſe non ſoleant.

Cocus] Sic ſcribendum, non *Coquus*, auctore Priſciano libro 1. *Apud antiquos, inquit, frequentiſſime loco Cu ſyllabæ, Quu ponebatur, & e contrario, ut arquus, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus, quum pro cum, qur pro cur.*

Ius fervens] Quod apponebatur in cœnis Hirtianis.

Nihil potuit imitari] Non dedit ea, quæ cocus Hirtii. jocus eſt. non enim coci culpa fuit, ſed Ciceronis, qui pepercit ſumptui.

Obſervant] Epiſt. 13. libr. 4. 7. 12. libro 6. 24. libro 7.

Defluxit] Præteriit, ut aquæ curſus. tranſlatio. Salluſtius in Iug. *Vbi per ſocordiam vires, tempus, ætas, ingenium defluxere; naturæ infirmitas accuſatur.*

Litteris me involvo] *Abdo me in litteras*: epiſt. 33. lib. 7.

Audiant] De aliqua re diſputantem. In procœmio libri de Fato loquentem hæc Cicero Hirtium inducit: *Mihi rhetorica noſtra ſunt nota: teque in his & audivimus ſæpe, & audiemus.*

Corpori omne tempus] Ambulatione, bal-

balneo, unctione, cœna, quiete. his enim rebus veteres corpora curabant.

Mater unicum filium] Mater potius, quam pater. gravius enim & diutius lugent matres amiſſos filios, quippe natura molliores, & ſpe ſenectutis alendæ deſtitutæ. nam patri, amiſſo filio, præſidii tamen aliquid in ſe ipſo relinquitur.

Iacente] Ægrotante.

Pag. 54. *Comedim*] Antique, pro *Comedam*. Plautus in Bacch. *Quod in luſtris comedim, congreget pater.* Sic *Edim*, pro *Edam*, veteres dixere. Nonius.

EPISTOLA XXI.

A*In' tandem*] *Ain' tu?* &, *Ain' tandem?* dicimus, interrogantes ea de re, quæ admirationem nobis attulit. epiſt. 5. lib. 4. ad Attic. *Ain' tu? exiſtimas ab ullo malle mea legi probarique, quam a te?* Et epiſt. 1. lib. 6. *Ain' tu? Scipio hic Metellus proavum ſuum neſcit cenſorem non fuiſſe?* & epiſt. 2. ibidem; *Ain' tandem, Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ? auſus es hoc ex ore tuo?* Et epiſt. 6. lib. 12. *Ain' tu? verum hoc fuit, ſine me?* Et lib. 3. de Leg. *Ain' tandem? etiam a Stoicis iſta tractata ſunt?* Terentius in Andr. *Ain' tandem? civis Glycerium eſt?* In Phorm. *Ain' tandem carcer?* In Hec. *Ain' tu tibi hoc incommodum evenisse iter?*

Vt ſcribis] Niſi hoc interpoſuiſſet, arroganter facere viſus eſſet, cum ipſe etiam fulmina ſuorum verborum appellaret.

Nihil tibi opus eſt illud a Trabea] Non opus eſt, ut verba Trabeæ Poetæ in te convenire dicas; in me enim potius conveniunt. Trabeæ verſum poſuerat Pætus, quo ſignificabatur, non ſuccedere illi, quod aggreſſus erat: id eſt, non poſſe eum conſequi fulmina verborum Ciceronis. Trabeæ locum octavum in comœdia Volcatius Sedigitus aſſignat. nominatur lib. 1. de Fin. in Tuſc. 4. & a Gellio lib. 15. cap. 24. *Trabea* Poetæ cognomen eſt, non nomen. vernam enim opinor fuiſſe, deinde manumiſſum. inde vetus nomen manſit pro cognomine. Dictus a genere veſtis: cujus tria genera Suetonius in libro de veſtimentis, auctore Servio libro 7. Virgilii, fuiſſe oſtendit, *unum e ſola purpura, diis conſecratum: alterum e purpura, non ſine albo, quo reges utebantur: tertium augurale e purpura & cocco. ſecundum genus ab equitibus, cum trabeati idibus Quinct. tranſveherentur, uſurpatum puto: ut regum potius, quam deorum, aut ſacerdotum amictum imitarentur.* hoc autem genere uſos eſſe etiam eos, qui triumphabant, Auſonius Poeta docet. nam, ubi Gratiano Imperatori pro conſulatu gratias agit, *In procinctu*, inquit, *& tum maxime dimicaturus, palmatæ veſtis meæ ornamenta diſponis, feliciter, & bono omine. namque iſte habitus, ut in pace conſulis eſt, ſic in victoria triumphantis. Parum eſt, ſi qualis ad me trabea mittatur, interrogas: te coram promi jubes.* Quibus ex verbis primum illud conſtat, triumphalem Romanis trabeam fuiſſe; quod alibi non legimus; triumphabant enim in toga picta: deinde conſularem, quod reip. temporibus inuſitatum fuit: prætexta enim tunc & conſules & reliqui magiſtratus utebantur: poſtremo, trabeam & palmatam veſtem idem eſſe: quod cujuſmodi ſit, conſiderandum. aut enim de palmata tunica loquitur, aut de palmata toga. Si de tunica, diſſentit a Floro, qui trabeam & palmatam tunicam in Tarquinio Priſco ſeparatim nominat: & Plin. lib. 9. cap. 49. diſtinguit a trabea tunicam lati clavi. latum clavum autem palmatam eſſe tunicam oſtendam. Plinius enim. *Purpuræ*, ait, *uſum Romæ ſemper fuiſſe video, ſed Romulo in trabea: nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hoſtilium e regibus primum uſum, Etruſcis devictis, ſatis conſtat.* Diverſum a trabea latum clavum aperte demonſtrat. at latus clavus ſi poſt Etruſcam victoriam in urbem venit, certe tunica palmata fuit; quam cum toga picta Romam ex Etruria allatam eſſe, non modo Florus, verum etiam Dionyſius aſſerit. & videtur Feſtus idem ſignificare, cum ait: *Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur.* Non igitur de tunica, ſed de toga palmata, quam nominat Martialis, locutus Auſonius videtur. quod ſi ita eſt; ſequitur, ut toga palmata ſit idem cum toga picta. nam eodem

loco

locoſubjungit Auſonius: *Hæc eſt picta, ut dicitur, veſtis non magis auro, quam tuis verbis.* Sed reip. temporibus roga picta numquam conſules uti ſunt. Aurum quoque trabeæ dat, non ſolum in hoc loco, ſed in extrema etiam gratiarum actione: ait enim: *Trabeam non magis auro ſuo, quam tuo munere ſplendidam.* At Suetonius, cum tria trabearum genera deſcriberet, nullam auri mentionem fecit. Apparet igitur, Gratiano imperante, & trabeatos in urbe conſules fuiſſe, qui prætextati antea fuerant; & trabeam fuiſſe rogam auro pictam contra veterem conſuetudinem. fuerat enim aurum quidem in toga picta, non tamen in trabea: & diverſas oſtendit Plinius lib. 8. cap. 48. ſeorſum utramque nominans: *Trabeis* (ait) *uſos accipio reges: Pictas veſtes jam apud Homerum ſuiſſe, unde triumphales natæ.* Quæ cum dicit, primum a trabeis pictas veſtes diſcernit: deinde illud oſtendit, pictas veſtes, non trabeas, inter ornamenta triumphalia fuiſſe. quamquam imperatorum ætate, ut prætexta, ſic toga picta conſulum in pace fuerit: quod, præter Auſonium, in Alexandro Severo Lampridius docet. Militarem habitum poſt reges crediderim trabeam fuiſſe, quo conſules in bello uterentur. id mihi venit in mentem Livii locum lib. 32. conſideranti. *Conſul*, inquit, *cum Corcyra hibernaſſet, vere primo in continentem trabeatus ad hoſtem ducere pergit.* Propterea equeſtres turmæ, bellicam ſpeciem repræſentantes, idib. Quinct. ante cenſores tranſvehebantur. Valerius Max. lib. 2. cap. 1. *Trabeatos equites idib. Iuliis Q. Fabius tranſvehi inſtituit.* Et apud Tac. lib. 3. in funere Germanici: *Præcedebant incompta ſigna, verſi faſces, atque, ubi colonias tranſgrederentur, atra plebs, trabeati equites.* Et Sueton. in Domitiano, de Equitibus R. trabeatis. Eodem veſtitu Salios quoque ſacerdotes trabea uſos, Dionyſius lib. 3. auctor eſt: ſed quia trabeas illas περιπορφύρους, φοινικοπαρύφους vocat, id eſt purpura prætextas, puniceo colore alternis intertexto: ſatis conſtat, eum locutum eſſe de tertio illo trabearum genere, quod Suetonius e purpura factum & cocco ſacerdotibus attribuit.

Pag. 55. Ἀπότευγμα] Aberratio: quia non aſſequor id, quod cupio. Cum Papirius oſtendere velit Ciceroni, ſe fruſtra ipſius orationes imitari, Trabeæ Poetæ verbis id oſtenderat. Quod rejicit Cicero, ac potius ſibi illud ipſum a Trabea opus eſſe affirmat. nam cum Papirius non ſolum conſequatur, ſed etiam vincat; *ſuum eſſe fruſtra conari affirmat: ἀπότευγμα igitur meum*, ſubaudi *eſt.* tu enim omnia, quæ vis, conſequeris. quod ego non poſſum: itaque ἀπότευγμα meum eſt, non tuum.

Plebejo] Humili, non elaborato, ſed quali homines de plebe utuntur.

Subtilius] Subtilitas eſt, cum accurate minuta quæque puro quodam & ſimplici dicendi genere perſequimur. vide quæ attulimus ad illum locum epiſtola 4. lib. 4. *Facile cede tuorum ſcriptorum ſubtilitati & elegantiæ.*

Capitis, aut famæ] Quæ privatæ cauſſæ non ſunt. diximus in libro noſtro de Romanis Legibus.

Scilicet] Affirmantis eſt, ut epiſt. 6. lib. 1. & 15. lib. 15. & alibi.

Quid tibi venit in mentem] Sic libri mei veteres omnes. & recte: ſic enim alibi quoque Cicero locutus eſt.

Patricii minorum gentium] Sic appellati centum illi, quos in ſenatum Tarquinius Priſcus allegit. Erant autem regum ætate ſenatores omnes, ſive majorum, ſive minorum gentium, patricii: & qui allegebatur in ſenatum, ſtatim patricius erat. itaque numquam dubitavi, quin apud Suetonium, ubi legitur in Auguſto, *Ea gens inter Romanas gentes allecta in ſenatum, mox a Ser. Tullio in patricias traducta*; verba illa, *In ſenatum*, inducenda ſint, ut plane veritati repugnantia. nam ſi allecta eſſet in ſenatum, quo tempore ſenatus conſtabat e patriciis: quid oportuit ſubjungere, *A. Ser. Tullio in patricias traducta?* Livius.

Pag. 56. *Cum antea cenſor cum eodem fuiſſet*] Præpoſtere librarius deſcripſit. prius enim conſul, quam cenſor, Mugillanus fuit. quod Livius Dionyſiuſque declarant.

CCCXII.] Hoc ad cenſuram refero: nam conſulatus biennio anteceſſit, ut ait Livius, eoſdem, quos Cicero, auctores ſecutus. nam Verrius horum conſulatum

latum anno urbis CCCIX, cenſuram autem anno CCCXI collocavit.

Papiſii] Antiquo more, ut *Valeſii*, *Fuſii*. Quinctilianus lib. I. cap. 6.

Sella curuli] Conſules, tribuni mil., cenſores, prætores, ædiles cur. nam hi omnes curuli ſella ſedebant. prætor autem hoc toto tempore, quod a L. Papirio Mugillano ad L. Papirium Craſſum dictatorem Cicero ſignificat, unus omnino, iſque patricii generis, Romæ fuit, creari cœptus, ut faſti Capitolini teſtantur, anno urbis 387. eodemque primum anno ædiles cur. patricii creati ſunt. Dictatorem non nominavi, quia dictator ex Papiria gente ante L. Papirium Craſſum, cujus magiſter equitum fuit Papirius Curſor, nemo fuit.

Papiſius eſt vocari deſitus] *Deſiit*, cum agente verbo, *Deſitus*, cum patiente conjungitur: ſicuti *Cœpit*, *Cœptus eſt*.

CDXV.] Iam oſtendi, Ciceronem & Livium in annorum ſupputatione a Verrio diſſenſiſſe: itaque hic Papirius in faſtis Verrii non anno 415, ſed anno 413 dictator eſt.

K. Duilio] *K*, eſt *Keſo*, unum de prænominibus Romanis, a cæſo matris utero, ut ait Feſtus, & Valerius, & Plinius. itaque ſcriberetur, *C*, non *K*: ſed, ut differret a *Cajus*, ideo ſcripſere veteres *K*. quod in faſtis Verrii videre licet. *Duilium* unica *l* ſcribo, ex lapidibus, & nummis. Cicero *Duelios*, non *Duilios*, vocatos ait in Oratore, & poſtea *Belios*. verum, ſi hoc nomen deducitur a *duis*, & a *bis*, quod idem eſt; opinari licet, in Cicerone legendum *Duilios* & *Bilios*, non *Duelios*, & *Belios*.

Curſor] Quem Alexandro Magno multi virtute æquabant; teſte Livio libro nono.

Maſo] Quartum cognomen Papiriæ gentis: jam enim Mugillanum, Craſſum, Curſorem nominavit: qui fuere omnes patricii: Turdi & Carbones plebeji, ſequentur. Ab hiſce autem Maſonibus, ſive Maſſonibus, (duplici enim *ſſ*, in veteribus libris ſcriptum hoc cognomen invenitur.) deducta eſt illuſtris familia, quæ hodieque & vivit, & viget, Maſſa. De qua permulti mentionem honeſtiſſimam fecere. Nominatur enim NICOLAVS MASSA, medica arte præſtans, a Io. Boccatio, Italico ſcriptore præcellenti. ANTONIVS MASSA, Doctor Theologus, ord. min. & pro Nicolao V. Nuncius Apoſtolicus ad Imp. Conſtantinopolitanum, honorifice nominatur in Tripartito libro Parallelorum Græce ſcripto, necdum edito, qui eſt apud Andream Londanum, I. V. C. & Equitem Ord. D. Stephani. Fuit & alter NICOLAVS, Philoſophiæ Medicinæque laude perilluſtris; a multis Principibus, Paullo præcipue III. Franciſcoque I. magnis propoſitis præmiis vocatus. qui, ſua ſorte contentus, Regum præmiis non dicam ſpretis, ſed tamen rejectis, maluit quieto otio vitam ducere, quam aulæ ſuperbos faſtus experiri. Quid ANTONIVS MASSA GALLESIVS, Iuris civilis laude præſtantiſſimus, qui Romanam civitatem conſilio ſæpe juvit, exemploque ſuo multos ad recte de patria merendum docuit? is multa ſcripſit, quæ magna ejus cum laude a ſtudioſis leguntur, I. De exercitatione juriſperitorum. II. De re frumentaria. III. De uſuris. IV. De Annatis. V. De Origine & rebus Faliſcorum. VI. De Transfugis. VII. De Exceptionibus. IIX. Contra uſum Duelli. Fuit & ANTONIVS, ejus nominis tertius, APOLLONII, qui hodieque vivit, & ſuæ virtutis medicæque artis præclara jam dedit, daturque in dies expreſſa ſigna, pater. Hiſce veluti corollarium addatur LAVRENTIVS MASSA; cujus virtus quo excelſiore ſita eſt loco, eo majus familiæ ſuæ præbet lumen. Is apud Sereniſſ. Remp. Venetam quid non agit, quo non & admirationem, & ſummam conſequatur laudem? Apud eos proceres honorificentiſſimo ſane eſt loco. &, quod de ejus virtute, deque eorum gratitudine libet, maxima cum animi mei jucunditate, ominari, erit, erit certe, cum ſuorum laborum dulces fructus feret, &, quam ſuave ſit, ſuam operam gratiſſimis Principibus præſtare, ſuopte exemplo perſpicue oſtendet. Paucos hoſce de multis nominavi. Nam nolui nimius eſſe in eo, in quo ſi materiem ſequi vellem, charta me prius deficeret. Quid militiæ laude claros? Quot fuere? Sed hæc ſatis ſint hoc loco. Ad inſtitutum noſtrum revertamur.

Ædilicius] Ædilis tantum fuit: qui vero ædilitatum honores conſequuntur, eos non eſt adeptus.

Imagines] Romani veteres majorum imagines, e cedro factas, ut ait Servius, quod genus ligni tineas neſcit, domi aſſervabant, exque mortuis in funere præferebantur.

Præter hunc Cn. Carbonem, quem Damaſippus occidit] L. Licinius Damaſippus, prætor urbanus, qui conſulare munus, abſentibus conſulibus, ſuſtinebat more majorum, convocato, velut ex alia cauſſa, in curiam Hoſtiliam ſenatu, conſulares viros Q. Mucium Scævolam, pont. max. L. Domitium prætorium, C. Carbonem, Cn. Carbonis, eo anno tertium conſulis, fratrem, ut ait Vellejus, ædilicium P. Antiſtium, & alios optimatum principes, juſſu C. Marii junioris conſulis, qui Præneſte obſidebatur, occidit. Appianus hoc tribuit Bruto prætori: ſed auctor longe certior Cicero, præſertim in rebus, quas ipſe vidit, aut certe per ætatem videre potuit. cum eo ſentit Vellejus, Valerius Max. & quantum ex epitome licet intelligere, etiam Livius. Prænomen hujus Carbonis *Cajum* arbitror fuiſſe, non *Cneum*. in quo Velleji primum, deinde Ciceronis etiam teſtimonio nitor, qui libro 3. de Orat. & Cajum appellat, & Craſſi oratoris inimiciſſimum. *Cui mærori*, inquit, *qua mente ille in patriam fuit, etiam C. Carbonis, inimiciſſimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuiſſet.* Quis igitur dubitare poſſit, quin is Carbo, quem Damaſippus occidit, non idem ſit, cujus Cicero nefariam mortem vocat, ipſum autem L. Craſſi inimiciſſimum? quis eundem non credat, C. Carbonis, illius eloquentiſſimi viri, quem Craſſus accuſavit, filium fuiſſe? inde enim Craſſi vocatur inimiciſſimus, quia patris inimicum ulciſci cupiebat. quod ſi quis dubitat, inſpiciat Valerium Maxim. lib. 3. cap. 7. Sic igitur concludo: ſi fuit ille Carbo, quem Damaſippus occidit, C. Carbonis, quem Craſſus accuſavit, filius; quod probatum ſatis, Cicerone & Valerio teſtibus, exiſtimo, neceſſe videri, ut in hac epiſtola, *C. Carbonem*, non *Cneum* legatur. Ut omittatur ea ratio, quod in hac Carbonum enumeratione, diſertus orator C. Carbo, beneque de rep. ſentiens, quam ob cauſſam Damaſippus eum juſſu Marii junioris interfecit, ſilentio præteriri non debuit: præteritur autem, niſi hoc loco nominetur. Adjungam, quæ de eo ſcripta ſunt in Bruto: *In eodem numero ejuſdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſſimi viri filius, non ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus. erat in verbis gravitas: & facile dicebat: & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio.* Idem eſt, de quo ſic in Oratore: *Me ſtante C. Carbo C. F. tribunus pleb. in concione dixit his verbis: O M. Druſe, (patrem appello) tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempub., quicumque eam violaviſſet, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. patris dictum ſapiens temeritas filii comprobavit.* Quibus duorum locorum teſtimoniis tria conſtant, primum de prænomine Cajo, tum de patre eloquentiſſimo, id eſt, eo, quem L. Craſſus accuſavit, poſtremo de optimo ejus erga remp. ſenſu. Non vereor, ne nimis prolixa narratio videatur, ſi hoc addam, verum eſſe non poſſe, quod Vellejus prodidit, hunc C. Carbonem, quem Damaſippus occidit, Cn. Carbonis, qui ter conſul fuit, fratrem fuiſſe: cum Cajus Cajo patre, ut jam oſtendi, Cneus, ut faſti Capitolini declarant, Cneo patre ſit natus. Patruelem fuiſſe, non germanum, fortaſſe aliquis dixerit. Quo argumento? nam Cnei pater Cneus fuit: at Caji pater Cajus fratrem nullum habuit, cui Cneo prænomen fuerit. probatur ipſo teſte Cicerone, vel in hac epiſtola, *Tres* (inquit) *illi fratres fuerunt, P. C. M.* Duos Cajo, quem infra dicit a Craſſo accuſatum, fratres addidit, Publium, & Marcum: Cnei nulla mentio. Addo illud, quod Cnei ter conſulis pater ſeorſum a Cajo, quem Craſſus accuſavit, procul nominatur in eo loco: *Pater ejus, accuſatus a M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur.* nam, ſi frater eſſet; ſine dubio vel ante eum proxime, vel poſt eum ſtatim, nullo interpoſito Carbone, nominatus eſſet. Sic igitur ſtatuendum videtur; aut illa duo verba, *Conſulis fratrem*, gloſſema apud Vellejum eſſe, additum ab imperito homine; aut ipſum etiam Vellejum,

lejum, quod tamen haud libenter crediderim, in hiſtoria peccaſſe, deceptum fortaſſe ſimilitudine prænominis, & interitus: quia C. Carbonem alterum: Cnei ter conſulis fratrem, militarem diſciplinam, corruptam civilibus bellis, emendare conantem, ab exercitu interemptum annalium litteræ prodiderunt: ut ex Valerio Max. lib. 9. cap. 7. licet intelligere.

Cognovimus Cn. Carbonem] Hic non eſt Cn. Carbo, ter conſul, qui nominatur infra. poteſt autem eſſe, quem elegantis conventus auribus minime dignum, turbulentis vero concionibus aptiſſimum fuiſſe, auctor eſt Cicero in Bruto.

Nihil dico] Parcendum amico putat; ſed, quid ſentiat, apparet ex eo, quod improbitatis, uno excepto, quem Damaſippus occidit, Carbones omnes jam damnavit.

Iis] Cum quadam emphaſi. illi, inſigni omnes improbitate. ſunt autem hi tres fratres Carbonum, qui nominantur in hac epiſtola, vetuſtiſſimi: adeo ut eos Cicero per ætatem cognoſcere non potuerit.

Pag. 57. *Fugit Marcus ex Sicilia*] Cum in ea prætor, aut quæſtor, aut legatus eſſet. Hoc totum alii attexunt ad ſuperiora, & legunt, *Fur magnus ex Sicilia*; non attendentes, ſi ita legatur, de tribus fratribus Marcum prætermitti.

Caius] Carbonum omnium eloquentiſſimus, popularis primum, deinde optimatum defenſor.

Accuſante] Jam conſulatem.

L. Craſſo] Annos nato XIX. ut auctor eſt Tacitus in dialogo de Orat.

Cantharida] Succus cantharidis, qui vermis viridis eſt, epotus interimit. Tuſc. 5. *Theodorus Lyſimacho mortem minitanti, Magnum vero, inquit, effeciſti, ſi cantharidis vim conſecutus es.* Et Ovidius in Ibin:

> *Cantharidum ſuccos, dante parente, bibas.*

De hoc in Bruto his verbis: *Utinam in Tib. Graccho, Cajoque Carbone talis mens ad rempub. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit. profecto nemo his viris gloria præſtitiſſet. ſed eorum alter propter turbulentiſſimum tribunatum ab ipſa rep. eſt interfectus: alter, propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria ſe a ſeveritate judicum vindicavit. ſed fuit uterque ſummus orator: atque id memoria patrum teſte dicimus.*

Tribunus pl. ſeditioſus] *Seditioſe*, ut ait Cicero pro Milone, *P. Africanum in concione interrogavit, quid de Ti. Gracchi morte ſentiret. Idem rogationem promulgavit, ut eundem tribunum pl. quoties quidem vellet, creare liceret. quam rogationem Africanus minor diſſuaſit, C. Gracchus ſuaſit. ſed Africanus tenuit.* Epitome. Seditioſum fuiſſe, oſtendit etiam in Lælio, cum ait: *Carbonem quo quo propter recentem pœnam Tib. Gracchi ſuſtinuimus.*

Vim attuliſſe] Idem ſcripſit in [illegible] ad Q. fr. lib. 2. ſed libro 2. de Orat. non ei vim Carbonem attuliſſe, ſed conſcium ſignificat fuiſſe. ejus autem mortis culpa in Semproniam uxorem Gracchorum ſororem, a pluribus confertur. unde illud in Somnio Scipionis; *Si impias propinquorum manus effugeris.* Carbonem & Semproniam in eo ſcelere conjungere Cicero videtur in lib. de Amic. *Hunc*, inquit, *etiam poſt mortem ſecuti amici & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, ſine lacrumis non queo dicere.*

Hoc vero] Cn. Carbone, qui ter conſulatum adeptus acerrime contra Sullam pugnavit: poſtremo victus, & Italia pulſus, in Sicilia a Pompejo occiſus eſt. Plutarchus, Appianus, Valerius Max.

Pater ejus] Cn. Carbo, ut Ca[illegible]ni lapides teſtantur. & is fortaſſe, qui cum Metello Caprario conſul fuit. nam de illius dignitate argumentum ca[illegible] ex accuſatione M. Antonii, oratoria laude clari. non enim ignobilem, aut humilem civem accuſaſſet: cum præ[illegible]tim & L. Craſſus conſularem vi[illegible], C. Carbonem, eloquentia præſtantem, adoleſcentulus jam accuſaſſet.

Sutorio atramento abſolutus putatur] Sutorium atramentum Græci Χαλ[illegible] vocant. Galenus lib. 13. meth. c. 20 nominat inter ea pharmaca, quæ non leviter nocendi vim habent: quam [illegible] δυνάμιν φθαρτικὴν appellat. ſubjun-

gitque

gitque non tuto medicamentis immiſceri, quæ per os aſſumuntur. itaque liceat opinari, Carbonem hunc, ſumpto atramento ſutorio, voluntaria morte damnationis a judicio liberatum. Non ignoro, quibuſdam, *abſolvi atramento ſutorio*, quaſi proverbium eſſe viſum: ut dixerit Cicero, abſolutum quidem, ſed (ut opinio fuit) corrupto judicio. quod, ut obſcuræ ſunt litteræ atramento ſutorio conſcriptæ, ſic obſcuræ fuerint judicum ſententiæ. Horum probanda ne ſit, an condemnanda opinio, alii viderint.

Ad patres, cenſeo, revertare] Patres dicti centum illi, ex quibus ſenatum Romulus conſtituit: qui omnes ingenui fuere. nam reliquos, qui ab initio urbis Romæ cum Romulo fuere, patrem, & avum liberos ciere non potuiſſe, Livii verba libro 10. ſignificant. quod Cincius quoque ſenſiſſe videtur in libro de Comitiis, qui non exſtat, ſed ejus hæc apud Feſtum mentio eſt: *Patricios, Cincius ait in libro de Comitiis, eos appellari ſolitos, qui nunc ingenui vocentur.* Et quia per annos multos patriciis tantum gentibus curia patuit; propterea *patres* appellat hic Cicero, cum de patriciis loquatur: licet ejus ætate, atque adeo multis ante ſæculis, plebejis etiam familiis ſenatoria dignitas impertiretur, & ideo patres plebejis quoque familiis orti dicerentur. Reſpexit igitur ad priſca tempora, cum aditus in curiam ſolis patriciis daretur. Suetonius quoque in Julio, *Clodium*, inquit, *a patribus ad plebem tranſire conantem, eodem die, horaque nona traduxit.* *A patribus* dixit, pro, *a patriciis*.

Revertare] Quia Pætus plebejum ſe eſſe dixerat, opinatus omnes Papirios fuiſſe plebejos; malo, inquit, patricium te eſſe, ducta origine a patriciis, non a plebejis. Supra: *Patriciorum imagines habeas, volo.*

Importuni] Non modo qui agit aliquid alieno tempore, ſed etiam qui agit, quod non debet, *importunus* eſt. Lib. 1. de Fin. *Filium morte multavit: ſi ſine cauſſa, nollem me ab eo ortum, tam importuno, tamque crudeli.* In Piſonem: *Animal ex omnium ſcelerum importunitate concretum.* Pro Cluentio; *Importunitatem matris a ſuis capite depellite.*

EPISTOLA XXII.

A *Me verecundiam*] Platonis, in loquendo.

Vel potius libertatem loquendi] Aut hoc per jocum dicit: aut legendum, *Alii potius libertatem.* Alioqui pugnantia loqueretur. nam infra, *Ego*, inquit, *ſervo, & ſervabo (ſic enim aſſuevi) Platonis verecundiam.* Et hanc ſententiam, reprehenſa Stoicorum & Synicorum libertate, accurate defendit lib. 1. Off. *Nec vero audiendi ſunt* (inquit) *Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa ducamus; illa autem, quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis. latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe eſt, ſed dicitur non obſcene: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcenum. pluraque in eam ſententiam ab eisdem contra verecundiam diſputantur.* Eſt igitur feſtiva correctio, ad Pæti gratiam inducta, quaſi alieurandi cauſſa: & eodem ſpectant illa, quæ loquuntur de ſchola Stoica, ut verbi turpitudinem, quod Pætus effutierat, Stoicorum auctoritas quodam modo tegeret.

Zenoni] Zenones octo nominat Laertius, primum Eleatem, qui Parmenidem audivit, ut ait Suidas, & Dialecticam invenit, ut Ariſtoteles. Mira fuit in cruciatibus patientia, ut, qeo tui, detecta conjuratione, cujus ipſe auctor fuerat, perpeti omnia maluerit, quam conſcios delendæ tyrannidis indicare: quos ne nominare cogeretur, præciſam dentibus linguam in os Neoclis tyranni conſpuit. Tuſc. 2. & Laertius. Alter fuit Zeno Citieus, e Citio, Cypri inſulæ opido, Polemonis auditor, Stoicæ ſectæ conditor, & princeps, ut inquit Cicero pro Murena, & in Orat. & lib. 3. de Fin. & Strabo lib. 14. & Laertius in vita. is Athenienſibus ita carus fuit, & auctoritatis tantæ, ut apud eum claves urbis deponerent, aureaque illum corona ornarent, & imagine ærea. Hic eſt, quem hic Cicero nominat, & in Lucullo his verbis: *Zeno inventor & princeps Stoicorum fuit.* Et Acad. 1. *Zeno nullo modo is erat, qui, ut Theophraſtus, nervos virtutis inciderit, ſed contra, qui omnia*

qua ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis. Idem lib. 4. de Fin. Postremus a Laertio nominatur Sidonius Zeno Epicureus: quem Cicero audivit, ejusque mentionem facit in Lucullo, & Acad. 1. in extremo, & lib. 1. de nat. deor. & Tusc. 3.

Homini mehercule acuto] Acumen Stoici Zenonis laudat & in Acad. 1. *Zeno* (inquit) *cum Arcesilam anteiret ætate, valdeque subtiliter dissereret, & peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam.* epist. 22. lib. 9.

Pag. 58. *Academia nostra*] Academia duplex, vetus, & nova. vetus a Platone instituta, mox culta a Speuſippo, Xenocrate, Polemone, Cratete, Crantore: nova, ab Arceſila, Carneade, Lacyde.

Magna rixa] De fine bonorum & malorum: cum Stoici unam virtutem ſequantur, cetera contemnant omnia; Academici vero virtutem quidem rebus omnibus præferant, honoribus tamen, divitiis, valetudini, aliiſque tum fortunæ, tum naturæ muneribus locum relinquant. Hanc rixam Cicero in Lucullo oſtendit his verbis: *Aut Stoicus constituatur ſapiens, aut veteris Academiæ. utrumque non poteſt. eſt enim inter eos non de terminis, ſed de tota poſſeſſione contentio. nam omnis ratio vitæ definitione ſummi boni continetur: de qua qui diſſident, de omni ratione vitæ diſſident.* Et Acad. libro primo multa in hanc ſententiam. Divus Auguſtinus lib. 3. contra Academicos recitat hæc verba Ciceronis. *Contra Stoicos potiſſimum Academicorum exarſit ingenium.*

Placet Stoicis, ſuo quamque rem nomine appellare] Attigit hoc lib. 1. Off. vide & Ariſtotelem lib. 3. Rhet.

In re non eſt] Sextus Empiricus, a Zenone Stoico ne præpoſteram quidem Venerem improbatam eſſe, lib. 3. Pyrrh. c. 24 oſtendit his verbis: *Illum Achillis erga Patroclum ardentem amorem ad hoc referunt nonnulli. quod cur mirum ulli videatur? cum & Cynici Philoſophi, & Zenon Citieus, & Cleanthes, & Chryſippus indifferens eſſe dicant.* Et paullo poſt. *Stoicos audivimus dicentes a ratione non abhorrere, cum meretrice congredi, aut quæſtu meretricio vitam ſuſtentare.* Et infra: *Zeno Citieus non alienum a ratione dicit eſſe, matris naturam ſua affricare: quemadmodum nec aliam corporis ejus partem manu fricare, malum ullum eſſe dixerit. Cum præterea deteſtabile ſit apud nos αἰσχρουργεῖν, Zeno approbat.* Et cap. 25. *Stoicorum ſecta princeps Zeno ἐν ταῖς διατριβαῖς, id eſt, in libris de inſtitutione puerorum, cum alia ſimilia, tum vero hæc dicit: Diviſa re nihilo magis, nec minus pueros adamatos, quam non adamatos, nec feminas, quam mares, non enim ſunt alia, quæ pueros adamatos, aut non adamatos, nec feminas, aut mares deceant: ſed eadem illos decent.*

Ille in Demiurgo modo] Ille, non eſt Poeta, qui Demiurgum tragœdiam ſcripſit, ſed hiſtrio, id eſt, Roſcius. Demiurgum autem ſcripſit Turpilius: ut ex Nonio licet cognoſcere.

Modo] Si Ciceronis verbum eſt, actam paullo ante hanc tragœdiam, cogimur credere. in quo equidem hæreo. nam ex eo ſequetur, vixiſſe Roſcium paullo ante: de quo ſubjungitur: *Meminiſti Roſcium.* quod ſi ita eſt; hanc epiſtolam aliquot annis ante civile bellum ſcriptam eſſe, neceſſario putabimus. nam Roſcius ante orationem pro Archia Poeta habitam e vita receſſit quod ipſa indicat oratio, quæ habita eſt, quantum aſſequi conjectura licet, Silano & Murena coss. id quod ipſa ratione examinanda lector intelligens judicabit. Aut igitur hanc epiſtolam paullo [illegible] orationem pro Archia ſcriptam [illegible] camus; quod mihi parum ſit veri[illegible] cum cæteræ ad eundem omnes C[illegible] dominante ſcriptæ ſint: aut aliter [di]ſtinguemus, nempe ſic: *[illegible] Demiurgo: Modo (ſi te noſti canticum, meminiſti Roſcium) ita me deſtitui[t] nu[illegible]* Ut, *Modo*, Poetæ verbum ſit.

Noſti canticum] Canticum agere hi[ſ]trio dicebatur, cum ipſe quid[em] [cor]poris motus tibicinis modis [illegible] tes dabat, alius autem ante ti[bicinem] canebat. id fiebat, ſi ſolus hi[ſtrio] [illegible] queretur: nam, ſi duo vel plur[es] [illegible] Livius initio libri 7. *Di[ver]bium* [illegible] tunc & canebat idem hiſtrio, & ad can[tum] motus accommodabat.

Roſcium] Summum in actione [illegible] ca. ex co natum, ut *Roſcius* appel[illegible]

tu;

tur, quicumque aliqua arte aut facultate excelleret.

Destituit nudum] In Demiurgo comœdia. querebatur neſcio quis nudum ſe a muliere destitutum.

Re impudentiter] Quia ſuberat hoc: erepiam ſibi habendæ rei cum ea muliere poteſtatem.

Pag. 59. *Sed etiam in tragœdiis*] In quibus major, quam in comœdiis, gravitas requiritur.

Quæ mulier una] Quænam eſt, quæ cum viro concumbit?

Vſurpata duplex cubile] Hoc proxime ſequitur poſt illud, *Quæ mulier una?* nam verba ſunt mulieris de pellice querentis. & fortaſſe loquentem hæc Poeta induxerat Theben, uxorem Alexandri, Pheræi tyranni: quem arbitror infra nominari. hæc enim, ut Cicero l. 2. Off. prodidit, propter pellicatus ſuſpicionem virum interfecit. *Vſurpata*, verbum deponens temporis præteriti: cum tamen, *Vſurpo*, ſit uſitatius, quam *Vſurpor*: ut, *Iuratus*, a *Iuro*. Legimus etiam apud Gel. & Macrob. *Q. Mucium juriſconſultum dicere ſolitum; Non eſſe uſurpatam mulierem, quæ cum Kal. Ian. apud virum matrimonii cauſſa eſſe cœpiſſet, ante diem quartum Kalendas Ian. ſequentes, uſurpata eſſet.*

Pheræi, &c.] Opinor hoc eſſe ex eadem tragœdia, ſed aliquanto poſt illa ſuperiora. nam illa in pellicem, hæc in adulterum dicuntur.

Virginem me quondam invitam per vim violat] Poteſt hoc eſſe ejuſdem Thebes in Alexandrum tyrannum. *Violat*, modeſte dixit. antiqui enim, ut lib 5 de ling. Lat. ſcripſit Varro, *Violavit virginem*, pro *Vitiavit*, &, *Cum muliere fuit*, pro *Concubuit*, modeſte dicebant.

Idem ſignificat] Alterum verbum eſt, idem ſignificans, quod *viola*: ſed, illud Poeta ſi dixiſſet, nemo tuliſſet. ergo non eſt in re flagitium: nam in comœdiis & tragœdiis, licet verbis tectis, res tamen ipſa narratur.

Alterum] Obſcenum verbum, quo diſſoluti homines pro *Violo* libere utuntur.

Aliena nomine] Proprium nomen, podex: alienum, anus: a vetula: quod utrique ſimilis deformitas & fœditas. ſignificatio diverſa cognoſcitur in omni caſu, præterquam in eo qui regit, & eo qui accuſat. nam *anus*, & *anum*, pro podice, & vetula, æque dicitur: ceteri caſus differunt.

Ne alieno quidem] Appelles.

Peniculus] In antiquis libris & *Periculus* eſt, & *Penicillus*. Feſtus *Peniculum* appellat, quo calceamenta tergentur. & an a pene deductum, id eſt, cauda. Plautus quoque in Men. act. 1. *Iuventus*, ait ſub perſona Paraſiti, *nomen fecit Peniculo mihi, ideo quia menſam quando edo, detergeo.*

At vero] Malim, *Et vero.* non enim hoc adverſatur, ſed conſentit proximis ſuperioribus verbis. & alibi ſic Cicero locutus. unus omnino vetus liber habet, *Vt Piſo.*

Ille Frugi] Qui ſine ornatu ſcripſit hiſtoriam ut lib. 2. de Orat & lib. 1. de leg. & Tuſcul 3 *Frugi* autem, a moribus appellatus.

In Annalibus ſuis] Quorum ex lib. 5. Priſcianus verba quædam recitat libro 10.

Peni] Libidini, quæ pene exercetur.

Suo nomine] Mentulam. Infra, *Quam multa ex uno verbo tuo.*

Quia multis] Subaudi, *penem nominarunt.*

Pag. 60. *Cum nos*] Qui hoc pronunciabat, videbatur dicere, *Cunnos.* quod obſcenum eſt. hinc opinor ſatis patet, mendoſe veteres pronunciaſſe, *Cun*, pro *Cum*, ſequente littera *n*. quam ob cauſſam dixere, *Nobiſcum*: ne dicerent, *Cum nobis*; & ita *Cunni* mentio probas aures offenderet. Hoc vitium Cicero notavit in Oratore. *Quid illud*, inquit, *non olet unde ſit, quod dicitur, cum illis, cum autem nobis non dicitur, ſed nobiſcum? quia, ſi ita diceretur, obſcenius concurrerent litteræ, ut etiam modo, niſi Autem interpoſuiſſem, concurriſſent. ex eo eſt, mecum, & tecum, non, cum me, & cum te: ut eſſet ſimile illis, vobiſcum, atque nobiſcum.* Pervenit hoc vitium ad ætatem Quinctiliani: nam hæc ſcripſit lib. 8. *Iunctura deformiter ſonat: ut, ſi Cum hominibus notis loqui nos dicimus niſi hoc ipſum, hominibus, medium ſit, in præſata videmur incidere.*

Hanc culpam majorem, an illam dicam] Dupliciter peccaſſe conſularem illum, quidam putant; cum dixit, *Culpam*, & *An illam*: quod in, *Culpam*, prior ſyllaba obſcenam corporis partem indicare videatur; *An illam* vero parum verecunde dictum ſit, quia tres primæ litteræ, *An i*, *anum* referant; quam corporis partem, quia turpis eſt, ideo natura avertit ab oculis. Ego in, *Culpam*, vitium nullum agnoſco. alioqui obſcene loqueretur, quicunque *Culpam* nominaret. in, *An illam*, videtur eſſe turpitudo: quam Cicero vitandam cenſet: hodie tamen vitio non datur, ſi quis ita loquitur.

Liberis dare operam] Operam in eo ponere, ut filii generentur.

Quam honeſte dicitur] Id eſt, honeſte plane dicitur: tum quod honeſta res eſt: tum etiam, quod ejus operæ nomen aperte non dicitur. lib. 1. Off. *Liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcenum.*

Cunnus] Quod nomen una tantum littera diſtat a *Cunnus*, nec tamen obſcenum eſt. Plato eum nominat in Epitaphio.

Bini] Apparet, vel, *Vini*, pro *Bini*, dixiſſe veteres Romanos; quod quidem audientibus nihil differre videtur a Græco βινῶ: vel, cum Græca verba a β incipientia pronunciarent, pro β nominaſſe Latinam litteram *B*. nam, ſi flagitium eſt in, *Bini*, nimirum id eſt, quia non differt a Græco βινῶ. aut igitur *Bini*, per β Græcum, aut βινῶ per *B* Latinum pronunciabant.

Idque tu facis] Βινῶ, eſt, *Concumbe*, a βινέω. cum ergo tibi dico, *Bini*, tu concumbis: quaſi ego tibi Græce locutus, imperaverim, ut concumberes: cum tamen ego Latine dixerim, non Græce.

Non licet] Quia, *mentula*, dicerem: quod obſcenum eſt.

Non potes] Quia diceres, *pavimentula*: in quo verbo *mentula* nominatur.

Non honeſtum verbum eſt diviſio] Tunc eſt honeſtum cum ſimpliciter ſignificat, *ſeparatio*: obſceni enim tunc nihil ineſt, & uſurpatur conſuetudine communi. ut, *dividere lignum*, *fundum*, *hereditatem*, ſimilia. honeſtum autem tunc non eſt, cum dicimus, *dividere puerum*: ut Græci quoque loquuntur: dicunt enim διαμηρίζειν τὰ παιδικὰ, pro, dividere & ſtuprare pueros adamatos. & ita locutum eſſe Sextum Empiricum libro 3. Pyrrh. cap. 25. animadverti. idemque cap. 24. cum ageret de maſcula Venere, ſine probro apud quaſdam gentes uſitata, ut apud Germanos, & Thebanos, hæc ſubjungit: *Merionem Cretenſem* Merionem illum, Homerico verſu notum, Idomenei, Cretenſium ducis, aurigam appellat *ita vocatum ajunt ad expreſſam conſuetudinis Cretenſium ſignificationem.* Hæc Sextus, ex opinione eorum, qui Merionis nomen ἀπὸ τ μηρίζειν τοὺς παῖδας, deductum putabant, qui Μηρίονας, Ionica lingua η in ε converſa, ab Homero vocatur. Videtur huc ſpectaſſe Plautus in Aul. ambigua tamen ſignificatione, ut eſt in hoc genere facetus, cum dixit: *Me quidem hercle (dicam palam) non divides.* Et eidem: *Poſt, ſi quis vel et te, haud non velles dividi.*

Cui reſpondet intercapedo] *Reſpondet*, pro ſimile eſt: ut *Reſpondet Rhetorica dialecticæ*: quod Ariſtoteles initio Rhetoricorum dixerat, ἀντίστροφον. Vt *diviſio*, inquit, ſic *intercapedo* & honeſtum, & obſcenum poteſt eſſe verbum: honeſtum, ut intercapedo temporis, litterarum, id eſt, intervallum; obſcenum, ut in patiente puero. agens enim dividit, patiens intercipit, turpiſſima & exſecranda libidine.

Pag. 61. *Num obſcena ſunt*] Non ſunt. dixit enim, *Non honeſtum verbum eſt diviſio?*

Honorem non præfamur] Cum tamen res nefaria ſit. *Præfatur honorem*, qui turpe aliquid dicturus, excuſandi ſui gratia verbis utitur veniam petentibus, ut, ignoſce, pace dicam tua, & ſimilibus.

Aurelia, aut Lollia] Scortis nobilibus.

Batuit, inquit, impudenter: depſit, multo impudentius] *Batuere*, & *Depſere*, cum non obſcena proprie ſint verba; nam illud eſt, verberare, vel pugnare, hoc, ſubigendo tenerum reddere, ad obſcenam tamen ſignificationem transferuntur. *Batuere* enim ſic accipitur pro

Ex-

βατεῖν, ut, *bini*, pro *βινεῖν*. eſt autem *βατεῖν*, cum mares inſiliunt fe[illegible]inas rei Venereæ cauſſa. quo verbo Theocritus uſus eſt. *Depſere* vero, eſt ſubigere, miſcere. id perſpicue docet Nonius. *Condepſere* (ait) eſt commiſcere, a Græco tractum *δέψω*. Hom. Odyſſ. *μ*, *Κηρὸν δεψήσας μετ᾽ ἰνδία*. Pomponius Nuptiis: *Partem inſipui, concluſi, condepſui. Depſere* igitur & honeſtum, & obſcenum eſſe poteſt. honeſtum eſt, apud Catonem & Varronem; obſcenum, non agnoſcitur exemplis: ſed hic ſufficere videtur Ciceronis locus; cum ait: *Iam non etiam obſcena viri a pro obſcenis ſunt, Batuit*, inquit, *impudenter: depſit, multo impudentius.* Præterea videtur Catullus dixiſſe, *Patruus perdepſuit ipſam Vxorem:* non, *Perdeſpuit.* quem locum Ioſephus Scaliger, ſummo adoleſcens ingenio, dign[illegible] plane Iulio Cæſare patre filius, emendavit. Eſt autem multo impudentius, *depſere*, quam *batuere:* quia turpius eſt, ſubigere, quam inſilire. *batuit* enim, id eſt inſilit, qui rem Veneream habere vult: *depſit* vero, id eſt, ſubigit, *ἀπὸ τοῦ δέψειν*, qui libidinem ipſam exercet.

Pag. 62. *Stultorum plena ſunt omnia*] Dicitur hoc ex perſona Stoicorum, ut illud ſupra: *Vides igitur nihil eſſe, niſi ineptias; turpitudinem nec in verbo eſſe, nec in re: itaque nuſquam eſſe.* Infra vero ut oſtendat Cicero, ſe non ea dixiſſe, quæ ipſe probet, ſed ea, quæ Stoici ſentiant, *Habes*, inquit, *ſcholam Stoicam.* Ineptias igitur & ſtultitiam Stoici putabant, ſi quis verecundiam in loquendo ſervaret, cum nec in verbis, nec in rebus turpitudo eſſe videretur, ſed eſſet rerum omnium *ἀδιαφορία* quædam.

Alio loco] Cum loquimur de teſtibus virilibus.

Non nimis] Etſi, *nimium*, non probatur: tamen, *non nimis*, non pro eo ponitur, quod infra *nimium* ſtatim eſt, quod eſt multum, verum pro eo, quod a nimio longe diſtat; id eſt pro parum. ſic in Divinatione in Verrem: *Statuere debeta, Q. Cæcilium non nimis hanc cauſſam ſevere, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum.*

Colei Lanuvini] Familia Lanuvina, ſic appellata, vel familiæ cognomen.

Cliternini non honeſti] Quia familia Coleorum ibi non eſt: & ideo, *Cliterninos coleos* qui dicit, non familiam, ſed teſtes viriles dicit. Vtrique autem populi, Lanuvini & Cliternini, ſunt in Latio. *Coleorum* vocabulo uſus eſt Laberius, apud Nonium.

Suppedit, flagitium eſt] Quia, cum deducatur a *pede*, ſignificat, crepitum ventris emittere.

Non reprehendis] Quia valetudinis gratia itur ad balneum: & ideo, in balneo pedere, flagitium non eſt.

Habes ſcholam Stoicam] Quæ a Stoicis in ſchola diſputantur.

Ο σοφὸς εὐθυῤῥημονήσει] Sapiens recte loqueris. opinor contra ſcholam Stoicam hoc eſſe. ut dixerit Cicero: Stoici ſuperiora illa diſputant: mihi autem hoc videtur, ſapientem ita loqui debere, ut obſcenitatem vitet: quod ego facio, Platonis verecundiam ſervans.

Pag. 63. *Ex uno verbo tuo*] Quia Papirius in epiſtola ſua *mentulam* nominarat, ex eo verbo occaſionem exponendæ Stoicorum ſententiæ de libertate loquendi Cicero ſumpſit.

Adverſus me] Levius eſt, quam *contra*. nam *contra*, nocendi voluntatem oſtendit. *adverſus*, interdum eſt ſine contraria, vel etiam cum bona voluntate. Ad Attic. epiſt 3. l. 10. *Vnum te puto minus blandum eſſe, quam me: aut, ſi uterque noſtrum eſt aliquando adverſus aliquem, inter nos certe numquam ſumus.* Terentius in Andr. *Id gratum fuiſſe adverſum te, habeo gratiam.* Quod ait Donatus eſſe, *penes te*. Et illud ejuſdem in eadem fabula: *Opus eſt aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa adverſum hunc loqui: adverſum* pro *apud* eſſe poſitum, idem Donatus opinatur.

An[illegible]e] Et hoc indicat, Ciceroni non placere libertatem loquendi. quod ſequentibus quoque verbis declaratur.

Platonis verecundiam] Quam ſuis in ſcriptis Plato ſervavit.

Etiam crepitus] Non modo verba.

Honorem] Habere volui.

Kalendis Martiis] Quem præcipue diem matronas, Iunoni dicatum, cum religione coluiſſe, lib. Sat. 1. ſcripſit Macrobius. Hinc Plautus in Milite: *Da*

mihi vir, Kalendis qua mittam, cum Martia venerint: quem verſum ſine cauſſa immutarunt poſtea impreſſores tranſalpini, hoc modo: *Da mi vir Kalendis meam quod matrem juverit.* Ovidius Faſt. lib. 3. & Servius in Virg. lib. 8. cur Kalendas Martias matronæ colerent, cauſſam exponunt.

EPISTOLA XXIII.

CVm *certum ſciam*] De die. nam ire omnino conſtituerat: ut infra.

Silva Gallinaria] Varro lib. 3. de re r. *Silva*, inquit, *Gallinaria, a gallinis ruſticis dicta, eſt in mari Tuſco, ſecundum Italiam, contra montes Liguſticos.* Et Strabo libro 5.

Ex pedibus laborares] Quæ *podagra* dicitur: *chiragra* vero, cum ex manibus laboramus. *Pedum doloribus affici*, epiſtola 19. lib. 6.

Et viderem te, & viſerem] *Viſerem*, dixit, vel quia Pætus ægrotabat, vel quia domum crebro ad eum ire Cicero volebat, ut apud eum cœnaret.

Arthriticum] Articulis ita laborantem, ut cœnam apparare non poſſit.

EPISTOLA XXIV.

Pag. 64. M*Agna cura ei ſalutem meam fuiſſe*] Quia conſilia de opprimendo Cicerone inita Rufus ad Pætum detulit, Pætus ad Ciceronem ſcripſit.

Vt debet, valet plurimum] Sic ep. 19. lib. 2.

Aquini] Opidum eſt in Latio.

Fabrateria] In Campania Priſcianus lib. 2. *In tertia deſinentia ſimiliter faciunt, Fabrateria, Fabraternus.*

Conſilia ſunt inita] Ab Antonio.

De me] Opprimendo.

Inaudiſſe] Inaudimus occulta. Cicero Pan[illegible]: *Quorum erupit illa vox, de qua ego ex iis primum inaudieram.* Et Plautus in Aul. *Credo ego jam illum inaudiſſe, mihi eſſe theſaurum domi.*

Moleſtus] Acerbiſſimis enim, quæ exſtant, orationibus Antonium inſectatus eſt.

Pag. 65. *Ea* [illegible] *reip. ſit*] Occiſo enim Cæſare, nondum tamen ſuum jus reſpub. recuperaverat. epiſt. 1. lib. 12.

Itare deſiſſe] Propter frigus.

Quod ſolebas] Amicos ad cœnam invitare.

Cum habebas quos imitarere] Vivo Cæſare, cum Hirtius & Dolabella cœnas darent. epiſt. 16.

Non multum proficiebas] Quia illorum cœnæ copioſæ, tuæ pertenues erant.

Spurina] Veſtricia gentis, ut lib. [illegible]. auctor eſt Tacitus, haruſpex fuit, qui futura prædiceret. Hic Cæſarem monuit, ut caveret idus Martias, quibus poſtea eſt interfectus. Suetonius.

Magnum periculum ſummæ reipub.] locus eſt.

Ad ſuperiorem conſuetudinem] Itandi ad cœnas.

Cum Favonius flaret] Qui flare incipit ineunte vere.

Frigus] Quod quia ferre non potes, ideo ad cœnas itare deſiiſti.

Ferre] Luſit in verborum ſimilitudine, *Ferre*, & *Ferre*.

Cum viris bonis, jucundis, amantibus tui] Sic locutus epiſt. 21. lib. 5.

Communitatem] Vt ſimul vivatur, animuſque remittatur ſermone familiari. Placet aliis, *comitatem*. ſed libri veteres adverſantur omnes.

Philoſophando] Ab eo loco, *Nihil eſt aptius vitæ.*

Ad cœnas] Non ut cœnas ipſe des, ſed ut apud alios cœnes [illegible] enim: *Cura ut valeas: id, ſi tis* [illegible] *tando, faciliime conſequere.*

Pag. 66. *Vt mei cives ſalvi* [illegible] *ſint*] Scriptam eſſe epiſtolam [illegible] latis necem, ex hoc loco intelligitur.

Monendi, ag[illegible]*endi, pr*[illegible]*endi*] Quæ tria poſtulan[illegible]t ab o[illegible]timo ci[illegible]e

Vita mi[illegible] *pene*[illegible]*da ſit*] Quod a[illegible] juſſu enim Antonii triumviri ob rem[illegible] recte adminiſtratam eſt interfe[illegible].

Præclare actum mecum putem] N[illegible] *peſſime actum*, dixit Sulpicius e[illegible] lib. 4. *præclare* autem *agi cum* [illegible] tes dicebant, qui fortuna uterentur [illegible] ma.

EPISTOLA XXV.

S*Vmmum me ducem*] Ironia.

Pyrrhi [illegible], *&* [illegible] Pyrrhus Epiro-

pirotarum rex fuit, Cineas ejus legatus. utrumque ſcripſiſſe libros de ſe militari, ex Plutarcho & Æliano perſpicuum fit.

Meliorem] Jocus. equites enim contra naves nihil poſſunt.

Κύρου παιδείαν] Inſtitutionem Cyri Perſarum regis, quam octo libris Xenophon expoſuit, non ad hiſtoriæ fidem, ut ait Cicero in epiſtola ad Quinctum fratrem, ſed ad effigiem juſti imperii: itaque perpetuam in illo felicitatem fingit, mortemque tranquilliſſimam, & omnis expertem doloris ac moleſtiæ: cum Herodotus contra, & Juſtinus, interfectum a Tomyri, Scytharum regina, cum ducentis Perſarum millibus, memoriæ prodiderint. Scripſit autem hos libros commotus duobus primis Platonis libris de optimo ſtatu reipubl. qua de re ſic Gellius lib. 14. cap. 3. *Xenophon inclyto illi operi Platonis, quod de optimo ſtatu reſp. civitatiſque adminiſtrandæ ſcriptum eſt, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in vulgus exierant. oppoſuit contra, conſcripſitque diverſum regiæ adminiſtrationis genus, quod, παιδεία Κύρου, inſcriptum eſt.*

In hoc imperio] In Cilicia adminiſtranda.

Explicavi] Re ipſa ſum exſecutus.

Pag. 67. *Brevi*] Non igitur eo anno, quo in provinciam ivit, id eſt, Sulpicio & Marcello coſſ. hanc epiſtolam ſcripſit ſed ſequenti, Paullo & Marcello coſſ. cum jam de diſceſſu cogitaret.

Ades ad imperandum, vel ad parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur] Scripta veterum interiere, in quibus hic loquendi modus crebrior fuit, unius igitur Salluſtii utemur teſtimonio. *Jugurtha* (inquit) *ubi armis, virisque, & pecunia ſpoliatus eſt, cum ad imperandum Tiſidium vocaretur, rurſus cœpit flectere animum ſuum. Ad imperandum*, id eſt, ut ei imperaretur, ad parendum: quod Cicero ſubjunxit. Hunc loquendi modum & Servius agnovit in illo Virgilii verſu:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Cantando, inquit, *dum incantatur.*

Controverſiis] Diſputationibus de ſummo bono, in quibus Academici, quorum ſectam Cicero probabat, vehementer ab Epicureis diſſentiebant.

Tuus] Epicureus igitur Pætus.

Combibonibus] Compotoribus.

Optima opera] Valebat enim Fabius ingenio plurimum & doctrina. ep. 14. lib. 2.

Percuſſus eſt] Epiſt. 8. ad Att. lib. 14. *Percuſſit animum.* Terentius: *Percuſſit ilico animum.*

Pro cœptum] Ut venderetur.

Non ſapientem] Pro *ſtultum*, modeſte dictum. Similiter epiſt. 14. lib. 12. *Ab hominibus non inſulſis.*

Suorum] Mathonis & Pollionis, qui nominantur infra.

Mathonem & Pollionem] Matho, Pomponiæ gentis, Pollio, Aſiniæ cognomen. Pollionis epiſtolæ tres leguntur libro decimo.

EPISTOLA XXVI.

Pag. 68. *Accubueram hora nona*] Qua veteres cœnare conſuevere. Unde Martialis:

Incipit exſtructos frangere nona thoros.

Harum] Litterarum: quas deinde, cum domum rediiſſem, ex codicillis in chartam tranſlatas ad te miſerem.

In codicillis] Ceratis tabulis: in quibus primum eſſe ſcribi ſolitum, oſtendit illud Varronis apud Cariſium, *Oſſe ſcribebant*: & Titinii: *Velim ego oſſe arare campum cereum*; id eſt, ceratas codicillorum tabellas. Poſtea commodior ſtyli ærei eſt uſus inductus. Codicillorum uſus antiquiſſimus fuit, jam ante chartam inventam: itaque ſcripſit Homerus Il. lib. 6. Bellerophonti in Lycia codicillos eſſe datos. quo argumento, nondum eo tempore inventam eſſe chartam, Plinius lib. 13. cap. 13. probare conatur. *Codicilli* autem dicti a caudicibus, id eſt arborum libris: plures enim ligneæ tabellæ glutino jungebantur, item ut junguntur hodie noſtrates libri. Sed ante, quam in arborum libris, palmarum in foliis eſſe ſcriptum, idem Plinius auctor eſt eodem libro cap. 11. & hæc ſubjungit: *Publica poſtea monumenta plumbeis volu-*

minibus, mox & privata linteis conſici cœpta, aut ceris. pugillarium enim uſum fuiſſe etiam ante Trojana tempora, invenimus apud Homerum. Quibus verbis *pugillaria* ſignificat codicillos eſſe, id eſt, tabellas cera illitas, in quibus pungendo, unde pugillarium nomen, ſtylo impreſſo ſcriberetur. Verum, etſi ante chartam fuere, poſt eandem tamen inventam manſere codicilli, commodi ſcilicet cauſſa: quoniam, ubi charta & atramentum non adeſſet, ut in itinere, in cœna, in ſenatu, codicilli ſtylo ſcripti mittebantur. itaque epiſt. 18. lib. 6. *Quæſivi*, inquit, *e Balbo per codicillos, quid eſſet in lege.* Et Sulpicius epiſt. 12. lib. 4. *Puer Acidini mihi obviam venit cum codicillis.* Interdum ipſi codicilli non mittebantur, ſed ſcribebatur in iis, quod in chartam deinde tranſlatum mitteretur. propterea, *Harum exemplum in codicillis exaravi*, ait Cicero.

Exaravi] Raptim ſcripſi. non enim *Exarare*, valet, ſimpliciter ſcribere: quod nonnullos opinari, eorum ſcripta declarant. epiſt. 20. lib. 12.

Apud Volumnium.] *Cœnare cum aliquo*, & *apud aliquem*, hoc differunt, quod, qui cum aliquo cœnat, non ejus domi neceſſario cœnat, ſed interdum alibi: qui vero apud aliquem, non cum eo ſemper, ſed interdum etiam ſine eo, licet ejus domi.

Eutrapelum] Ita vocatum a feſtivitate & lepore. epiſt. 32. lib. 7.

Supra me Atticus, infra Verrius] Atticus a dextra, Verrius a ſiniſtra. Locus honoratior in lecto erat medius. quem Cicero, vir conſularis, merito obtinuit; ſecundus, ſuperior, Attici, tertius, inferior, Verrii. propterea ſuper Germanicum Piſo diſcubuit, ut lib. 3. ſcripſit Tacitus: & Didoni reginæ medium locum Virgilius aſſignavit, Æneæ ſuperiorem, Achati vel Ilioneo inferiorem:

> *Cum venit, aulæis jam ſe regina ſuperbis*
> *Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.*

De ſuperiore autem Æneæ loco:

> *Inde thoro pater Æneas ſic orſus ab alto.*

Et Plautus in Moſt. *Non omnes poſſunt olere unguenta exotica, Sicut tu ſoles, neque ſuperior accumbere.* Et in Stich. *Haud poſtulo equidem ſummo in lecto accumbere.* Et in Perſ. *Accumbe in ſummo.* Quartus locus, *imus* dicebatur: de quo Horatius, *Secutus omnibus imus.* in eo Volumnium ipſum, convivii dominum, cum Cytheride accubuiſſe arbitror, non in lecto ſeparato & proprio. Sciendum, quod Plutarchus ἐν τοῖς συμποσιακοῖς α. ſcriptum reliquit, conſulem non medio loco, qui ceteris civibus, ubi quis dignitate præſtaret, aſſignabatur, ſed ultimo medii lecti ſolitum accumbere, non modo propter eam cauſſam, ne reges videretur imitari, quorum actiones omnes ac mores libera civitas oderat, ſed ut audire, imperare, ſubſcribere, ſcribam, miniſtrum, cuſtodem corporis, nuncium ab exercitu venientem admittere, colloqui, interrogare, neque ſuo, neque cujuſquam convivæ impedimento, poſſet. ſecundus enim lectus primo a ſuperiore parte cohærebat, ab inferiore autem, ubi conſul accumbebat, modico intervallo ſejunctus erat a tertio, ut ad ea, quæ dixi, peragenda vacuum locum haberet conſul. Hunc morem, Plutarchi teſtimonio, oſtendendum exiſtimavi, ne quis crederet, aut medium locum medii lecti (tres enim in triclinio lecti erant) ſemper honoratiorem reliquis fuiſſe, quod hæc maxime Ciceronis epiſtola declarat, aut ultimum ejuſdem lecti locum; quod Plutarchus docet. diſtinctio enim diverſam Ciceronis & Plutarchi doctrinam conciliat: ut medius quidem locus tertii lecti, ſi privati cives accumberent, eſſet reliquis honoratior: tum conſul adeo, ultimus. Verrium eo illum opinor, quem Varro juris pontificii peritiſſimum ſcripſit fuiſſe, patronum ejus Verrii, quem Feſtus mutilavit.

Servitutem noſtram] Sic veteres aliquot libri; non, *Severitatem*: idque puto recte. ſervitus enim per ſe triſtis: te autem nulla magis, quam convivio, exhilaratur.

Philoſophum] Dionem, cujus conſuetudine Pætus utebatur. infra.

Haud peſſum vivere] Sic libri quatuor

tuor antiqui: reliqui omnes, *Aut.* utroque modo recte. quamquam *Haud* & *Aut*, poſſunt idem eſſe: cum veteres quandoque, *Aut* pro *Haud* ſcripſerint.

Etſi minimum mihi eſt in cœna] Etſi minime cœnam curo. Fortaſſe jocus eſt ex ambiguo quæſitus. poteſt enim & hoc dici, *Minimi cœnam facio*: & hoc, *Minimum eſt quod cœnem*. ideo ſequitur, *Quod tu unum ζήτημα Dioni Philoſopho poſuiſti*: quia Pætus id fortaſſe quæſierat a Philoſopho, quantum illi eſſet in cœna? eodem ambiguo ſupra dicto.

Quid potius faciam] Quam ut cum amicis cœnem.

Cytheris] Volumnii liberta, & amica. quam poſtea dilexit Cornelius Gallus Poeta, & poſt eum M. Antonius: de quo Virg.

> —— *Tua, Galle, Lycoris*
> *Perque nives alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.*

Lycoris enim a Virgilio ficto nomine vocatur. & in eo loco, tres fuiſſe nobiles meretrices, eaſdemque mimas, ait Servius: Cytheridem, Originem, Arbuſculam. Cytheridem nominat etiam Cicero in epiſt. 8. lib. 10. ad Att. & in Phil. 2. Plinius lib. 8. cap. 16. Plutarchus in Antonio. Eadem honeſtiore nomine, Philip. 2. Volumnia dicta, quod Volumnii liberta. Originem Horatius appellat:

> *Ut quondam Marſæus amator Originis ille,*
> *Qui patrium mimæ donat fundumque laremque.*

De Arbuſcula idem:

> —— *Satis eſt, equitem mihi plaudere: ut audax,*
> *Contemptis aliis, exploſa Arbuſcula dixit.*

Et Cicero epiſt. 15. ad Attic. lib. 4. *Quæris nunc de Arbuſcula: valde placuit.*

Pag. 69. *Accubuit*] Quia meretrix: nam (ut dixi) honeſtæ ſedebant.

Quem adſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua] Opinor, Ennii verſum eſſe ex Tragœdia Telamone, quam Feſtus, Nonius, & Diomedes nominant. integra ſententia cognoſcitur apud Ciceronem Tuſc. 3. nam in Telamone, patria pulſo, exſulante atque egente, hanc admirationem ait eſſe factam:

> *Hiccine Telamon ille eſt, modo quem gloria ad cœlum extulit,*
> *Quem adſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua?*

Trochaici catalectici ſunt. *Ob os*, pro *Ad os*, ait Feſtus. Cicero pro Poſthumo: *Ob oculos mihi ſæpe mors verſata eſt.* Plautus in Mil. *Expertor ob os caliginem piſtus mihi obtigiſſe.*

Nec Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit] Sic tres veteres libri: octo autem, *Ariſtippus quidem ille Socraticus non erubuit.* utroque modo recte. nam, quod alii, Germanos ſecuti maluerunt, *Ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit*: diſcedunt ab antiquis libris; in quibus, *Ne*, non reperitur. Quod autem, nullos veteres libros habere, *Non erubuit*, idem dicunt: mirari non ſatis poſſum; cum in octo, ut jam diximus, ita legatur.

Laida] Scortum nobile, paucorum hominum, magno pretio conſuetudinem illius ementium. vide Gellium lib. 1. cap. 8. Lactantium libro tertio, cap. 15. Laertium in Ariſtippi vita, Athenæum lib. 12 & 13. Clementem Alex. Strom. 2.

Græce hoc melius] Ariſtippi Græca verba ſunt, Ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι: quæ recitat Athenæus. vel, ut ait Clemens, Ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι ὑπ' αὐτῆς. quod Ciceroni Græce melius videtur, quam Latine, non quia Græce dicatur brevius: æque enim breviter Latine dicitur: ſed quia verbum Ἔχω quiddam amplius, quam, *Habeo*, ſignificat. eſt enim *tangere*, & *hærere*: quod referri ad concubitum poteſt. ideo ſubjunxit Cicero, *Tu, ſi voles, interpretabere*: cum vitaret ipſe obſcenitatem ſententiæ, vel etiam Latine eam exprimere cum non poſſet: quod fatetur aperte, cum ait: *Græce hoc melius.*

Pag. 70. *Ne nunc ſenem*] Sic locutus eſt Livius libro tertio. *Novam* (inquit) *inexpertamque eam poteſtatem eripuere patribus noſtris: ne nunc, dulcedine ſemel capti, deſiderium ferant.* Hunc Ciceronis locum unico adhuc Livii exemplo, cum Latinorum ſcripta non omnino negligenter evolverim, confirmare mihi libuit.

libuit. Differt autem, *Ne nunc*, a *Nedum*: quia, *Nedum* ad omnia tempora, *Ne nunc* ad præſens tantum accommodatur: & valet, *Nedum nunc*.

Ibi loquor, quod in ſolum, ut dicitur] Hoc proverbium, *Quod in ſolum venit*, vel, *Quodcumque in ſolum venit*, quidlibet ſignificat, & quidquid occurrit, quidquid caſus fert: non pro ratione, aut pro recta voluntate, ſed temere, caſu, fortuito. ductum fortaſſe a frugibus, quæ ſementi non reſpondent, ſed enaſcuntur inutilia quædam interdum, atque in ſolum veniunt, præter exſpectationem agricolæ. Hinc illud lib. 1. de nat. deor. *Abuteris ad omnia atomorum regno & licentia: hinc, quodcumque in ſolum venit, ut dicitur, effingis atque efficis.* Pro, temere, & arbitratu plane tuo effingis atque efficis omnia. Verum aliquanto magis vim ac ſententiam hujus proverbii declarat, & (ut arbitror) comprobat opinionem noſtram Varro apud Nonium, in Satyra, Væ victis, περὶ φιλονεικίας: in qua ſcripſit hæc: *Libet, me epigrammata facere. &, quoniam omnia non memini; quod in ſolum mihi venerit, ponam.* Reperiuntur & alia duo apud Nonium exempla, ſed ab ipſo ſic obſcurata, ut ea nemo adhuc potuerit agnoſcere. nam, quod erat, *In ſolum venit*; *Inſolum*, unico verbo, fecit, & interpretatus eſt, *In ſolum*: cum verbum *Venit*, veteris eum proverbii admonere debuerit. exempla videamus. Afranius Crimine: *Orbitatem ſenectuti tuæ malam metus. Quod in ſolum non venit cæco atque dementi*: id eſt, quod temere non accidat homini cæco ac dementi. Idem Virgine: *ne veniret, quod nunc agitur, in ſolum*. Sic enim interpungo, non, ut Junius emendator, *Agitur in ſolum*. eſt autem ſententia: ne temere ſuccederet id, quod nunc agitur.

Et gemitum & in riſus maximos transfero] Sic plerique veteres libri, nec male: ut alterum, *Et*, valeat *Etiam*. & hoc dicatur; a mœſtitia & gemitu vel maximos ad riſus me converto. Omnino planius eſſet, quod in duobus legitur antiquis libris, *Et gemitum etiam in riſus maximos transfero*.

An tu id melius] Noli me reprehendere, quaſi tu melius agas: cum a uſu & jucunditate ita non abhorreas, ut etiam in Philoſophum irriſeris.

In Philoſophum] Sic libri aliquot veteres. plerique, *In* non habent.

Si quis quid quæreret] Ex inſtituto Gorgiæ Leontini, qui primus eſt auſus in conventu poſcere quæſtionem, id eſt jubere dicere, qua de re quis vellet audire. lib. 2. de Fin. in principio.

A mane] Quæ a mane inciperet, id eſt longiſſimam: cum ceteræ nona hora incipere ſolerent: ut vel hæc ipſa declarat epiſtola primis verbis, *Accubueram hora nona.*

Pag. 71. *Baro*] Octo libri ſcripti, *Vero*: unus, *Baro*: alius, *Non.* placet *Baro*, pro, fatuus epiſt. 11. ad Att. lib. [illegible] *Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia poſui.* Non diſplicet tamen eruditiſſimi viri, Hadriani Turnebi opinio, qui legendum, *Varo*, exiſtimat. ut ſit nomen contumelioſum, atque ille ſuam ſententiam confirmat Lucilii verſu, quem recitat Feſtus:

> *Varronum, ac rupicum ſquarroſa incondita roſtra.*

Quo in verſu, *Varronum*, prob[illegible] i caſſi dictum videtur. Ego a[illegible] locum addo ex epiſtola D. Bruti, q[illegible] aliquanto veritas illuceſcat: *S[illegible] ros*, inquit, *Varronis haberem*, [illegible] *re ſumptum non poſſem.* Varronem appellat M. Antonium, qui th[illegible]s Cæſaris, ad Opis depoſitos, poſt ejus necem abſtulerat. Patet igitur co[illegible]meliæ vocabulum eſſe. & vetus [illegible] meus in epiſtola illa ad Atticum, cujus teſtimonio ſum uſus, habet, *Var*[illegible] r geminata. Nec moveor, quod in [illegible]buſdam libris hoc nomen a littera *B*, non ab *V*, incipiat. nam, veteres & *B* pro *V*, & viciſſim *V* pro *B* [illegible]pſiſſe, teſtimonio ſunt antiqua monumenta.

An innumerabiles] Ex Democriti & Epicuri ſententia: ut in Acad. de [illegible] de nat. deor. *Cæli* tamen dicitur numero multitudinis, non *Cæla*. ſed hic *innumerabiles*, reſpicit illud, *Mundum cælum*.

Cœna] Quam dixiſti te a mane quæſere.

Pag. 72. *Numquid ad te*] Jocus: quaſi dicat: cœna vero illa multo magis ad te pertinet, quam id, quod Philoſophus ille te putabat eſſe quæſiturum, num unum cælum ſit, an innumerabilia.

Tibi præſertim] *Tibi*, non *Ibi*, lego cum omnibus antiquis libris, duobus exceptis, quorum in altero eſt, *Mihi*, in altero, *Ad te*: mendoſe, niſi fallor, in utroque. *Tibi præſertim*, hoc ſignificat: Cœna ad te valde pertinet, tibi præſertim, quæ daretur: quam te quærere a mane dixiſti.

Contra legem] Sumptuariam Cæſaris. epiſt. 15. aut veterem legem, a Cæſare correctam, vide quæ diximus ep. 26. lib. 7.

Intra legem] Intra fines lege præſcriptos, minore etiam ſumptu quam qui lege definitus eſt.

Aliquanto] Non parum.

Non multi cibi] Minime edacem, dixit epiſt. 23.

L I B R I X.

EPISTOLA I.

Pag. 73. L. *Munatio Planco*] Frater L. hic fuit, auctore Pediano, T. Planci Burſæ, qui cum Cicerone inimicitias geſſit, ut epiſt. 2. lib. 7. conſulatum geſſit cum M. Lepido, anno urbis DCCXI.

Imp.] Dixi jam, imperatores omnes dici ſolitos, qui exercitibus præeſſent: verum hoc nomine in litterarum inſcriptione ii tantum ornabantur, quos milites ipſi poſt aliquam victoriam imperatores appellabant. epiſt. 10. lib. 2. *Victoria juſta imperator appellatus apud Iſſum.*

Coſ. deſ.] Cæſar, ad bellum Parthicum profecturus, magiſtratus deſignavit in triennium, ut ait Dio lib. 43. in iis conſules deſignati ſunt L. Plancus, & D. Brutus: quorum Brutus, lege Pedia damnatus, & mox interfectus, conſulatum non geſſit: Plancus, deſtituta rep. cum ad Antonium tranſiiſſet, conſul cum M. Lepido fuit, in locum Bruti ſuffecto.

Et abſui] Incipientium a copula, *Et*, epiſtolarum habemus exempla quattuor, præter hoc, quæ mihi quidem nunc occurrant; unum epiſt. 62. lib. 13. alterum epiſt. ult. ejuſdem libri, tertium epiſt. 9. lib. 1. ad Attic. & ep. 7. lib. 10. ad eundem.

Proficiſcens in Græciam] Deſperata libertate, Antonio conſule poſt Cæſaris necem, pro ſua libidine cuncta adminiſtrante. vide epiſt. 25. libro 12. & Philip. 1.

De medio curſu] Cur non ita legam, cum & ita ſcriptum videam in vetere libro, & hiſtoria ſuffragetur? nam in epiſtola ad M. Brutum, *In medio*, inquit, *Achaico curſu, cum Eteſiarum diebus auſter me in Italiam retuliſſet.* Et libro tertio Off. *Si ipſe veniſſem Athenas: quod quidem eſſet factum, niſi me de medio curſu clara voce patria revocaſſet.*

Numquam per M. Antonium quietus fui] Epiſt. 28. & lib. 12. epiſt. 4. 22. & in Philippicis: ut Plutarchi, Appiani, Dionis, aliorumque teſtimonia omittantur.

Pag. 74. *Ætate*] Annos jam natus erat LXII. periit enim quo anno Hirtius & Panſa conſules fuere, natus Serrano & Cæpione coſſ.

Factis] Maxime quidem oppreſſa conjuratione Catilinæ.

Ita longa eſt] Hoc anno conſules erant Antonius & Dolabella, interfecto idibus Martiis Cæſare, cujus locum Dolabella occupavit. his anno ſequenti ſucceſſuri erant Hirtius & Panſa, Hirtio & Panſæ Plancus & D. Brutus. propterea dicit, *Ita longa eſt, anno integro interpoſito.*

Spiritum ducere] Quod Cicero non potuit. nam, conſpirantibus contra reip. partes Antonio, Lepido, Octavio, Cicero occiſus eſt, Planco nondum conſule.

Hominis impotentiſſimi] Antonii, qui rege-

regere animum ratione, ſibique imperare non poterat. epiſt. 27. & 9. libro 4.

Nec ſenatus, nec populus vim habet ullam] Phil. 1. *Nihil per ſenatum, multa & magna per populum, & abſente populo, & invito?*

Nec omnino ſimulachrum aliquod aut veſtigium civitatis] Imaginem, aut ſignum. minus autem eſt *veſtigium*, quam *ſimulachrum*: nam *ſimulachrum*, totam rem oſtendit; *veſtigium*, minimam rei partem, ex qua rem totam cogitamus magis, quam videmus. epiſt. 14. lib. 4. *Ne veſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis.*

Acta] Singulorum dierum.

A tua pueritia] Epiſt. 3.

Pag 75. *Ad tuum tempus*] Ad annum conſulatus tui.

Perducitur] Perducta non eſt, conſpirantibus in eam Antonio, Lepido, Octavio.

Fortuna] Propterea veteres erexere Fortunæ templa, quod eam in rebus humanis valere plurimum arbitrabantur.

Aliquanto ante] Annua provinciæ adminiſtratione confecta.

Furnium] Planci legatum. epiſtola 8.

Nec miror, & gaudeo] Auget copiam locorum ſimilium obſervatio. Simile autem illud epiſt. 20. *Studia mea erga te, tibi tam grata eſſe, quam ego putavi fore, minime miror, vehementerque lætor.* Et epiſt. 10. lib. 3. *Quæ de hominum atque ordinum omnium erga te ſtudiis ſcribis ad me, minime mihi miranda & maxime jucunda acciderunt.* Quod attinet ad duas particulas, *Nec*, *Et*: exemplum habemus epiſt. 28. lib. 13. *Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ſatis commendati ſint fidei & juſtitiæ tuæ; & ego, &c.* Item in Hortenſio: *Nec in Philoſophia cuiquam ceſſit, & vitæ gravitate præſtitit.* Mutato autem loco, epiſt. 1. lib. 10. ad Att. *Hoc, quod agimus, & turpe, nec tamen tutum.* Et Phil. 11. *Mihi quidem & ille perveniſſe videtur quoad progredi potuit feri hominis amentia: neque Antonius ullius ſupplicii adhibendi, ſi poteſtatem habeat, ullam partem eſt relicturus.*

EPISTOLA II.

TUto] Epiſt. 2. lib. 12. *Intelligit populus R. tres eſſe conſulares, qui, quia, quæ de rep. bene ſenſerint, libere locuti ſunt, tuto in ſenatum venire non poſſint.*

Gladiatorum] Antonii militum.

Nec noſtra dignitatis videtur eſſe] Explanat verbum, *Honeſte*, ſupra poſitum.

Propius audiant armati] Phil. 2. *Cur armatorum corona ſeptus eſt? cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt?*

Pag. 76. *Et ſalutis, & dignitatis meæ*] Refertur hoc ad illud: *Si aut tuto in ſenatum, aut honeſte venire potuiſſem.*

EPISTOLA III.

LIberalitatem] Non largitionem, ſed ſummam quandam humanitatem & conſuetudinem gratificandi, ut ep. 7. lib. 1. & 9. lib. 5.

Etiam gratum] Ideo diſtinguit *Gratum* a *Jucundo*, quia *Gratum* illud eſt, quo gratias agere debemus, *jucundum* non item. non enim gratias agere Planco ob ejus virtutem, juſtitiam, prudentiam Cicero debebat; at ob liberalitatem in Furnium, cum eum diligeret, omnino debebat. Addidit vero, *Etiam*, ut oſtenderet, illud ipſum non modo gratum, ſed jucundum quoque fuiſſe. nam interdum, quæ grata eadem jucunda non ſunt, ut officium conſolantis, quod jucunditatem in re triſti afferre non poteſt, cum tamen ei, quem conſolamur, gratum ſit. locus occurrit in ep. 6. lib. 4. *Cujus officia jucundiora ſcilicet ſæpe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora.* Et epiſt. 15. lib. 5. *Gratus & optatus amor tuus: dicerem, jucundus, niſi id verbum in omne tempus perdidiſſem.*

Neceſſitudinem] Maximam conjunctionem. epiſt. ult. lib. 2.

Cum domo veſtra] Cum patre Planci. epiſt. 4. 5. & lib. 13. epiſt 29.

Judicio tuo] Quod judicaret Plancus, in familiaritate Ciceronis ornamenti ſibi eſſe plurimum.

Faveo dignitati tuæ] Simile illud epiſt. 16. l. 2. *Cæſarem honeſtum eſſe cupio.*

Pag. 77.

Pag. 77. *Comite fortuna*] Hoc explanatur infra, epiſt. 5. *Fortuna ſuffragante videris res maximas conſecutus. quod quamquam ſine virtute non potuiſſes: tamen ex maxima parte ea, quæ es adeptus, fortunæ temporibuſque tribuuntur.* Conjungit autem Cicero cum virtute fortunam epiſt. 1. lib. 14. *Mediocri* (inquit) *virtute, & mediocri fortuna opus eſt, ut cetera conſequatur.*

Fregiſti] Superaſti. epiſt. 12. lib. 10.

Nemini concedentem, qui tibi vetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe] Sic locutus epiſt. 3. lib. 4. *Nemini concede, qui majorem ex pernicie & peſte reipub. moleſtiam traxerit.* Nec diſſimile illud epiſt. 29. *Nec iis concede, ut te ſalvum malint, quam ego.*

Ex optimo reip. ſtatu] Aculeus in Planci ſuperiorem vitam; quia Cæſaris partes ſecutus erat: quod ea, quæ ſtatim ſequuntur, magis declarant.

Nimis ſervire temporibus] Cum Cæſarem vehementer diligere videtur. fuerat autem legatus ejus in variis bellis. primum Gallico, ut ſcripſit ipſe Cæſar lib. 5. deinde Hiſpanienſi contra Pompeji legatos, ut idem lib. 1. de bell. civ. poſtremo in Africa, ut Hirtius memoriæ prodidit. ipſe etiam epiſt. 24. inſignem vocat ſuam & Cæſaris amicitiam.

Si te ea, quæ patiebare, probaſſe etiam arbitrarer] Multa enim, quæ feruntur, non probantur. epiſt. 6. *Non eſt idem, ferre, ſi quid ferendum eſt; & probare, ſi quid probandum non eſt.*

Prudenter te arbitrabar videre, quid poſſes] Ita Plancum excuſat, ut eundem excitet ad rempub. tuendam; cum id poſſis, quod antea, cum velles non potueris.

Summa eloquentia] Fuit Plancus in oratorum numero. Propterea Pedianus T. Plancum Planci oratoris fratrem vocat.

Orbitate reip.] *Orba civitas*, epiſt. 11. lib. 3. *Patriam multis claris viris orbatam*, epiſt. 10. lib. 4.

Tot annos] Septem. nam civile bellum Marcello & Lentulo coſſ. geri cœptum eſt.

Unus eſt reipubl. bene gerendæ curſus ad gloriam] Similis ſententia epiſt. 12. *Verum decus in virtute poſitum eſt, quæ maxime illuſtratur magnis in remp. meritis.*

Hac amore magis impulſus] Eadem excuſatio epiſt. 4. lib. 2. in extremo.

Ex iiſdem te hæc haurire fontibus] Ex iiſdem libris, quibus ad laudem præcepta traduntur.

Pag. 78. *Studioſe diligenterque*] *Studium* eſt animi & voluntatis: *Diligentia* vero actionem ſignificat.

EPISTOLA IV.

TE *ſcripſiſſe*] Tua manu, non amanuenſis.

Profectum.] In Græciam. epiſt. 1.

Quam ego ex mea conſcientia metior] Quam eſſe meam in te fidelitatem ſcio, eam eſſe tuam in me arbitror. parem fidelitati meæ tuam puto.

Quæcumque in me bona ſunt] Reſpondet ad illud Ciceronis: *Omnia ſumma conſecutus es virtute duce, comite fortuna.* Magiſtratus honoreſque ſignificantur, quos a Cæſare dominante Plancus acceperat.

Fortunæ beneficio tributa] Modeſtiæ cauſſa priore loco fortunam, deinde ſuum laborem nominat: Cicero autem virtutem ejus primum, deinde fortunam nominarat.

Meo labore] Et in hoc vitat arrogantiam, quia laborem appellat, quam Cicero virtutem.

Carius ſunt æſtimata] Dixerat enim Cicero, *Omnia ſumma.*

Bonam famam] Hoc ad illud Ciceronis refertur: *ex optimo reip. ſtatu*, quaſi dixerit, *Ex peſſimo reipublicæ ſtatu bona fama non acquiritur.*

Pag. 79. *Reip.*] Ut bonam famam conſequar: quam deſiderant ea, quæ antea ſum adeptus.

Senſus tuus] De rep. quam ſuſcipi a me vis.

In Gallia citeriore] Ciſalpina: cui præerat D. Brutus, & ipſe conſul deſignatus, Mutinæ incluſus, obſidente M. Antonio.

Januario menſe] Videtur hoc menſe ſcripta epiſtola.

Geratur] A novis conſulibus, Hirtio & Panſa.

Alte-

Aliena vitia] Noſtra ſcilicet, dum inter nos contendimus.

Proinde ut ipſe merear] Et *Proinde*, & *Perinde*, veteres dicebant, eadem ſignificatione. epiſt. 11. 31. 34. Tuſc. 2. & apud Terentium. Sæpe etiam *Proinde*, pro quamobrem accipitur.

EPISTOLA V.

BInas litteras] Vt *bina*, *terna*, *quaterna*, non *dua*, *tres*, *quattuor litera*, ſic *dua*, *tres*, *quattuor*, non *bina*, *terna*, *quaterna epiſtola*, dicitur.

Pag. 80. *Suavitatis*] Vere: nam jucunditas quædam eſt in amicitia, quæ non eſt eadem in propinquitate: itaque ſuavitas inter amicos major eſt, quam inter fratres: amoris autem plus inter fratres, quam inter æquales. eodem modo patria ſuavitate cedit amicitiæ, amore autem & amicitias omnes, & propinquitates etiam vincit. ex quo illud lib. 1. Off. *Omnes omnium caritates una patria complectitur.*

Paterna neceſſitudinis] Reſpondet epiſtolæ Planci.

Attulerunt] Sic veteres libri omnes: nec mutatio placet: licet hoc verbum ad illud, *Commemoratio*, referri videatur. poteſt enim Cicero ad illa omnia, quæ proxime dixerat, paternam neceſſitudinem, benevolentiam Planci, ceteraſque res ad eam ſententiam pertinentes, hoc verbum accommodaſſe.

Tota mente omnique animi impetu] Epiſt. 1. *Omni cogitatione curaque.*

Adhuc] Licet omnia ſumma ſis conſecutus.

Fortuna ſuffragante, videris res maximas conſecutus] Omnia ſumma conſecutus es, virtute duce, comite fortuna.

Fortuna temporibuſque] Quia poſſunt homines exiſtimare, ob amicitiam Cæſaris ea te eſſe conſecutum.

Pag. 81. *Gratia*] Quam ſuſcepto reip. patrocinio, inibis apud omnes bonos. epiſt. 19. *In hoc erit ſumma & gratia, & gloria.*

EPISTOLA VI.

FVrnius] Planci legatus. epiſt. 8.

Noſter] Ciceronis amiciſſimum fuiſſe, non modo prima indicat hujus libri, & 25. 26. verum etiam quam Cœlius ſcripſit lib. 8. epiſt. 11. in qua ſunt hæc de ſupplicationibus Ciceronis, amicorum ſtudio & opera impetratis: *Furnius & Lentulus, quaſi eorum res eſſet, circumierunt & laborarunt.*

Collega tuus] D. Brutus, conſul cum Planco deſignatus.

Latronibus] M. Antonio, ejuſque militibus.

Obſideretur] Mutinæ. epiſt. 11. 14.

Lepidi] Epiſt. 27. 35. Phil. 13. Hic eſt M. Æmilius Lepidus, qui, decreta ſibi Hiſpania, in Gallia tamen adhuc, civilis belli, ab Antonio ſuſcitati, exitum exſpectans, morabatur. poſtea, prodita reip. triumvir cum Antonio & Octavio fuit, evertendæ, non, ut aiebant ipſi, conſtituendæ reip.

Fratre tuo] Non T. Planco Burſa, qui nominatur epiſt. 2. lib. 7. nam cum Antonio erat, ut in Phil. 13. ſed eo, qui appellatur epiſt. 11.

Plurimis] Epiſt. 4.

Pag. 82. *Ampliſſimis*] Epiſt. 3. *Omnia ſumma conſecutus es.*

Non dignitatis inſignia] Nullam enim tibi dignitatem afferent remp. publ. non defendenti.

Aliquando] Cæſarianus enim fuerat Plancus. epiſt. 3. 4. 25.

Conſularis] Poſt geſtum conſulatum.

Auctorem, principem, ducem] Augetur ſententia ſingulis verbis. nam *Auctor* eſt, non qui alios ſequitur, ſed qui movet. *Princeps* autem plus eſt, quam *Auctor*: & *Dux* plus, quam *Princeps*.

Ea ratione] Nonnulli veteres libri, *In ea ratione* utrumque recte. *Ea ratione*, dixit, pro, eo modo, iis rebus agendis.

EPISTOLA VII.

Pag. 83. DE meis conſiliis] Cur non ſtatim poſt obitum Cæſaris,

ris, civile bellum Antonio concitante, arma pro rep. ſumpſerim.

Publicis litteris] Quæ has proxime ſequuntur.

Alii] Qui ſe libertatis defenſores profitebantur.

Uſque mihi temperavi] Epiſtola ſequenti.

Conſulatu meo] Quem geſturus erat poſt Hirtium & Panſam hujus anni conſules.

Quarum rerum ſpe] Honoribus propoſitis.

EPISTOLA VIII.

Pag. 84. *SI levi forte videor*] Non præſtitit re ipſa Plancus, quod litteris pollicetur. de quo Vellejus lib. 2. *Plancus*, ait, *diu, quarum eſſet partium, ſecum luctatus, ſenatui ſe litteris venditans, mox ejuſdem proditor.*

Videri volo] Nunc temp. non ideo rueindam aperte ſuſcipio, ut emendem præteritam culpam: nihil enim a me peccatum, ipſe mihi ſum conſcius: ſed ut enunciem maturo tempore, quod cum antea cogitarem, enunciare tamen alieno tempore, non debui.

Optima mentis cogitata jampridem] Verbum, *Cogitata*, dupliciter conſiderari poteſt, & ut nomen, hoc modo, *Optima mentis cogitata*: & ut participium, *Cogitata jampridem*. Participium ſæpe reperitur: de nomine afferamus exempla. In Rullum or. 1. *Utrum*, inquit, *cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur*. Et pro Quinctio: *Dictis, factis, cogitatiſque Sex. Nævii.*

Cum in eum ca,iu: me fortuna demiſiſſet] Cum de Lepidi voluntate, qui non longe aberat, dubitare poſſem.

Magna in ſpe] Sperabam enim, ſi aliquandiu meam regerem voluntatem, poſſe me reip. prodeſſe; ſin celeriter pollicerer, fore timebam, ne impedimenta ad proficiendum opponerem. Bernardinus Rutilius, & alii locum ſine cauſſa mutant.

In ea fortuna, quæ mea eſt] Cauſſas oſtendit, quibus nova conſilia capere non debet, neque cum Antonio, & aliis remp. evertere cupientibus, conſentire. qui enim perdita fortuna ſunt, qui flagitioſe vivunt, qui ſpe vel honoris vel commodi nulla tenentur, ii novas res quærere conſueverunt.

Hominibus] Modus loquendi. ut epiſt. 14. lib. 11. *Bellum iſtic renatum homines mirantur.* De multis autem, non de omnibus accipitur.

Sordidum] Ut ſervitutem.

Perniciosum] Quæ contra libertatem fiunt, quæ legibus & judiciis adverſantur, perniciosa ſunt.

Aliquantum nobis temporis] *Opus fuit aliquantum temporis*, ita Plancus dixit, ut Cicero epiſt. 6. lib. 2. *Dux nobis & auctor opus eſt.* Et epiſt. 1. lib. 16. *Omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus.* Et lib. 5. de rep. *Bono patriſfamilias ratiocinandi quidam uſus opus eſt.* Gellius etiam lib. 17. cap. 2. antiquum dixit eſſe, *Divitias opus eſſe*; novum, *Divitiis.*

Pag. 85. *Magni laboris*] Hoc ad verbum, *Aliquantum*, referri non poteſt. quis enim dixerit, *Aliquantum magni laboris*? referatur igitur neceſſe eſt ad, *Opus fuit*: ſi modo ferre poſſumus, ut *Opus fuit*, cum duobus caſibus, nominandi, & generandi, præſertim in eadem periodo, conjungatur. Quinctilianus tamen, ſi libri vacant mendo, *Lectionis opus eſt*, dixit lib. 12. cap. 3.

Opus fuit] Sic decem veteres libri: nonnulli, *Opus fuerunt*. quod ita probarem, ſi legeretur, *Labores*, non *Laboris*: ut omnia dicantur nominandi caſu.

S[illegible]tatus] A ducibus malarum partium, ut Aſinii quoque legiones. ep. 32.

Superiore anno] Antonio conſule.

Eliciendo] Ut viderem, de rep. quid ſentirent.

Funeſtam orbi terrarum] Qualis eſſet, ſi plures a paucioribus vincerentur. nam, ſi pauciores a pluribus, minor calamitas.

Pag. 86. *Pareremus*] Hic magna diſſenſio eſt veterum librorum. unus habet, *Pararemus*: alius, *Pareremus*: alius, *Putaremus*: alius, *Patiremur*: reliqui omnes *Pateremur*. nam, *Partiremur*, quod quibuſdam placuit, ex ingenio eſt. Poteſt loqui Plancus vel de ſua, vel de hoſtium victoria: ſi de ſua, *Putaremus*, locum habet, aut, *Pareremus*: ſi de hoſtium, *Pateremur*. ſed malo de ho-

ſtium victoria loqui Plancum: quæ funeſta orbi terrarum futura eſſet, afflicta repub. Quid autem, ubi veritatem ab antiquis libris petere licet, confugere ad conjecturam opus eſt? dixi, pleroſque veteres libros habere, *Pateremur.* id optime congruit cum ſuperioribus verbis. nam, *pati funeſtam orbi terrarum victoriam*, eſt, vinci magno omnium damno. præſtat, inquit, cum pluribus libertatem defendere, & victoriæ gloriam communicare, quam, dum pauci totam gloriam avide quærimus, victoriam pati omnibus calamitoſam.

Ut ad effectum horum conſiliorum perveniret] Ut ad exitum conſilia mea perducerem.

Simulaſſe invitum, & diſſimulaſſe cum dolore] Simulantur falſa: diſſimulantur vera. ſimulabat igitur Plancus Antonio ſe favere: diſſimulabat ſuum in remp. ſtudium. Diſſimulamus autem vel ſilentio, vel ſermone, vel re ipſa.

Collega] D. Bruti conſulis deſignati, quem Antonius Mutinæ incluſum obſidebat.

Excubare] Nos vigilare animo pro rep. tuenda.

Cum deum benignitate ab omni re ſumus paratiores] *Sumus*, veteres libri omnes, & recte. ſic enim alibi Cicero locutus.

Quinque] Quattuor nominat ep. 15. & epiſt. 24.

Sub ſignis] Non ſine ordine, diſperſas quæ ducum juſſa non ſervent. ep. 33. & epiſt. 7. ad Att. lib. 16. Lucretius: *Multa virum ſub ſignis millia ducta.* Plautus in Pſeud. *Omnes ordines ſub ſignis ducam.*

Pag. 87. *Ha gentes*] Galliæ tranſalpinæ.

Jam expeditis omnibus rebus] Profligato ad Mutinam Antonio.

Eos vero] Milites.

Spe] Supra: *Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſæpe præmiis ſollicitatus.*

Meam auctoritatem] Auctor enim illis fui, ut & illa, quæ ab Antonio promittebantur, vana exiſtimarent, & ejuſdem quoque minas contemnerent.

EPISTOLA IX.

Pag. 88. *Lector*] Hoc dicit, quia jam, abjecta ſimulatione & diſſimulatione, quam utramque nominavit in proximis ad ſenatum litteris, defenſorem ſe bonarum partium profeſſus ad Mutinam iter direxerat.

Meritorum meorum] In remp.

Fieri acceſſiones] Eodem modo locutus eſt Cicero epiſt. 1. lib. 2.

Cum immortalitate] Quæ præſtare videtur omnibus rebus.

Pag. 89. *Concupiſco autem nihil mihi, contra quod ipſo pugno*] Difficilis ad intelligendum locus: nec veteres libri conſentiunt: nam plerique, *Contra quod*: unus, *Contra quam*: alius, *Contra quem*. fortaſſe autem hoc dicitur: & nihil mihi mea cauſſa concupiſco; cum ad reip. ſalutem dignitatemque omnia referam; & contendo tamen atque elaboro, ut ea conſequar, quæ minime concupiſco. hæc ſi placet ſententia; quam ego non contemno: legi poterit, &, *Contra quam*: &, *Contra quod*: atque etiam, *Contraque*, ut olim Rutilio, poſt etiam aliis placuiſſe video: quamquam id quidem, quod ſciam, non eſt in meis veteribus libris.

Sed &] Sic in uno tantum antiquo libro: quod probavi. apte enim particula, *ſed*, ſequentem ſententiam cum ſuperiore conjungit.

Temporis, & rei] Volo te judicare ac ſtatuere, & quando, & quid petam: vel, & quo tempore, & quibus me honoribus afficere debeatis. epiſt. 21. *Tu videris, quantum, & quando tuum munus apud me velis eſſe.*

Aut ſero, aut exigue] Hoc ad illud reſpicit, *Et temporis, & rei.*

Vienna] Alii, *Viennam*, ut habent veteres aliquot libri. quod non placet, primum, quia, cum ingreſſus in Galliam Narbonenſem Plancus non longe abſit Vienna, cur dicat, *Magnis itineribus Viennam equites præmiſi?* deinde, præmittendi equites erant, non ut Viennam, ſed ut Mutinam, obſeſſam ab Antonio, peterent: nam Viennæ præſidium imponi, hoc tempore non oportuit. Jam illud, *Via breviore*, perveniendi

niendi neceſſitatem indicat. quod omnino ad Mutinam pertinet, in qua Planci collega D. Brutus obſidebatur. Accedit, quod epiſt. 11. ſcribit Plancus transjecto Rhodano ſe fratrem cum equitibus præmiſiſſe, & ipſum ad Mutinam iter dirigere: nulla facta Viennæ mentione. Præterea, cum ſequatur, *Ipſo*; oſtenditur, via breviore mille equites Mutinam præmiſſos; ipſum Plancum via longiore cum reliquis copiis ſecuturum. Nec me tamen aliquis ita putet opinione mea delectari, ut diſcedam ab antiquis libris. nam in quattuor, ſcriptis in membrana, & in duobus communi charta, eſt, *Vienna*: in quattuor item, *Viennam*: in uno, *Vicinia*: in alio, *Vi etiam*. Eſt autem Vienna Allobrogum, quam Strabo lib. 4. principem urbem vocat. Plinius lib. 2.

Equites mille] Epiſt. 11. tria millia nominantur.

A Lepido] De cujus in temp. animo nondum conſtabat. epiſt. ſequenti.

Ad tempus] Pro ratione temporis, ut tempus poſtulabit.

Et genere, & numero, & fidelitate] Quæ tria in exercitu requiruntur. *Genere* autem dixit, pro fortitudine.

Mutuo te] Libri aliquot, *Mutuo me*: non male: pro, viciſſim me.

EPISTOLA X.

L*Iquidius*] *Facilius.* epiſt. 27. lib. 11. *Alia ſunt, quæ liquido negare ſoleam.*

Pag. 90. *In uno prœlio*] Mutinenſi.

Decretum] Sic omnes libri ſcripti, & puto recte. non enim, *Decretum*, hic accipio, pro deliberatum, ſed pro pugnatum, confectum: ut dixit Livius libro 28. *Decernere pugnam.*

Conſulem] Alterum e conſulibus. nam aberat uterque conſul, Hirtius & Panſa, ad Mutinam obſidione liberandam profecti.

Ne maturum quidem etiam nunc] Adhuc enim conatus tantum audiuntur: exſpectatur ipſa res.

Invitamentum] Hoc dicit, quia voluntatem quidem Plancus, transjecto Rhodano, oſtenderat, nihil tamen adhuc re ipſa præſtiterat: ut, ſi quid ei tribueretur, invitamentum potius, quam præmium, videri poſſet.

Ad tempus] Ut aliquandiu recte fiat. epiſt. 14. lib. 9. *Neque ſolum ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum facti.*

Pag. 91. *Vetuſtate*] Noti enim alter alteri jampridem ſumus. epiſt. 15. lib. 5. epiſt. 16. lib. 11.

EPISTOLA XI.

I*Mmortales*] Pro, ſummas. nam &, *Immortaliter gaudeo*, dixit Cicero in epiſtola ad fratrem.

Reſpondere] *Aſſequi merita*, epiſt. 4. lib. 1.

Scripſiſti] Hæc Ciceronis epiſtola deſideratur.

Dignitate] Sacerdotio Pontificum minorum. nam in epiſtola quadam ad M. Brutum, *Ciceronem*, inquit, *noſtrum in veſtrum collegium cooptari volo.* Et in alia ad eundem: *Cui vos pontifices in Velabro facere ſoletis.*

Amabilius] Carius: quod ego magis amarem.

Sententia] Dictæ in ſenatu.

Muneribus] Quæ mihi decernebas.

Tuum munus] Quas in me tuendo atque ornando partes ſuſcepiſti.

Pag. 92. *Suſcipe*] Epiſt. 9. lib. 4. *Suſcipe me totum.*

Cum tribus millibus equitum] Epiſt. 9. *Equites mille.*

Exercitus] Lepidi. vide epiſt. 35.

Furioſa] Qui a rep. deſciſcebant, furere eos, vel inſanire dicebant. paullo poſt: *Si decima legio veterana ad eundem furorem redierit.* Propterea, ſi ſe ad reip. partes iiſdem converterent *redire ad ſanitatem* dicebantur.

Decima legio veterana] Quæ cum Cæſare in Gallia, non mediocri fortitudinis laude, militaverat. hæc erat in exercitu Lepidi.

Pag. 93. *Nullam reſiduam ſollicitudinem eſſe*] Nullas jam eſſe, victo ad Mutinam Antonio, belli reliquias.

Omnia ei obſequia polliceor] Quod epiſt. 4. lib. 5. Cicero dixit; *Omnibus in rebus me fore in tua poteſtate, tibi confirmo.*

Laterenſe] M. Juventio Laterenſi, Lepi-

Lepidi legato, ut ait Dio lib. 46. vide epiſt. 15. 21. 23.

Inimiciſſimo] Lepido. epiſt. 15. 18. 20.

Si nihil profecero] Si conſequi non potero, ut Lepidus remp. reſpiciat.

Majore fortaſſe cum mea gloria] Quia ſocium & participem ejuſdem gloriæ Lepidum non habebo.

EPISTOLA XII.

EXtremis pæne temporibus] Cum in ſummo periculo verſetur.

Pag. 94. *Tua dignitas affert*] *Afferat*, antea legebatur in omnibus vulgatis libris. nos olim, *Affert*, repoſuimus ex uno Joannis Scalæ antiquo libro: cum quo nullum poſtea, quod equidem miror, conſentire animadverti. ſenſus eſt: Ita mihi detur te victorem complecti rep. recuperata, ut mihi, quamquam ipſius reip. cauſſa maxime gaudere debeo, tantum ei te præſidii, tantum opis attuliſſe extremis pæne temporibus, tamen dignitas tua magnam lætitiæ partem affert. Verbum, *Complectar*, qui crediderunt eſſe indicativi modi; verbum, *Affert*, ut ipſi putabant, emendarunt; ut ego exiſtimo, depravarunt.

Meritorum tuorum] De quibus tuæ litteræ loquebantur. epiſt. 16. 19.

Pag. 95. *Promiſſa*] Promiſerat Plancus, reip. ſe non defuturum. Cœlius Rhodiginus, nodum in ſcirpo quærens, *Præmiſſa*, legendam arbitrabatur, quod nec ſententia poſtulat, nec veteres libri confirmant.

Nec, quo progredi velles] Sic omnes mei veteres libri: nec eſt obſcura ſententia. Ignorabat, inquit, ſenatus, quo exercitum ducturus eſſes.

Gaudio ſum elatus] Epiſt. 10. lib. 2. *Quæ me lætitia extulerunt.*

Munatius] T. Munatius, de quo in extrema epiſtola. hic Planci cognatus potius, quam frater, fuit. nam ille alter T. Munatius, quem Pedianus ait hujus L. Planci fratrem fuiſſe, in caſtris Antonii fuit. ut diximus epiſt. 6.

Cornutum] Dubium, Sulpiciæ gentis, an Cæciliæ. utrique enim cognomen hoc fuiſſe, Sulpiciæ in faſtis Capitolinis, Cæciliæ apud Tacitum lib. 4.

Prætorem urbanum] Qui major dicebatur, ceteri minores, ut ait Feſtus. *Urbanus* appellatus, quia jus diceret inter cives. ejus prima dignitas erat abſentibus conſulibus. Phil. 14. *Ob res, ait, bene, fortiter, feliciterque geſtas C. Panſa A. Hirtius conſules, imperatores, alter, ambove, aut, ſi aberint, M. Cornutus, prætor urbanus, ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria conſtituat.*

Convocatus] A Cornuto.

Pag. 96. *Oblata religio*] Admonitus eſt a pullariis, qui e tripudio pullorum auſpicabantur, nihil in ſenatu eo die ſalva religione decerni poſſe.

Auſpicium] Auſpicato enim ſenatus habebatur.

A noſtro collegio] Augurum.

Servilio] P. Servilio, Iſaurici filio, qui cum Cæſare conſulatum geſſerat. In epiſtola ad Brutum: *In Planci cauſa Servilius exarſit incredibili dolore, mecumque per biduum ita contendit, & a me ita fractus eſt, ut eum in perpetuum modeſtiorem ſperem fore.* Et ibidem: *Acerbiſſime tulit Servilius, adjunctum eſſe mihi de Planco.*

Gratia] Cornuto prætore ei favente. nam conſularis antiquior Cicero.

In alia omnia diſceſſit] Sententiam ejus improbavit. epiſt. 2. lib. 1. *Frequentes ierunt in alia omnia.*

P. Titius] Tribunus pl. vide Dionem lib. 46.

Jovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur] Figuræ ſunt in Latina lingua & verborum, & ſententiarum prope innumerabiles: quas imitari pulchrum eſſet: verum imitari nemo poſſit, qui cognitas non habeat: quam multi autem cognoverint, ea, quæ circumferuntur, ſcripta declarant. itaque operam dabimus, quantum in nobis erit, ut eas oſtendamus in extremo Imitationis noſtræ libro: ſiquidem hoc inter Latinæ orationis ornamenta cum pulcherrimum eſt, tum cognitu difficillimum, ideoque a veteribus & Grammaticis, & Rhetoribus omiſſum, a poſterioribus quibuſdam ſatis imperite tractatum. Sed hoc, ut plus otii dabitur: nunc ea tantum, quæ locus hic poſtulat, attingamus. Iniquitatem Servilii, qui optimam Planci cauſſam oppugnarit,

magis

magis indicare non potuit, quam ſi ex ipſo loco, ubi res agebatur, ſententiam eliceret. Venit, inquit, paratus Servilius, non tibi tantum, ſed Jovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur. Simile illud, ex tempore derivatum, epiſtola 25. lib. 12. *Quinquatribus frequenti ſenatu, cauſſam tuam egi, non invita Minerva: etenim eo ipſo die ſenatus decrevit, ut Minerva noſtra, cuſtos Urbis, quam turbo dejecerat, reſtitueretur.* Illud egregium, ſumptum ex nomine, Tuſc. 2. *Magna mehercule res, & eo ipſo, per quem juravi, Hercule digna.* Et alterum, ejuſdem generis, epiſt. 23. lib. 7. *Bacchas iſtas cum muſis Metelli comparas: quid ſimile? primum ipſas ego muſas numquam tanti putaſſem: atque id feciſſem, muſis omnibus approbantibus.* Interdum etiam ab exercitatione & ſtudio, cui dediti ſumus, oritur figura ſententiæ: Tuſc. 2. *Subduc cibum unum diem athletæ: Jovem Olympium, eum ipſum, cui ſe exercebit, implorabit: ferre non poſſe, clamabit.* A perſona, epiſt. 14. lib. 2. ad Atticum, *Legem de ambitu, bono auſpicio, claudus homo promulgavit.* Plura ſuo loco.

In templo] Capitolino. ſenatus in templis habebatur.

Omnium generum ordinumque] Magis exprimit, quod dixerat, *Populus univerſus.* Sunt enim & genera civium, & ordines.

Speciem gloriæ, collecta inaniſſimis ſ. i.] Non diſplicet, *Collectam ex in. ſ. i.* quod viris doctis placere video. non enim illa colliguntur ex in. ſ. i. ſed ſpecies gloriæ colligitur. quis autem ea quærat, quæ ſpeciem quidem & imaginem habent gloriæ, ipſam vero gloriam, quæ in una virtute poſita eſt, non habent?

Brevia, fugacia, caduca] Scripſi adoleſcens; cum in verbo, *Fugacia*, veteres libri diſſentirent; quorum alii, *Fugacia*; alii, *Fugatecia*; nonnulli, *Fugate*, habent; opinari me, quanquam vulgata lectio ſenſu non careret, *Fucata*, rectius eſſe: ut tranſlatio ſit a mulieribus: quarum ſæpe nitor non naturalis, ſed fucatus eſt, ideoque brevis & caducus. Noſtram conjecturam alii poſtea ſecuti ſunt.

Pag. 97. *Eam facultatem*] Acquirendi verum decus.

Quam quando complexus es] Sic quinque libri veteres: unus, *Quoniam*, pro *Quando*: reliqui, *Quem*. placet, *Quando*.

Tene] Sic libri omnes, uno excepto, in quo eſt, *Et tenes*, mihi, *Tene*, placet: quia cohortantis eſt, ne oblatam occaſionem Plancus amittat.

Reip.] Cui debes omnia.

EPISTOLA XIII.

Pag. 98. IN *præmio virtutis*] In honoribus tibi decernendis. infra vocat *inſignia gloriæ*. Loquitur hic Cicero more communi: nam, virtutis honorem non eſſe præmium, ſed ſe ipſa contentam eſſe, nihil præterea ſpectare, viri ſapientes prodiderunt.

Inſignibus gloriæ] Honoribus a ſenatu decretis.

Contexes extrema cum primis] Bellum a conſulibus & Octavio magna jam ex parte profligatum, ipſe penitus, oppreſſo Antonio conficies.

Non Ajacem, nec Achillem] Utrumque Ulyſſe fortiorem. Achillem tamen interdum πτολίπορθον appellat Homerus.

Ulyſſem] Quia bello Trojano, aſtutia ſua capto Ilio & incenſo, finem fecit.

Πτολίπορθον] Vaſtatorem urbis. ſemper eum vocat Homerus πτολίπορθον, ut ait Strabo lib. 1.

EPISTOLA XIV.

Pag. 99. N*Otiſſimi latronum duces*] Primum Antonii fratres duo, Cajus & Lucius; deinde alii, Philip. 11. nominati.

Eſt autem non minus gratum, extrema delere, quam prima depellere] Non diſſimile illud Phil. 13. *Quamquam prima præſidia utiliora reip. ſunt, tamen extrema ſunt gratiora.*

Lepidum temporibus admonitum] Vel quia rempub. in ſummum diſcrimen adductam videat: vel quia, victo jam ad Mutinam Antonio, ejus malo doceatur, quid agendum ſibi ſit.

Tecum & reipub. ſatis eſſe facturum] Conſentiunt in hoc veteres libri omnes: nec tamen, locum vacare mendo, prorſus exiſtimo: venit in mentem,

tem, hoc fortaſſe dici, *tecum eſſe factu-rum, & reip. ſatu:* ut idem verbum duas ad ſententias reſpiciat: *tecum fa-cturum*, pro, tecum ſenſurum: quo loquendi modo veteres uſi ſunt: & *reip. ſatuſacturum*.

EPISTOLA XV.

Pag. 100. *Reconciliata voluntate no-ſtra*] Epiſt. 11. 18. 21.

Abjectumque] Quia jam ad Mutinam prœlio victus erat.

Laterenſem] Lepidi legatum. epiſt. 11. 18. 21. 23.

Sua provincia] Hiſpania, ut ait Velleius lib. 2.

Ab equitatu firmus] Vide epiſt. 33. & 10. lib. 11. *Paratus equitatu*, epiſt. 4. lib. 15.

In curſu honorum conſiliorum] Dum Lepidus bene animatus eſſet.

Pag. 101. *Equitatum ejus*] Antonii.

Eam partem] Ut veteranam decimam legionem, epiſtola undecima, & alios epiſtola vigeſimaprima.

Flumine maximo] Plinius Iſaram Rhodano comparat lib. 3. cap. 4.

L. Antonium, præmiſſum cum equitibus] Epiſt. 34.

Cohortibus] Tres manipuli, qui & centuriæ dicebantur, unus haſtatorum, alter principum, tertius triariorum, cohortem faciebant. erant autem in ſingulis manipulis milites CXX. exceptis manipulis triariorum, in quibus erant LX. tantum, ita fit numerus CCC. militum in cohorte. aliter Vegetius, mutata militia. nos Polybium in manipulis, Ciceronem & Varronem in cohortibus: nam eas Polybius numquam nominavit. Et cohors quidem, cum legio peditum ſena millia habuit, id eſt, Ciceronis ætate, ex quadringenis militibus conſtabat: quod ex epiſt. 1. libro 1. ad Attic. licet intelligere: cum vero quaterna tantum millia, & duceni in cohorte fuere, id eſt, belli ſecundi Punici tempore, & deinde aliquanto poſt, non plures quam tercenos viginti cohors habuit, ex tribus manipulis ſupra dictis.

Forum Julii] Forum Julii unum in Carnis eſt, alterum, quod hic ſignificatur, in Gallia Narbonenſi, utrumque fortaſſe a C. Cæſare, cum in Gallia tranſalpina bellum gereret, conſtitutum.

Quattuor legionibus] Quinque nominat epiſt. 8. quattuor tamen Brutus epiſtola 13. lib. 11.

Bruti] Qui præerat Galliæ Ciſalpinæ.

EPISTOLA XVI.

Poſt hominum memoriam] Quantum homines meminiſſe poſſunt.

Inconſtantes] Quia, modo reip. partibus, modo Antonio favere videbatur. pacem enim ſuadebat. epiſt. 27. 35.

Pag. 102. *Cum rebus enim ipſis eſſent, &c.*] Vide eandem ſententiam ep. 12. & 19.

Inſtitit] Tale illud in procemio l. 3. de Orat. *Pignoribus ablatis Craſſum inſtitit coercere.* Et apud Livium, lib. 27. *Veſtigiis inſtitit ſequi.* Et Plautus in Mil. *Dies decem continuos sto ad eundem inſtat.*

Quinque tribuni pl. retulerunt] De relatione tribunorum pl. diximus ep. 1. lib. 1.

Servilius] Epiſt. 12.

Pag. 103. *Anguſtiæ*] Spatium non concedentibus mittendi ad ſenatum.

Factum aliquid] Sic quinque libri veteres: alii, *Aliquod*, mihi placet, *Aliquid*: quia, cum ſequatur, *Futurum*; videtur, *Factum* participium potius, quam nomen, eſſe oportere. nomen autem eſſet, ſi legatur *Aliquod*.

EPISTOLA XVII.

Ventidius] P. Ventidius Picens, humili loco natus, qui hoc anno, prætor cum eſſet, conſul factus eſt in locum demortui Q. Pedii, ſuffecti in locum Hirtii ad Mutinam interfecti. Hic a Pompeji Magni patre, ut ait Valerius lib. 6. in triumphum ductus, poſtea victum ſordide quæſivit, mulis & vehiculis magiſtratibus, qui ſortiti provincias eſſent, comparandis. extulit eum deinde ſic aut fortuna, aut ejus induſtria, non modo ut prætutam, & eodem anno con-

conſulatum geſſerit, verum etiam de Parthis primus triumphaverit, & mortuus publico funere, quod pauciſſimis contigit, quaſi gratiam ejus virturi populo referente, ſit elatus. Suetonius, Gellius, Plutarchus, & alii.

Abeſt ab eo] Conjunxit ſe cum Antonio. epiſt. 33. 34. & 10. lib. 11.

Integra] Ut Lepidus cum Antonio ſe conjungat. id enim Plancus veretur.

Concurſationibus] Vt qui turmis equitum præeſſet. epiſt. 11. 15.

Pag. 104. *Conſulum*] Hirtii, & Panſæ, epiſt. 33.

Tali ſive pratore] Prætor erat Planci frater, & ab urbe tamen aberat, ſenatu ſcilicet concedente: urbanis enim magiſtratibus, extra pomerium egredi, niſi reip. cauſſa, non licebat. epiſt. 3. libro 11.

Fide] Pro, *Fidei*: ut Salluſtius in Jugurtha: *Decima parte die reliqua.* Gellius lib. 9. cap. 14. *C. Caſar in libro de analogia ſecundo, hujus die, & hujus ſpecie, dicendum putat.* Vide Aldi filii Scholia in Salluſtium.

De tribus fratribus Segaviano probavit] Quattuor veteres libri, *Se Gaviano.* legendum fortaſſe, *Sex. Gaviano*: (nam Segavianæ gentis mentio non exſtat) ut ſit Sex. Atilius Gavianus, qui nominatur in oratione pro Sextio. Probavit, inquit, mihi, in Appella ad me mittendo, ſtudium ſuum Gellius; in trium autem fratrum negotio, (hoc quale fuerit, ignoratur) Sex. Gaviano.

Pag. 105. *Si mereor*] Modeſte: epiſtola 9. *Niſi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit ſingularis, & opera præcipua; nihil ad meam dignitatem accedere vole ſuffragatione veſtra.*

EPISTOLA XVIII.

LÆvus] Hunc epiſt. 21. nominat *Lævum Ciſpium*, qui originem fortaſſe duxerat a Lævo illo Ciſpio Anagnino, quem Ciſpio monti nomen dediſſe, Feſtus tradit.

Interfuerunt] Epiſt. 6. lib. 1.

Pudenti] Infamiam timenti. ep. 23. *Pudet me hunc caſum cogit ſubire.*

Legatorum] Lævi & Nervæ.

Laterenſis] Lepidi Legatus.

Exercitui ejus] Epiſt. 11. 15.

Pag. 106. *Etſi cautius illud erat conſilium*] Emendationem hujus loci doctiſſimo viro Lambino debemus.

Videbam] Hoc verbum ſententia non deſiderat: pendent enim omnia ex illo, *Sciebam*: ſed ob interpoſita multa, quo clarior tota res eſſet, additum videtur: quod interdum fieri ſolet.

Offenſum mihi] Pro, mihi inimicum. epiſt. 11. 15. 21. 23. Sic locutus Cicero pro Cluentio: *Invidioſus, aut multis offenſus.*

Sollicitiorem] In majore ſollicitudine. Tacitus libro 20. *Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis ſollicitior, aut pro me ſecurior.* Sic & Seneca lib. 3. de Ben. & Quinctil. lib. 10. Suetonius in Claudio, *Sollicitiſſime.* Eadem forma *Explicitius*, dixit Cæſar libro 1. de bel. civ.

Non ſuis contractis] Aliena culpa ex iis, quæ ipſe non contraxerit. nam *Contrahere*, interdum eſt committere.

Abſit] A reip. præſidiis.

Magnum habet caſum] Magnum diſcrimen.

Pag. 107. *Ventidii*] Epiſt. 17. 33. 34.

Mulionis] Quia victum comparandis mulis, ſatteque in caſtra convehendo, adoleſcens ſibi comparaverat. vide Plinium lib. 7. cap. 43.

Pag. 108. *Si quid intra cutem ſubeſt vulneris*] Non bene ſperat de Lepido. epiſt. 13. 14. & epiſt. 9. lib. 11.

Niſi uno loco me tenerem] Niſi conſiſterem uno eodemque in loco, in quo exercitum Lepidus haberet. Vel pro, *Niſi*, legendum *Si*: ut hoc dicat? Si manerem in eodem loco, nec ad Lepidum prope accederem. Hoc eo magis exiſtimo, quia ſcribit idem Plancus epiſtola 23. *Si uno loco eſſem, verebar ne cui obtrectatorum viderer & nimium pertinaciter Lepido offenſus, & mea patientia etiam alere bellum.*

Qua bene de rep. ſentit] Pars enim corrupta erat. epiſt. 11. 14. 21.

Conſtantiaque mea] Hoc addidit, ne ſe prorſus omni laude privaret, ac fortunæ rorum tribuiſſe videtur.

Bruto] Decimo, ejus collegæ.

EPISTOLA XIX.

Pag. 109. RE *ipſa atque animo*] Tribus modis erga bene meritos officio fungimur, re, animo, verbis. hoc extremum Plancus, agendis gratiis, præſtiterat.

Quæ oculis cernuntur] Tranſtulit ad animum. epiſt. 12. lib. 5. *Cerne jam animo* (inquit) *quanto omnia uberiora atque ornatiora futura ſint.*

Graviſſima & maxima, fortiſſimi animi, ſummique conſilii] Animi maximæ, conſilii graviſſimæ. Hunc locum ante aliquot annos ita legendum & diſtinguendum putavimus; cum eſſet in pervulgatis omnibus libris, *Maxime fortiſſimi animi.*

Et gratia, & gloria] Epiſt. 5. *Cujus per deos, gratiæ gloriæque cave tempus amittas.*

Defatigatus] Vix opinor Frontonis eſſe, antiqui & eruditi Grammatici, libellum quendam, in quo *Defatigatus* & *Feſſus* ita diſtinguuntur, ut *Defatigatus*, de animo dicatur; *Feſſus*, de corpore. quod ſecus eſſe animadverto. nam *Defatigari*, & de corpore uſurpatur, ut ad Terentiam epiſt. 1. lib. 14. *Te nec animi, nec corporis laboribus defatigari.* Quid illud libro 1. de Divin. non ad corpus omnino pertinet? *Cum virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, puellam defatigatam petiiſſe a matertera, ut ſibi concederet paulliſper, ut in ejus ſella ſederet.* Et illud in lib. de Sen. *Corpora quidem exercitationum defatigatione ingraveſcunt; animi autem ſe exercendo levantur.* Et Phil. 5. *Cum ſemel gladium ſcelere imbuiſſet, nulla res ei finem cædendi, niſi defatigatio & ſatietas, attuliſſet.* Vnum igitur in Latino ſermone Ciceronem ducem ſequamur: ceterorum præcepta partim non neceſſaria, partim etiam falſa exiſtimemus.

Non multo plus] Plus omnino, (præſtat enim patria rebus omnibus) verum non multo plus.

Complectere] Epiſt. 12. ſcripſit, eum jam complexum eſſe facultatem adjuvandæ reip. gloriæque ſibi comparandæ.

Oppreſſerit] Epiſt. 13.

Teterrimum] A ſceleratis civibus excitatum.

Perıculoſiſſimum] Hoc ad Planci laudem pertinet: ne videatur, victo jam ad Mutinam Antonio, periculi nihil, aut parum ſupereſſe.

EPISTOLA XX.

QVa *vellemus*] Ab eo non recipi Antonium.

Pag. 110. *Quorum alterius*] Quandam enim victoriæ partem ſibi fortuna vindicat.

A collega tuo] D. Bruto, obſidione Mutinæ jam liberato.

Te ad ſe ſcripſiſſe] Sic unus omnino vetus liber: alter, *Te ad eum ſcripſiſſe.* utrumque placet. alii libri, *Te adſcripſiſſe*: vel, *Te ſcripſiſſe*: vel, *Te conſcripſiſſe.*

Propter inanem lætitiam litterarum ſuperiorum] Inanis Planci lætitia fuit, quam ſignificavit epiſt. 15. cum dixit: *Sedulitas mea reip. tulit fructum.* quod tamen re ipſa comprobatum poſtea non eſt, Lepido neutram in partem inclinante. propterea non audes, ait Cicero, id credere de Lepido, quod quia credidiſti antea, erraſſe te ſentis.

Verum, ut errare id Plance voluiſſe] In magna veterum librorum varietate hoc delegimus, quod probabile ſatis videbatur. *Errare*, eſt in duobus antiquis libris: *Erratem*, in reliquis omnibus. quod mendoſum eſſe conſtat. error enim ille Planci, non Ciceronis, fuit: & ea, quæ ſequuntur, aperte errorem Planci declarant. nam, quia turpius eſt decipi, quam errare; cum erremus, ut humani; decipiamur, ut incauti: propterea Plancum excuſat, & quaſi conſolatur; quod erraverit quidem, quia crediderit ſe eſſe bono Lepido uſurum; deceptus tamen non ſit, quia prudentia valeret. Præterea verbum *Voluiſti*, Plancum liberat ab imprudentiæ culpa. ipſe, inquit, errare voluiſti, cum ea ſperaſti de Lepido, quæ vera eſſe cupiebas: non te quiſquam in errorem induxit: decipi enim non potes. Alii retinent *Errarem*, ajuntque libros omnes in eo veteres conſentire: &, quia ſententiam vident elici commodam non poſſe, ex aliquo fortaſſe Poeta ſumptum comminiſcuntur. Quod ad libros attinet,

net, dixi jam duos eſſe, in quibus, *Errare*, non, *Errarem*, ſcriptum eſt: itaque nulla hic utor conjectura: ſequor & antiquitatis teſtimonium, & ſententiam ipſam, quæ *Errare*, poſtulat; *Errarem*, recuſat: præſertim cum ſequatur, *Sic decipi*: quod ad illud opponitur, *Vt errare*. Alluſiſſe vero Ciceronem ad locum alicujus Poetæ pervulgatum, ipſa verba, quæ Poeticum nihil olent, opinor nemini perſuaſerint. Quod ſi cui, *Errare id*, pro Errare in eo, videatur durius: non eſſe diſſimile ſciat, *Peccare multa*; pro in multis: & hujus generis alia. Quod ſi quis mutatione delectatur, ita poterit legere: *Verum, ut errare mi Plance voluiſti.* una enim tantum littera tollitur, ſi ex, *Errarem id*, quod eſt in pleriſque antiquis libris, fiat, *Errare mi.* ut omittam, quod uno etiam in libro eſt, *Errarem mi. Valuiſti*, pro *Voluiſti*, Faernus legebat, homo ingenioſus, verum conjecturæ interdum ſuæ nimium indulgens. Ego, ſi diſcedendum hic eſſet ab antiquis libris: quod minime neceſſarium videtur; quid enim mihi placeat, jam oſtendi: tamen, *Errare valuiſti*, probare non poſſem. *Valere* enim, & *Poſſe*, differunt in hoc, quia *Poſſe* & ad vires pertinet, & ad caſum: ad vires, ſatis notum: ad caſum, hoc modo: *poteſt errare*, quamvis excellat prudentia: *Valere* autem, ad vires interdum, ad caſum numquam refertur. nec verear, ut refellar exemplis. hic autem, ſi legatur, *Vt errare voluiſti*, caſum ſignificari quis non videt?

Etiam erroris cauſſa] Non modo decipi non potes, verum nec errare quidem amplius. nam, quia ſemel erraſti, propterea, iterum ut erres non committes, admonitus vulgari proverbio, quo reprehendi ſolet is, qui bis ad eundem lapidem offendit. Senarius Græcus de altera ad eundem lapidem offenſione a Zenodoto inter adagia refertur, Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον. Simile illud Publii mimi apud Gellium & Macrobium: *Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.* Et illud Horatii in epiſtola ad Piſones:

Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Pag. 111. *Sepius*] Tribus, quæ exſtant, epiſt. 13. 14. 19.

Qui reliquias hujus belli oppreſſerit] Qui M. Antonium, victum jam & fugatum prœlio Mutinenſi, plane profligaverit.

Et opto eſſe, & confido futurum] Blanditur, & laudat: optat enim, amore adductus; laudat, virtute cognita. quod utrumque valet ad cohortandum.

Minime miror, vehementerque lætor] Epiſt. 1. *Furnium tanti a te fieri, quantum ipſius humanitas & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo.* Epiſt. 11. lib. 5. *Grata tibi eſſe officia mea, non miror, cognovi enim te gratiſſimum omnium.*

Majora & graviora] *Majora*, ad voluntatem refertur: *graviora*, ad rem. & contendam vehementius, & majoribus in rebus.

EPISTOLA XXI.

INconſtantia] Qui de Lepido varie ſcripſerim.

Reconciliaremque me Lepido] Erant enim inter eos inimicitiæ. epiſt. 11. 15. 18. 23.

Pag. 112. *Iejuni*] Laudem appetentis.

Delibare] Decerpere. jejunus enim ægre fert delibari quidquam de ſuo.

In eiſque] Sic malo, ut eſt in quatuor antiquis libris, quam, ut in reliquis, *Mei*, *que*. ſic enim conjungo: *in eiſque aperte denunciat, videam ne fallar.*

Suam fidem ſolutam eſſe] Se jam promiſſis non teneri. obſtrinxerat enim ſuam fidem Laterenſis, promiſeratque omnia de Lepido: mox, ubi recipi Antonium a Lepido vidit, ſcripſit Planco, ſe deſtitutum a Lepido, nec jam ea, quæ antea, polliceri. Contrario ſenſu Terentius in Andr. dixit: *Solviſti fidem*: pro, fregiſti.

Pag. 113. *Lævo Ciſpio*] Epiſt. 18. & Fellus quendam Lævum Ciſpium nominat in verbo Septimontium.

Canidios, Rufrenoſque] Legatos, vel tribunos militum, aut præfectos, & centuriones.

Viri boni] Ironia ſatis manifeſta.

Duobus conſulibus] Hirtio & Panſa.

Omnibus] Antonium ſecutis.

Vindicarat] Punierat.
Sanarat] Correxerat.
Huc] Vbi erant Lepidus & Antonius.
Duobus] Lepidi & Antonii.
Gallia] Vlterioris.
Pag. 114. *Ille exercitus*] Lepidi.
Deſciverit] Iam enim cum Antonii exercitu conjunctus erat.
Omnia ut integra ſervem] Nihil ut damni patiar.
Pariquefelicitate] Vt ad Mutinam.
Excuſem litteris] Ita poſtulat ſententia: ſed, ne lectori fraus fiat, moneo non eſſe, *Excuſem*, in ullo antiquo libro, ſed in omnibus, *Excuſes*.
Quantum & quando] Epiſt. 9. *Temporis & rei te moderatorem eſſe facile patior.*
In Hirtii locum] Vt conſul in Hirtii locum ſufficeretur, conſulatumque gereret, uſque ad exitum anni. quod etiam petiit Octavius.
Et ad tuum amorem, & ad meam obſervantiam] Et amoris in me tui cauſſa, & obſervantiæ in te mei.

EPISTOLA XXII.

Pag. 115. IN *collega*] D. Bruto.
Omnis ſpes] Iam enim periebat uterque conſul: Octavii autem qui eſſet in Cæſaris interfectores animus, id eſt, in ipſam remp., ignorabatur.
Concordia veſtra] Epiſt. 26. & ad M. Brutum: *Brutum praeclare cum Planco conjunctum habemus.* & epiſtola 15. libro 11.
De re agraria] De agris militibus reip. dividendis: quam ſibi curam demandari non modo Plancus, ſed Brutus etiam, ejus collega, cupiebat. lib. 11. epiſt. 20. & 21.
Quæ conſulebantur] De quibus ad ſenatum referebatur.
Vti eo] Vel deeſt, vel certe ſubauditur, *S. C.* ut infra patet.
Tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem] Hæc ad minuendum Planci dolorem ob S. C. minus e ſententia compoſitum, addita ſunt.

EPISTOLA XXIII.

Pag. 116. SI *quid acciderit*] Vt fortuna fert: quædam enim vitari non poſſunt.
Pulchre noram] Non bene animatum, & natura levem. epiſtola ad M. Brutum: *Datam Lepido tempus eſt, in quo levitatem ejus, ſæpe perſpectam, majoribus in malis experiremur.*
Bello maxime eſt periculoſus] Maxime enim ad res gerendas intereſt, optime de ducum virtute & animo milites opinari. epiſtola decimaoctava.
Offenſus] Infenſus, inimicus. epiſtola 18.
Salutariter] Veteres libri, *Salutari*, *Cum ſalute*, *Salutari loco*, *Saltem*. non tamen diſplicet, *Salutariter*; etſi videtur eſſe conjectura. probo etiam illud, *Cum ſalute*.
Pag. 117. *Sub manu*] Propinqui. Græcum loquendi genus. Demoſthenes contra Philip. 12. ἐγὼ γὰρ εἰς τὰ πολλὰ εἶναι ἐν σοι ... [illegible]
Ferventibus] Quaſi incitatis adverſus me. tranſlatio ſatis nota. quattuor libri veteres, *Furentibus*: eadem ſententia. *Furere* enim de irato homine ſæpe uſurpat Cicero: & ipſe Plancus paullo poſt, *Veniebant*, inquit, *eodem furore in me, quo in patriam, incitati.*
Ad ſe colligendum] Ad animum recipiendum.
Laterenſis] Lepidi legati. 18. 21.
Pag. 118. *Dicitur victurus*] Non vixit: ut Vellejus libro ſecundo. Dio lib. 46. ſcriptum reliquere.
Et magno] Copulam alii ſuſtulerunt: nos eam retinendam duximus, cum ſit in antiquis libris: parvi tamen refert, abſit, nec ne.
Iis] Ipſis patricidis.
Elapſus ſum his] Dictio, *his*, cum oleret mendum, ſcripſi ad amiciſſimum meum, ut is mihi, de ea quid ſentiret, exponeret. Reſcripſit, corruptam ſe jam pridem judicaſſe: nuper autem rariſſimæ virtutis, & ſummæ nobilitatis hominem, Benedictum Accoltum, Ravennæ Cardinalem, quem ego honoris amplitudiniſque cauſa nomino, cum

cum has Ciceronis epiſtolas ſucciſivis temporibus legendo percurreret, eam emendaſſe, nempe ſic, *Elapſus ſum bis*: ut ſe dicat Plancus periculum bis effugiſſe: ſemel, cum ad Lepidum non acceſſit, neque ſe unquam cum eo voluit conjungere: quod ſi feciſſet, ipſe cum univerſo exercitu in Antonii poteſtatem Lepido prodente deveniſſet: iterum, cum audito Lepidi Antoniique adventu, celeriter ſe recepit.

Colloquia facta] A Lepido cum Antonio, vel cum iis, quos ad eum Antonius miſerat.

Legatos] Ab Antonio miſſos ad me.

Fide Lepidi] Promiſerat Lepidus, Antonii legatos, ab eo ad Plancum miſſos, incolumes eſſe reverſuros. ii qui fuerint, non conſtat. nam C. Catium, infra ſtatim nominatum, non ad Plancum, ſed ad Lepidum eſſe miſſum ſuſpicor: & hic exceptus eſt, illi in conſpectum venire veriti.

Miſſos] Noſtri muneris eſt, monere lectorem, hoc eſſe ex ingenio: nam libri omnes antiqui, *Dimiſſos*, habent.

Catium] Nota familia. epiſt. 17. l. 15. & Horatius Sat. 4. libro ſecundo. *Unde, & quo Catius?* Quidam libri, *Canıninum, Tatium Catinum.*

Tribunum mil.] Seni erant in legione tribuni mil. ut ait Polybius.

Ad eum] Ad Lepidum. ſic duo veteres libri. reliqui, *Ad me.* quod minus placet. non enim ſubjunxiſſet, *Exceperam*, ſed potius, *Retinueram.* nam excipiuntur ad alios miſſi; retinentur autem, qui ad nos.

Nervoſe] Sic, ut in eo nervos omnes intendas.

Subornes] Inſtruas iis rebus, quæ ad bellum neceſſariæ ſunt. Cicero lib. 1. de leg. *Cum ſe ipſe perſpexerit, totumque tentarit; intelliget, quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit.* Et Phil. 13. *Appulejana pecunia Brutum ſubornatis.*

Cæſar] Octavianus, ab avunculo C. Cæſare adoptatus, unde *Cæſar* poſtea dictus. epiſt. 12. lib. 14. ad Att. *Nobiſcum hic perhonorifice & amice Octavius: quem quidem ſui Cæſarem ſalutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem.*

Firmiſſimas] Veteranos, & præterea duas legiones, Martiam, & Quartam. epiſt. 7. lib. 11. epiſt. 7. lib. 16. ad Att. & Phil. 3. 4. 5. 7. 10. 11. 13. 14. Vellejus, Suetonius, Dio, Appianus, aliique.

Pag. 119. *Cujus ipſius magnum periculum agitur*] Erat enim & Antonius inimicus. ep. 23. lib. 12.

Sollicitudines] Curas.

Exacuunt] Excitant, augent.

Pietate meorum officiorum] Meis officiis, quæ pie præſto. Quid ſit *Pietas*, & ad quos hoc nomen pertineat, diximus epiſt. 1. lib. 1.

Civarone] Suſpicor de mendo. nam & hunc locum nemo de veteribus nominat: & veteres libri alii, *Anerone*, habent: alii, *Curone*: plerique, *Civarone*, aut *Cujarone*: unus, *Cinarone*: alius hoc nomen non habet.

EPISTOLA XXIV.

Pag. 120. F*Acere non poſſum*] Delectatur Plancus in principio litterarum quadam grati animi ſignificatione, ut ad ſe ornandum eo magis Ciceronem alliciat. epiſtola 9. 11. 19.

Indulgentia, aſſiduitate vincam] Subauditur copula. nam hæc duo ad verbum *Vincam*, referuntur.

Amor enim tuus, ac judicium de me] Amor voluptatem, judicium dignitatem affert.

Militum] Planci.

Noviſſime] Tiro ſcripſit in Pandectis, non recte dici *Noviſſime*: adjicitque, quod ſua cœperit ætate id adverbium, ubi Flavius Caper de Latinitate, *Miror*, inquit, *id dixiſſe Tironem: cum Valerius Antias libro ſecundo, Mater, cum noviſſime ægrotaſſet, inquit, voviſſe fertur.* Idem 22. *Quod noviſſime nobiſcum fœdus feciſſent.* Hæc Cariſius.

Sollicitatione] Antonii, & Lepidi. epiſt. 8.

Omnia integra ſuſtinuimus] Non, nihil damni paſſi ſumus, ſed, rempub. in diſcrimen non adduximus. prœlium vitavimus. confirmant hanc ſententiam ea, quæ ſequuntur. epiſt. 21. alio ſenſu dixit, *Omnia, ut integra ſervem.*

Oſten-

Offenſum] Peccatum: ſi qua jactura fiat.

Impetu] Pro, impetui: ut Virgilius Georg. 4. *Concubitu indulgent.* quod ab homine antiquitatis diligentiſſimo Pierio Valeriano notatum animadverti.

Pag. 121. *Vna*] Quattuor igitur Planci legiones, ut epiſt. 15. & ep. 13. libro undecimo. quanquam epiſt. 8. quinque nominantur.

Octo] Decem igitur Bruti legiones: quod Appianus confirmat.

Firmitate exiguus] Tirones enim multis partibus plures, quam veterani. epiſt. 10. ad M. Brutum: *Sunt exercitus boni, ſed rudes, Bruti, & Planci.*

Expertum habemus] Pharſalico maxime prœlio, ut epiſt. 3. libro ſeptimo. & Tuſcul. 2. *Expertum habemus*, pro experti ſumus: ut epiſt. ad M. Brutum: *Clodii animum perſpectum habeo, cognitum, judicatum*, pro, perſpexi, cognovi, judicavi.

Africanus exercitus] Quem C. Cæſar, victo Scipione Pompeji ſocero, in Africa reliquerat, præpoſitis Q. Cornificio, ut epiſt. 14. & 26. libro duodecimo. præterea T. Sextio, D. Lælio, ut ait Dio lib. 48.

Cæſaris] Cæſarem appellat, quod a C. Cæſare dictatore adoptatus erat.

Propius eſſe] Propiorem dicit eſſe exercitum Cæſaris, quam Africanum.

Pag. 122. *Ad alia conſilia*] Ad cogitationem conſulatus bimeſtris. infra.

Quod ad Cæſaris amorem attinet] Attinet autem hoc, ut cum exercitu ſuo veniat, in tanto reipub. periculo.

Ipſe] C. Cæſar.

Inſigni amicitia] Epiſt. 3.

Veſtro judicio] Cæſaris enim adoptionem, teſtamento factam, comprobaſtis.

Quod vivit Antonius hodie] Vide ſimilem loquendi modum epiſt. 29. libro ſeptimo: *Quod ſimus, quod habeamus.* Et ad At. ep. 12. lib. 1.

Pag. 123. *Adverſiſſimam*] Sic omnes mei libri veteres, duobus exceptis, in quibus eſt, *Averſiſſimam.* placet, *Adverſiſſimam.*

Illis] Nullo in vetere libro ita ſcriptum animadverti, ſed, *Illi*, in omnibus; *Ille*, in uno; *Illa*, in altero.

Extruſum] Emendavi locum ex ingenio. nam veteres libri, *Et rurſum:* unus tantum, *Et rursum:* quo etiam conjectura noſtra magis adjuvatur. nam qui, *Detruſum*, legunt, longius ab antiqua ſcriptura diſcedunt.

Neceſſaria, ac ſalutari] Quia cum Antonio gerebat inimicitias, propterea epiſt. 23 dixit Plancus: *Cujus ipſius magnum periculum agitur.*

Conſulatum] Vt in Panſæ, aut Hirtii locum ſurrogaretur.

Bimeſtris] Aut, *Quinquemeſtris*, legendum; cum quinque menſes, non duo, ſupereſſent ad exitum anni, ut dies huic epiſtolæ adſcripta declarat: aut, *Bimeſtris*, dixit, pro, Exigui temporis. quod vidit etiam Rutilius.

Terrore] Petebat enim contra leges; quæ conſulatum mandari ante XLIII. ætatis annum vetabant. præterea, quid non timendum ab adoleſcente conſule, qui Cæſar vocaretur, & quem improbi multi, ad depravandum parati, ſequerentur? epiſt. 12. ad Att. lib. 14. & epiſt. 12. ad eundem lib. 15.

Exputare] Hoc verbo & Plautus in Trinummo uſus eſt.

Neceſſarii ejus] In primis L. Marcius Philippus, vitricus, & C. Claudius Marcellus, ejus ſororis vir. Phil. 3.

Tanta merita] Merita Ciceronis in Octavium vide Phil. 5. & 14. exſtat etiam præclara M. Bruti epiſtola ad Ciceronem ipſum, & altera ad Atticum, de nimia ejus in Octavium indulgentia.

Pag. 124. *Exigeret cum eo*] Ageret cum eo.

Ipſum ſuo vero] Nam ipſius quoque periculum agitur: epiſt. 23.

Expeditiſſimam] Vtiliſſimam: a verbo, *Expedit*, utile eſt.

Dimicationem] Contra duos Antonii & Lepidi exercitus.

Africana] Epiſt. 15. lib. 11.

EPISTOLA XXV.

INtereſt] Erat enim Planci legatus. epiſtola octava.

Pag. 125. *Navitatem*] Diligentiam.

Cele-

Celeritati praturæ] Furnius enim Romam ire cupiebat ad petendam præturam, cum ædilis nondum fuiſſet.

Fama, ſententiaque omnium] *Sententiaque omnium*, placeret: quod in Varietatibus a me ſcriptum anno M. D. XXXIII.

Comitia] Prætorum. nam conſulum ſequentis anni neceſſaria non erant: cum Plancus & Brutus jam antea deſignati eſſent a Cæſare Parthicum bellum cogitante.

Quam conſecuti ſumus] Quam conſecutus es. conjunxit utriuſque laudem, ut oſtendat amorem ſuum: amicorum enim omnia communia.

Multi clariſſimi viri] Diſſuaſio ab exemplo: ab utili vero, in primis epiſtolæ verbis.

Cum reipub. darent operam] Foris.

Non obierunt] Non venerunt ad petendum.

Si ædilis fuiſſet] Ergo ædilis Furnius non fuerat.

Poſt biennium] Ut prætura ædilitatem, ſic præturam conſulatus poſt biennium ſequebatur. qua de re & diximus alias, & dicemus, Deo favente, ſuo loco, lenius.

Nunc nihil prætermittere, &c.] Si manebis in provincia, & ad comitia prætoria non venies.

Planco conſule] Anno ſequenti.

Rationes expeditas] Nihil impediret, quo minus præturam aſſequeris.

Cum tuum tantum conſilium judiciumque ſit] Cum tu conſilio judicioque tantum valeas.

Pag. 126 *Nolebam*] Teſtificandi amoris gratia. epiſt. 3. & libro 2. epiſt. 4.

In perpetuitate laudis] Perpetuam enim laudem, navata reipub. opera, conſequeris.

Adhibito] Adjuncto. epiſt. 7. libro undecimo: *Cum adhibuiſſet domi meæ Lupus me.*

Lacinia] Epiſt. 5. libro ſexto.

Calviſius] Fortaſſe illo, de quo Philip. 3. etſi ille Antonii amicus, hic reipubl. videtur. epiſt. ſeq.

Dardanus] In Dardania captus: unde nomen. liberti autem, aſſumpto nomine Romano, retinebant & priſtinum ſervile.

EPISTOLA XXVI.

DE *Planci & Bruti concordia*]. Epiſtola 22.

Gallorum] Eam Galliæ partem dicit, cui Plancus præerat, id eſt, tranſalpinam. de quo diximus epiſt. 1.

Cognovimus] Tua videlicet opera excitatum, id enim Furnius modeſte ſignificaverat.

In Sextilem] Indicta ſint.

Cito te] Venturum Romam.

Ne diutius cum periculo ſtatuæ ſis] Ne diutius pericula pro rep. ſubeas nullo tuo fructu: quod dementis eſt.

Pag. 127. *Qui alienas tam facile diſcas*] Patronus cauſarum ſolebat eſſe Furnius.

Candidatum te putas] Putas hunc eſſe tuum annum, qui non eſt.

Indicium meum] Qui te aliter, quam ſcribis, arbitrer ſentire.

Si ita adipiſcare] Cauſſa, cur ſit prætura leviſſimus magiſtratus; cum poſſit idem eſſe graviſſimus, ſi & ſuo petatur anno, & magnis rebus pro rep. geſtis.

Scilicet id agitur] Ironia. id videlicet laboras.

Omni honore] Non prætura tantum.

Quam alte adſcenderis] Quantam ſis laudem aſſecutus.

Tibi ignoſco] Quia ſciens non peccas, ſed inopia judicii.

Nos in culpa ſumus] Peccamus nos, qui te, tuam cauſſam ignorantem, rationibus copemur in provincia retinere.

Officio] Quod patriæ debes.

Sequuntur] Tueor illud meum, ut oſtendam, quid ex ingenio, quid a libris acceptum ſit. hic nullum adhuc vidi veterem librum, (& vidi quamplurimos) in quo eſſet, *Sequuntur*. habent autem, *Aſſequuntur*, omnes. jampridem tamen duxi, quod videtur ſententia poſtulare, legendum, *Sequuntur*.

Ex his pendes] Hæc ſpectas, hæc tibi propoſita ſunt.

Reip. conducere] Quo diutius alantur hac ſpe, qui reip. operam dant.

Protrudimus] Plus eſt quam *producimus*. epiſt. 11. lib. 2. ad Q. Fr. *Putantur detrudi comitia in menſem Martium.*

EPISTOLA XXVII.

Pag. 128. *ORnatus ſummis honoribus*] Supplicatione ei decreta, ut Phil. 3. legimus, poſt etiam triumpho, ut Phil. 13. & ſtatua equeſtri inaurata: de qua ſic Phil. 5. Cenſeo S. C. his verbis perſcribendum: *Cum a M. Lepido imp. pont. max. ſæpenumero resp. & bene, & feliciter geſta ſit; populuſque R. intellexerit, ei dominatum regium maxime diſplicere; eumque ejus opera, virtute, conſilio, ſingularique clementia & manſuetudine bellum acerbiſſimum civile ſit reſtinctum; ejus in remp. meritorum ſenatum populumque R. memorem fore; eique ſtatuam equeſtrem inauratam in Roſtris, aut quo alio loco in foro vellet, ex hujus ordinis ſententia ſtatui placere. qui honos, P. C. mihi maximus videtur: primum, quia juſtus eſt: non enim ſolum datur propter ſpem temporum reliquorum, ſed pro ampliſſimis meritis redditur, nec vero cuiquam poſſumus commemorare, hunc honorem a ſenatu tributum judicio ſenatus ſoluto & libero.* Et Phil. 13. *Hæc cauſſa fuit, cur decerneretis Lepido ſtatuam in Roſtris, cum inſcriptione præclara, cur abſenti triumphum.* Et epiſt. ad M. Brutum: *Lepidi cauſſa durior erat, quam Antonii, quod, cum honoribus ampliſsimis a ſenatu eſſet ornatus, repente non ſolum recepit reliquias hoſtium, ſed bellum acerrimum terra marique gerit.* Et in alia ad eundem: *In Lepido reprehendimur: cui cum ſtatuam in Roſtris ſtatuiſſemus, iidem illam evertimus.*

Pacis inter cives conciliandæ te cupidum eſſe, laetor] De hac Lepidi voluntate, Phil. 13.

Pag. 129. *Perditum hominem*] Antonium.

In poſſeſſionem] Unde prœlio Mutinenſi dejectus erat.

Impotentiſsimi] In quo nihil jure, & ordine, ſed vi & ſcelere geruntur omnia. epiſt. 1. *Impotentiſſimum hominem.*

EPISTOLA XXVIII.

TRebonio] Viro conſulari, Aſiam regenti, poſt obitum Cæſaris. ep. 16. lib. 12. & Plutarchus in Bruto: unus fuit ex iis, qui de Cæſare necando conjuraverant. occidit eum poſtea Dolabella. epiſt. 12. lib. 12. Dio lib. 47.

Ad illas pulcherrimas epulas] Ad facinus illud egregium, cum Cæſarem idibus Mart. occidiſtis.

Invitaſſes] Apto verbo ad ineptam tranſlationem uſus eſt.

Reliquiarum nihil haberemus] Non modo Cæſar, ſed Antonius quoque interfectus eſſet. ſimile principium ep. 4. libro ſexto: *Vellem idibus Mart. me ad cœnam invitaſſes: reliquiarum nihil fuiſſet. nunc me reliquiæ veſtræ exercent.*

Cum his] Cum Antonio.

Tantum negotii eſt] *Ita me exercent reliquiæ veſtræ* dixit, epiſt. 4. lib. 6.

Veſtrum] Particeps enim, ut dixi, conjurationis in Cæſarem Trebonius fuerat.

Querellam] Queruntur homines Antonium ſervatum eſſe. *Querella*, *l* geminata ſcribo, ex antiquis & libris, & lapidibus.

Seductus eſt] Philip. 13. *O Spartace, ſceleratum Trebonium auſus es ſcribere? quo ſcelere, niſi quod te idibus Mart. a debita tibi peſte ſeduxit?* Idem ex Dionis lib. 44. cognovimus.

Pag. 130. *Quod mihi vix fas eſt*] Quod mihi per noſtram neceſſitudinem vix licet.

Mihi enim negotii plus reliquiſti uni, quam, præter me, omnibus] Idem ep. 4. lib. 12. *Nunc me reliquiæ veſtræ exercent, & quidem præter cæteros me.* Et illud ſimile eodem libro, epiſt. 22. *Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequiſſimo collega noſtro, Antonio bellum gerimus, ſed non pari conditione, contra arma verbis.* Et ad Plancum, epiſt. 1. *Numquam per M. Antonium quietus fui.*

Fœdiſsimum diſceſſum] Hoc explanatur Philipp. 3. his verbis: *Cum de rep. relaturus fuiſſet, allato nuncio de legione quarta, mente concidit; & fugere feſtinans, S. C. de ſupplicatione per diſceſſionem fecit, cum id factum eſſet antea nunquam. Quæ vero profectio poſtea? quod iter paludati? quæ vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam miſera fuga; quam fœda, quam turpis?* Et Phil. 5. *Neque ſacrificiis ſolemnibus factis, neque votis nuncupa-*

empatis, non profectus eſt, ſed profugit paludatus. Item Phil. 13.

Tribuni pl.] Novi, qui magiſtratum de more inierant quarto idus Dec.

Vocaviſſent] Vocare ſenatum poterant dictator, conſules, prætor, tribuni pl. interrex, præfectus urbi. Varro apud Gellium.

Deque alia re referrent] Referebant de conſulum ineuntis jam anni, ſenatusque præſidio. conſules autem futuri erant, cum tribuni pleb. retulerunt, Hirtius & Panſa. Philipp. 3.

Totam temp. ſum complexus] Significat ea, quæ dixit Philip. 3.

Conſulares] Epiſt. 3. lib. 12.

In Servio] Sulpicio; qui obierat. Philip. 9.

L. Cæſar] Epiſt. 14. lib. 9. & epiſt. 2. 4. lib. 10.

Avunculus] Antonii, Iuliæ frater, quæ proſcriptum ſervavit. Plutarchus.

Conſules] Hirtius & Panſa. ſcripta enim epiſtola, poſt initum ab iis conſulatum.

Puer Cæſar] Modo adoleſcentem, modo puerum, quo magis laudet, Cæſarem appellat. annum enim agebat XIX. ut Vellejus Tacituſque litteris mandarunt. epiſt. 7. lib. 1. *Ne adoleſcentem vel puerum potius Cæſarem judices temere feciſſe.* Et epiſt. 25. lib. 12. *Puer egregius præſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſumma reip. comparavit.* Et epiſt. ad M. Brutum: *Cæſaris pueri mirifica indoles virtutis.* Et Phil. 3. *C. Cæſar, adoleſcens, pæne potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute.* Et Phil. 4. & alibi.

Veteranos] Qui cum ejus adoptivo patre C. Cæſare militaverant. epiſt. 23.

Conſcripſiſſet] Privato conſilio, ſuo ſumptu.

Legioneſque duæ] Martia, & Quarta. epiſt. 7. lib. 11. & in Philippicis.

Pag. 131. *Antonium*] Brundiſio cum legionibus Macedonicis redeuntem. epiſt. 23. 25. lib. 12. & in Philippicis, Plutarcho, Dione, aliis.

EPISTOLA XXIX.

E*Rga ſalutem & incolumitatem tuam*] Exſulaſſe hunc Ampium conſtat, & eſſe illum, ad quem ſcribit Cicero epiſtola 12. libro ſexto.

Cumulatiſſime ſatisfeciſſe] Omni officio ac ſtudio, erga ſalutem, & incolumitatem tuam. epiſt. 1. lib. 1. *Ego omni officio, ac potius pietate erga te, ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe numquam ſatisfacio.* Et epiſt. 11. hujus libri: *In ſalute tua cumulatiſſime mihi ſatisfecit.*

Nec iis concedo, ut te ſalvum malint; quam ego] Epiſt. 3. lib. 4. *Nemini concedo, qui majorem ex pernicie & peſte reip. moleſtiam traxerit.*

Pag. 132. *Prodeſſe poſſim*] Erat enim Cæſaris familiarium amiciſſimus. quod epiſt. 12. lib. 6. ad eundem ſcripſit his verbis: *Omnes Cæſaris familiares ſatis opportune habeo implicatos conſuetudine & benevolentia, ſic, ut, cum ab illo diſceſſerint, me proximum habeant. hoc Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Poſtumus plane ita faciunt, ut me unice diligant.* & epiſt. 24. lib. 7. *Olim, cum regnare exiſtimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore obſervor a familiariſſimis Cæſaris omnibus, præter iſtum.* & ep. 9. lib. 6. & epiſt. 20. lib. 9.

Fundamenta jeci ſalutis tuæ] Epiſt. 9. lib. 1. *Nobis conſulibus ea fundamenta jacta confirmandi ſenatus.*

EPISTOLA XXX.

G*Alba*] Periti rerum Romanarum, Sulpiciæ gentis cognomen eſſe Galbam, non ignorant. Si quis teſtimonium quærit, Suetonium legat, qui nepotem hunc fuiſſe ait Ser. Galbæ illius, temporum ſuorum eloquentiſſimi, proavum autem Galbæ imperatoris: quem utrumque Sulpicium fuiſſe, tum Suetonius ipſe, tum alii teſtantur. Addit idem: Galbam hunc, ob repulſam conſulatus, infenſum Iulio Cæſari, cujus legatus in Gallia fuerat, conſpiraſſe in eum cum Caſſio & Bruto. quod Appianus lib. 2. & Antonii confirmat epiſtola, ad Hirtium Octavianumque Cæſarem miſſa: cujus hæc verba Phil. 13. Cicero recitat: *Ser. Galbam eodem pugione ſuccinctum in caſtris videtis.*

Panſa] Conſul: qui, profecto Mutinam Hirtio collega, Romæ aliquandiu manſerat, & delectus habendi gratia,

tia, & antiquandi etiam leges a conſule Antonio latas. Philip. 13. Dio lib. 46.

Pag. 133. *Millia paſſuum centum*] Sic malo, quam, *Paſſus*, auctoritate ductus octo veterum librorum, & conſuetudine Latini ſermonis. nam etſi, *Mille homines*, & *Mille hominum*, recte dicitur: non tamen eodem modo, *Millia paſſus centum*, & *Mille paſſus centum*. quod ſi me ratio fallit; monentibus libenter aures dabo.

Eduxit] E ſuis caſtris.

Duas] Tres legiones habuit Antonius, Secundam, Quintam, Trigeſimam quintam: quarum Quintam in caſtris reliquit. De duabus hic, & in Philip. 5. de Quinta epiſt. 33. & Philip. 14. tres nominantur: *Viginti cohortibus Hirtius, nullo equitatu, cum tribus Antonii legionibus, equitatuque conflixit.*

Cohortes prætorias] Cohors prætoria erat, electa manus militum, & familiarium ducis, qui circa eum pugnabant. hi non numerabantur in legione, nec in haſtatos, aut principes, aut triarios dividebantur, nec legatum ſuum ut legiones, ſed præfectum, ut opinor, habebant. nam epiſt. 6. lib. 3. præfectus evocatorum Antonius appellatur. evocatos autem, qui milites erant veterani, partem fuiſſe arbitror prætoriæ cohortis.

Silani] M. Silani, tribuni mil. qui a Lepido diſceſſerat. epiſt. 34. hac de re vide Dionem libro 66.

Quattuor] Duas eduxit adverſus Antonium, duas præſidio caſtris reliquit: quas poſtea prœlio victor Antonius oppugnavit. infra.

Tironum] Ex Panſæ delectu.

Legionem Martiam] Quæ, relicto Antonio, Octaviano ſe adjunxerat. epiſt. 7. lib. 11. & in Phil 3. 5. & aliis, item apud Velleium, & alios.

Præeſſe ſolebam] Vivo Cæſare, non in Galba, (nuſquam enim inter legatos Cæſaris nominatur) ſed credi, ut opinor, bello Pompejano. hoc autem tempore, cum ſe legio Martia ad Octavianum contuliſſet, præerat ei Carfulenus, Appiano teſte libro tertio.

Duas] Vnam ipſius Hirtii, alteram Cæſaris.

Equitatum] Ante hanc pugnam equites Germanos a Cæſare ad Antonium transfugiſſe, auctor eſt Dio libro 46. habuit & Mauros equites, qui nominantur in hac epiſtola. nec Romano illum equitatu caruiſſe, credibile videtur: cum & legiones tres, ut jam diximus habuerit: & legionibus ſingulis trecenorum equitum præſidium attuiſſe, perſpicuum ex hiſtoria fiat.

Levem armaturam] Tria genera militum erant in exercitu Romano, equites, pedites legionarii cum ſuis ſignis, pedites levis armaturæ ſine ſignis. hi velites vocabantur: &, ubi confligendum erat, inter utramque aciem excurrentes, levibus armis inſtructi, rotundo & levi ſcuto, quæ parma dicebatur, gladio, pilo, ut ait Polybius, prœlium committebant. mox recedentes, locum certandi legionariis dabant. de velitari pilo ſic Livius lib. 24. *Velites, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis eſt, vix quemquam ſine vulnere conſiſtere in muro patiebantur.* Idem vero lib. 26. haſtis, non pilis, velites uſos eſſe demonſtrat. *Lunla*, inquit, *præfixa ferro, quale haſtis velitaribus ineſt.* Loquitur, ut puto, Livius de conſuetudine ſui temporis: quod ex verbo, *Ineſt*, ſuſpicari licet. nam quo tempore Polybius Romanam militiam Græcis litteris explicavit, & aliquanto ante, pilis utebantur velites, haſtis autem haſtati, qui primi haſtis pugnabant, deinde principes, poſtremo triarii. verum haſtæ haſtatorum, & principum, erant miſſiles, itaque ὑσσοὺς Polybius vocat: triariorum vero longiores, & firmiores: ideo δόρατα idem Polybius appellat. Poſt armaturæ facta mutatio: velites pro pilis miſſiles haſtas, haſtati, & principes pro miſſilibus haſtis pila ſumpſerunt: triarii nihil mutarunt. adjuvat opinionem noſtram Cicero, cum ait in Bruto: *Haſta velitibus amentata trajicitur*. Et Ovidius in Ibin:

> *Vtque petit primo plenum flaventis arena*
> *Nondum calcatti velitis haſta ſolum.*

Præterea diſſimilitudinem non parvam inter pila velitum, & haſtatorum, principumque haſtas, aperte Polybius ipſe oſten-

oſtendit. Aut igitur pila, aut haſtas amentatas velites in hoſtes, antequam legionarii impetum facerent, jaculabantur. quod genus pugnæ ſignificavit Cicero, cum dixit libro 2. de Divin. *Hæc fuerit nobis tamquam levis armaturæ prima orationis excurſio.* In Philippica vero decima, hæc tria diverſis nominibus militum genera diſtinxit. *Noſtræ ſunt legiones* (ait) *noſtra levis armatura, noſtri equitatus.* Et in Bruto: *Omnia veniebant Antonio in mentem: eaque ſuo quæque loco, ubi plurimum proficere & valere poſſent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, ſic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur.* Videntur autem in levi armatura non modo velites fuiſſe, qui primum, ut oſtendi, pilis, deinde haſtis amentatis pugnarunt, ſed etiam ſagittarii, & funditores: verum velites Romani, ſagittarii Numidæ fere aut Cretenſes fuere, præſertim poſt Numidiam & Cretam devictas; funditores Baleares, Hiſpania ſubacta. non enim ſagittarii & funditores, idem quod velites fuere, ſed diverſi, quamquam omnes communi levis armaturæ nomine comprehenderentur. propterea Livius lib. 24. ſeparatim nominavit ſagittarios, funditores, velites. Differebant etiam armatura. nam velites, ut Polybius auctor eſt, parmas habuere. quod Cicero quoque in fragmentis de Rep. confirmat, ſcuta levia velitum appellans: ſagittarios autem & funditores ſcuta non habuiſſe, veriſimile videtur. Livius autem libro octavo ſatis aperte demonſtrat, militarem rationem non eandem fuiſſe pugnante cum Latinis populo Romano, quæ poſtea fuit ſcribente Polybio, id eſt bello Punico tertio. nam, ut omittam alia, & id attingam unum, quod nunc agitur, levi armaturæ Polybius neque ſignum, neque vexillum, Livius autem vexilla dat. Ac mihi videor affirmare poſſe, plura fuiſſe Romanæ militiæ genera diverſis temporibus, unum Latino bello, a Livio demonſtratum, alterum Punico, quod Polybius exponit: tertium C. Cæſare vivo, aucta legione, ut ex ejus Commentariis, Cicerone, Salluſtio, & aliis intelligitur; quartum Valentiniano imperante, ad quem ſuos libros de re militari Vegetius miſit.

Pag. 134. *Duodecim cohortium*] Decem legionis Martiæ, & duarum prætoriarum: quarum novem in dextro cornu, tres in ſiniſtro collocatæ; ita conſtat, ſine duabus tironum legionibus, quas Panſa ſequi ſe juſſerat, dimicatum eſſe. Ex hoc autem loco non obſcure intelligitur, denas in legione cohortes inſtrui ſolitas, ſingulas ex ternis manipulis, uno haſtatorum, altero principum, tertio triariorum. nam velites in manipulos non dividebantur: quod Polybius docet. Hirtii quoque viginti cohortes infra nominantur: quæ fuere legiones duæ, Quarta, & Septima: ut ex Phil. 14. non dubie cognoſcitur.

Amplius paſſus quingentos] Qui totam emendandi ſpem in uno vel altero, quamquam pervetere libro ponunt, ii quam ſapienter ſtatuant, ipſi viderint. nos quidem conſilii noſtri non pœnitet, quod plurimos inſpicere, licet diverſis admodum temporibus deſcriptos, numquam negleximus. ac mihi quidem cum antea ſæpe fructum non mediocrem hoc inſtitutum attulit: tum vero in hoc loco quaſi gratulor induſtriæ meæ, quod numerum paſſuum, qui deſideratur in pleriſque veteribus libris, repoſui duorum antiquorum exemplarium conſenſu: quorum nobis unum olim, ut Scholia noſtra teſtantur, Vincentius Riccius commodavit, alterum nunc habemus.

Proceſſerit] Odio Antonii, qui centuriones ejus legionis Brundiſii trucidaverat. Phil. 3. 13.

Ex caſtris] Panſæ.

In ipſa Æmilia] Via, quam ſtravit in primo conſulatu M. Æmilius M. F. Lepidus, is, qui pontifex max. bis conſul cenſorque fuit, & princeps ſenatus ſexies lectus. perducta eſt Arimino, ubi Flaminiæ committebatur, Aquilejam uſque. Livius & Strabo. Ab Æmilia via nomen ſumpſit Gallia togata, ut Flaminia ab ejuſdem nominis via.

Pag. 135. *Caſtra*] Unde Panſa exierat.

Cohortibus viginti veteranis] Duabus legio-

legionibus, quarta, & ſeptima: qui conſularis erat exercitus. Phil. 14. *Hirtius, re audita, e caſtris duas legiones eduxit incredibili ſtudio atque virtute, Quartam illam, quæ, relicto Antonio, ſe olim cum Martia legione conjunxit; & Septimam, quæ conſtituta ex veteranis docuit hoc prælio, militibus iis, qui Cæſaris beneficia ſervaſſent, ſenatus populique R. carum nomen eſſe. his viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipſe aquilam quartæ legionis cum inferret, qua nullius pulchriorem ſpeciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus equitatuque conflixit, hoſteſque nefarios proſtravit, fudit, occidit.* Et ibidem, paullo poſt: *Quarta victrix deſiderat neminem: ex Martia nonnulli in ipſa victoria conciderunt.*

Cum equitibus] Omnis Antonii equitatus ex prœlio integer diſceſſit. epiſt. 15. 33. 34. & lib. 11. epiſt. 10.

Duas legiones] Tironum.

Aquilæ duæ, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonii] Inter ſigna militaria primum locum ſemper habuit aquila, &, ut Tacitus lib. 13. aliique plane docent, legionis ſignum proprium fuit: cum alia ſigna manipulorum eſſent. primo, præter aquilam, quattuor ſigna fuere in exercitu Romano, lupus, minotaurus, equus, aper: quorum ſolidæ effigies ſingulis ordinibus, ut ait Plinius, id eſt (ut ego interpretor) ſingulis manipulis præferebantur: ut primæ legionis manipuli lupis, verbi gratia, ſecundæ minotauris, tertiæ equis, quartæ apris uterentur. erant enim duorum conſulum exercitus legiones quattuor: totidemque ſignorum genera: ut & ſimilia cujuſque legiones eſſent ſigna, & diverſa ab reliquarum legionum ſignis. Ætate C. Marii, paucis ante ſecundum ejus conſulatum annis, ſola in aciem aquila portari cœpta eſt, reliqua ſigna in caſtris relinquebantur. C. Marius in ſecundo conſulatu aquilam tantum in exercitu retinuit: reliqua illa ſigna ne in caſtris quidem eſſe voluit. Hic aliquis interroget: ſi lupi, minotauri, equi, apri, vetera manipulorum ſigna, tolluntur; quæ ſigna ſingulos manipulos anteeunt? carere enim ſignis manipulos, veriſimile non eſt: & apud Varronem lib. 4. leguntur hæc: *Manipulos, exercitus minimas manus, quæ unum ſequuntur ſignum.* Opinor, in eorum locum aquilas ſucceſſiſſe, differentes tamen ab aquila legionis ſigno, vel magnitudine, vel materia, vel utraque ſimul. nam aquilam legionis ſignum argenteam fuiſſe, indicat Cicero oratione 1. in Catilinam, & Porcius Latro in eundem, & Plinius lib. 33 cap. 3. Quamquam autem aquila legionis eſſet ſignum, tamen proprio nomine aquila, non generale ſignum vocabatur. quæ diſtinctio & hic agnoſcitur, cum ſcripſerit Galba: *Aquilæ duæ, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonii.* & in Catilinam orat. 2. *Cum tubas, cum ſigna militaria, cum aquilam illam argenteam ſcirem eſſe præmiſſam.* & Hirtius de bello Hiſpanienſi: *Adverſariorum aquilæ ſunt ablatæ tredecim, & ſigna, & faſces.* Quis enim ignorat, aquilam quoque ipſam ſignum fuiſſe, licet ſignum non appelletur? cum dixerit Ovidius lib. 5. Faſt.

Romanaque aquila ſignifer hoſtis erat.

Ut alia omittantur exempla. Aquilas tamen a ſignis diſtinguit Plinius lib. 3. cap. 3. *Aquilæ, ac ſigna pulverulenta illa; & cuſtodiis horrida unguntur feſtis diebus:* & Lucanus lib. 1.

—— Infeſtiſque obvia ſignis
Signa, pares aquilæ. ——

Et eodem libro:

Ut notæ fulſere aquilæ, Romanaque ſigna.

Quemadmodum autem primum in legione ſignum Aquila fuit, ſic a primo centurione, id eſt a primipilo, qui principem inter triarios locum obtinebat, in acie ferebatur. Valerius Max. lib. 1. cap. 5. *Aquilarum altera vix convelli a primipilo potuit.* Hic fortaſſe illud addendum aliquis putaverit, non legionem ſolum & manipulos, qui triginta in ſingulis legionibus fuere, ſed cohortes etiam, quæ (ut ait Varro) ex manipulis conſtant, ſignis uſas eſſe. nam ſi manipuli ſinguli ſua ſigna habent, quod Varronis teſtimonio probatum eſt; certe & cohortibus, quæ fiunt e ternis manipulis ſingulæ, ſua ſigna eſſe, credibile videtur. Huic opinioni ita reſpondeo; primum de cohortum

horum ſignis mentionem nullam, quod ego animadverterim, veterum in libris reperiri: deinde, ne cohortes quidem ipſas a Polybio, ubi legionem in partes tribuit, nominari: non quia cohortem ignoraret, ſed quod ordinariam non eſſe legionis partem intelligeret. tunc enim cohortes a duce fiebant, cum pugnæ tempus appropinquaret: ut Plutarchus docet in Paulli vita, & Livius quoque lib. 30. idem ſignificat, Scipione contra Hannibalem copias inſtruente. Fiebant autem e pluribus manipulis cohortes: ut eſſent cohortes haſtatorum, cohortes principum, cohortes triariorum: & ſuo loco omnes pugnarent, cohortibus inſtructi. Varro lib. 5. *Cohors ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam fit unum; ſic hæc ex manipulis copulatur cohors.* Porro, quamquam dixi eam eſſe copulatam ex pluribus manipulis, tamen ſciendum eſt, velites in manipulos, diſtributos non fuiſſe, verum ad manipulos haſtatorum, principum, triariorum æqua parte adjungi ſolitos eſſe. Quocirca manipulorum ſigna, & cohortium vexilla ſeparatim fuere, inſcriptis litteris, quibus cohortes internoſcerentur, ut ait Vegetius l. 2. c. 13. & Tacitus l. 1. his verbis: *Adſiſtentem concionem, quia permixta videbatur, diſcedere in manipulos jubet: ſic melius audituros reſponſum: vexilla præferri, ut id ſaltem diſcerneret cohortes.* Legiones autem vel milites dicuntur ſub ſignis eſſe, & ſub vexillis, ante finem legitimi ſtipendii: nam poſt licet in iiſdem caſtris, ſub vexillis tamen non eſſe dicebantur, omniumque rerum, niſi propulſandi hoſtis, onere vacabant, ſtipendio non imminuto. quod ſi domum abire vellent, licebat. Et quoniam ſextuſdecimus ſtipendii annus legitimæ militiæ finem afferebat, ut ex Polybio cognoſcitur: propterea Percennius quidam, ſeditionis in Pannonia concitator, ultra ſpatium illud retineri milites ſub vexillis apud Tacitum libro primo ita queritur: *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſævitiam centurionum, & vacationes munerum redimi, at hercule verbera, & vulnera, duram hiemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem ſempiterna: nec aliud levamentum, quam ſi certis ſub legibus militia iniretur, ut ſingulos denarios mererent, ſextus decimus ſtipendii annus finem afferret, ne ultra ſub vexillis tenerentur, ſed iiſdem in caſtris præmium pecunia ſolveretur. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acceperint, quæ poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus periculorum ſuſcipere? non obtrectari a ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hoſtem aſpici.* Idem infra: *Reſponſum eſt a concione, mandata Clementi centurioni, quæ perferret. is orditur de miſſione a ſexdecim annis, de præmiis finitæ militiæ: ut denarius diurnum ſtipendium foret: ne veterani ſub vexillo haberentur.* Infra quoque: *Vexillum inter ſe rationibus placitum, ut epiſtolæ nomine principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſena-dena feciſſent, ac retinere ſub vexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Idem in extremo fere libro: *Centeſimam rerum venalium, poſt bella civilia inſtitutam, deprecante populo, edixit Tiberius, militare ærarium eo ſubſidio niti: ſimul imparem oneri remp. niſi viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur.* ita proximæ ſeditionis male conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorum finem expreſſerant, in poſterum abolita.

XII. Kal. Maji] Malim, XVI. *Kal.* ut poſtridie, quam geſta res eſt, ſcripſerit Galba: quod veriſimile videtur. nam, ſi XII. Kal. id eſt qua triduo poſt prœlium ſcripſiſſet; omnino aliquid de Panſæ vulneribus, ipſoque Bononiam delato, cognoviſſet, & Ciceroni ſignificaſſet. nam Hirtius poſtea, cum Antonii caſtra oppugnaret, occiſus eſt.

EPISTOLA XXXI.

C. *Aſinius Pollio*] Cæſar, Parthicum bellum cogitans, & magiſtratus per triennium creavit, & provinciis rectores dedit, & aliis quidem alios, Hiſpaniis vero duabus duos, Lepidum citeriori, Aſinium ulteriori. Aſinius, vivo adhuc Cæſare, in provinciam ivit. Lepidus ad urbem manſit.

poſt Cæſaris necem, ubi Antonium, Lepidum, Octavianum conjunctos vidit, ad eorum partes cum duabus legionibus ſe contulit, primum fortunam ſecutus, deinde amicitia quoque permotus Antonii, triumphaſſe cum de Parthinis, quos in Macedonia Plinius, in Epiro Strabo, in Illyrico Stephanus, verbo potius quam re diverſi, collocant, ex faſtis Capitolinis intelligitur. Valuit eloquentia, orationeſque ſcripſit multas: quarum has Quinctilianus nominat, pro Urbiniæ heredibus lib. 4. & Tacitus & Cariſius: pro Scauri filio, lib. 6. pro Liburnia, lib. 9. pro Aſprenate, lib. 10. Ejuſdem inventionem & diligentiam laudat lib. 10. duobus locis, & lib. 12. ſuis orationibus inſeruiſſe veterum Poetarum verſus, ait idem lib. 1. & 9. Dictum eſſe omnium horarum hominem, quod ſeriis jociſque pariter accommodatus eſſet, lib. 6. In Livio deprehendiſſe Patavinitatem quandam, lib. 1. & 8. Triſtem & jejunum in dicendo habitum eſſe, lib. 10. Inſectatum eſſe pluribus locis, etiam inimice, vitia orationis Tullianæ, idemque filium ejus feciſſe, lib. 12. Suſcepiſſe ante quæſtoriam ætatem graviſſima judicia, in eodem libro. Ejus compoſitionem Seneca lib. 16. epiſt. reprehendit his verbis: *Compoſitio Ciceronis una eſt, pedem ſervat, curata, lenta, & ſine infamia mollis: at contra Pollionis Aſinii ſalebroſa & exſiliens, &, ubi minime exſpectes, relictura: Denique apud Ciceronem omnia deſinunt, apud Pollionem cadunt.* Idem lib. 1. de Tranquillitate vitæ, ait, Pollionem Aſinium, magnum oratorem, duas poſtremas diei horas, undecimam, & decimam, quieti dare ſolitum, ſic, ut ne epiſtolas quidem legeret, ne quid novæ curæ naſceretur. Eundem lib. 1. Suaſoriarum, infeſtiſſimum famæ Ciceronis permanſiſſe, auctor eſt. Idem in eodem libro verba recitat ex Aſinii hiſtoria de Cicerone. Tacitus in dialogo de Oratoribus numerat eum inter Ciceronis æquales, eloquentia præſtantes. & addit, vixiſſe ad extremum pæne Auguſti principatum: accuſatum præterea a Calvo oratore. durum & ſiccum in oratoribus fuiſſe: numeroſum, contra quam Seneca ſenſit, cujus teſtimonium jam recitavimus: accuſaſſe M. Catonem XIX. ætatis anno. Scripſit & contra maledicta Antonii, ut lib. 1. Cariſius ait. Valerius autem de eo ſic lib. 8. cap. 14. *Aſinius Pollio, non minima pars Romani ſtyli, in tertio hiſtoriarum ſuarum libro, centum & triginta annos Arganthonium Gaditanum expleviſſe commemorat, & ipſe numeroſa vivacitatis haud parvum exemplum.* Vellejus l. 2. *Aſinius Pollio, firmus propoſito, & Julianis partibus fidus, Pompejanis adverſus, exercitum Antonio tradidit.* Et infra: *Non prætereatur Aſinii Pollionis factum & dictum memorabile; namque, cum ſe poſt Brundiſinam pacem continuiſſet in Italia, neque aut vidiſſet umquam reginam, aut poſt enervatum amore ejus Antonii animum, partibus ejus ſe miſcuiſſet, rogante Cæſare, ut ſecum ad bellum proficiſceretur Actiacum, Mea, inquit, in Antonium majora merita ſunt, illius in me beneficia notiora. itaque diſcrimini veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris.* Primus bibliothecam de manubiis Romæ publicavit, & in ea M. Varronis imaginem viventis poſuit. Plinius libro 7. cap. 30. & libro 35. cap. 2.

Saltus Caſtulonenſis] Plinius lib. 3. cap. 136.

Pag. 136. *Ne movear ejus ſermonibus*] Non dubito, quin hoc de Antonio civile bellum ſuſcitante, & jam Mutinam obſidente, dicar. infert enim: *Natura mea, & ſtudia trahunt me ad pacis & libertatis cupiditatem.* Et poſt: *ſi id agitur, ut poſtea in poteſtate omnia unius ſint; quicumque is eſt, ei me profiteor inimicum.* Reſpondet ad Ciceronis epiſtolæ partem.

Inviſus mihi] Nunc inviſus, quia reip. partibus infenſus, antea vero amicus. epiſt. 33.

Nullius partis] Feciſſem libenter, ut civilibus armis me non immiſcerem: ſed veritus ſum, ne, utra pars viciſſet, male mecum ageretur, cum in utraque magnos inimicos haberem.

Ea caſtra fugi] Pompejana. Affuiſſe Aſinium Pharſalico prœlio, & poſt in Hiſpania cum Cæſare, Suetonius auctor eſt.

Fugo]

Fugi] Metum indicat: quo ſit major excuſatio.

Inimici] Tacitus in dialogo de oratoribus, accuſatum ab adoleſcente Aſinio, annos XIX. nato, M. Catonem, teſtatur. hic igitur fortaſſe Catonem dicit. Vel de Labieno intellige, qui Pollionem accuſaverat. Quinctil. lib. 5. cap. 20.

Quo minime volebam] Callide oſtendit ſe faviſſe Pompejo potius, cum quo Cicero fuit, quam Cæſari pro ſua potentia contra remp. pugnanti; ſed inimicorum metu Pompeji caſtra fugiſſe.

Modo] Paulo ante. Et hoc indicare videtur, Aſinium in præſidiis Cæſaris fuiſſe non ad ductum illius amicitia, cui modo co[illegible]s eſſet, verum inimici metu co[illegible]m.

Invidia] Odium. epiſt. 1. lib. 1.

Pag. 137. *Conſules*] Antonius, & Dolabella. non enim Hirtius & Panſa ſignificari poſſunt, qui tantum ante duos menſes conſulatum inierant, nec multo poſt ad eum Panſa litteras miſit. loquitur autem Aſinius de toto tempore poſt idus Martias, id eſt poſt Cæſaris necem.

A Panſa] Conſule, profecto ad Mutinam obſidione liberandam ejus collega Hirtio: quem aliquanto poſt, delectus habendi gratia detentus, Panſa ſecutus eſt.

Invito illo] Præerat enim Lepidus Hiſpaniæ citeriori, & (ut ſcripſit Dio) Narbonenſi Galliæ: quod etiam confirmatur epiſt. 33.

Retinentur] Epiſt. 33.

Corduba] In Bætica Hiſpania. patria fuit utriuſque Senecæ, & Lucani Poetæ.

Quantas contentiones habuerim] Lector intelligens dijudicet, utrum, *Conciones*, ut eſt in omnibus meis antiquis libris, an, *Contentiones*, ut olim ſcriptum vidi in Pauli Boti Regienſis libro, legi oporteat. Si *Contentiones* retinemus, hic erit ſenſus: quam vehementer Lepidus & Antonius literis a me contenderint. quod ſequentis epiſtolæ teſtimonio comprobatur, in qua eſt: *Lepidus urſit me & ſuis, & Antonius litteris, ut legionem trigeſimam mitterem ſibi.* Sin autem, *Conciones*, placet: vehementes litteras, quales conciones ad populum, vel ad milites ſunt, interpretemur. quod tamen paullo durius videtur: niſi ſi ferendum in Aſinio: cujus orationem duram fuiſſe Tacitus auctor eſt.

Pag 138. *Familiarem meum*] De quo ſcripſerat Cicero. poteſt eſſe Cornelius Gallus, quem in epiſt. ſeq. idem Aſinius familiarem ſuum appellat.

Opinione tua] Simile illud epiſt. 24. lib. 14. *Opinione celerius venturus eſſe dicitur.* Et in Bruto: *Opinione omnium majorem animo cepi dolorem.*

Quæres, quanti æſtimem, ſi unquam licuerit vivere in otio, experieris] Obſervanda quædam in Latina lingua, quæ leporem & venuſtatem habent, cum tamen & ornatu verborum careant, & ſententia non admodum exquiſita ſit. ex eo genere videtur hoc exemplum Aſinii. in quo ineſt concinnitas quædam, & ſpecies duobus modis. primum quod quaſi interrogetur, ſententiam inducit: deinde, quod altero membro ſatisfacit. Tale illud Ciceronis epiſt. 15. ad Att. lib. 4. *Quæris nunc de Arriuſcula. valde placuit.* Et epiſt. 4. lib. 15. *Quæres fortaſſe, quid ſit, quod ego hoc neſcio quid gratulationis & honoris a ſenatu, tanti æſtimem. Jam jam tecum familiariter, &c.* Cœlius quoque epiſt. 11. lib. 8. *Ser. Ocella*, inquit, *nemini perſuaſiſſet, ſe mœchum eſſe, niſi triduo bis deprehenſus eſſet. quæris, ubi? ubi hercules ego minime vellem.*

Ut nunc eſt] Ut nunc quidem, pro ſtatu rerum, in animo habeo. caſus autem ſæpe cogit mutare conſilium. epiſt. 28. ad Att. lib. 12. *Quæ ſi manebunt, quærenda eſt excuſatio ad Brutum; &, ut nunc eſt, manſura videntur.*

EPISTOLA XXXII.

Pag. 139. BAlbus] Gaditanus, filius fratris L. Cornelii Balbi, pro quo extat Ciceronis oratio. Balbus minor, ut diſtinguatur a patre, dicitur epiſt. ad Attic. 9. lib. 8. & ad eundem in eodem libro epiſt. 11. & epiſt. 6. ad eundem lib. 9. De hoc Plin lib. 5. c. 5. *Omnia*, inquit, *armis Romanis ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata, uni omnium*

omnium externe curru, & Quiritium jure donato: quippe Gadibus nato civitas Romana cum Balbo majore, patruo, data eſt. quibus verbis error eorum refellitur, qui non hunc, ſed ejus patruum Gadibus natum putant.

De publicis exactionibus] Quod quæſtoris erat munus.

Duxit ſe a Gadibus] Sic Terentius in Hecyra *Uxor, ubi me ad filiam ire ſenſit, ſiduxit foras.* Et Plautus in Aul. *Ego me acervum duco de arbore.* Et in Bacch. *Duc te ab adibus.*

Ad Calpen] Hiſpaniæ mons extimus, Africæ avulſus, ut ait Plinius. *Maſculina*, inquit Cariſius, *in E litteram nulla veniunt, neque feminina, niſi peregrina talia, Cretalo, Eryphilo, Calpe.*

Bogudu] In Mauritaniam. hunc regem nominat in libro de bello Alexandrino Hirtius, vel Oppius.

Bene peculiatus] Magno inſtructus peculio. non eſt idem, quod *Bene nummatus.* nam auri argentique pondus nummorum nomine non continetur, ſed peculii, quod latius patet.

Qua C. Caſar] Fecit Balbus Gadibus, in qua urbe natus erat, eadem, quæ C. Cæſar Romæ fecerat.

Summo] Ultimo.

Anulo aureo] Quem qui non habebat, eques Romanus non erat, nec in quattuordecim gradibus in theatro ſedebat. viſus eſt igitur Balbus hiſtrionem ita velle equitem creare, ut Cæſar Laberium, cui videbatur, coacto agere mimum ſuum, honorem equeſtris ordinis ademiſſe, rurſus equitem, donatis D millibus nummum, & anulo aureo, creaverat. Suetonius, & Macrobius.

Tot enim fecerat ordines equeſtris loci] Theatri Romani conſuetudinem imitatus. nam in quattuordecim proximis gradibus lege Roſcia equeſtris ordo ſeparatim conſidebat. Asconius: *L. Roſcius Otho legem tulit, ut in theatro equitibus Romanis quattuordecim ordines ſpectandi gratia darentur.* idem epitome Liviana, idem alii. quod ignoraſſe Macrobius videtur, cum, Laberii dictum in Ciceronem referens, in quattuordecim & ſenatores conſediſſe, lib. 7. ſignificat. ſedebant enim in orcheſtra, non in quattuordecim gradibus: ut e Cicerone, Suetonio, Juvenale colligitur.

Pag. 140. *Quattuorviratum*] Qui ſummus in municipiis magiſtratus erat, ut Romæ conſulatus. erat autem municipium Gades.

Sibi] Eodem igitur tempore & quæſtor erat populi R. & quattuorvir in patria ſua.

Prorogavit] Cæſaris exemplo, qui ſibi dictaturam prorogaverat.

Comitia] Gaditanorum magiſtratuum.

Biennii] Iturus contra Parthos Cæſar, magiſtratus in tres annos creavit. quod ſupra diximus.

Renunciavit] Romæ ſequentis anni conſules renunciabantur a conſule. vide initium orationis pro Murena. idem fecit Gadibus Balbus.

Quos ei viſum eſt] Et Cæſar conſules in annos ſequentes duos creaverat, Hirtium & Panſam, Plancum & D. Brutum.

Exſules reduxit] Et Cæſar omnes fere lege Pompeja damnatos. lib. 3. de bello civ. & Phil. 13.

Senatus] Decuriones Gaditani. is enim erat ſenatus in municipiis.

Sex. Varo procos.] Qui tamen conſul non fuerat. Sed proconſules appellari eos quoque ſolere, qui poſt præturam in provincias irent, ſupra diximus. Quis hic Varus fuerit, aſſequi divinando non licet. Accium quidem Varum, de quo ſcripſit Oppius, aut Sex. Quinctilium Varum, de quo Cæſar, conſtat eſſe non poſſe: nam Accio prænomen Publio fuit. Quinctilium autem in Hiſpania fuiſſe, cum honore præſertim, ſcripſit nemo. jam illud me movet, quod Quinctilius civili proximo bello interfuerat: hic autem de tempore ſatis longinquo loquitur Aſinius, cum ait. *Non horum temporum, ſed illorum.* Vari cognomen a Cruribus derivatum, auctor eſt Plinius lib. 11. cap. 45.

Prætextam] Fabulæ genus, in qua, Romano argumento, prætextati viri, id eſt, magiſtratus, inducebantur. unde Horatius in Arte Poetica:

Et qui prætextas, & qui docuere togatas.

Infra

Infra vero: *Prætextam, ſi voles legere, Gallum Cornelium poſuito.*

De ſuo itinere ad L. Lentulum ſollicitandum] L. Cornelius Lentulus conſul primo belli civilis anno Pompejum ex urbe fugientem ſecutus eſt, & cum eo poſt in Græciam tranſiit. ad eum Balbus minor, ante quam ex Italia diſcederet, cum litteris, cum mandatis, cum promiſſione provinciæ, ſi Romam reverteriſſet, a Cæſare miſſus eſt. ep. 9. & 11. ad Atticum lib. 8. & ad eundem epiſt. 6 lib. 9. Vellejus autem lib. 2. tranſiiſſe in Græciam Balbum, & cum Lentulo conſule ſæpe collocutum, tradidit.

Poſuit] Agenda dedit.

Gladiatoribus] Obſcurior ſententia mutandi libidinem attulit. quod aliis quoque locis eveniſſe nimium ſæpe animadverti. oſtendamus igitur & breviter, & aperte, quid ſignificare voluerit Aſinius. ac primum illud ſciendum, gladiatorum & ludum fuiſſe, ubi rudibus, id eſt virgis, apud laniſtas, eorum magiſtros, exercerentur, & certamen, in quo gladiis pugnabant, ad oblectationem populi. Et, cum in veterum ſcriptis legimus, *Gladiatoribus*; quod Ciceronem legentibus occurrit, ut epiſt. 19. lib. 2 ad Atticum & Phil. 1. non ludus, ſed certamen ipſum indicatur. Fadius bis gratis depugnaverat, non gladiatoribus, ſerio, & periculoſo certamine, ſed in ludo, id eſt, nullo vitæ diſcrimine, at Balbus pugnare cum auctore ſeſe, non in ludo, ſed gladiatoribus, volebat. quod Fadium recuſaſſe, quis miretur? Sententiam patere jam arbitror: nunc ſingula verba perpendamus.

Pag. 141. *Militem Pompejanum*] Pugnaverat igitur contra Cæſarem. Balbus autem Cæſarianarum erat partium: ex quo illi Pompejanos omnes odio fuiſſe, veriſimile videtur: itaque Fadii vitæ non parcebat.

Depreſſus in ludum] Depreſſus ab iis, qui ludicram gladiatorum pugnam animi cauſſa ſpectabant. Qui, *Deprehenſus*, legunt, quam apte conjungatur cum eo, quod ſequitur, *In ludum*, non attendunt.

Gratis] Nulla mercede.

Depugnaſſet] Ludicra tamen pugna. nam hoc verbum ad ludicra etiam accommodatur. Lampridius in Commodo: *Rudibus inter cubicularios gladiatores in arena depugnavit.*

Auctore ſeſe] Quæſtore. emphaſis quædam ex parte Balbi: nec abeſt Aſinii ſcribentis indignatio: quaſi ita perverſo pravoque Balbus eſſet ingenio, ut ſibi, etiam iniqua jubenti, parere homines vellet, recuſanteſque ulciſceretur. *Auctorari*, pro, *Auctore*, placet quibuſdam, alucinantibus in ſententia, nec videntibus, hic ſermonem haberi de ſeria gladiatorum pugna; quod verbo, *Gladiatoribus*, declaratur: *Auctorari* autem ſervile verbum eſſe, cum auctione veneunt, qui ſervitutem ſerviunt. quo reſpexit Plinius, cum dixit lib. 36. cap. 15. *Gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens*, id eſt, ſua ſtultitia ſervientem magis, quam gladiatores ipſi, libertatis expertes: qui eum auctorati eſſent, id eſt, in ſervitutem empti, imperio domini, vel cum vitæ periculo, parere cogebantur. Gladiatoribus libertos quoque interdum pugnaſſe, qui venalem ſanguinem haberent, auctor Livius lib. 28.

Defodit in ludo] Ut pars obrueretur humo, pars ſupra terram emineret, cujuſmodi exemplum a Carthaginienſibus editum, Cato ſenior prodidit. *Homines*, inquit, *defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumpoſuerunt, ita interfecerunt.* Gellius.

Nudis pedibus] Contra morem Romanum. calceis enim in publico, domi ſoleis utebantur. Fecit igitur Balbus indecore, cum in publico, in magna populi multitudine, quæ ad gladiatorium ſpectaculum convenerat, nudis pedibus, præſertim qui eſſet quæſtor, inambularet.

Tunica ſoluta] Quod inuſitatum, ideoque laſciviæ cujuſdam, ſuperbiæve argumentum. cincti enim tunicam ſolitam eſſe, oſtendit Horatius, cum ait:

Diſcincta tunica fugiendum eſt, ac pede nudo.

Quiritanti] Nonius: *Quiritare*, eſt

 clama-

clamare, tractum ab iis, qui Quirites invocant.

Civu Romanus ſum] Vſitata vox opem implorantium civium Romanorum, quibus, in externis præſertim locis, injuria fieret. In Verrem: *Cervices in carcere frangebantur indigniſſime civium Romanorum: ut etiam illa vox, & illa imploratio, Civis Romanus ſum, qua ſæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros & ſalutem tulit, ea mortem illis acerbiorem & ſupplicium maturius ferret.* Et alio loco in eundem: *Nulla vox audiebatur, niſi hæc, Civis Romanus ſum.* In pleriſque & recentioribus, & antiquis libris legitur, *Civis Romanus natus ſum.* verbum tamen, *Natus*, induxi olim, auctore Hieronymo Ferrario, comprobante præſertim ejus conjecturam vetere libro, quo nunc etiam utor.

Pag. 142. *Populi fidem implora*] Quia Fadius, cum pugnare nollet, ad populum confugerat.

Circulatorem quendam auctionum] In circulis auctionari ſolitum.

Hiſpali] In Hiſpania ulteriore, Bætica dicta, cui præerat Aſinius, jurndici conventus quattuor fuere, Gaditanus, Cordubenſis, Aſtigitanus, Hiſpalenſis. Plinius libro tertio cap. 1. hodie Sivilia.

Quod præſtat] Quod pluris, quam de Balbo agere.

Denarios quingenos] Quot Octavius dedit veteranis. epiſt. 7. ad Atticum lib. 16. *Veteranos perduxit ad ſuam ſententiam: nec mirum: quingenos denarios dat.* Ratione ducta, fiunt ſcutati noſtrates fortaſſe triginta ſex. [Sed nimia videtur ſumma, itaque ex vetuſto codice Vincentii Riccii, *denarios quinquagenos* emendavi. Hæc in ſuis ſcholiis Manut. ad hunc locum.]

Pag. 143. *Singula quadam cohortes*] Non tota ſimul legio, ſed cohortes quædam, ſejunctæ ab aliis cohortibus.

Trigeſimam] Epiſt. 31.

Quod juſſiſtis] Acceperat igitur literas a Panſa conſule, ſenatus juſſu ſcriptas, poſt illas, quibus idem Panſa, ut eſt in ſuperiore proxima epiſtola, tantum hortatus erat, ut ſenatui ſcriberet, ſe, & exercitum in ejus poteſtate futurum. Miſſum ad Aſinium S. C. non opinor, ob illa ſequentis epiſtolæ verba: *Utinam eodem S. C. quo Plancum & Lepidum in Italiam accerſiſtis, me quoque juſſiſſetis venire.* Quod infra quoque ſignificare videtur ipſe, cum ait: *Reſpub. ſi me noviſſet, & major pars ſenatus; majores ex me fructus tuliſſet.* id eſt, ſi me in Italiam venire S. C. juſſiſſetis.

Gallum Cornelium] Opinor hunc eſſe Cornelium Gallum Poetam, quem Virgilius nominat in Bucolicis: & Dio lib. 53. quod in Auguſtum male animatus videretur, cum tamen ab eo, poſt Antonium Cleopatramque devictos, Ægypto præpoſitus eſſet, damnatum a ſenatu, ipſum ſibi manus attuliſſe tradit, quod Servius quoque ſignificat. De hoc & Ammianus Marcellinus lib. 17. his verbis: *Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti procurator, exhauſit civitatem, pluximis interceptis: reverſuſque cum furtorum arceſſeretur, & depopulata provincia, metu nobilitatis acriter indignata, cui negotium dederat imperator, ſtricto incubuit ferro.* is eſt, ſi recte exiſtimo, Gallus Poeta, quem flens quodam modo in poſtrema Bucolicorum parte Virgilius carmine leni decantat. Euphorianum, Græcum Poetam, in Latinum convertit. Quinctilianus duriorem ait in elegia fuiſſe. Nonius recitat ejus hendecaſyllabum.

Durum rus fugito, & laborioſum.

Si tamen locus mendo vacat. nam Calvo eundem verſum tribuit Gellius: & Calvi hendecaſyllabi ab aliis quoque, Galli vero non hendecaſyllabi, ſed elegiæ nominantur. Gallum, cognomen præpoſitum eſſe nomini, non mirabitur, qui legerit ea, quæ diximus ep. 8. lib. 2.

EPISTOLA XXXIII.

Pag. 144. RETinuit] Epiſt. 31.

Sed illis, qui prodeſſe nihil poſſunt, neque mederi] Non mihi, qui prodeſſe aliquid poſſum: itaque maturius audire voluiſſem. Hic [illegible] dubitationis quiddam affert omnium librorum veterum, quos ipſe viderim,

con-

contenſus: habent enim, *Nequeo mederi.* mihi tamen omnino magis probatur, *Neque mederi:* ſive ſit ex ingenio, ſive ex aliquo antiquo libro.

Non accepiſſet reſp. hoc vulnus] Vel quia ipſius exercitu ad reip. partes addito, facilior & minus calamitoſa victoria fuiſſet: vel quia, bellum ut componeretur, operam dediſſet. quam voluntatem infra oſtendere videntur illa verba: *Ita feſtinavit uterque confligere, tamquam nihil pejus timerent, quam ne ſine maximo reip. detrimento bellum componeretur.*

Siqui latantur] Pompejanarum partium, & reip. ſtudioſi.

Duces] Duces perierant Hirtius, Panſa, Aquila: qui licet ad Mutinam contra Antonium pro rep. pugnaſſent, duces tamen antea fuerant Cæſaris partium: ut iis, excepto tamen Aquila, (nam is conjurationis in Cæſarem particeps fuerat) boni cives, qui Brutis & Caſſio, id eſt libertati favebant, non omnino confiderent. & ſane apud Appianum Panſa moriens hortatur Octavianum, ne oblatam dominandi facultatem amittat, neve Pompejanis in poſterum credat.

Veterani Cæſaris partium] Nam duæ Hirtii legiones, Quarta, & Septima, & Martia, quæ, relicto Antonio, partes reip. prætulerat, & evocati a Cæſare ad ſeſcente milites ex coloniis, & Antonii legiones tres, diu cum C. Cæſare meruerant.

Vaſtitatem Italiæ] Solitudinem Italiæ, robore & ſobole militum orbatæ. unde *Vaſtitas judiciorum*, in Bruto: *Vaſtum forum*, pro Sextio: & apud Feſtum Attius: *Hanc urbem ferro vaſtam faciet.* Pro, inane forum, inanem urbem. Virgilius lib. 8. Æn. *Vaſtant cultoribus agros.* id eſt, abductis cultoribus, desertos agros relinquunt. Alibi *Vaſtum* eſt magnum, ab eo, quod inania latiora videntur, quam plena, oculis objecta re nulla.

Reſpexerint] Proprie, quaſi de re non animadverſa: cum ad victoriam tantum gaudio præpediti nimio adſpexerint.

Et robur, & ſoboles militum] Et qui fortes ipſi erant, & quibus gigni fortes poſſent. *Soboles* enim eſt quaſi nova ſtirps, poſt aliam enata. & filii *ſoboles* dicuntur: ut lib. 3. de Leg. *Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniasque cenſento.* Et lib. 1. Off. *Sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. quæ propagatio & ſoboles, origo eſt rerumpubl.* Virgilius lib. 4.

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles. ——

Omnem cunctationem ejus diſcuſſiſſem] Effeciſſem, ne Lepidus in ſuſcipienda reip. cura cunctaretur. ſic locutus & Valerius Max. lib. 3. cap. 2. *Cunctatione bonorum civium diſcuſſa, Gracchum, quas merebatur, pœnas perſolvere coegit.* Diſcutere advocationem, cædem, caliginem, captiones, Cicero dixit, alii alia.

Similes] *Similis*, habent veteres libri; quod idem eſt: vel, *Simul:* quod mendoſum videtur. Similes autem concionibus Narbone habitis Lepidi litteras dicit.

Pag. 145. *Palmarer*] Sic video eſſe in omnibus antiquis libris: & ita ſcriptum arbitror a Pollione. nam, licet hoc verbum alibi fortaſſe nuſquam reperiatur; non tamen ideo rejiciendum videtur: cum ejuſdem generis alia quoque ſint. quod ſi, quæ ſemel tantum dicta nobis occurrunt, ea mutare tamquam corrupta, & uſitata reponere conabimur: Latinam linguam, quæ paucis omnino libris conſervata, vix ad ætatem noſtram pervenit, majorem ad inopiam redigemus, maleque merebimur de ſtudiis litterarum. *Palmari* puto idem eſſe, quod *palpari*, id eſt adulari. palma enim blandimur, item ut palpo.

Prælium] Mutinenſe.

Raperent in contrariam partem] Secus interpretarentur, meque dicerent in Italiam veniſſe, non ut reip. ſed ut oppugnanti remp. Antonio opem ferrem. Terentius in prologo Adelph. ita locutus: *Poſtquam Poeta ſenſit ſcripturam ſuam ab iniquis obſervari, & adverſarios rapere in deteriorem partem, quam acturi ſumus.*

Pag. 146. *Quæ mihi cum Antonio fuit*] Vellejus lib. 2.

Non major tamen, quam Plance] Mecum, inquit, agatur iniquiſſime, ſi propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio fuit, durius quidquam homines de me ſuſpicentur: cum eundem Antonium haud minus, quam ego, dilexerit Plancus: cui tamen vos confidere cognovi, accerſito ſimul cum Lepido in Italiam, ut Antonium bello perſequerentur. Dolet, melius erga remp. animatum inimicum ſuum exiſtimari. Inimicitias, aut certe ſimultatem, ut credam jam tunc fuiſſe inter Aſinium & Plancum, adducor iis, quæ ſcripſit Plinius in præfatione librorum ſuorum ad Veſpaſianum.

Uterque] Antonius, & Panſa. vide epiſt. 30.

Ex Gallia Lepidi] Ea Galliæ ciſalpinæ parte, per quam viam duxit M. Æmilius Lepidus conſul anno DLXVI. quæ ab eo nomen accepit.

Ex vulneribus] Epiſt. ad M. Brutum: *Hirtius in ipſa victoria occidit, cum paucis diebus magno prælio ante viciſſet. nam Panſa fugerat, vulneribus acceptis, quæ ferre non potuit.* Creditum eſt, venenum vulneribus infuſum Glyconis medici opera. M. Brutus in epiſt. ad Ciceronem: *Tibi Glycona, medicum Panſæ, diligentiſſime commendo. audimus eum veniſſe in ſuſpicionem Torquato de morte Panſæ, cuſtodirique ut parricidam.* Tacitus lib. 1. *ubi decreto patrum, fasces, & jus prætoris invaſerit, cæſis Hirtio & Panſa, (ſive hoſtis illos, ſeu Panſam venenum vulneri adfuſum, ſive milites Hirtium & machinator doli Cæſar abſtulerat) utriuſque copias occupaviſſe.* Suetonius in Auguſto: *Cum Hirtius in acie, Panſaque poſt ex vulnere, periiſſent, rumor increbruit, ambos opera eius occiſos: ut, Antonio fugato, rep. conſulibus orbata, ſolus victores exercitus occuparet. Panſæ quidem adeo ſuſpecta mors fuit, ut Glyco medicus cuſtoditus ſit, quaſi venenum vulneri indidiſſet.*

Mortuum] Mortuus eſt Bononiæ. Appianus lib. 2.

Pag. 147. *Carſuleium*] Quem Hirtius & Octavianus cum legione Martia Panſæ obviam miſerant. Appianus *Carſuleium* nominat. veteres libri varie, *Carſulenum, Carſuleum, Caſuleum, Carſulenium, Carſulerium, Curſulenum*, habent.

Hirtiano] Cum Panſa primum, deinde, eo victo, cum Hirtio pugnavit Antonius, & victus: poſtremo, Hirtius ipſe, cum oppugnaret Antonii caſtra, interiit.

Quartam] Cum de cæſis Antonii legionibus mentio fiat; Quarta vero non Antonii, ſed Hirtii fuerit, qui, ut in Phil. 14. legitur, eduxit e ſuis caſtris contra Antonium & Quartam, & Septimam; & hic ſtatim Hirtii Quarta nominetur, ſuſpicari de mendo facile poſſum: & fortaſſe pro *Quarta* legendum, *Secunda*, non magna mutatione: nam IV. & II. non admodum differunt. Secundam autem cum Antonio fuiſſe, patet Galbæ epiſt. 30. & Phil. 5.

Et omnes] Duas reliquas, Quinctam, & Trigeſimam quinctam.

Hirtium quoque periiſſe] Incertum, ab hoſte, an ab Octaviano interemptus.

Pontium Aquilam] Unum ex percuſſoribus Cæſaris, legatum hoc tempore D. Bruti: qui T. Munatium Plancum, Antonii ducem, paullo ante prœlio vicerat: ut eſt in Phil. 13. & apud Dionem libro quadrageſimo ſexto. Hic eſt (opinor) quem ſcribit Suetonius, triumphanti Cæſari, & ſubſellia tribunicia prætereunti, unum e collegio non aſſurrexiſſe: quod adeo Cæſarem indignatum, ut proclamaverit, Repete ergo a me Aquila remp. tribunus; nec deſtiterit per continuos dies quidquam cuiquam, niſi ſub hac exceptione polliceri, ſi tamen per Pontium Aquilam licuerit. Fuerat in partibus Cæſaris civili bello ſuperiore. ut is docet, qui de bello Africano librum ſcripſit. Periit in eadem pugna cum Hirtio: & honores mortuo decreti. epiſt. ad M. Brutum: *Effudi, ſitta vis, honores in mortuos Hirtium, & Panſam, Aquilam etiam.* Et Dio lib. 46. *Aquilam in pugna caſum ſtatua decorarunt; & quam e ſuis bonis D. Bruti militibus pecuniam dederat, ejus heredibus reddiderunt.*

Habere equitum] Numerus equitum deſideratur in omnibus antiquis libris, præter unum minime recentem, in quo eſt, *Equitum* v. id eſt, quinque milia. nam

nam veteres numerorum notæ, ducta ſupra linea, millia ſignificant. eam vero lineam ſæpe a librariis omiſſam eſſe, ignorat nemo. Equitatum ideo ſervavit incolumem Antonius, quia caruit equitibus Hirtius, & Germanos Cæſaris equites ad Antonium paullo ante prœlium transfugiſſe, Dio ſignificat.

Legiones ſub ſignis armatas tres] Falſum. vide epiſt. 34. & lib. 11. ep. 10. *Sub ſignis autem*, pro non paſſim, ſed ordinatim. Lucretius:

— *Multa virum ſub ſignis millia ducta.*

Tacitus libro 17. *Subſignanum militem* vocat. Idem libro 18. *Quingenti Pannonii nondum ſub ſignis.*

P. Vagieni] Sic probo, ex Maffeorum libro, quo etiam olim ſum uſus. reliqui omnes, *Pupilli*, non *Publii*. idem liber, *Vageenti*.

Inermes bene multos] Epiſt. 34. & lib. 11. epiſt. 10.

Ventidium] Epiſt. 17. 18. 34. & l. 11. epiſt. 10.

Septima] Fortaſſe aliter legendum: nam ſeptima cum Hirtio fuit. Phil. 14.

Pag. 148. *Deſcenſurum ad extrema*] Epiſt. 1. lib. 11. *Ad noviſſima auxilia deſcendemus.* Et epiſt. 17. ad Att. l. 9. *Si ſibi conſiliis noſtris uti non liceret uſurum quorumvis poſſet, ad omniaque deſcenſurum.*

Servitia] Ergaſtula ſolvit Antonius epiſt. 1 . libro 11.

Parmam direptam] A L. Antonio. Philip. 14.

L. Antonium] Marci fratrem, qui tribunus pl. fuerat anno ſuperiore.

Aut nomen denique] Ne cum imperio nomen etiam ipſum exſtinguatur.

Confluant ad eum] Tranſlatio a conjunctis fluminibus. epiſt. ſeq. *Ab confluente Rhodano caſtra movi.* ſic in oratione pro Plancio, *Ad nos pleraque cauſſa confluunt.* Et Tuſc. 2. *Si ad hæc ſtudia plures confluxerint.*

Neque ſupereſſe reip.] Neque vivere poſt interitum reip. Gellius lib. 1. c. 22. *Supereſſe* invenimus dictum pro *Superſtitem eſſe*. ita enim ſcriptum eſt in libro epiſtolarum M Ciceronis ad L. Plancum, in epiſtola M. Aſinii Pollionis ad Ciceronem, his verbis: *Neque deeſſe reip. volo, neque ſupereſſe.* Et Plautus in Aſin. *Tuum vis unicum gnatum tuæ ſupereſſe vitæ ſoſpitem & ſuperſtitem.*

EPISTOLA XXXIV.

Pag. 149. M. *Lepidus*] Æmiliæ generis: qui cum Cæſare conſul fuerat, & eo interfecto, pontifex max. in ejus locum a ſacerdotum collegio, Antonii conſulis opera & ſtudio, ſuffectus eſt Dio lib. 44.

Imp. iterum] Bis igitur a militibus, ob duas victorias de hoſtibus relatas, imperator appellatus erat: proptereaque ſenatus abſenti triumphum decrevit. vide Phil. 13. in qua item oratione *imperator iterum* dicitur. [In ſcholiis juvenilibus acriter tuetur his uſus argumentis, quæ refutat P. Victorius in nota quæ huic epiſtolæ eſt ſubjecta Ideoque & Manutii ſcholion, quod poſtea repudiavit ipſe, his ſubnectimus: In codice Vincentii Riccii, & in aliis legitur, *Imperator ter*, id eſt tertium: quomodo etiam dicebatur, *Conſul tertium*. ſed ſive, *iterum*, ſive, *tertium*, legas, mihi tamen de loci integritate certum non eſt. nam quod alii dicant in titulis & monumentis ſolitos fuiſſe veteres notare, quoties a militibus ob rem bene geſtam imperatores eſſent appellati, ſane id aſſentior, ſed factum eſſe antequam Auguſtus Rempublicam opprimeret, nondum comperi.]

Provinciam meam] Vellejus lib. 2. ita ſcriptum reliquit: *Lepidus Pont. Max. in locum Cæſaris furto creatus, decreta ſibi Hiſpania adhuc in Gallia morabatur.* Sed ex ipſius Lepidi verbis, & ex Aſinii proxima ſuperiore epiſtola cognoſcitur, Galliæ Narbonenſi Lepidum præfuiſſe dubitationem Dio tollit: nam libro 43. mandatam Lepido a Cæſare narrat & Galliam Narbonenſem, & ei finitimam Hiſpaniam.

Ab confluente Rhodano] Ab eo loco, ubi confluere incipiunt Arar & Rhodanus. Livius libro primo: *Ad confluentes collocat caſtra.* Vnus omnino vetus liber, *Ab confluente ab Rhodano*: reliqui nullo diſcrimine, *ab confluente Rhodano.*

Ad forum Vocontium] Malim, *Ad forum*

forum Voconium, vel *Voconii* : quod a Plinio nominatur libro 3. cap. 4. & hic epiſt. 17. Veteres libri, *Vocontium*, *Vocontii*, *Vocatium*, *Vicontinum*, *Venticonum*, & aliter.

Pag. 150. *Ad flumen Argenteum*] Quod in provincia Narbonenſi lib. 3. cap. 4. Plinius conſtituit.

Legiones tres] Epiſt. 33.

Habebat antea] M. Antonius.

Legionem ſecundam] Epiſt. 30.

Ex reliquis] Duabus veteranis, quinta, & trigeſima quinta.

Inermorum] Pro, *Inermium*, antique. epiſt. 12. lib. 11. Et Epiſt. 14. ad M. Brutum, & Salluſtius in Iug. *Ab inermis pedibus auxilium petere*. Et Quadrigarius apud Gellium lib. 17. cap. 2.

Equitum] Equitum xxx. id eſt, triginta millia, ut in libris noſtris, linea numero ſuperducta, impreſſum eſt, olim eſſe animadverti in antiquo Vincentii Riccii libro: nunc eaſdem notas in uno Maffeiorum eſſe, in reliquis numerum equitum video deſiderari. ſed mihi tantum equitatum habuiſſe Antonium, veriſimile parum videtur.

Silanus] M. Silanns tribunus mil. in exercitu Lepidi. Dio libro 46. & epiſtola trigeſima.

Culeo] Antea præpoſitus Alpibus a Lepido. Appianus libro 3.

Contra noſtram voluntatem] Immo ex ipſius voluntate. occulte enim favebat Autonio. vide Dionem lib. 46.

Neceſſitudinis] Quæ imperatori ſolet eſſe cum ſuis militibus. nam Silanus & Culeo cum Lepido militaverant, honeſtis ordinibus præpoſiti: ut demonſtratum eſt.

Pag. 151. *Summa ſtudia officii*] Officiis inter nos pari ſtudio certavimus. Duo veteres libri, *Officii*, non habent: unus, *Summa ſtudia officio mutuo e* alius. *Summa ſtudia officii mutui*. Cicero ipſe Phil. 13. ſic de Lepido: *Magna ejus in me merita, mea quædam officia in illum.*

Proinde diligenter] Æque diligenter. nam *Proinde* interdum valet *perinde*. epiſt. 4.

Memini autem] Sic probo, ut eſt in meo vetere libro, & erat in eo, quem olim habui, a Vincentio Riccio commodatum. duo præterea, *Memini etiam*: quod non placet. reliqui, *Memini enim.*

Et illa ſuperiora] Cum ei ſtatuam equeſtrem inauratam in Roſtris ponendam cenſuit. vide Phil. 5.

Quæ Lepido digna ſunt] Emphaſis eſt in nomine, propter antiquam familiæ dignitatem. Phil. 13.

Eo ampliora] Additum eſt, *Eo*, ornatus gratia, non quod neceſſe eſſet.

Proinde] Propterea.

XII. Kal.] Sic in meis antiquis libris, uno excepto, in quo eſt, xi.

P. VICTORIVS.

Imp. iterum] Cur nonnulli hanc caſtigationem tantopere criminentur, non video: ſi caſtigatio appellari poteſt, & non potius antiqua, & ſincera lectio, fideliter, in Mediceo codice quatuor locis conſervata, & nunc in ſuam ſedem in omnibus libris reſtituta. quemadmodum enim hic ante epiſtolas ipſas bis *imp. iter.* legitur, ita etiam in indice libri bis, ubi & tituli, & initia epiſtolarum adnotantur. Cur igitur credendum eſt non negligentem omnino librarium in eadem voce ſemper peccaſſe, & eodem etiam pacto peccaſſe? In quibuſdam manu ſcriptis libris *Ter* legi, me nunquam latuit, quin explicavi unde iſtud ortum eſſet accurate. An alii hoc uſurparint ante Rempubl. ab Auguſto oppreſſam: ut quoties Imp. appellati ſint, ob rem bene geſtam, toties in titulis, monumentiſque id notari voluerint, mihi compertum non eſt. Vſurpaſſe Lepidum quamvis nullum aliud teſtimonium habeam, quam priſcorum codicum, affirmarem: nam in S.C. quod de ipſo factum eſt, & a Cicerone in oratione 5. contra Antonium poſitum, vidi antiquos libros, qui eundem hunc titulum ſervarent. Quod ſi argumentis in hujuſcemodi rebus locus eſt, quamvis a nullis antea hoc imperatoribus uſurpatum eſſet, non mirarer Lepidum leviſſimum, ac ventoſiſſimum hominem, hoc primum uſurpaſſe: ab aliquo enim hæc conſuetudo fluxerit neceſſe eſt.

Ab confluente Rhodano] Tantæ apud me auctoritatis eſt, ac merito quidem Mediceus codex, ut ſcripturam ejus nun-

quam penitus negligam, quamvis in ea, quam hic habet, macularum aliquid omnino ſit. Sic autem in illo legitur, *Ab confluente, ab Rhodano*, ut fortaſſe poſteriores duæ voces ambæ vacent: & illud *ab Rhodano* declaratio ſit priorum vocum: nam ſi tertia ſyllaba ex eo tollenda eſt, ut in impreſſis nunc eſt, *Rhodani* fortaſſe melius legeretur, ſic enim Tacit. libro 17. locutus eſt: *Confluentes Padi & Aduiæ fluminum 16. inde millium ſpatio diſtantes petebant.* Nihil certi habemus, & tamen hanc tenuem, & fortaſſe inanem animadverſionem adnotaſſe quid obfuit?

EPISTOLA XXXV.

Pag. 152. IN *civibus conſervandis*] Sic duo veteres libri, & unus præterea, quo ſum uſus adoleſcens, Vbaldini Bandinelli. Reliqui omnes, *Obſervandis*: malo, *Conſervandis*; ne civium cædes fieret. quod explanatur ſequentibus verbis: *Me tanta multitudinis civium R. ſalutis atque incolumitatis cauſſam ſuſcipere coegit.* Et infra: *Miſericordiam noſtram, exercitusque noſtri.* Ad hanc ſententiam pertinent illa Planci verba, epiſt. 21. *Acceſſit eo, ut milites ejus, cum Lepidus concionaretur, conclamarint viri boni, pacem ſe velle, neque eſſe cum ullis pugnaturos, duobus jam conſulibus ſingularibus amiſſis, tot civibus pro patria amiſſis.*

Seditione facta] De hac ſeditione Vellejus, Plutarchus, Dio.

III. Kal. Iun.] Menſis Iunii nomen eſt in duobus antiquis libris; in quibuſdam Aprilis nominatur, errore perſpicuo: in aliis neque Aprilis, neque Iunius: in pleriſque libris antiquis eſt, IV. *Kal.* in nonnullis, ut in eo Vincentii Riccii, III. *Kalend.* quod magis probo. nam etſi Lepidus IV. Kal. Iun. ſe cum Antonio conjunxit; ut ex Planci epiſt. 23. cognoſcitur: veri tamen ſimilius videtur, poſtridie Plancum ad ſenatum ſcripſiſſe, quam eodem die, in tanta rerum mutatione.

LIBRI XI.

EPISTOLA I.

Pag. 153. D. *Brutus*] Juniæ gentis, adoptatus fortaſſe a Poſtumio aliquo, unde *Albini* cognomen acceperit. *Albinus* enim vocatur a Plutarcho, Appiano, Dione. Latini ſcriptores *Brutum* ſemper, non *Albinum*, appellant.

Provinciam] Galliam citeriorem, a Cæſare ipſo, dum viveret, D. Bruto aſſignatam, mox, Cæſare mortuo, a ſenatu confirmatam. Suetonius in Auguſto, Appianus, Dio, alii.

Ajebat] Antonius: quippe cum eam ipſe appeteret, ſuis conſiliis aptam, quia, poſt Cæſaris necem excitare bellum civile cupiebat. Macedoniam vero, quam ei ſenatus dederat, Decimo dare cogitabat. quod factum non eſt: ideo Brutum Antonius, Mutinæ incluſum, per menſes multos obſedit.

Pag. 154. *Militum*] Veteranorum, quos Cæſar beneficiis affecerat.

Si mediocre auxilium] Quod mox non mediocre habuere, Decimus Galliam Ciſalpinam, jam antea a Cæſare attributam, Caſſius Syriam, M. Brutus Macedoniam, utramque a ſenatu decretam poſt interitum Cæſaris.

Placitum eſt] Epiſt. 4. lib. 8.

Legationem liberam] Legationes liberæ privatarum rerum cauſſa ſenatoribus dabantur: tum quod iis, non permittente ſenatu, abeſſe non licebat: tum etiam, ut eſſent honoratiores apud exteras nationes, addito legationis nomine. epiſt. 18. ad Att. lib. 2. & epiſt. 11. lib. 15. ad eundem, & in orationibus in Rullum, pro Flacco.

Rhodum] Liberam civitatem. ep. 7. lib. 4.

Ad noviſſima auxilia deſcendemus] Epiſt. 33. lib. 10. *Si nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema, & non modo nationes, ſed etiam ſervitia concitaturum.*

Sex. Pompejum] Magni filium: qui erat in ulteriore Hiſpania.

Baſ-

Baſſum] Qui erat in Syria. epiſt. 11. lib 12. & epiſt. 18. ejuſdem libri, & Strabo lib. 16 Dio lib. 47.

Pag. 155. *Invidiam*] *Odium*, ut ep. 1. lib. 1 *indignarentur*, inquit, *boni cives, vindices libertatis egere præſidio.*

EPISTOLA II.

Fide & benevolentia] Benevolentia, ut velit: fides, ut promiſſa ſervet.

Iſtum] Cui confidimus, adducti fide & benevolentia in nos tua.

Ad Kalen. Jun.] In quem diem ſenatum Antonius edixerat. Phil. 1. *Ecce Kalendis Jun. quibus, ut adeſſemus, edixerat, mutata omnia. nihil per ſenatum; multa & magna per populum, & abſente populo, & invito. veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentiſſime caverat, non ad conſervationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem novarum prædarum incitabantur.*

Velle te] Alii ex ingenio, *Velle*, &c. Sed ita referri neceſſe eſſet ad amicos Bruti & Caſſii: de quibus non ſcriberent, *Vix quiſquam*, ſed, *Prorſus nemo.* Sequamur igitur & antiquos libros, & ſententiam.

Pag. 156. *In tua poteſtate*] Percuſſores Cæſaris, data Antonio & Lepido fide, & ab eis viciſſim accepta, de Capitolio, quo poſt Cæſaris necem populi metu confugerant, deſcenderunt, Caſſiuſque ſe Antonio, Brutus Lepido credidit.

Noſtros neceſſarios] Qui, ut iis præſidio eſſent, in urbem convenerant; Philip. 10. de M. Bruto ſic: *Prætor urbanus cum eſſet, urbe caruit, jus non dixit, cum omne jus reipub. recuperaſſet: cumque concurſu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri ſolebat, præſidioque Italiæ cunctæ ſeptus poſſet eſſe, abſens judicio bonorum defenſus eſſe maluit, quam præſens manu.*

Tui conſilii] Quid ſentiret de veteranis, noſſe cupiebant.

De reponenda ara] Erecta tamquam Deo Cæſari mortuo a ſimulato C. Marii filio, everſa a Dolabella conſule. qua de re diximus epiſt. 14. lib. 9.

Nec quidquam aliud libertate communi quæſiſſe] Genus loquendi ſumptum a Græcis, pro, Nec quidquam aliud, præter libertatem. Sic & Horatius epiſt. ad Quinctium, lib. 1.

Neve putes alium ſapiente bonoque beatum.

Et epiſt ad Auguſtum lib. 2.

Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra.

Et Sat. 3. lib. 2.

Quis ſpecies alias veris, ſceleriſque tumultu
Permiſtas capiet. ——

Plato autem in Menone: Ἄλλο ἐπιστήμης, pro, diverſum a ſcientia. & Ariſt. & ἐν τοῖς τῶν ἠθικῶν· φίλος ἕτερος τοῦ κόλακος.

Denunciatum eſſe] Vt in urbem frequentes convenirent.

Pag. 157. *De commodis earum*] Philip. 1. *Veterani, quibus hic ordo diligentiſſime caverat, non ad conſervationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem novarum prædarum incitabantur.*

Non debemus cuiquam videri nimium vitæ cupidi] Vt fortaſſe tibi videmur, quia conſulimus te de ſalute noſtra.

EPISTOLA III.

Edicti tui] Sententiam hujus edicti ſcire nobis non licet: neque enim extat: ſed contumelioſum fuiſſe conſtat, minisque plenum, cum ſimillimum vocetur ejus litterarum.

Si prætores] Et Brutus quidem prætor urbanus erat, qui ceteris prætoribus dignitate præſtat: itaque abſentibus conſulibus conſulare munus more majorum ſuſtinet. epiſt. 12. lib. 10.

Edicto] Si fuiſſent extra urbem, litteris poſtulaſſent, cum eſſent in urbe, poſtulaverunt edicto.

Poſtulaſſemus] Poſtulaverant, ut ſalvis legibus adeſſe poſſent ultra dies decem. nam per decem licebat. hoc ita impetrari poterat, ſi conſul Antonius, ut ſolverentur legibus, ad ſenatum retuliſſet id primum ab Antonio negatum illis eſſe, ex hac intelligitur epiſtola poſtea conceſſum, docet Philippica ſecunda: qua ita ſcriptum eſt: *Cur M. Brutus, te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab urbe plus quam decem dies abfuiſſet?*

Ne hoc quidem] Ne hoc quidem, quod poſtulemus, tribui a te Bruto & Caſſio, amicis tuis; quibus majora a te tribui, par eſſet. Si prætoribus, & hominibus ea dignitate præditis, conſul gratificari non vis: hoc ſaltem nobis, non tamquam conſul prætoribus, ſed tamquam Bruto & Caſſio, id eſt amicis tuis, qui & credidimus tibi, & credituri ſumus, tribuere deberes. quod cum non facias; concede nobis: ut doleamus.

De delectibus habitis] Audierant queſtum eſſe Antonium de delectibus ab ipſis habitis, de pecuniis impetratis, &c.

Nuncios trans mare miſſis] Ad ſolicitandos exercitus, præſertim ſex legiones Macedonicas, quibus uti Cæſar in Parthico bello cogitaverat.

Pag. 158. *Te feciſſe*] Quod queſtus non ſis, licet audires ea de nobis.

Neque agnoſcimus quidquam eorum] *Agnoſcere*, eſt fateri: *non agnoſcere*, negare. epiſt. 4. lib. 4.

Cum hac reticueris] Cum de delectibus habitis, aliiſque rebus, in nos falſo rumore collatis, queſtus non ſis.

Objiceres] In litteris.

Concordiæ ac libertatis cauſſa] Ideo enim abeſſe cupiebant, ne qua in urbe ſeditio propter Cæſaris mortem concitaretur. timebant autem potiſſimum veteranos. epiſt. 2.

Per edictum] Edicto propoſito ſignificaverant, velle ſe abeſſe concordiæ ac libertatis cauſſa. id eſt autem, de ſuo jure decedere. nam cum prætor ultra decem dies abeſt, de ſuo jure decedit. Hoc eſſe edictum opinor paullo ante nominatum, idem ſcilicet, quod in Phil. 1. appellatur his verbis: *Nec ita multo poſt, edictum Bruti affertur & Caſſii. quod quidem mihi plenum æquitatis videbatur.*

Arma minetur] Ut minatus erat in iis litteris, quæ contumelioſæ minaceſque dictæ ſunt.

Nobis] Qui tyrannum occidimus, ut patriam ſervitute liberaremus.

Litteræ tuæ nihil proficerent] Quibus arma minatus erat, quaſi abeſſe ideo vellent, ut bellum civile ſuſcitarent: id Hirtius quoque timuit: itaque ſcripſit ad Ciceronem his verbis: *Brutus & Caſſius utinam, quam facile a te de me impetrare poſſunt, ita per te exorentur, ne quod callidius ineant conſilium, eodentes enim hac ais ſcripſiſſe: quo? aut quare? retine, obſecro te, Cicero, illos: noli ſinere hæc omnia perire.* Et Philip. 10. *Ab hoc igitur quiſquam bellum timet, qui, ante quam nos id coacti ſuſcepimus, in pace jacere, quam in bello vigere, maluit?* Quamquam oratio illa eſt habita aliquanto poſt, quam hæ litteræ ſcriptæ.

Quoquam] Ad ullam rerum novitatem.

Judicium noſtrum] Judicio enim noſtro, non armorum tuorum timore, nihil novi cogitamus.

Honeſtum] Honoratum. epiſt. 15. l. 2. *Cæſarem honeſtum eſſe cupio.*

Quam non diu regnarit] Regnavit, abſoluta poteſtate, nullo Pompejanarum partium metu, poſt victos in Hiſpania Pompeji liberos, quinque tantum menſes. rediit enim Octobri menſe. occiſus eſt idibus Mart. quod Vellejus lib. 2. Faſti Capitolini, & aliorum teſtimonia docent.

EPISTOLA IV.

Pag. 159. I*Mp.*] Appellatus a militibus ob rem bene geſtam. epiſt. 10. lib. 2.

Inalpinos] Alpium incolas: cum quibus & Metellus Celer bellum geſſerat. ep. 1. lib. 5.

Nomen captans imperatorium] Ut ex re bene geſta imperator appellarer.

Animum] Adverſus hoſtes. modeſte, *Animum*, dixit, pro *Virtutem*.

Adjuva nos tua ſententia] Ut ſupplicationes impetrem. Videtur impetraſſe. nam ſupplicationes triumphus ſequebatur: & paratum illi triumphum fuiſſe, Phil. 6. oſtendit his verbis: *An ille non potuit, ſi Antonium conſulem, ſi Galliam Antonii provinciam judicaſſet, legiones Antonio & provinciam tradere? domum redire? triumphare?*

EPISTOLA V.

Pag. 160. L*Vpus*] Rutiliorum cognomen.

Tute

Tuto me eſſe] Timebat Antonium conſulem.

Panſam] Conſulem deſignatum.

Quæ maxime optabam] Te ſcilicet Antonio provinciam nolle tradere, optimeque erga remp. animatum eſſe.

Ne in iſta quidem re] In Cæſare occidendo.

Iſte] Antonius.

Provinciam] Galliam ciſalpinam, cui præerat Decimus.

Semper amicus fui] Epiſt. 23. lib. 16.

Pag. 161. *Dominatu regio liberes*] Antonio tuæ provinciæ finibus excludendo: in quo ſita videtur ſalus reipubl. *Dominatu regio*, dicit, quia, cum rege jam liberati eſſent, dominatus tamen regius manebat. epiſt. 1. lib. 12. *Non regno, ſed rege liberati videmur.*

Ut principiis conſentiant exitus] Ut, quemadmodum rege, ita nos dominatu regio liberes.

Tuis optimis conſiliis] Quæ ſpectant ad communem libertatem.

EPISTOLA VI.

Pag. 162. TRibuni pl.] Qui poteſtatem habebant vocandi ſenatus. Gellius lib. 14. cap. 7.

Ad XIII. Kal. Jan.] Is dies eſt, quo Phil. 3. habuit Cicero, Antonio conſule, ſed in Galliam profecto. in ep. ad Cornificium: *Ad XIII. Kal. Jan. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus, cum de ceteris rebus magnis & neceſſariis, tum de provinciis ab iis, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex S. C. ſucceſſiſſet.* Et ad eundem: *Ego, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, &, cunctantibus ceteris, fundamenta reip. jeci; eo die, &c.* Phil. 1. *Memoria teneris, me ante diem XIII. Kal. Jan. principem revocandæ libertatis fuiſſe.* Quos autem tribunos pl. in hac epiſt. ad Brutum nominat, ii novi erant: nam magiſtratum inibant IV. id. Dec. ut ex Dionyſio didicimus.

De præſidio conſulum des] Hirtii & Panſæ. Phil. 3. *Præclare fecitis tribuni pl. qui de præſidio conſulum ſenatuſque retulatis.*

Ante Kal. Jan.] Antequam conſulatum iniviſſent Hirtius & Panſa.

Edictum tuum] Hac de re ſic Phil. 5. *Ante diem XIII. Kal. Jan. decretis veſtris eum concidiſtis.* Et paullo poſt: *Eodemque die D. Bruti edicto allato, factum eum collaudaſtis: quodque ille bellum privato conſilio ſuſceperat, id vos auctoritate publica comprobaſtis.* Idem Philip. quarta & ſexta.

In ſenatu] Significat ea, quæ ſcripta ſunt in Philip. tertia.

In concione] Ad populum. vide Philip. quarta.

EPISTOLA VII.

Pag. 163. ADhibuiſſet] Epiſtola 7. lib. 4. & ep. 25. lib. 10.

Libonem] Scriboniæ gentis.

Ex C. Sejo] Qui ad Brutum iverat.

Nondum liberi] Erant enim in ſenatu, qui Antonio faverent, in primiſque Q. Fufius Calenus.

Tuum factum] Cum tyrannum liberaſti.

Vel puerum potius] Annum agentem XIX. Vellejus libro ſecundo, Tacitus lib. 13. Epiſt. 28. lib. 10. *Egregius puer Cæſar.*

Privato conſilio] Epiſt. 25. lib. 12. *Puer egregius præſidium ſibi primum, & nobis, deinde ſummæ reip. comparavit; qui niſi fuiſſet, Antonii reditus a Brundiſio peſtis patriæ fuiſſet.* Et Phil. 3. *C. Cæſar, adoleſcens, pæne potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, cum maxime furor arderet Antonii, cumque a Brundiſio crudelis & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis, quia fieri poſſe non videbatur, firmiſſimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque ſuum effudit.* Idem in aliis Philippicis, & epiſt. 7. lib. 16. ad Att. Vellejus autem lib. 2. *C. Cæſar, ait XIX. annum ingreſſus, mira auſus, ac mira conſecutus, privato conſilio, majorem ſenatu pro repub. animum habuit: primumque a Calatio, mox a Caſilino veteranos excivit paternos; quorum exemplum ſecuti alii, brevi in formam juſti coiere exercitus.* Idem Dio, Appianus, & alii.

Pag. 164. *Ruſticos*] Agros enim, aſſignatos a Cæſare tamquam diuturnæ mili-

militiæ præmia, milites veterani colebant. epiſt. 9. lib. 16. ad Att. *Octavianus magna molitur: veteranos, quique Caſilini & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam: nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. Plane hoc ſpectat, ut ſe duce bellum geratur cum Antonio.* Quamquam hoc, *Homines ruſticos*, non ad veteranos tantum, militiæ munere jam liberatos, ſed ad duas etiam legiones, Martiam, & Quartam, infra nominatas, pertinet. milites enim legionarii rura colebant, & in 31. ruſticis tribubus, quæ conſtabant omnes e civibus ingenuis, nullo admiſſo libertino, ſuffragium ferebant. Cato etiam apud Ciceronem, in lib. de Senectute, qui militabant in legionibus, ruſticos fuiſſe omnes oſtendit. *Scripſi*, inquit, *in Originibus, legiones noſtras in eum ſæpe locum profectas alacri animo & erecto, unde ſe numquam redituras arbitrarentur. quod igitur adoleſcentes, & ii quidem non ſolum indocti, ſed etiam ruſtici, contemnunt, id docti ſenes extimeſcent?*

Commilitones tuos] Simul enim Cæſare duce in Gallia meruerant.

Legionem Martiam, legionem Quartam] Vide Phil. 3. & alias, Vellejum, Appianum, Dionem.

Ut non ſit integrum] Non licet utrumvis. arbitrii tui jam non eſt, reipub. curam vel ſuſcipere, vel omittere. bis enim te libertatis defenſorem profeſſus es.

Idibus Mart.] Cum tyrannum occidiſti.

Exercitu novo] Ut Antonium ciſalpina Gallia excluderet.

EPISTOLA VIII.

P*Olla*] Uxor Bruti, quæ Triarii fuerat. vide epiſt. 10. lib. 8. *Paulla* eadem vocatur, ut *Olla* pro aulla.

Pag. 165. *Legatorum*] L. Marcii Philippi, L. Calpurnii Piſonis. epiſt. 4. lib. 12. & Phil. 6.

Regno] Dominatu regio. epiſtola 5. lib. 11.

Delectus habetur] A Panſa conſule, Hirtio jam cum Octaviano ad Mutinam profecto. epiſt. 5. libro duodecimo.

Me neque deeſſe ulla in re, neque umquam defuturum dignitati tuæ] Notanda varietas verborum in eadem ſententia. epiſt. 6. *Mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum.* Et eadem infra: *Illud tibi perſuadeas velim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum.*

EPISTOLA IX.

P*Anſa amiſſo*] Hirtium non nominat; quod in Panſa gravitas & prudentia major.

Inimici noſtri] Videtur Octavianum ſignificare: qui percuſſores parentis ſui diligere non poterat: id quod, inita cum Antonio & Lepido ſocietate, declaravit. vide illud epiſt. 10. *Quantamque cupiditatem, &c.*

Pag. 166. *Elabatur*] Elapſus tamen eſt, itinere facto difficillimo. epiſt. 10. & epiſt. 17. 33. 34. lib. 10.

Ventoſiſſimum] Leviſſimum, atque in primis mobilem. epiſt. ad M. Brutum: *Datum Lepido tempus eſt, in quo levitatem ejus, ſæpe perſpectam, majoribus in malis experiemur.*

Pollione Aſinio] Qui longius aberat, quam Lepidus; præerat enim Hiſpaniæ citeriori. epiſt. 31. lib. 10.

Puto te perſpicere] Propter amicitiam. non dubito, quin ille tibi ſuum ſenſum patefaciat.

Multa] Quattuor Lepidi, Aſinii duæ, Appiano teste lib. 3. ſed ipſe Aſinius epiſt. 32. tres habere ſe legiones ait.

Recte facturum numquam] Pavebat Lepidus Antonii partibus: tum quod percuſſores Cæſaris oderat, tum etiam, quod ejus filio nupſerat Antonii filia, ipſeque Antonii conſulis beneficio pontifex max. in locum Cæſaris creatus erat. Appianus, Dio, Plutarchus.

Plancum] L. Plancum, conſulem deſignatum: cujus epiſtolæ ſunt libro 10.

In Alpibus] Ne redire in Italiam poſſit.

EPISTOLA X.

N*On mihi remp. plus debere arbitror*] Quæ tamen mihi, ob tyrannum a me cæſum, plurimum debet.

Poſſe] Aliquando poſſe: cum nunc non poſſim.

Iſti perverſi] In epiſt. ad M. Brutum: *Quo die docrovi, ut D. Bruti nomen in faſtu adſcriberetur, cognovi paullo plures in ſenatu malevolos eſſe, quam gratos.*

Pag. 167. *Si tamen hæc temporis videantur dici cauſſa*] Quod ſi hæc a me ideo dici videntur, ut gratiam a te ineam, cujus opera ſtudioque indigeam.

Malo me tuum judicium] Hoc refertur ad illud, *Exploratum habes.* Hunc locum olim emendavimus ex duobus antiquis libris, Vincentii Riccii, & Pauli Boti: quibus aliqua ex parte ſuffragantur ii, quibus nunc utor in uno tamen eſt, *Videatur*, non *Videantur.* in omnibus autem *Hoc*, non *Hæc*: ut legi etiam recte poſſit. *Si tamen hoc temporis videatur dici cauſſa.*

Pag. 168. *A certo ſenſu*] Qui non errat, ſed, quale quidque eſt, tale judicat.

Conſulum] Hirtii & Panſæ.

Cupiditatem] Rerum novarum. Suſpicionem ſuam de Octaviano ſignificat: qui conſulatum petiit, non adeptus cum Antonio ſe conjunxit. Idem epiſtol. nona ſignificavit: idem & M. Brutus in ſua ad Ciceronem epiſtola: idem & Plancus epiſt. 24. libro decimo.

Vacuitas] Vacua conſulatu reſpub. Alibi Cicero, *Vacuitas ab angoribus, vacuitas ægritudinis.*

Quæ litteris commendari poſſint] Et hoc ad Octavianum pertinet.

Satis magnum numerum videtur eſſe eiſſe] *Speciem exercitus effecit*, epiſt. 13. libro duodecimo.

Manus Ventidii] Tres legiones. epiſt. 33. 34. libro decimo.

Ad Vada] Qui locus jacet inter Alpes & Apenninum, impeditiſſimus ad iter faciendum. epiſt. 13.

Pag. 169. *Quas habet multas*] Epiſt. 33. 34. libro decimo.

Rurſus] Non, *Rurſus*, ut in Etruriam, (neque enim fuerat Antonius antea cum exercitu in Etruria) ſed, *Rurſus*, in Italiam.

Ad me] Ad honorem meum.

Ut ſupra ſcripſi] In eadem epiſtola. *ſupra*, & *antea* differunt, *ſupra*, rem ſignificat: *antea* tempus. quo modo etiam differunt *Adhuc*, & *Hactenus.* epiſt. 9. lib. 6. *Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigere: jam calet.* Et pro Cæcina; *Ille, quem ſupra deformavi.*

H-S mihi fuit pecunia CD *amplius*] CD, valet quadringenties, hoc eſt, duodecies centena ſcutatorum millia.

Amicos] Et in iis legatum ſuum, Q. Pontium Aquilam. Dio lib. 46.

Septenum numerum] Sic placet: & ſic omnes habent mei veteres libri.

Pag. 170. *Varronis*] Significat Antonium, qui theſauros C. Cæſaris, ad Opis ædem depoſitos, abſtulerat. Phil. 2. & epiſt. ad Att. & omnis hiſtoria. *Varronis* autem, pro nequam hominis & diſſoluti. vide epiſt. ult. lib. 9. *Illa Baro.*

Suſtinere ſumptum] In aliis, *Subſiſtere ſumptus*: in duobus antiquis, *Sufficere ſumptus.* Omnia recte.

Tu me amabis, ita, ſi hoc idem me in te facere ſenſeris] Blanda ſimul & ingenioſa petitio, conferenda cum illa Planci, epiſt. 9. lib. 10. *Te, ut diligas me, ſi mutuo te facturum ſcis, rogo.*

Dertona] Colonia inter Genuam & Placentiam. Plinius lib. 3. cap. 5. Strabo lib. 5.

EPISTOLA XI.

Pag. 171. Q*Uantum perſolvere difficile eſt*] *Perſolvere, quod debetur*; *Parem gratiam referre*; *Aſſequi merita*; eleganter dicuntur eodem ſenſu.

Antonius] Prœlio victus ad Mutinam.

Ad Lepidum] Cujus exercitu ſperant bellum ſe poſſe renovare. quod accidit.

Spem] Ob amicitiam, quæ inter eos fuit epiſt. 33. libro decimo.

Ex libellis] *Libelli* differunt ab epiſtolis, tum quia breviores, ut arbitror; tum etiam, quia non eodem modo

do complicabantur. ideo ſæpe legitur in antiquis lapidibus, *Libertus a libellis*, *libertus ab epiſtolis*.

Quos ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum] Hi tres & exercitibus præerant: &, quia Cæſarianarum partium omnes fuerant, propterea & ſpem in iis Antonius collocabat, & ab iiſdem Brutus timendum exiſtimabat: ut epiſt. 9.

Ab Allobrogibus] Qui erant in provincia Bruti.

Gallia] Ciſalpinæ. nam tranſalpina ad Planci pertinebat imperium, excepta Narbonenſi, quam Cæſar, cum ei finitima Hiſpania, Lepido regendam attribuerat.

Confirmatos] Fide & animo.

Quæ iſtic opus erunt adminiſtrari] *Hæc opus ſunt*, Latine dici ſcio: *hæc opus ſunt adminiſtrari*, quam Latine dicatur, vereor.

Proſpicies] Vides enim, quam non deſint, qui cauſſam reipublic. tuentibus obſiſtant. proſpiciendum igitur, & magna cura præcavendum, ne parum recte fiant, quæ fieri opus erit.

Occurres] Obviam ibis, reſiſtes. tranſlatio ab iis, qui occurrentes progredi aliquem non ſinunt.

Statielienſium] *Statiellos*, non *Statielienſes*, nominat, locatque in parte Liguriæ ciſalpina Plinius lib. 3. cap. 5. idem *Statiellas* urbem lib. 31. cap. 2. appellat. unde *Statiellenſes* populi dici poſſunt.

EPISTOLA XII.

Pag. 172. *OMnia illa*] Tria potiſſimum, necem Cæſaris, copias reip. cauſſa comparatas, Mutinenſem victoriam. epiſtol. 7. 14.

Ad nihilum eſſe ventura] Partam ante gloriam amittes. *Ad nihilum recidere*, Phil. 8.

Inermis] Pro, *Inermibus*, epiſt. 34. lib. 10.

Alii facti ſunt] Non iidem ſunt, qui erant: mutati ſunt. Plautus in Trin. *Verbis paucis quam cito alium feciſti me.*

Potiſſimum abuti libertate] Monet Brutum, ne committat, ut populus de eo queri juſte poſſit.

Per quem eam conſecutus ſit] Per ipſum Decimum libertatem civitas recuperaverat, Cæſare interfecto.

Is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit] Idem epiſt. 13. 19. 20. libro 10.

Pag. 173. *Quam habeat vim*] Opinor, hoc dicit: plus tibi reſp. debebit, quam reliquis liberatoribus ſuis.

Apertius] Ne, ſi ſcribam apertius, lædam alios de rep. bene meritos.

EPISTOLA XIII.

CUi enim re vix referre poſſum, &c.] Accepti beneficii magnitudinem varie demonſtramus. epiſt. 11. *Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſolvere difficile eſt.* Pertinet ad hanc ſententiam illud epiſt. 4. lib. 1. *Si vitam pro dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum aſſecutus.* Et epiſt. 8. ejuſdem libri: *Nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia aſſequi poſſum.* Et epiſt. 24. lib. 10. *Cujus ille tanta me merita habet, quanta nemo, præter me.*

Non credebam] Cur crederet ejus filio, quem occiderat?

Conveniſſem] Conveniri noluit. Appianus libro tertio.

Pag. 174. *Bononiam*] Quo ex pugna fugerat. Appianus, Dio.

Peſſime accepta] Diuturna Mutinæ obſidione.

Itinera multo majora fugiens, quam ego ſequens] Ita dixit, *Itinera fugere*, & *Itinera ſequi*, ut dicebant veteres, *Ire viam*, *Redire viam*. eſt autem, *Itinera fugere*, & *Itinera ſequi*, pro, *in itineribus fugere*, & *ſequi*. quod omnino durius: itaque malim; *Itinere multo majore*.

Ergaſtula ſolvit] Epiſt. 10.

Vada] Epiſt. 10. & Plinius libro 3. cap. 5.

Conjunxiſſet] Epiſt. 10.

Pollentiam] Plinius lib. 3. cap. 5.

Pag. 175. *Trebellius*] Is, qui tribunus pl. collegæ ſuo Dolabellæ, de tabulis novis legem ferenti, reſtiterat. Phil. 6. 10. & Dio lib. 42.

Planci quattuor legiones] Epiſtola 24. lib. 10.

Exercitum] Reipublicæ.

Quos ipſi adhuc ſatis arroganter Allobroges ſuſtinebant] Cum dicat, *Ipſi*, apparet Pollentiam, quæ ab Antonio oppugnabatur, opidum Allobrogum fuiſſe. Pollentiam autem cis alpes eſſe, tum hæc epiſtola demonſtrat, tum Silius Poeta lib. 12. cum ait:

Vercella, fuſcique ferax Pollentia villi.

nam Plinius unam videtur agnoſcere Pollentiam, quam in majore Balearium inſula ſtatuit. Strabo nullam nominat. Quod ſi Pollentia, ut oſtendi, opidum Allobrogum fuit: Allobrogum ditionem & cis alpes, & in alpibus, & trans alpes etiam fuiſſe dicemus. trans alpes enim eos ponit Plinius in provincia Narbonenſi: idque confirmat lib. 18. cap. 8. *Trans alpes* (inquit) *in Allobrogum tantum Arvernorumque agro pertinax, in cetera ibi partibus biennio in tritieum tranſit.* Aſſentitur Strabo libro 4. *Arroganter*, dixit, pro animoſe, & turpiter.

Iſtaram] Epiſt. 15. 21. lib. 10.

Nos] Me, & Plancum, qui trans alpes erat.

EPISTOLA XIV.

Pag. 176. DE *decemviris*] Aut creatis, aut creandis, qui conſulatus ab Antonio geſti rationem repoſcerent. Appianus lib 3. & epiſt. 20. 21. & ad Att. epiſt. 19. lib. 15.

Adoleſcente] Octaviano.

Homini non glorioſo] Qui me jactare non ſoleo: nihil ad veritatem addo.

Frigeo] Languidiores factæ ſunt actiones meæ. Ὄργανον inſtrumentum, quo utebar: quo diſſoluto, quid agere poſſum? itaque plane jam frigeo.

Mutina] Sic placet; quamquam omnes antiqui libri, præter unum, habent, *Mutina*.

Contentiones] Actiones vehementes, ep. 1. lib. 1. & epiſt. 6. libro ſecundo.

Σκιαμαχίας] Umbratiles pugnæ.

Pag. 177. *Qua illas norunt*] Male in Decimum animatæ erant legiones illæ: quia cum C. Cæſare, quem occiderat Decimus, diu militaverant.

Ratio poteſt haberi] Curari tibi pecunia poteſt. epiſt. 10.

Bruto] Marco, qui cum Caſſio mare tranſierat, copiaſque comparaverat.

Accerſendo] In Italiam.

Ad Italia præſidium tenendo] Ut Decimus Antonium perſequeretur, Cæſar Italiæ præſidio eſſet.

Legiones] Veteranæ. epiſt. 26. & libro 10. epiſt. 24.

Die tuo natali] Vide epiſt. ad M. Brutum, cujus initium *Meſſallam*.

In multa ſæcula] Sic oratione 2. in Rullum: *In hunc annum profeſſus ſum otii me & concordia patronum.*

Retexunt] Mutant. tranſlatio, qua & Matius utitur epiſt. 28.

Modo] Paullo ante.

Tua partes ſunt] Epiſt. 21. *Vide, ne tua jamque mi Brute, culpa futura ſit, ſi ego quidquam timeam.*

Facere non poſſum] Vere. nihil enim omiſit, ut Antonium perderet, infenſum libertati, quod Philippici libri teſtantur.

EPISTOLA XV.

Pag. 178. PLanco collega mandaſti] Jam ſe Plancus Bruto conjunxerat. Vellejus lib. 2. *Plancus dubia, id eſt, ſua fide, diu quarum eſſet partium, ſecum luctatus, ac ſibi difficile conſentiens, & nunc adjutor D. Bruti, collega ſui, mox ejuſdem proditor.* Et Appianus lib. 3.

Senatui populoque R. gratiſſima accidit] Idem ad Plancum epiſtola 22. libro decimo: *Concordia veſtra, qua ſenatui declarata litteris veſtris eſt, mirifice & ſenatus, & cuncta civitas delectata eſt.*

Magiſtro brevitatis] Brevitatem in ſcribendo amabat Decimus. ep. 24. 25.

Tales] Quæ oppreſſum Antonium ſignificent.

EPISTOLA XVI.

Pag. 179. NOn loco] Non alieno tempore, cum reddendæ non ſunt, non opportune. lib. 3. de Leg. *Senatori tria juſſa ſunt, ut adſit; nam gravitatem res habet, cum frequens*

ordo

ordo eſt: ut loco dicat, id eſt, rogatus: ut modo, ne ſit infinitus. Et in partit. *Loco tu quidem quaeris: ſed planius, quod vis, explicabitur, cum ad orationis ipſius quaeſtionumque rationem venero.* Et Terentius in Heaut. *In loco, ego vero laudo.*

L. Lamia] Gentis Æliæ, cujus auctor antiquiſſimus fuiſſe Lamus videtur: unde Lamia cognomen gentis Horatius:

Æli, vetuſto nobilis ab Lamo.

Ejuſdem gentis Mamurra ille Formianus fuit, quo Cæſar in Gallia præfecto fabrum uſus eſt.

Vetuſtas] Epiſt. 15. lib. 5. & ep. 10. lib. 10.

Nihil mihi ejus eſt familiaritate jucundius] Epiſt. 29. lib. 12. *Ad hæc officia, vel merita potius, jucundiſſima conſuetudo accedit, ut nullo prorſus plus homine delecter.*

Cum equeſtris ordinis princeps eſſet] Hoc tempore non equeſtris, ſed ſenatorii ordinis Lamia dicebatur. minoris enim ordinis appellationem omittebat, qui majorem adeptus erat.

Relegatus eſt] Vide epiſt. 29. lib. 12. & orationem pro Sextio, & pro domo.

Summa gratia] Apud populum, qui maxime muneribus ædiliciis conciliabatur. epiſt. ſequenti.

Uſus magnificentiſſimo munere ædilicio] *Functus eſt ædilicio maximo munere*, dixit Cicero de P. Craſſo lib. 2. Off. De L. Craſſo autem: *Magnificentiſſima ædilitate functus eſt.* Fuerat autem ædilis Lamia biennio ante: quod erat legitimum ſpatium inter ædilitatem & præturam epiſt. 25. lib. 10.

Mitte ad Lupum noſtrum] Pro, *ſignifica Lupo noſtro.* Modus loquendi Tullio familiaris. ad Attic. epiſt. 10. lib. 13. *Hodie Spintherem exſpecto: miſit enim Brutus ad me.* Et ad Tironem, epiſt. 9. lib. 16. *Curio miſi, ut medico honos haberetur.*

EPISTOLA XVII.

Pag. 180. *NOn dico officia, ſed merita*] Vinci meritis officia, declarat hic locus, & ille epiſt. 29. lib. 12. *Ad hæc officia, vel merita potius, jucundiſſima conſuetudo accedit.*

Nec dignitatem ei deeſſe, nec gratiam] Epiſt. ſuperiore: *Summo ſplendore, ſumma gratia eſt.*

Ambitus exſtare] Et conſuetudine Latini ſermonis adducor, & præterea quinque veterum librorum teſtimonio, ut probem, *Exſtare*, non probem, *Excitare*, quod aliis placet.

Omnibus tuis opibus] Pro eo, quantum valebis. epiſt. 21.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 181. *GAlba*] Epiſtola 30. libro 10.

Victoria] Mutinenſi.

Fortes duces] Quorum auctoritate & conſilio regitur. Seipſum modeſte ſignificat, quod aliquanto apertius in epiſt. ad M. Brutum: *Non ſemper eundem populum habebitis, neque ſenatum, neque ſenatus ducem.*

In maximo bello] Florente Antonio, ante Mutinenſe prœlium. epiſt. 27. l. 10. & Phil. 13.

Pius] Quam nos, qui Romæ ſumus: cum tu ab Antonio & Lepido non longe abſis.

Gratulatione] Gratulabantur in victoria diis immortalibus. epiſt. 4. 5. lib. 15. & Phil. 14.

Tuo nomine] Quod eſſes obſidione liberatus. epiſt. 19. ad M. Brutum.

Pag. 182. *Sin aliquid virium forte collegerit*] Epiſt. 12. *Si aliquid firmitatis nactus ſit* Et in eadem infra: *Si ita ſe habet, ut confligi cum eo ſine periculo non poſſit.*

EPISTOLA XIX.

MEcum futuras] Poſt mortem conſulum. vide epiſt. 14.

Druſo] Senatori, Liviæ gentis, patri fortaſſe Liviæ Druſillæ, quæ Auguſti uxor fuit. epiſtola 16. ad Attic. lib. 4. *Druſus reus factus eſt.* Si modo idem eſt.

Paulloque] L. Æmilio Paullo, qui conſul fuerat cum C. Marcello. epiſt. 12. lib. 15. frater fuit M. Lepidi, eoque mox triumviro proſcriptus eſt.

Vobis aſſentientibus] Reliquo ſenatu.

De reliquis rebus] Quas cum peterem, non impetrabam.

Et meam, & veſtram vicem timeam] Ne quid mihi & vobis accidat adverſi. epiſt. 5. lib. 4. *An illius vicem, crede doles?* Et pro domo: *Mihi uni neceſſe erit, & meam, & aliorum vicem pertimeſcere?* *Timere vicem alicujus* eſt timere quod ad illum ſpectat.

Vernarum] Vernis comparat Vicentinorum adverſarios, ut homines nequam abjectoſque ſignificet.

Pag. 183. *Vercellis*] *Firmiſſimum tranſpadanæ regionis municipium* Tacitus appellat lib. 17.

EPISTOLA XX.

HOmo *ſui ſimillimus*] Idem, qui ſolet eſſe. Accipiendum in malam partem.

Cæſarem] Octavianum.

Niſi dictum] *Dictum dicere*, eſt brevem & acutam ſententiam dicere. hic, *Dictum*, nomen eſt, pro brevi ſententia.

Adoleſcentem] Ipſum Cæſarem.

Tollendum] Ambiguum verbum. nam & ad honorem, & ad necem pertinet. Vellejus lib. 2. *Hoc eſt illud tempus, quo Cicero, inſito amore Pompejanarum partium, Cæſarem laudandum & tollendum cenſebat; cum aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Suetonius in Auguſto: *Ut cognovit, Antonium poſt fugam a M. Lepido receptum, ceteroſque duces & exercitus conſentire pro partibus: cauſſam optimatium ſine cunctatione deſeruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quaſi alii ſe puerum, alii ornandum tollendumque jactaſſent, ne aut ſibi, aut veteranis par gratia referretur.*

Decemviris] Ideo creatis, ut ab Antonio geſti conſulatus rationem repoſcerent: epiſt. 14. & 21. Appianus libro 3.

Ad veſtrum arbitrium] Qui eſtis in urbe, nobis neglectis, qui pro rep. pugnamus. Erat autem Cicero in decemviris. epiſt. ſeq.

In itinere] Perſequebatur M. Antonium.

Prius ut Alpes tranſgrederer] Mendoſus videtur epiſtolarum ordo. nam ſi nondum Alpes tranſgreſſus eſt, conjungi Planco nondum potuit. at conjunctus videtur epiſt. 15.

Pag. 184. *Eos*] Veteranos.

Totam iſtam cantilenam] Totum hoc quod iſti jactant, atque in te conferunt. *cantilena* enim, & id, quod canitur, & id, quod crebris ſermonibus uſurpatur. ut ad Att. epiſt. 17. lib. 1. *Crebro mihi inſuſurrat Epicharmus cantilenam illam ſuam:* Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιςεῖν. inde adagium, *cantilenam eandem canere*, apud Terentium in Phorm. Accipitur interdum pro convicio. nam, ut ait Feſtus, *Occentaſſint antiqui dicebant, quod nunc, convicium fecerint, dicimus: quod id clare, & cum quodam canore fit: inde Cantilenam dici, non tantus jucunditatem, puto.*

Obterri] Ut iratos mitiges.

Quod deſiderant de decemviris] Ut in iis ego & Cæſar ſimus.

Pag. 185. *Ab utriſque nobis*] A me Cæſare.

De nummis] Quos veterani appetunt.

Lente] Agas.

Conſtituturum] Dicas.

Quattuor legionibus iis] Opinor ſignificari Martiam, Quartam, Septimam, quæ cum Hirtio & Panſa contra Antonium pugnaverant, & unam præterea Decimi, quæ nominatur epiſt. 24. lib. 10.

Ex agris Sullanis] Sic quinque libri veteres. agros dicit, quos dictator Sulla, municipiis ademptos Marianarum partium ſtudioſis, publicaverat. epiſt. 4. lib. 13.

Agro Campano] Ea ſcilicet parte, quam C. Cæſar primo ſuo conſulatu non diviſerat. vide epiſt. 9. lib. 1. & epiſt. 10. lib. 8.

Legionem] Tironum. nam veterani cum Panſa non fuere. vide epiſtolam 30. lib. 1.

Eporedia] Opidum in Gallia ciſalpina, tranſpadana, Sibyllinis libris a populo Rom. condi juſſum, non procul a Vercellis. Plinius lib. 3. cap. 17. Tacitus libro decimoſeptimo, *firmiſſimum tranſpadanæ regionis municipium* vocat.

EPI-

EPISTOLA XXI.

Pag. 186. *Dii iſti Segulio male faciant*] Epiſt. 11. lib. 4. *Dalmatis dii male faciant.*

Homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt] Modus amplificandi. Plautus in Perſ. *Qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt poſthac, ego ſolus omnibus antideo facile, miſerrimus hominum ut vivam.* Catullus ad Aurelium: *Aureli pater eſuritionum, Non harum modo, ſed quot aut fuerunt, Aut ſunt, aut aliis erunt in annis.* Idem ad puerum: *O qui floſculus es Juventiorum, Non horum modo, ſed quot aut fuerunt, Aut poſthac aliis erunt in annis.* Idem ad M. Tullium Ciceronem: *Diſertiſſime Romuli nepotum, Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli, quotque poſt aliis erunt in annis.* Cicero in oratione poſt reditum ad Quir. *Cn. Pompejus, vir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia, ac gloria princeps.*

Hanc ipſam] Vel hereditate acceptam, vel a C. Cæſare, cum viveret, donatam. quod veriſimilius videtur. nam & Octaviani amicus erat: & veteranis favebat, ut ex epiſtola ſuperiore intelligitur: & verbum, *Devoravit*, uſurpatur Philip. 12. de veteranis: *Suis* (inquit) *rebus exhauſtis, beneficiis Cæſaris devoratis; fortunas veſtras concupiverunt.* Similiter Phil. 13. *Comites Antonii, qui, poſtquam Cæſaris beneficia comederunt, conſulem deſignatum obſident.* Fortaſſe igitur & hic Segulius ex veteranis Cæſaris militibus unus fuit.

Recentem novam] Ita differunt *Recens* & *Novum*, ut *Vetus* & *Antiquum*. poteſt enim recens aliquid eſſe, quod novum non ſit. ut recens hereditas, quæ alicui nuper obtigit, non tamen nova, cum aliæ poſſint hereditates eidem antea contigiſſe. *novum* eſt enim, non quod nuper, ſed quod nunc primum habemus: *recens* vero, non quod nunc primum, ſed quod nuper. & *novum* ad rem, *recens* ad tempus refertur. propterea, ut ſimul utrumque ſignificetur, conjunguntur: ut in oratione pro Flacco: *Meminiſtis, quarum rerum invidia, lege hac recenti & nova, cœtus eſt inquiſitioni comitum numerus conſtitutus:* Et hic de Segulio: *Hanc ipſam recentem novam devoravit*, ideo dictum, quia nec illam habuiſſet eo tempore, cum illam accepit, nec umquam antea. nam, *Recentem*, ſpectat illud: *Non quo veterem comederit:* nullam enim habuit. ſubauditur enim, *Tum*, cum illam accepit. *Novam* autem, perpetuam vitæ ſuperioris egeſtatem deſignat. Sic apud Plautum conjunguntur *Vetus* & *Antiquum* duplex ut indicetur ſignificatio. in Amphitr. *Veterem atque antiquam rem, novam ad vos proferο.* In Mil. *Quin tu iſtam orationem hinc, veterem atque antiquam, amoves?* In Perſ. *Veterem atque antiquum quæſtum ſervo, atque obtineo.* In Trin. *Hiſtoriam veterem atque antiquam hæc mea ſenectus ſuſtinet.* Patet igitur, & quæ ſit inter *novum* & *recens* differentia, & recenti rei opponi veterem, antiquam novæ. *Commemorarem* (inquit epiſtola 6. lib. 6.) *non ſolum veterum, ſed horum etiam recentium vel ducum, vel comitum tuorum graviſſimos caſus.*

Sim etenim impudens] Notandum *etenim*, ſecundo loco: quod perquam rarum. pro Cælio: *Sunt etenim iſta maledicta pervulgata in omnes.*

Pag. 187. *Culpa*] Quia perſecutus Antonium non erat. epiſt. 12. *Nonnulli etiam queruntur, quod perſecuti non ſitis.* Et epiſt. ad M. Brutum: *Erat victrix reſp. cæſis Antonii copiis, ipſo expulſo. Bruti deinde ita multa peccata, ut quodam modo victoria excideret e manibus, perterritos, inermes, ſaucios non ſunt noſtri duces perſecuti.* Hanc tamen a ſe culpam removet Decimus epiſt. 13.

Conſulatu tuo] Sequentis anni.

Ab utriſque veſtrum] Non dixit, *Ab utriſque vobis:* ut dixerat Decimus, *Ab utriſque nobis.*

Collegis noſtris] Decemviris, in quibus erat Cicero.

Agrariam curationem] Ut ipſi agros aſſignarent.

Ligurrirent] Vehementer appeterent. *Ligurrire Verrem improbiſſima lucra*, dixit Cicero.

EPISTOLA XXII.

C*Um Ap. Claudio C. F.*] Patris prænomen addidit, ut ab aliis, qui eodem prænomine & nomine uterentur, eum diſtingueret.

Pag. 188. *Conſervatum velis*] Ne hoſtis cum Antonio judicetur, quandoquidem eum ſecutus erat. epiſt. ad M. Brutum: *Hoſtes omnes judicati, qui M. Antonii ſectam ſecuti ſunt.*

Fortiſſimus] In Cæſaris nece, & Mutinenſi eruptione.

Nobiliſſimum] Infra, *Summo loco natum.* erant enim Claudii majoribus clari, ſive Pulchri, & Nerones, id eſt, patricii, ſive Marcelli, id eſt, plebeji.

Propter patris reſtitutionem] Videtur pater ejus, cum exſularet, ab Antonio conſule in patriam reſtitutus.

Minus veram] Minus æquam. ſic alibi locutus.

Poteris inducere] Ut eum litteris commendes ad amicos miſſis, vel etiam ad ſenatum.

EPISTOLA XXIII.

L*Epidus commode de nobis ſentire videtur.*] Nihil muto. nam, *De nobis*, pro *De rep.* dixit. Et, *Commode nobis*, in nullo reperitur antiquo. Sic locutus epiſt. 18. lib. 10. *Magnum periculum ea pars exercitus adiret, quæ bene de rep. ſentit.*

Eſſent aliena] Vel ſi Lepidus ſe cum Antonio conjungat.

Tribus] Decimi, Octaviani, Planci.

Pag. 189. *Fortuna adjuvante*] Profligato jam Antonio pugna Mutinenſi.

Superioribus litteris] Eodem die ſcriptis, id eſt IIX. Kal. Iun. quarum initium eſt: *Quod pro me non facio.*

Homines loquuntur] Maxime Segulius. epiſt. 20.

Si frenum momorderis] Si eos contempſeris. tranſlatio ab equis, qui, cum frenum momorderint, libero impetu feruntur, nec ab equitibus regi poſſunt.

Cenantem loqui] Nedum loquentem.

EPISTOLA XXIV.

Q*Uam multa quam paucis*] Complexus es.

Pag. 190. *Vigiliam meam*] Tranſlatio ab excubantibus militibus, qui ſuccedunt per vigilias. nox autem in quattuor vigilias diſtributa. *Cupio*, inquit, *cum ſatis jam officio meo fecerim, curam in te meam transferre.* Phil. 1. *Manendum mihi ſtatuebam, quaſi in vigilia quadam conſulari ſenatoria.*

Conſtantia mea] Eſt enim inconſtantis, deſerere ſuum munus.

Multa enim Romæ] Multa dicuntur ejuſmodi, ut in Italia diutius morandum tibi non eſſe videatur.

Servilium] Iſaurici filium. favebat Decimo, infenſus Planco. epiſt. 12. libro 10.

EPISTOLA XXV.

T*E magiſtro*] Epiſt. 15.

Collega] L. Planco.

Inteſtinum urbis malum] Erant enim, qui Octavianum interfectis Panſa & Hirtio conſulibus, ad petitionem conſulatus impellerent. epiſt. 24. lib. 10. & epiſt. 14. ad M. Brutum: *Cæſarem, meis conſiliis adhuc gubernatum, præclara ipſum indole, admirabilique conſtantia, improbiſſimis litteris quidam, fallacibus interpretibus ac nunciis impulerunt in ſpem certiſſimam conſulatus.* Et epiſt. 22. ad eundem: *Quid dicam, in tanto ſenatus populique conſenſu; cum tantum reſideat intra muros mali? Maximo autem, cum hæc ſcriberem, afficiebar dolore, quod, cum me pro adoleſcentulo, ac pæne puero reſpondem accepiſſet, vix videbar, quod promiſeram, præſtare poſſe.* Et ibidem: *Videtur eſſe indoles, ſed flexibilis ætas, multique ad depravandum parati: qui, ſplendore falſi honoris objecto, aciem boni ingenii perſtringi poſſe confidunt.*

Λακωνισμὸν tuum] Laconicam, qua tu ſoles uti, brevitatem.

Altera jam pagella procedit] Paucos igitur verſus pagina capiebat: brevis enim admodum hæc epiſtola: & ad Attic. epiſt. 34. lib. 13. cum perpauca ſcripſiſſet, dixit, *Complere paginam volui.*

Rurſus

Rurſus pagina, ſi modo una eſt, ſatis longe oſtenditur epiſt. 13. libro ſecundo in eo loco, *Extrema pagella pupugit me tuo chirographo.* Sed epiſtolæ Cœlianæ, cui Cicero ibi reſpondet, cujus initium eſt, *Non dubito*, non una, ſed plures pagellæ, tres fortaſſe aut quattuor fuerint, neceſſe eſt: cujus ad extremam Ciceronis illa verba reſpondent. nam, ſi una tantum, longe differret ab hac ad Brutum: cujus primam pagellam pauci verſus implebant: & altera jam procedebat, id eſt, ſcribi cœpta erat. Eademque brevitas pagellæ cernitur in illa, cujus teſtimonio ſum uſus, ad Att. epiſt. itaque plures omnino Cœlianarum litterarum pagellas fuiſſe, veriſimile videtur. Erant autem illæ, niſi fallor, codicillorum pagellæ, non Ægyptiacæ chartæ, ex papyro confectæ; quæ plures verſus in pagina capiebat; cum latitudo eſſet optimæ digitorum tredecim, bonitate proximæ undecim, aut decem. quod lib. 13. cap. 12. Plin. docet. De codicillis autem vide quæ diximus epiſt. 12. lib. 4.

EPISTOLA XXVI.

Pag. 191. *Ista quæ acciderunt*] Conjunctionem Lepidi cum Antonio.

Deliberent] Ironia cum ſtomacho.

Ex Africa] Epiſt. 14. & lib. 10. epiſtola 24.

Brutum] M. Brutum, qui erat in Macedonia.

Magnum nos omnes adituros] Veriſſimum augurium. nam, Novembri menſe inita inter Lepidum, Antonium, Octavianum ſocietate, & omnes, & omnia periere. Vellejus, Plutarchus, Appianus, Dio.

III. non. Iun.] Hæc dies hanc epiſtolam ante ſuperiorem ſcriptam eſſe oſtendit.

EPISTOLA XXVII.

Pag. 192. *C. Matio*] Doctiſſimo viro. ep. 15. lib. 7.

Quantum memoria repetere præterita poſſum] Idem aliis verbis in oratione pro Archia: *Quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis*.

Vetuſtas habet aliquid commune cum multis] Quod ad vetuſtatem attinet, comparare tibi multos poſſum: amore non poſſum.

Diſceſſus] Cum in Galliam ivit, proconſulem C. Cæſarem ſecutus.

Ambitio noſtra] Honorum enim ſtudium conſuetudinem tollit; cum ſuam quiſque rem curet.

Vitæ diſſimilitudo] Non eſt Matius æque, ac Cicero, in foro & curia verſatus: diu enim cum Cæſare abfuit.

Veniſti ad me in Formianum] Epiſt. 9. ad Attic. lib. 9.

Pag. 193. *Temporibus illis*] Graviſſimis, cum jam armis de jure publico diſceptaretur.

Conſilii] Ne ullam belli partem attingerem.

Cæſari] Brundiſio redeunti, cum Pompejum Italia expuliſſet. De hoc Ciceronis Cæſariſque congreſſu, & ſermone inter eos habito, epiſt. 17. ad Atticum lib. 9.

In agro, ut arbitror, Trebulano] Trebulæ in agro Sabino fuerunt, ubi nunc eſt opidum *Mons Leo* vocatum, cujus ad radices antiqui lapides, inſcripta Trebularum mentione, aliquot exſtant: quibus etiam lapidibus intelligitur id, quod ait Servius in illo Virgilii verſu,

Horoti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.

Prius appellatum eſſe *Mutuſcam*, quam *Trebulam*: quamquam lapides non *Mutuſcam*, ſed *Mutueſcam* Trebulam; nec *Mutuſcanos*, ſed *Mutueſcanos* Trebulanos nominant: & crediderim priſcos illos ita pronunciaſſe. nam poſteriores *Mutuſcam* dixere, ut Virgilius, & Plinius lib. 3. cap. 12. *Trebulani, qui cognominantur Mutuſcei.*

Sive pudor meus coegit, ſive officium, ſive fortuna] Pudor, ſi cum iis non conjungerer, qui rempubl. defendere putabantur: officium, vel patriæ debitum a me, vel ipſi Pompejo, qui Clodianis temporibus egregiam in me reſtituendo operam navaverat: fortuna, non conſilium, aut ratio, ſed fortuna ipſa, quæ ſæpe nos in eam partem impellit, unde labores, pericula, damnaque nobis impendent. epiſt. 6. lib. 6.

lib. 6. *Valuit apud me plus pudor meus, quam timor. veritus ſum deeſſe Pompeji ſaluti, cum ille aliquando non defuiſſet meæ. itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus.* Et ep. 3. lib. 7. *Pudori malui famæque cedere, quam ſalutis meæ rationem ducere.*

Veni Brundiſium] Poſt pugnam Pharſalicam Cicero, armorum odio, & victoriæ deſperatione, in Italiam rediit. ad Att. epiſt. 5. 6. lib. 11.

Communium miſeriarum metu] Metuebat interitum reip. Pompejo in Theſſalia devicto. quod & Atticus timuit. nam ad eum ita ſcripſit epiſt. 6. lib. 11. *ſollicitum eſſe te cum de tuis, communibuſque fortunis, tum maxime de me, ac de dolore meo, ſentio.*

Vt hæc φιλοσοφούμενα] Libros de Finibus, Tuſculanas quæſtiones, & alia, quæ ſcripſit afflicta repub.

Poſt Cæſaris reditum] Confectis omnibus civilibus bellis.

Pag. 194. *Suffragium tuliſſe in illa lege*] Opinor legem ſignificari, quam Cæſar, ut ſcripſit ipſe lib. 3. de bell. civ. pro debitoribus tulit, ut arbitri darentur, per quos fierent æſtimationes poſſeſſionum & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent, atque eæ creditoribus traderentur. Hoc eo magis exiſtimo, quod ad hanc partem reſpondens Matius, *Res*, inquit, *mea familiaris lege Cæſaris deminuta eſt.*

Quid dicam, neſcio; iniquos meos] Qui mihi inique detrahunt. Differunt autem, ut mihi videtur, iniqui ab inimicis. nam & multi poſſunt eſſe iniqui, nec tamen inimici; & inimici multi, nec tamen iniqui.

Liquido] Facile. epiſt. 10. lib. 10.

Hominem doctiſſimum] Epiſt. 15. libro 7.

De tuo officio] De tua ludorum Cæſaris curatione.

Qua nonnulli utuntur] Quorum in numero fortaſſe Cicero ipſe fuit. nam epiſt. 2. ad Att. lib. 15. *Ludorum*, ait, *Octavii apparatus Matius ac Poſtumius mihi procuratores non placent.*

Pag. 195. *Non ſuſcipiendi belli civilis graviſſimum auctorem fuiſſe*] Epiſt. 9. ad Att. lib. 9. *Venit ad me Matius quinquatribus, homo mehercule, ut mihi viſus eſt, temperatus & prudens: exiſtimatus quidem eſt ſemper auctor otii. quam ille mihi quidem hac non probare viſus eſt.*

EPISTOLA XXVIII.

P*Atriam amicitiæ præponendam eſſe*] Cum & ſententia pateat, & ita ſcriptum ſit in duobus antiquis meis libris; mutandum nihil duxi. alii legunt: *Patriæ amicitiam*: hoc ſenſu: patriæ amicitiam privatæ amicitiæ præponendam. quod mihi non probatur. nam, *Patriæ caritas*, dicitur: *Patriæ* vero *amicitia*, quis umquam dixit? *amicitiam* vero *patriæ præponere*, dixit hic noſter in ea pro Rabirio perduellionis reo.

Pag. 196. *Proinde ac*] Epiſt. 4. lib. 10. *Proinde ut*: epiſt. 11. & 31. ibidem. *Proinde ac*: epiſt. 34. *Proinde*, ſimpliciter dictum pro *Perinde*.

Non agam aſtute] Nihil diſſimulare placet: fateor ingenue, me ad iſtum ſapientiæ gradum non perveniſſe.

Re offendebar] Offendebar civili bello.

Naſcentem exſtingui, ſumme ſtudui] Epiſt. ſuperiore: *Te non, ſuſcipiendi belli civilis graviſſimum auctorem fuiſſe.* epiſt. 9. ad Attic. lib. 9. *Matius exiſtimatus eſt ſemper auctor otii.*

Lege Cæſaris] Diximus in epiſt. ſuperiore.

Pag. 197. *Civibus victis ut parceretur, æque, ac pro mea ſalute, laboravi*] Quod Cicero dixit: Auctorem fuiſſe moderandæ victoriæ.

Invidia] Odio, quod eos nimis ornaret.

Exitio] Eſt enim ab iis occiſus, in quos maxima beneficia contulerat.

Alios] Percuſſores Cæſaris.

Alii] Ipſi Matio.

Appetendam] *Fugiendam*, & *Appetendam*, opponuntur: tres Veteres libri, *Oppetendam*: rex, *Appetendam*. utro modo legatur, diſcrimen in ſententia non erit.

Pro civili parte] Pro civis officio.

Vt rem potiorem oratione ducas] Vt meæ vitæ potius, quam aliorum ſermonibus, credas.

Expe-

Expedire] Vtile eſſe.

Recte fieri] Nihil contra temp. committere.

Cum excuſatione] Ætati enim aliquid conceditur.

Ætate præcipitata] In ſumma ſenectute; tranſlatio a rebus non modo inclinatis, ſed etiam præcipitantibus, vel jam præcipitatis. Pro Domo: *Tuo jam præcipitante & debilitato tribunatu.* Et Cæſar lib. 3. bel. civ. *Hiems jam præcipitaverat.*

Commutem] Nunc improbos amem ſenex, quos odi adoleſcens.

Me ipſe retexam] Qui retexit, mutat quod jam fecit, quaſi male factum. epiſt. 14. *Novi timores retexunt ſuperiora.*

Pag. 198. *Ludos*] Eos, ut opinor, de quibus Plinius lib. 2. cap. 45. *Cometes apparuit ludis, quos faciebat Auguſtus Veneri genitrici, non multo poſt obitum patris Cæſaris.* Et Suetonius: *Ludis, quos primos conſecratæ ei heros Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit.* Et Dio lib. 45. *Ludos fecit ſuis ſumptibus, ob perfectam Veneris ædem.*

Cæſaris victoria] Voverat enim Cæſar ædem Veneri genitrici, ſi Pompejum prœlio Pharſalico deviciſſet. Appianus lib. 2. 3.

Digniſſime Cæſare] Qui patre Cæſare digniſſimus eſt. Sic olim emendavimus ex libro Joannis Scalæ, cum legeretur in omnibus & vulgatis, & ſcriptis libris, *Digniſſimo Cæſaris repetenti.*

Si optata contingent] Si conſequor id, quod opto. opto autem procul a turbis in otio vitam ducere.

Pag. 199. *Rhodi*] Quæ libera civitas erat. epiſt. 7. lib. 4.

Quod eum, quem ſemper dilexi libenter, quo magis jure colere atque obſervare deberem, fecit] Similis illa Trebonii ſententia epiſt. 16. lib. 12. *Tibi, quod vero facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quod eum, quem neceſſe erat diligere, qualiſcumque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus.*

EPISTOLA XXIX.

OPpio] C. Oppio, Cæſaris amiciſſimo.

Profectionis] In Græciam. vide ep. 1. lib. 10. & epiſt. 25. lib. 12.

Pag. 200. *Amiciſſimum tuum*] C. Cæſarem: quem ſecutus eſt in bello civili, fuitque legatus ejus in Africa.

In magnis periculis] Civili bello.

De mea fide & de conſtantia] Fideliter enim atque conſtanter te eſſe a me amatum, judicaſti; licet diverſarum partium fuiſſemus.

LIBRI XII.

EPISTOLA I.

Pag. 202. QVam quidem] Spem.

Præclariſſime geſta] Hoc quid ſit, ipſe interprete Cicerone cognoſcitur. nam Phil. 1. *Cum ſerperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, idemque buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant; & quotidie magis magiſque perditi homines, cum ſui ſimilibus ſervis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animadverſio fuit cum in audaces ſceleratoſque ſervos, tum in impuros & nefarios liberos, taliſque everſio illius exſecratæ columnæ, ut mihi mirum videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die diſſenſiſſe.* Et epiſt. 14. lib. 9. & epiſt. 2. l. 11. & ad Att. epiſt. 15. 16. lib. 14. Iam vero Suetonius, *Plebs*, inquit, *ſolidam columnam, prope viginti pedum, lapidis Numidici, in foro ſtatuit, ſcripſitque*, PARENTI PATRIAE, *apud eandem longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam, interpoſito per Cæſarem jurejurando, diſtrahere perſeveravit.*

Pag. 203. *Compreſſum eſt*] Quia dixerat, *Manabat*, contrarium contrario reddidit: item ut epiſt. 12. ad Attic. lib. 3. *Orationem illam ita compreſſeram, ut numquam emanaturam putarem.* Primus ego locum emendavi, ex vetere Vincentii Riccii libro: cum in omnibus impreſſis, *Compreſſa eſt*, legeretur.

Ab illo dumtaxat] Si non modo ab omni, ſaltem ab illo periculo.

Sordidiſſimo] Quod ab infima plebe, atque a ſervis etiam impendebat bonis viris.

Primum quidque] Tacite hortatur eos contra perturbantem remp. Antonium: quod proxime ſubjecta declarant.

Interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur] Non acta modo Cæſaris, ſed nutus etiam defendimus, id eſt, ea, quæ ſe facturum, leviter & vix oſtendit. Hoc dicit, quia, quidquid reperiretur in Cæſaris commentariis, id Antonius conſul, æque ac reliqua illius acta, ratum volebat eſſe. Phil. 1. *An in commentariolis, & chirographis, & libellis, ſe uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, ſed tantummodo dictis, acta Cæſaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi juſſa perpetuaſque leges eſſe voluit, pro nihilo habebuntur?* Et Phil. 2. *Quid ego de commentariis infinitis, quid de chirographis loquar?* Et Phil. 12.

Tabulæ figentur] Æreas tabulas in publico figebat Antonius, decretum aliquod Cæſaris, aut beneficium continentes: quaſi ſcriptum id reperiſſet in Cæſaris commentariis. Phil. 5. *Decreta falſa vendebat: regna, civitates, immunitates in æs, accepta pecunia, jubebat incidi. hæc ſe ex commentariis Cæſaris, quorum ipſe auctor erat, agere dicebat. Reſtituebantur exſules quaſi lege, ſine lege S. C. pecunia accepta, falſa referebat.* Et ad Attic. epiſt. 12. lib. 14. *Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani: cujus rei, vivo illo, mentio nulla.* Philip. 12.

Pag. 204. *Diſtribuuntur*] Quæ donentur quibus velit Antonius, quaſi e Cæſaris commentariis. Eſt autem, *Diſcribere*, diverſis diſtribuere. Sic ep. 1. lib. 1. ad Q. fr. *Vectigal quod iis æqualiter Sulla diſcripſerat.* In Verr. lib. 5. *Pro numero militum, pecuniarum ſummas diſcribere.* Et Phil. 5. *Quorum bona ſtatim ſuis comitibus compotoribuſque diſcripſit.*

Exſules reducuntur] Phil. 1. & 5. epiſt. 13. ad Attic. lib. 14.

Referuntur] Ad ærarium. Phil. 5.

Beneficio veſtro] Quod eam tyranno liberaſtis.

Nihil amplius] Modus loquendi, ut de fin. lib. 5. *Virtutem ipſam inchoavit: nihil amplius.* & Acad. lib. 2. *excepit, unum tantum ſcire ſe, nihil ſe ſcire: nihil amplius.* & in Verrem lib. 3. *ſe ipſum abs te repetit: nihil amplius.* Et in eundem lib. 4. *Hactenus reprehendat ſi quis volet: nihil amplius.* Et pro Cæcina. *In poſſeſſionem in præſentia non reſtituetur: nihil amplius.* Et pro Flacco: *Qua diſputatione orationem refellam ejus, qui dicit, dedimus: nihil amplius.*

Æra] Leges æreis tabulis inciſas.

Ita decrevimus] Decrevit ipſe in primis Cicero. nam Philip. 1. *Acta, inquit, Cæſaris ſervanda cenſeo: non quo probem: quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendam maxime arbitror pacis & otii.*

Temporibus cedentes] Pacis & otii cauſſa. Phil. 1.

Quidam] Conſul Antonius.

EPISTOLA II.

Pag. 205. O*Rationem meam*] Secundam in Antonium, quæ exſtat.

Qua ſi ſæpius uti liceret] Si liceret in ſenatu libere loqui. epiſtola ſecunda libro decimo.

Homo amens] M. Antonius.

Quam ille ipſe] Quam C. Cæſar.

Me auctorem fuiſſe Cæſaris interficiendi] Epiſt. ſeq. *Veſtri pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe.* Et Philipp. 2. *Hæc vetera, illud vero recens, Cæſarem meo conſilio interfectum.*

Piſoni] L. Calpurnio Piſoni, C. Cæſaris ſocero.

Qui in eum primus invectus eſt, nullo aſſentiente] Philipp. 1. *Ex quo primum cognovi, quæ Kalendis Sext. in ſenatu fuiſſet L. Piſonis oratio: qui quamquam parum erat, a quibus debuerat, adjutus; tamen & Bruti teſtimonio (quo quid poteſt eſſe gravius?) & omnium prædicatione, quos poſtea vidi, magnam mihi videbatur gloriam conſecutus.* & Philipp. 5. *Homo amens, qui hanc conſuetudinem libere dicendi excluderet, (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piſo, XXX. diebus ante) inimicitias mihi denunciavit.*

P. Servilio] Iſaurici filio, qui conſul fuerat cum C. Cæſare.

Tuto]

Tute] Vide epiſtola ſecunda libro decimo.

Gladiator] Gladiatori ſimilis, in cædibus hominum exercitato. Philipp. 7. *Quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari ſolet, ſed ut appellant ii, qui plane, & Latine loquuntur.*

Ad XIII. Kalend. Oct.] Tota res ita ſe habet. Cum Cicero, poſt interitum Cæſaris, primum deſperata repub. in Græciam abire cogitaſſet; deinde, allata ſpe quadam libertatis & otii, mutato conſilio ad urbem revertiſſet; M. Antonius Conſul Kalend. Sept. de ſupplicationibus relaturus, eum de more in ſenatum vocavit. Cicero miſit, qui ſe excuſarent, quod de via langueret. ille iratus, fabros ſe miſſurum, & domum illius diſturbaturum eſſe, audiente ſenatu, dixit. venit Cicero poſtridie in ſenatum, id eſt, IV. non. Sept. & locutus eſt, abſente Antonio, de rep. liberius, quam pericula minæque poſtulabant: eaque nunc exſtat oratio, Philippicarum prima. Tum Antonius, furore percitus, adeſſe eum juſſit in ſenatu ad XIII. Kal. Oct. ipſe interea totum illud ſpatium, quod eſt a quarto non. Sept. ad XIII. Kal. Oct. commentatus eſt in Tiburtino Metelli, quæ contra Ciceronem diceret. eo die in ſenatum, diſſuadentibus amicis, Cicero non venit, ſed mox accurate ſcripta oratione reſpondit, quæ inter Philippicas ſecunda legitur. eſt autem ita ſcripta, quaſi præſens præſenti Antonio eodem die reſponderit. quod ex eo conſtat, quia XIII. Kal. Oct. invectus eſt in Ciceronem Antonius, & eodem die habitam eſſe Philippicam ſecundam, fingit Cicero, cum ait in ea: *Neſcis heri, quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe?* Nam qui dies IV diem ludorum Romanorum proxime ſequitur, eſt XIII. Kal. Oct. ut ex Marmoreis antiquorum dierum faſtis, quod Kalendarium vocant, intelligitur. Ac ne quis in dubium vocet, quod ſcriptam eſſe dixi, non habitam: probabo ipſo teſte, non fuiſſe illum eo die in ſenatu, metu armorum Antonii. ſic enim inquit in Philipp. 5. *Cum is dies, quo me adeſſe juſſerat, veniſſet; tum vero agmine quadrato in ædem Concordia venit, atque in me abſentem orationem ex ore impuriſſimo evomuit. quo die ſi per amicos mihi cupienti, in ſenatum venire licuiſſet; cædis initium feciſſet a me: ſic enim ſtatuerat.* Et in hac epiſtola, cum ait: *Tute in ſenatum venire mihi non licet: cædem enim gladiator quærit, ejuſque initium ad* XIII. *Kal. Oct. a me ſe facturum putavit.* nonne ſe non fuiſſe in ſenatu eo die, ſignificat? Scriptam etiam, ut dixi, non habitam ſecundam Philippicam indicat illa ad Att. ep. 10. lib. 16. *Utinam eum diem videam, cum iſta oratio libere vagetur.* nam ſi ſcriptam edere non audebat: multo minus, ipſo præſente Antonio, eam habere auſus eſſet. loquitur enim eo loco de ſecunda Philippica: ut in Commentariis docuimus.

Putavit] Cum ſperaret, eo die me in ſenatum eſſe venturum.

At quam paratus venerat] Libri veteres, *Ad quem*: quod ſi probamus, ita dictum videbitur, quod eum Antonius in ſenatu affuturum putaret: ut ſit, *Venerat ad me paratus*: id eſt, ut in me diceret ea, quæ complures dies commentatus erat. Malo tamen, *At quam*: quod alii excogitarunt.

Pag. 206. *In villa*] Tiburtina. Phil. 5. quam Antonius occupaverat. Phil. 2.

Metelli] Quæ fuerat Metelli Scipionis, ſoceri Pompeji Magni. Hic modo, vetere cognomine, *Scipio*, quia Corneliæ gentis erat, appellabatur, ut Phil. 2. & 5. & alibi: modo, *Metellus*, accepto cognomine a Q. Metello Pio, Numidici filio, qui eum adoptaverat, ut ſcripſit Dio: interdum, utroque cognomine, *Scipio Metellus*, ut epiſt. 1. libro ſexto ad Atticum. & in S. C. in epiſt. Cœlii lib. 8.

Complures dies] Dies ſeptemdecim. vide Phil. 5.

Commentatus eſſet] Declamando. nam in Phil. 5. *Septemdecim*, inquit, *dies de me in Tiburtino Scipionis declamitavit, ſitim quærens: hac enim ei cauſſa eſſe declamandi ſolet.*

Suo more] Nam & antea, vivo Cæſare, vomuerat in conſpectu populi Romani. Phil. 2.

Vomere] Epiſt. 25. *Sic ſum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque*

quæ ſuum vinolentum furorem in me unum effunderet.

Pag. 207. *Tres eſſe conſulares*] L. Piſonem, qui primus; Ciceronem, qui ſecundus; P. Servilium, qui tertius in Antonium eſt invectus.

Nec eſt præterea, quod quidquam exſpectes] Præter hoc, quod profectum eſſe dixi; non eſt quod quidquam exſpectes de cujuſquam officiis erga remp. nam Lepidus, tuus neceſſarius, affinitate nova delectatur; alter affinis novis commentariis Cæſaris delenitus eſt: L. Cotta minus in ſenatum venit: L. Cæſar valetudine impeditur: Ser. Sulpicius non adeſt: quare ſpes omnis eſt in vobis.

Tuus enim neceſſarius] M. Lepidus; qui ſororem M. Bruti unam habebat in matrimonio, alteram C. Caſſius.

Affinitate nova] M. Antonii: cujus filiam Lepidi filius uxorem duxerat. Dio lib. 44.

Ludorum] Quia ludis Apollinaribus, quos prætor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo viderat L. Caſſio tribuno pl. fratri C. Caſſii, propterea ludos non amplius amabat.

Fratris tui] Qui fratri tuo datus eſt, epiſt. 2. ad Att. lib 14. *Plauſus L. Caſſio datus etiam facetus mihi quidem viſus eſt.*

Dirumpitur] Invidia.

Alter item affinis] Hujus nomen ignoratur.

Novis commentariis Cæſaris] Nuper a M. Antonio prolatis.

Delenitus eſt] Accepta ab Antonio pecunia, tamquam e Cæſaris commentariis.

Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum] Venuſtus tranſitus ad aliam ſententiam. Sic Phil. 2. *Sed hæc vetera, illud vere recens, Cæſarem meo conſilio interfectum.* Figura ſimilis epiſt. 10. lib. 3. *Atque hæc domeſtica. quid illa tandem popularia?*

Veſtro anno] Anno vobis deſtinato: poſt biennium: nam hoc anno præturam gerebant Brutus & Caſſius: & præturam conſulatus, interpoſito biennio, ſequebatur.

L. Cotta] Aureliæ gentis, qui conſul biennio ante Ciceronem fuerat.

L. Cæſar] Avunculus M. Antonii. epiſt. 5. epiſt. 14. lib. 9.

Optimus & fortiſſimus civis] Sic eum appellat orat. 4. in Catil. *L. Cæſar, vir fortiſſimus, & amantiſſimus reip. ſororis ſuæ virum, præſentem & audientem, vita privandum eſſe dixit.*

Deſignatis] Conſulibus, Hirtio & Panſa.

Pag. 208. *Auctores conſilii publici*] Quorum auctoritate & conſilio reſp. nititur.

Salvis nobis] Id eſt, ne ante veſtrum adventum opprimamur. quod ita contigit.

Ius ſuum recuperabit] Sic octo mei veteres libri: recte: ut bene ominetur de Caſſio & Bruto; vel ſi in Italia res male ſuccedat. ad Att. epiſt. 13. lib. 15. *Videtur reſp. jus ſuum recuperatura.*

Sive non] Hoc in uno tantum eſt vetere libro, a reliquis abeſt. in tribus etiam hoc modo legitur: *Qui ſi non ad me referent, mea tibi tamen benevolentia fideſque præſtabitur.* quod minime diſplicet. in tribus, *Qui ſi ne ad me referent, mea tibi, &c.*

EPISTOLA III.

Pag. 209. *TVus amicus*] Antonius.
Inflatus] C. Cæſaris.

Me principem] Epiſt. 2.

Moleſtus nobis non eſſet] Nam illum cum Cæſare, impulſu meo, occidiſſetis. epiſt. ſeq. & epiſt. 28. lib. 10.

Mortem Cæſaris perſequantur] Vlciſcantur interfectores Cæſaris.

Productus in concionem] Antonius.

Canutio] Ti. Canutio, tribuno pleb. quem poſtea necavit Octavianus. Vellejus lib. 2. Suetonius de claris Rhet. Dio lib. 48.

Turpiſſime] Vexatus a Canutio.

De vobis] Vide epiſt. 23.

Pag. 210. *Legato tuo*] Erat enim Caſſius Syriæ proconſul.

Viaticum] De publico dari ſolitum.

Dominum] Cæſarem.

Conſervo] Antonio.

Loqui tecum] Conſilium capere a te ipſo. epiſt. 7. lib. 2. *Tecum loquere; te adhibe in conſilium.*

EPISTOLA IV.

A*D cœnam*] Ad Cæſarem occidendum. Simul enim Antonium occidiſſemus. epiſt. 28. lib. 10.

Turpiſſimos conſulares] Epiſt. 5.

Philippo & Piſone] L. Marcio Philippo, vitrico Octaviani, & L. Calpurnio Piſone, qui ſocer C. Cæſaris fuerat.

Certas res] Quarum ſumma, ut Mutinæ obſidionem relinqueret: alioqui paratum illi exitum. Phil. 7.

Intolerabilia poſtulata] Hæc Antonii mandata cognoſcuntur ex Phil. 8. *Hæc tu* (inquit) *mandata L. Piſo, & tu L. Philippe, principes civitatis, non dico animo ferre, verum auribus accipere potuiſtis?*

In te ſalutaris populares] Multi enim in te pernicioſa populares, ut duo Gracchi, P. Clodius, C. Cæſar.

Pag. 211. *D. Bruto*] Marco.

Trepior] Quam tu. Brutus etiam in Macedonia.

Vituperabatur ab hominibus non inſulſis, quod tibi tam cito ſuccederet, cum tu vixdum triginta dies in Syria fuiſſes] Locus eſt elegans in his verbis. nam ſenatus ademptam Dolabellæ Syriam Caſſio dederat. Dolabella vero ita in Syriam iverat, quaſi Caſſio legitime ſucceſſurus. qua de re non inſulſi, nec infaceti homines, nimium cito Dolabellam Caſſio ſuccedere, cavillabantur: itaque recipiendum omnino non eſſe, quoniam legitimum tempus, quo Caſſius decedere deberet, exſpectare noluiſſet.

Conſtabat] Ideo conſtabat, eum recipi non oportere, quia tam cito ſuccederet. locus: non enim ſuccedere Dolabellam Caſſio ſenatus voluerat, ſed potius ereptam Dolabellæ Syriam Caſſio tradiderat.

Exiſtimamini] Nondum enim plane certum erat: quod & ſequentia declarant.

Rem cauſſamque] Vniverſum rerum tuarum ſtatum. In quo differant *res* & *cauſſa*, diximus epiſtola prima, libro primo.

Quæ ſcribo] Te eſſe in Syria, & exercitum habere.

EPISTOLA V.

R*Es tantas geſſit*] Vt omittam Plutarchi, Appiani, Dionis teſtimonia, cognoſcuntur ex Philip. 10. res a M. Bruto geſtæ: quarum cauſſa in S. C. laudatus eſt his verbis: *quod ejus opera, conſilio, induſtria, virtute, difficillimo reſp. tempore, provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones, exercitus, equitatus in conſulum, ſenatus, populique R. poteſtate eſſent.*

Pag. 212. *A prima enim ora Græciæ*] Quam tenebat Brutus.

Vſque ad Ægyptum] Quam partem Caſſius in poteſtate reip. continebat. Phil. 10. *Exteræ nationes a prima ora Græciæ uſque ad Ægyptum optimorum civium imperiis & præſidiis tenentur.*

Erupiſſet] Erupit, & vicit. epiſt. 14. lib. 11.

Claterna] *Cliternam* vocant Plinius & Strabo, *Claternam* idem Cicero Phil. 8. inde Hirtius Antonii præſidium dejecit.

Forum Cornelium] Quæ poſtea Longobardorum temporibus *Imola* vocata.

Pag. 213. *Exceptis conſularibus*] Epiſt. 4.

L. Cæſar] Epiſt. 2. & epiſt. 28. libro 10.

Morte] Miſſus a ſenatu ad Antonium, Mutinam obſidentem, in legatione periit: ſenatuſque ſtatuam ei pedeſtrem æneam in Roſtris collocandam, ipſum quam ampliſſime ſupremo die ſuo efferendum, ſepulcrum in campo Eſquilino publice dandum, e Ciceronis ſententia decrevit. Phil. 9.

Populi vero R.] Epiſt. 4.

Ab iſtis Orientis partibus virtutis tuæ lumen eluceat] Cum quodam lepore dictum: ut quaſi comparetur Soli virtus Caſſii. unde, inquit, ſol terras illuſtrat, inde fac ut eluceat virtus tua.

EPISTOLA VI.

T*Idio Strabone*] Malim, *Titio*: cum *Titii* noti ſint, *Tidios* autem ego quidem ignorem. & epiſt. 14. lib. 13. *Titius Strabo* nominatur.

Si adverſi quid evenerit] Si quid offenſum ſit.

Vix

Vix jam ſuſtinebat] Vix ferebat obſidionem, omnium pæne rerum inopia laborans. Hoc eſt, quod ad M. Brutum ſcripſit: *Res exiſtimabatur in extremum adducta diſcrimen. triſtes enim de Bruto noſtro litteræ nunciique afferebantur.*

Qui ſi conſervatus erit; vicimus] Eodem modo epiſt. 20. lib. 14. ad Att. *Cui ſi eſſe in urbe tuto licebit, vicimus.*

Sin] Ominis cauſſa mentionem vitat adverſæ fortunæ. Eadem figura, quæ ἀποσιώπησις Græce dicta, epiſt. 3. l. 14. *Si perficitur, quod agitur; me ad vos venire oportet. Sin autem: ſed nihil eſt opus reliqua ſcribere.* Et epiſt. 12. lib. 16. ad Att. *Si pares aque inter ſe, quieſcendum: ſin, latius manabit.* Et apud obſceni carminis Poetam: *Sin; hac mei te ventris arma laxabant.*

Omnis omnium curſus eſt ad vos] Si offenſum eſſet in prœlio Mutinenſi; civitas omnis, Antonii metu, in Græciam ad M. Brutum confugiſſet. id quod ad ipſum Brutum Cicero ſcripſit his verbis: *Triduo aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculſa civitas, tota ad te ſe cum conjugibus & liberis effundebat.*

EPISTOLA VII.

Pag. 214. IN *ſenatu*] Cum habuit Phil. 11.

Ad populum] Quæ concio non exſtat.

Qua mea ſententia] Vt Caſſius obtineret Syriam.

Panſa] Conſul.

Obſtitiſſet] Cum illam ſententiam valere mallet, ut conſules, id eſt ipſe & Hirtius, perſequendi Dolabellæ cauſſa, Aſiam & Syriam ſortirentur. Philipp. undecima.

Quantum forum eſt] Quanta requiritur in foro, quantum fori magnitudo poſtulat.

Socru tua] Servilia, Catonis Vticenſis ſorore, matre M. Bruti, & Tertullæ, uxoris Caſſii.

Fratrem] L. Caſſium. ep. 2.

Pag. 215. *Fidem meam liberes*] Quod ego promiſi, tu re ipſa præſtes.

Recuperatam] Eam enim Dolabella, occiſo per fraudem proconſule Trebonio, invaſerat & occupaverat.

EPISTOLA VIII.

S*Celus*] Quia ſe cum Antonio conjunxerat.

Affinis tui] Epiſt. 2.

Confecto bello.] Victo ad Mutinam Antonio.

Audiebamus, quæ vellemus] Oppreſſum a te. epiſt. 9.

Hoc tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas] Laudationem ſequitur cohortatio. epiſt. 21. lib. 15.

EPISTOLA IX.

Pag. 216. L*Epidi tui*] Affine.

Firmos exercitus] D. Bruti & Planci.

Multum intereſt] Epiſt. 10.

Veniſſe] In Italiam.

Deſpondetur] Promittitur.

Conſulatus tui] Et M. Bruti. eodem enim anno conſules futuri erant. ep. 2. *Anno veſtro* dixit.

EPISTOLA X.

Pag. 217. A*D ſanitatem*] Ad bonam mentem. *inſanire* enim & *furere* dicebantur, qui a rep. defeciſſent. epiſt. 11. lib. 16. *Videtur, ſi inſaniet, poſſe opprimi.*

Quæ vellemus] Epiſt. 8. 9.

Si hæc ex ſententia confecta eſſent] Epiſt. 9. *Vt omnia proſpere procedant.*

Sin quid forte titubatum eſſet] Ep. 2. *Si adverſi quid acciderit.* ep. ad M. Brutum: *Si quid offenſum ſit.*

Niteremur] Tranſlatum tranſlato reddidit, quia dixerat, *Titubatum.*

Laturus exercitus ſit] Verbum, *exercitus*, opinor abundare.

Pag. 218. *Geſta res*] Dolabella oppreſſus.

Conſules deſignatos] D. Brutum & Plancum. Cæſarem non nominat, ut epiſtola quoque octava, credo ne Caſſium, qui patrem ejus necaverat, offendat.

Brutum quidem jam jamque] Propius enim aberat, cum eſſet in Macedonia, quam Caſſius, qui in Syria.

Exſurget] Tranſlatum verbum ut infra,

ſtà, *Conſiſtet:* & ſupra, *Niteremur*, in eadem ſententia.

Quibus erit medendum] Domeſtica vitia notat, & inteſtinum malum.

EPISTOLA XI.

PRocos.] Non quia conſul fuiſſet, verum quia proconſulari imperio Syriæ præeſſet. Multos autem poſt præturam proconſules appellatos eſſe, oſtendimus epiſt. 1. lib. 1. Syriam Caſſio prætori Cæſar, Parthicum bellum cogitans, deſtinaverat, ut prætura functus in eam iret. Cæſare mortuo, conſul Antonius effecit, ut ea collegæ ſuo Dolabellæ, ſibi autem Macedonia S. C. traderentur; Caſſius in Siciliam, M. Brutus in Aſiam, uterque emendi mittendique ad urbem frumenti gratia, proficiſcerentur. poſtea, cum Dolabella in Aſia Trebonium proconſulem occidiſſet, Antonius autem in Gallia ciſalpina Decimum Brutum oppugnaret; offenſus graviter ſenatus, cui jam utriuſque conſulis pernicioſa reip. conſilia paterent, Caſſio Syriam, Bruto Macedoniam, utramque illis a Cæſare promiſſam, S. C. reſtituit, quo S. C. inſtructi, Caſſius in Syriam, Brutus in Macedoniam ivere: & Caſſius quidem Dolabellam oppreſſit, Brutus C. Antonium, Marci fratrem, conantem occupare Macedoniam, cepit. Opinor autem, cum hanc epiſtolam ſcripſit Caſſius, nondum ei Syriam a ſenatu decretam fuiſſe. decreta eſt enim poſt mortem Trebonii, ut Philipp. 11. oſtendit. Trebonius autem, cum hanc epiſtolam ſcripſit Caſſius, nondum perierat.

L. Murcum] L. Statium Murcum, qui tres legiones habebat. Phil. 11. Appianus l. 4. Dio l. 47. hunc poſtea Sex. Pompejus, Magni filius, cum ad eum, devictis Bruto & Caſſio, ſe contuliſſet, virtutem ejus timens occidit. Dio libro 48.

Q. Criſpum] Q. Marcium Criſpum, ipſum quoque trium legionum ducem. Phil. 11. Appianus, & Dio: quamquam Dio mendoſe *M. Criſpum* vocat.

Pag. 219. *Quæ Romæ gererentur*] Contra Antonium & Dolabellam, & pro ipſo Caſſio, tradita illi Syria S. C. Epitome Liviana lib. 121.

Legionem] Quam Murcus & Criſpus obſidebant.

Q. Cæcilius Baſſus] Qui præerat ei legioni, a Cæſare traditæ, cum de Parthico bello cogitaret. Phil. 11. *Eſt Q. Cæcilii Baſſi, privati illius quidem, ſed fortis & præclari viri, robuſtus & victor exercitus.* Strabo lib. 16. Dio lib. 47. Appianus lib. 4.

Allienus] Legatus Dolabellæ. Phil. 11.

Ex Ægypto] Quo miſſus erat a Dolabella, ut ad ſe quattuor illas legiones adduceret. Appianus lib. 4.

Taricheis] Opido Judææ. Plinius lib. 5. cap. 15. & Joſephus de bello Judaico.

EPISTOLA XII.

MOliri] Apparare. *moliri* enim abſolute ponitur interdum. Terentius in Heaut. *Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.*

Pag. 220. *Scripſi ad te*] Superiores litteras ſignificat.

Trebonio] Qui Aſiæ præerat.

Occiſo] Smyrnæ: quæſtione primum tormentis habita pecuniæ publicæ, deinde cervicibus fractis, abſciſſo capite: quod affixum geſtari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici Dolabella juſſit. Phil. 11. Appianus lib. 4. Dio lib. 47.

Qui in Syria fuere] Ubi Cæſar eos collocaverat, iturus in Parthos. epiſt. 11.

Dignitatem meam] Cupere ſe oſtendit Syriæ adminiſtrationem.

Tyrannis] Dolabellæ & Antonio: iis enim uſi eſſent ad exitium reip.

Eripui] Effeci enim, ne ab iis occupari poſſet.

Quos] Sic omnes libri veteres; uno excepto, in quo eſt, *Quam*, & in margine *Quos*. *Quos* autem *exercitus* accipio, non *tyrannos*: nam tyranni ſunt ipſi Dolabella & Antonius, quibus ereptum a ſe exercitum eſſe gloriatur. At, *exercitum*, dixit, non *Exercitus*. Vere: tamen poſtea reſpexit ad quattuor exercitus, quos ipſe comparaverat, Murci, Criſpi, Baſſi, Allieni.

Pag. 221. *Miſere*] Turpiter & infeliciter. miſer, quia noluit id, quod debuit.

EPISTOLA XIII.

C*Aſſius*] Non is, qui ſcripſit duas ſuperiores epiſtolas: ut infra.

Q.] Quæſtor, alterius Caſſii, ut opinor, ejus qui cum Bruto in Cæſarem conjuravit.

Victoria] Mutinenſi.

Inſtauratione] Renovantur enim tuæ laudes victoria Mutinenſi, a tuis maxime conſiliis profecta.

Maximus conſularis maximum conſulem te ipſe viciſti] Majora enim ſunt, quæ conſularis, quam quæ conſul effeciſti: cum tamen maxima conſul geſſeris. ep. 7. *Fac in augenda gloria te ipſum vincas.* Et lib. 3. de Orat. *Ceteros a Craſſo ſemper omnes, illo autem die etiam ipſum a ſeſe ſuperatum.*

Pag. 222. *Toga*] Togatus enim Cicero reip. ſæpe profuit. ep. 4. lib. 15.

Reip. tenebris] Cæſare dominante, luce libertatis exſtincta.

Comperiſti] Ob mea in te officia, & quia tum tibi ſenſus meos patefici. infra: *ſimilia illis cogitationibus, quarum tu teſtis es.*

Taciturum] De meo, & in tyrannum odio, & in remp. ſtudio.

Omnium judicio] Non tuo.

Noviſſima] Cum Cæſarem occidimus, & cum arma pro rep. capimus.

Nec inconvenientia] Ita legitur in quinque libris antiquis, quos nunc habeo, & in aliis præterea, quibus olim ſum uſus: Petri Bembi, Vbaldini Bandinelli, Joannis Scalæ, Pauli Boti, duobus Caroli Sigonii. nec vero aliter poſtulat ſententia. Duo veteres libri, unus Vincentii Riccii, quem olim in Scholiis meis nominavi, alter, qui nunc apud me eſt, viri doctiſſimi atque optimi, & mihi vetere neceſſitudine conjuncti, Petri Pagani, habent, *Diſconvenientia:* nec improbo. nam & Horatius epiſt. 1. lib. 1. dixit:

Æſtuat, & vita diſconvenit ordine toto.

Et epiſt. 14.

Non eadem miramur: eo diſconvenit inter

Meque & te ——

Alii legunt, *Nec convenientia*, pro inconvenientia. Sua cuique ſponſa, ut in proverbio eſt.

Illis cogitationibus] De rep. liberanda.

Non minimum] Adverbii loco, pro *Non minime.*

Producendum] Promovendum. infra: *Ad omnia producere.*

Pag. 223. *Studiorum tuorum*] Erga remp.

Quorum] Amicorum.

Copiam] Vt abundes.

Non maxima me turba puto excludi] Non puto multos eſſe, quos mihi in amore anteponas.

Quo minus tibi vacet me excipere] Vt non tibi liceat amplecti me officiis tuis: ut ob maximam amicorum turbam ornare me non poſſis.

Probavimus] In occidendo Cæſare. nam & hic eum percuſſit.

Diutina ſervitus] In qua vivendum fuit ad unius arbitrium: ingenium elucere non potuit.

Contumacia] Cum recuſarent.

Cui Lucilius præerat] Etſi nihil mutavimus, tamen indicamus placere nobis, *Lucius*, potius quam *Lucilius*, tum quod ita eſt in duobus antiquis, & in uno præterea Vincentii Riccii, quem olim habuimus: tum etiam, quod Appianus hunc nominat *L. Figulum:* & Figulus non Luciliorum, ſed Marciorum & Nigidiorum eſt cognomen.

Neque umquam non decedendo] Et interdum a portibus ita diſcedendo, ut ad me tranſire velle videretur.

Corycum] Portuoſum Pamphyliæ montem.

Pag. 224. *Anno priore*] Superiore proximo.

Bithynia] Cimbro ab ſenatu attributa. Plutarchus in Bruto, Appianus libro tertio, Dio lib. 47.

Tillius Cimber] Vnus e percuſſoribus Cæſaris. epiſt. 12. lib. 6. Suetonius, Plutarchus, Dio, Appianus, Seneca, alii.

Quæſtor] Cimbri.

Speciem exercitus effecit] Non plane exercitum, ſed imaginem & ſimilitudinem. Cicero 2. in Rullum: *Neque vero comitiis, neque illis, ad ſpeciem atque ad uſurpationem vetuſtatis, per xxx.*

lictores

liſtores auſpiciorum cauſſa adumbratu. Tacitus libro decimooctavo: *Tantum ſimul peditum equitumque & æmulantium inter ſe regum paratus, ſpeciem fortunæ principalis effecerant.*

Caſſius noſter] Is, qui Cæſarem occiderat.

Caſtra habet poſita Παλτοῖ] Paltum Syriæ oppidum, a Plinio quoque Græca inflexionis forma nominatum. E vetere libro Pauli Boti ſic olim emendavimus. & ita dictum, Παλτοῖ, figura Græca, ut Κορύδαλλος Κορυδαλλοῖ, Προϐάλινθος Προϐαλινθοῖ, Φάληρον Φαληροῖ, Φρέαρρον Φρεαρροῖ.

Pag. 225. *Ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam eſt*] Menſuram non nominat: ſed medimnum ſignificari puto. nam modius Romana menſura fuit. de medimno autem eo magis arbitror, quia tetradrachmum nummus Aſiaticus eſt: & Laodiceæ, quæ fuit in Syria, triticum veniebat. Medimnus ſex modios capit, & amphoras duas. ut ex Fannii verſibus cognoſcitur. ſed quoniam tritici plura genera, nec ejuſdem omnia ponderis; quod libro decimooctavo capite ſeptimo Plinius docet: ideo medimni menſura certo librarum numero definiri non poteſt. varia enim eſt pro varietate frumenti. Italicum quidem & candore, & pondere ceteris omnibus Plinius anteponit: ſed Romanum in modio leviter æquato, non pala depreſſo, ad vicenas libras non pervenire, Latinus Latinius, vir bonitate inſigni, & peracuto præditus ingenio, mihi affirmavit, expertus ipſemet in quadrantali, ſua jam induſtria facto ad menſuram quadrati pedis Romani. quod cum amphora ſit, & amphoras duas medimnus capiat, idemque modios ſex: ſatis liquet, modios quadrantali ternos contineri. quadrantal autem frumento æquatum, pala non depreſſo, libras pendit LVII. & unius dimidium: depreſſo, libras LXIV. & unius dimidium: depreſſo, & cumulato, libras LXXII. & unius dimidium. ſed ponamus, Aſiatici tritici, de quo loquitur Caſſius, pondus fuiſſe vicenas in modio libras, medimnum autem ternis tetradrachmis veniiſſe: pretium erit, pro ſingulis medimnis, id eſt libris CXX. denarii XII. qui ſunt ſeſtertii nummi XLIIX. id eſt, aſſes CXCII. aſſes autem Venetis marculis, qui quaterni reſpondent ternis baioccis Romanis, æſtimantur. quod ſi CXX. tritici libræ aſſibus CXCII. veneunt; ſequitur, ut ſingulæ libræ veneant aſſe, & unius tribus quintis partibus. ita Romana menſura, quam rubium hodie vocant, ſexcenarum librarum pondere, qui medimni quinque ſunt, ſcutatis erit VII. & aſſibus XXVI. Tetradrachmum Aſiaticus nummus, atque etiam Atticus fuit, ut Livius docet, quattuor drachmarum pondere; quod vel ex nomine intelligitur. reſpondere tribus fere denariis, ait Livius lib. 34. ſed loquitur de leviore drachma, a Solone inducta, quæ denarium pondere non æquabat, ſed tertia ſui parte, quæ denarii quarta pars erat, ſuperabatur. propterea, trium fere denariorum in ſingulis tetradrachmis argenti pondus eſſe, Livius dixit. habent enim ſcriptores ejus rationem temporis, de quo ſcribunt, non quo ſcribunt ipſi. nam & Livii, & Ciceronis ætate, ac Plinii poſtea, tetradrachmum trium denariorum pondere non erat, ſed quattuor plane denariis æquale. Nec vero, quia Livius addidit, *Fere*, notatur inæqualitas, ſed potius officinarum conſuetudo, quæ non nihil interdum de legitimo denariorum pondere detrahunt. quod fortaſſe jam, vivente Livio, Auguſto principe, fieri cœptum erat.

Triticum] Tritici modius, libræ XXV.

Ego] Quæſtor C. Caſſii proconſulis.

Turulius] Quæſtor Cimbri.

Patiſcbus] Cilix, proquæſtor Lentuli: ut epiſt. 15. is eſt, de quo in epiſt. 11. lib. 2. & epiſt. 6. lib. 8.

Pag. 226. *Expeditiſſu*] Devicto ad Mutinam Antonio.

Expediri poſſe] In opprimendo Dolabella.

A Crommyacride] Verba Græca Latine prolata. nam Κρομμύου ἄκρα Cypri promontorium eſt, auctoribus Strabone & Ptolemæo. ἀκρὶς autem deminutiva forma dictum. Caſſius, cum Latine loqui vellet, ex duobus nomi-

nibus unum fecit, omiſſa una litera *u*.

P. VICTORIUS.

Ut hæc noviſſima noſtra facta non ſubita, nec inconvenientia] Omnes antiqui codices, etiam Mediceus, *Convenientia* habent: quam vocem non recepi: nec tamen viſum eſt propter librorum vetuſtatem dignitatemque committere, ut ſi forte hæc melior eſſet lectio, amplius in tenebris, ſqualoreque jaceret. nec enim eſſe debet noſtra alicujus rei inſcientia damno huic ſcriptori: quod enim ignoramus, alios optime callere poſſe intelligimus, & credimus. Neſcio enim (ut nihil taceam eorum quæ in mentem veniunt) an hic *Convenientia*, caſu orta, & ut Græci dicunt, *συμβεβηκότα* ſignificare poſſit: nam & hoc etymon τῶν συμβεβηκότων videtur adferre Simplicius in commentario primi libri Ariſtot. de anima, *quod cum alio eant, & una vadant.* Hæc autem ſunt ejus verba: κατὰ συμβεβηκὸς δὲ ἴδια τὰ ἀποδεικνύμενα λέγεται κἂν κοινὰ ᾖ, ὅτι ὡς ἄλλο ἄλλου κατηγορεῖται τοῦ δεικνυμένου, καὶ διὰ τοῦτο μὲν συμβεβηκὸς ὡς σὺν ἄλλῳ βεβηκός. nec tamen memoria tenemus, alibi hanc vocem hoc ſignificatu legiſſe. Peritiores totam hanc rem diligentius animadvertant: nos eorum judicio libenter ſtabimus, petimuſque ne ſtudium juvandi omni ratione qua poſſumus Latinam linguam, in nobis culpetur. Quid enim hæc diligentia nocere poteſt? Dictionem autem hanc, cum ſine ullo auctore probare non poſſemus, reliquimus: nec tamen adeo ſpernendam cenſuimus, ut hic ſaltem de ea mentionem feciſſe nobis concedi non debeat. Cupidus autem laudis, & gloriæ C. hic Caſſius acute, & prudenter videri volebat, quæ tunc honeſte geſſerat, ſimilia eſſe illis ſuis cogitationibus, quarum teſtis erat Cicero: illi enim cogitationes ſuas aperuerat, & hujus rei ab eo fidem omnibus fieri deſiderabat, ne noviſſima facta ſine conſilio, & electione facta eſſe ab hominibus exiſtimarentur. Maximum autem argumentum eſt, ſi oſtendere velis ea quæ recte feceris, a judicio, & virtute profecta, & non a fortuna & caſu (tunc enim non multum laudis adipiſcerere) proferre quæ ſæpe antea ſimilia feceris, vel ſaltem cogitaris, ſi proficere non potueris. Docet hoc Ariſtoteles libro primo Rhetor. c. 9. qui vult ea quoque quæ caſu evenerint, poſſe probare avidos laudis cum conſilio ſe feciſſe, ſi multa illis ſimilia antea ſe geſſiſſe planum fecerint. Ejus verba quæ hæc declarant, & ſuſpicionem noſtram non parum augent, non importunum viſum eſt adponere: ἐπεὶ δ' ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος, ἴδιον δὲ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, πειρατέον δεικνύναι πράττοντα κατὰ προαίρεσιν. χρήσιμον δὲ τὸ πολλάκις φαίνεσθαι πεπραχότα. διὸ καὶ τὰ συμπτώματα, καὶ τὰ ἀπὸ τύχης, ὡς ἐν προαιρέσει, ληπτέον· ἂν γὰρ πολλὰ καὶ ὅμοια προφέρηται, σημεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξει καὶ προαιρέσεως. In poſterioribus notis hæc adjecit: Non videbar mihi peccaſſe, qui recepta lectione conſervata fideliſſimi codicis ſcripturam (præſertim cum in aliis etiam minoris auctoritatis libris eam invenerim) notam eſſe voluiſſem: non deſunt tamen qui reprehendant.

Data Id. Jun. Acremani Jacride] Sic omnes vulgati codices habent, meo quidem judicio, mendoſe, & nullo intellectu: Alii *Cypro Acremania clide* emendarunt, interpretanturque his verbis caſtigationem ſuam, quaſi dixerit apud ſummam Clidem ex Ptolomæo, Plinio, & aliis. nos credere non poſſumus ſi ſummam Clidem intelligere voluiſſet, *Acremaniam* dicturum fuiſſe: quæ (niſi fallimur) vox neque Græcis, neque Latinis id habere poteſt ſignificati. Clides autem duæ parvæ inſulæ ſunt ex adverſo Syriæ. Cum autem literas datas Cypro dicat, ut certiorem locum declararet ubi eſſent (eſt enim ſatis magna inſula Cypros) locum quempiam in ea inſula narrare debuit, non extra: ſi enim extra, ut ſunt Clides, non Cypro datæ literæ eſſent. Nos ex vetuſtis noſtris codicibus, in quibus pene incorruptis hic locus eſt (legitur enim *A Cromamyu acride* una tantum abundante litera) legimus *A Crommyu acride.* Eſt autem Cypri promontorium κρομμύου ἄκρα.

ἄκρα contra Anemurium promontorium Ciliciæ: de quo Strabo in fine XIIII. lib. τῶν μεσημβρινῶν· ὁρᾶμεν δὲ κατὰ τὸ Ἀνεμούριον ἄκραν τῆς τραχείας Κιλικίας ἀντικεῖσθαι τὸ τῆς Κυπρίας ἀκρωτήριον τὴν Κρομμύου ἄκραν ἐν τριακοσίοις καὶ πεντήκοντα σταδίοις. Nec multo poſt iterum: ὑπέρκειται δ' ἡ μεσόγαια Λαπηθία πόλις· εἶθ' ἡ Κρομμύου ἄκρα. Quod autem in Ptolemæi Latinis codicibus *Crommion extrema* appellatum eſt hoc promontorium, pudendus eſt error interpretis, qui Geographum vertere aggreſſus ſit, cum neſciret Græcis ἄκραν promontorium ſignificare. nam quod ab hoc κρομμύου ἀκρὶς vocatum eſt, diminutiva forma voluiſſe appellare credimus, ut νησίδας etiam parvas inſulas eadem ratione nominant: ſi quis noſtram opinionem non recipit, ipſe meliorem inveniat: nobis ſane ſatis certa hæc lectio videtur, & antiquæ ſcripturæ (quod maximum eſt) ſimilis, vel potius eadem quæ illa. Idem in poſterioribus annotat. Quibus argumentis, auctoritatibuſque cenſuerimus ita legendum eſſe, explicavimus antea diligenter. Qui *Acamantide* magis probant, non vere judicant: ſatis certum hujus rei ſignum eſt, quod quid *Acamantide* ſit ignorant: nemo enim unquam veterum auctorum Acamantida promontorium eſſe dixit, quod illi credunt. Acamas promontorium eſt, a quo, ut tradit Plinius, tota Inſula quandoque Acamantis appellata fuit. Strabo lib. XIV. pag. 28. ὁ δ' Ἀκάμας ἐστὶν ἄκρα δίμαστος ἔχουσα, καὶ ὕλην πολλήν. Si legeretur igitur *Acamantide*, cum ante *Cypro* dixerit, inania, ac nimis otioſus ſermo eſſet. Non videbar mihi peccaſſe, qui recepta lectione conſervata, fideliſſimi codicis ſcripturam (præſertim cum in aliis etiam minoris auctoritatis libris eam invenerim) notam eſſe voluiſſem, deque ea non negligenter diſſeruiſſem: non deſunt tamen qui reprehendant.

EPISTOLA XIV.

L*Entulus*] Filius Lentuli Spintheris, ad quem ſunt lib. 1. Ciceronis epiſtolæ, augur erat, ut lib. 39. ſcripſit Dio. quæſtor in Aſiam profectus erat cum Trebonio proconſule. quo mortuo, proprætoris nomen aſſumpſerat, quo majore auctoritate ſociis imperare poſſet: nec tamen quæſtoris officium intermiſerat: itaque proquæſtor vocabatur, ut inſcriptio docet epiſtolæ ſequentis.

In Lycia] Quam poſtea Veſpaſianus, adempta libertate in provinciæ formam redegit. Suetonius.

Pag. 227. *Ampliuſque centum naves onerarias*] Obſeſſas a claſſe Dolabellæ, ut, exercitu in eas impoſito, Italiam petere poſſet. epiſt. ſeq.

Fruſtrata] Caſſio Syriam tenente. epiſt. 5.

Profligata eſt] Minus eſt, quam ad exitium perducta. de hoc verbo ſupra diximus.

Quam te vera furere eos inveni, quod vero aliquid de hu ſcripſi] Totum hoc non erat in impreſſis libris: ego addidi ante multos annos, ex antiquo Vincentii Riccii libro: cum quo poſtea video conſentire & Sigonii librum, & quattuor præterea, quos nunc habeo.

Pag. 228. *Nec in me ulla privatim injuria umquam*] Subaudi, *Fuere*. ſic duo veteres libri, & recte.

Fugientem] Ex Pharſalica pugna. Cæſar libro tertio de bello civili.

Patrem meum] P. Lentulum Spintherem.

L. Lentulum] Qui conſul cum C. Marcello fuit anno primo civilis belli.

Pompejum] Magnum.

Conſulibus] Panſæ & Hirtio: quos Lentulus, cum hæc ſcriberet, obiiſſe neſciebat.

Pag. 229. *Laodiceam, quæ eſt in Syria ad mare*] Laodiceæ duæ fuerunt, hæc in Syria, quam lib. 5. cap. 20. Plinius & lib. 11. Strabo nominat: altera in Aſia, quam idem Plinius infra, & Strabo lib. 12. Syriacam numquam video ſejunctam ab ejus imperio, qui Syriæ præerat. Aſiatica vero cum ad Aſiæ juriſdictionem attineret, interdum tamen Ciliciæ rectoribus honoris gratia tribuebatur. notum eſt Ciceronis exemplum: cujus verba ex epiſt. 67. lib. 13. ad Servilium Aſiæ proconſulem recitabo: *Ex provincia mea Ciliciensi, cui*

ſiis περὶ διοικήσεως *Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius uſus, quam Androne Laodicenſi.* Opinor tamen hanc Laodiceam tum disjungi ſolitam ab Aſiæ imperio, & adjungi Ciliciæ, cum & Aſiam prætorius aliquis, & Ciliciam conſularis adminiſtraret. alioqui fuiſſet ignominia, ſi vel a conſulari ad conſularem, vel a prætorio ad prætorium, multo etiam major, ſi a conſulari ad prætorium transferretur.

Spero] Spem comprobavit eventus. Vellejus, & alii.

Tantum exercitum Caſſii] Decem legiones. epiſt. 13.

Quam reliquias mea diligentia conſequar] Hoc paullo poſt explanatur.

Qui mihi fidem, reique pub. non præſliterunt] Qui debitam pecuniam non ſolverunt. epiſt. 7. lib. 1. *ſi rex amicis tuis, qui per provinciam imperii tui pecunias ei crediderint, fidem ſuam præſtitiſſet.*

Provincia iſtius] Aſiæ. & *iſtius*, pro *hujus*: ut alibi quoque.

Pag. 230. *Caſſius*] C. Caſſius.

Bruti] Marcus & Decimus.

Illius facti periculique ſocietate] Cum Cæſarem occidimus. Plutarchus in Cæſare, quoſdam falſo gloriatos eſſe de nece Cæſaris, ait, quaſi interfuiſſent: nominatque hunc Lentulum, & Octavium quendam.

Leges Antonianas] Quas conſul M. Antonius tulerat.

Fregi] Quia primus contra eas facere auſus eſt. abrogavit enim Panſa conſul, non Lentulus, e ſententia Ciceronis. Philip. 5.

Provinciam quoque illorum beneficio habebam] Mihi non videtur ullam provinciam Lentulus habuiſſe, quippe qui Aſiæ adminiſtrationem ſibi a conſulibus demandari poſtulet: dixit enim ſupra: *Rogo te, petas ab iis, ut mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam, dum ipſorum alteruter venit.* *Provinciam* igitur uſurpat pro quæſtorio munere, ſicuti cum dixit paullo ante: *Mihi fuit iſta provincia plena laboris, periculi, detrimenti.* & infra: *Quæ extrema regio eſt provinciæ meæ.* Cum vero dicat, *Illorum beneficio*: annum ſuperiorem proximum ſignificat, quo M. Antonius conſul fuit, fratres autem ejus prætor Cajus, tribunus pl. Lucius. nec vero ante idus Martias, quo die necatus eſt Cæſar, ivit in provinciam Lentulus: nam ſe affuiſſe, cum Cæſar interficeretur, ipſe teſtatus eſt iis verbis; *Illius facti periculique ſocietate.* Ivit igitur poſt Cæſaris necem, Antoniorum beneficio: cum ex eorum voluntate adminiſtrarentur omnia.

Πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν] *Patriam meam magis amans.* Integrum ſenarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμάτων·

Φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν
μᾶλλον φιλῶ.

Quem dimidiatum, & parva quadam mutatione, Lentulus attulit. Hoc acceptum referatur Philoſopho præſtantiſſimo, & elegantiori doctrina perpolito, veterrimo optimoque amico, Octaviano Ferrario.

Omnibus meis] Antoniis: quibus ſe eſſe ſanguine conjunctiſſimum dixit. reſpexit fortaſſe ad prima duo verba ſupradicti ſenarii: φιλῶ τέκνα. patriam enim ille filiis, Lentulus autem ſuis omnibus anteponendam putavit.

Pag. 231. *In hiberna*] Anno ſuperiore, quo Lentulus ad Brutum venit.

Opinione] Quam ſe habere de bonorum cauſſa oſtendit.

EPISTOLA XV.

P. F.] P. Lentuli Spintheris filius: quamquam a Torquato eſſet adoptatus, ut ait Dio: a quo tamen nec prænomen, nec cognomen ſumpſit: quippe cum ea tantum cauſſa ſit adoptatus, ut augur eſſe poſſet.

Proquæſ. proprat.] Quæſtor fuit, vivo proconſule Trebonio: eo mortuo, proquæſtoris, & proprætoris nomen aſſumpſit, præſidio comparato, ut provinciam ab injuria defendere poſſet. infra.

Scelere] Et quod alienam provinciam hoſtili more invaſit: & quod Trebonium, cum quo familiariſſime collocutus erat, violata fide occidit.

Oppreſſa Aſia] Smyrna capta.

Vir clariſſimus] Eadem laus in adoleſcentem convenit. Phil. 10.

Adduci] A me.

Ad meum officium] Quod ſequentibus verbis explanatur.

Vectigalia exigerem] Pecuniæ cura ad quæſtorem pertinebat. epiſt. 17.

Pag. 232. *Proquaeſt.*] Ipſius Lentuli, poſt obitum Trebonii.

Juraverant] Hoc in omnibus fœderibus obſervatum animadverti.

Portu, ſtatione] Differunt: nam portus tutior, quam ſtatio. Virg. libro 2. Æn.

Nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis.

Naves onerarias] Epiſt. 14.

Duum millium amphorum] Antiquiſſimos Grammaticus Julius Romanus admonuit, *Amphorum* dici, eum additur numerus; *Amphorarum*, per ſe: ut eſt apud Cariſium.

Pag. 233. *Trebonii*] A Dolabella occiſi. epiſt. 12.

Hac] Non eſt, a quo verbo regatur: & ſubaudiri videtur, *faciunt.* nonnulli veteres libri habent: *Hoc ſive timor eſt, ut diſtant de agris, quos in continenti habent, ſive furor, ſive patentia paucorum, &c.* Omnes autem ſcripti libri, *Patentia*, non *Potentia* e ſed, *Potentia*, magis placet, licet (ut opinor) ex ingenio ſit.

Viros clariſſimos] Lentulum, & Pompejum. epiſt. 14.

Pag. 234. *Maximos magiſtratus gerentes*] Qui antea pari contumelia viros clariſſimos affecerant, iidem nunc maximos magiſtratus cum gerant, nullo exemplo, &c. Infra, *ipſi magiſtratus.*

Nullo exemplo] Majorum ſuorum.

Neque veſtra ex parte] Neque ſtudio veſtrarum partium.

Ille parricida] Dolabella.

Mederi, cum facile poſſent, voluerunt] Sic duo veteres libri: reliqui, *Noluerunt.* ſed Latini ſermonis conſuetudo poſtulat, *Voluerunt.* non enim dicitur: *Neque noſtro præſentium, neque imminenti Italiæ periculo mederi noluerunt.* Nam id eſſet, *Mederi voluerunt:* cum ex geminata negatione fiat affirmatio.

Profugerunt] Adventus noſtri timore. ideo nos demorati erant Rhodii, ut ſpatium fugiendi legatis Dolabellæ daretur.

Uſque Sydam] Ultra non licuit. nam provinciæ fines præterire leges vetabant. Syda vero in Pamphylia fuit: & Pamphylia ad imperium Aſiæ pertinuit: quod paullo poſt intelligitur.

EPISTOLA XVI.

Pag. 236. TRebonius] Proconſul ibat in Aſiam provinciam. tribunus pl. Pompejo & Craſſo iterum coss. legem tulerat de prorogandis Cæſari Galliis in alterum quinquennium: poſtea prætor fuit anno ſecundo civilis belli: conſulem ſibi eum Cæſar in quarto conſulatu cum Q. Fabio Maximo ſuffecit uſque ad exitum anni.

Obtinentibus] Conſulati imperio. Phil. 10. *Conſularem hominem, conſulari imperio provinciam Aſiam obtinentem, Samiario exſuli tradidit.*

Pag. 237. *Cratippus*] Qui philoſophiam peripateticam eximia cum laude Athenis docebat. epiſt. 21. lib. 16. & l. 1. & 3. de off.

Pleno gradu] Qui, auctore Vegetio, parum diſtat a curſu. Salluſtius in Jug. *Diſperſos milites in unum contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem ſubducit.* Livius autem libro 34. differre *plenum gradum* a curſu ſatis oſtendit. *Pleno* (inquit) *gradu ad caſtra hoſtium oppugnanda ſuccedere jubet: ſi quis extra ordinem avidius procurrit, interequitans ſparo percutit.* Ibidem: *ſecundam legionem, ceteris omnibus effuſis, ad ſequendos hoſtes, pleno gradu ſub ſignis compoſitam inſtructamque ſubire ad portam caſtrorum juſſit.* Idem lib. 4. *peditum inſtructam aciem pleno gradu in aciem inducit.* Et lib. 10. *Ubi nemo obvius ibat, pleno gradu ad caſtra hoſtium tendunt.*

Quædam turbulenta] Vera: nam conſul Antonius liberatam Cæſaris interitu remp. rurſus opprimere conabatur.

Laxamenti] Otii, vacui temporis a negotiis.

Munuſculum] Librum. ep. 21. lib. 15.

Dictum] Librum ſcripſerat Trebonius de dictis Ciceronis. Ejuſdem dicta in tres libros libertus ejus Tiro col-

legit, vel potius congeſſit. nam Quintilianus lib. 6. cap. 3. de riſu, *Utinam*, inquit, *libertus ejus Tiro aut alius, quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero induſſiſſent, & plus judicii in eligendis, quam in congerendis, ſtudii adhibuiſſent, minus objectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, facilius, quid rejici, quam quid adjici poſſit, invenient.*

Cum magno noſtro honore a te dictum] Ergo non omnia Ciceronis dicta, ſed ea tantum, quæ Trebonii cum honore dixerat, in eo libro continebantur. *Dicere dicta*, uſitatum apud Ciceronem.

Concluſi] Non ſimpliciter ipſa Ciceronis dicta poſuerat; ſed præfatus nonnulla in extremo dicta ſubjunxerat. quod epiſt. 21. lib. 15. Cicero declarat his verbis: *Ante quam ad me veniatur, riſus omnis pæne conſumitur.*

Tibi infra ſubſcripſi] Subſcripſi nomen tuum.

Verſiculis] Non Poeticis, verum oratione ſoluta. nam utrique verſus dicuntur.

Εὐθυῤῥημονέστερος] Apertior in loquendo. epiſt. 22. lib. 9. ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔστι.

Perſona ejus] Fortaſſe M. Antonii.

Vindicabit] Defendet.

Lucilio] Poetæ Satyrico, in multos liberius invecto.

Par] Mihi: cum æque illos, ut ego hunc, oderit.

Ad tuos ſermones] Dialogos: in quos includi volebat.

Non dubito, quin non patiaris] Mihi certum eſt paſſurum te non eſſe.

Me minimam partem & rei, & amoris tui ferre] Non patieris extremo loco me collocari inter eos, qui Cæſarem occiderunt, & qui a te diliguntur. laudabis me neque minimum, neque vulgari cum indicio benevolentiæ tuæ.

EPISTOLA XVII.

Pag. 238. *COllega*] In inauguratu.

Mos eſt ita rogandi] Vide epiſt. 29. lib. 11.

Tumultuoſiora quadam] Seditionem faciente Q. Cæcilio Baſſo, qui poſtea ſe cum legione C. Caſſio tradidit. epiſtola 11. & 18. Dio lib. 47. & ad Atticum epiſt. 9. lib. 14. & Strabo lib. 16.

Tibi ſunt propera] Cum in Africa ſis. epiſt. 21. 26. 27.

Salubra] Cum ſalute reip.

Video id curæ eſſe Cæſari] Video Cæſarem de conſtituenda rep. cogitare.

De optimo genere dicendi] Quem librum, *Orator* inſcripſit. epiſt. 18. lib. 6. & epiſt. 20. lib. 15.

Pag. 239. *Ut doctum hominem*] Scripſit & Cornificius de arte Rhetorica, ut auctor eſt Quinctilianus lib. 3.

Diſſidere] Non ſolum Cornificio, ſed etiam M. Bruto parum probata eſt de optimo genere dicendi Ciceronis opinio. epiſt. 20. ad Att. lib. 14. *Cum ſcripſiſſem ad Brutum de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud quod mihi placeret, non probari.* Differebant autem, niſi fallor, in eo, quod elocutioni Cicero tribuebat plurimum, Brutus autem rebus haud paullo plus, quam verbis.

In iſta ſolitudine] *Solitudine* potius, quam *ſolicitudine*, e tribus antiquis libris, & e ſenſu legendum putavi. dixit enim *ſolitudine*, pro, *Summo otio*: quod apertius ſequenti epiſtola: *Etſi*, (inquit) *periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quod & in ſummum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis diſcedere.*

EPISTOLA XVIII.

Pag. 240. *VOs magnos oratores*] Tale illud, *Novi ego vos magnos patronos*, epiſt. 14. lib. 2.

Facere nonnumquam] In agendis cauſſis: cum ad extrema primum reſpondeatis.

Cæcilius Baſſus] Totam hiſtoriam vide apud Dionem lib. 47.

Iſtic] In Syria, Cæcilii Baſſi opera.

Iis mos gerendus ſit, quibus adjutoribus parta ſit victoria] Eadem ſententia epiſt. 9. lib. 4. *Multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda ſunt.*

Obdurui] Conſuetudine malorum.

Caſtre,

Callere, epiſt. 5. lib. 4. *Callum obducere*, epiſt. 2. lib. 9.

Ludi] Quos Cæſar dedit victor ex Hiſpania reverſus. Suetonius.

T. Plancum] Burſam, Ciceronis inimicum, lege de vi ſtante rep. damnatum, a Cæſare reſtitutum. epiſt. 2. libro 7.

Laberii & Publii poemata] Mimos. de Laberio diximus epiſt. 11. lib. 7. contendiſſe cum Laberio ſene juvenem Publium, ait Macrobius libro ſecundo Sat.

EPISTOLA XIX.

Pag. 241. V*Erebar ut redderentur*] De verbo *Vereor*, vide quæ diximus ep. 1. lib. 2.

Eandem] *Eam rem*, quo diligentius in ſententiam intueor, eo magis placet.

Induſtria] Virtus eſt, quæ verſatur in agendo. epiſt. 9. lib. 13.

M. Bibulo] Qui Syriæ præfuerat eo anno, quo Cicero Ciliciæ. epiſt. 11. 17. lib. 2. & epiſt. 1. 3. 4. lib. 15. Dio lib. 40.

Qui ſe oppido munitiſſimo tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt] Eadem ſententia epiſt. 8. ad Attic. lib. 6. *Ego, niſi Bibulus, qui, dum unus hoſtes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo ſua, adniteretur de triumpho, æquo animo eſſem.* Et ad eundem epiſt. 2. lib. 7. *Illum, qui pedem porta, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulerit.*

EPISTOLA XX.

Pag. 242. I*N Cumano & Pompejano*] In Cumana & Pompejana Ciceronis villa.

Reddideris πάντα περὶ πάντων] Ubi quid eſt prætermiſſum, plena compenſatio demonſtratur his verbis, πάντα περὶ πάντων, addito verbo ad ſententiam accommodato, ut epiſt. 17. lib. 15. *Ex preſta πάντα περὶ πάντων.*

Ut es] Quæ tua conſuetudo eſt.

Nec tua ignavia, etiam inertiam afferet] Scientiam auget exercitatio, negligentia minuit. non agendo enim efficitur, ut male agere diſcamus. quapropter ignavia parit inertiam, id eſt agendi inſcientiam. ep. 8. lib. 8. *Sive negligentia, ſive inertia eſt.*

Exaravi] *Exarare*, eſt raptim ſcribere. ep. 26. lib. 9.

EPISTOLA XXI.

Pag. 243. L*Egatione libera*] Senatoribus ad ſua negotia proficiſcentibus concedi ſolita. ep. 1. l. 11, & ad Att. epiſt. 18. lib. 2. & epiſt. 12. lib. 15.

EPISTOLA XXII.

H*Omine gladiatore*] Sanguinario, & in hominum cædem, more gladiatorum, exercitato.

Collega noſtro] In auguratu. epiſt. 14. lib. 8. & ad Att. ep. 14. lib. 10. Phil. 2. & Plutarchus. Alii, *Veſtro*, legunt, hiſtoria refragante. nam veteres libri utrumque habent.

Pag. 244. *Contra arma*] Stipatus enim armatis hominibus incedebat Antonius conſul. epiſt. 2. libro decimo. Phil. 2.

Τυραννοκτόνοι] Qui tyrannum occiderunt.

Longe gentium abſunt] M. Brutus in Græcia, C. Caſſius in Syria.

Panſa] Conſul deſignatus cum Hirtio.

Convaleſcit] Ægrotavit Hirtius graviter, paullo ante quam iniret conſulatum, ſic, ut pro ejus ſalute populus R. vota fecerit. Phil. 7. & 16.

Similem fore] In tuenda libertate.

Ad XIII. Kal. Ian.] Ep. 6. lib. 11. epiſt. 25. hujus lib. Phil. 14.

Mihi eſt ſenatus aſſenſus] Cenſuit hoc Cicero in Phil. 3.

De provinciis] Epiſt. 25.

Retinenda dignitate tua] Ne C. Calviſius in Africam iret, ei traditam ab Antonio, ſine S. C.

In Sempronio] Epiſtola vigeſima quinta.

Excuſes] Quod ei non reſcripſi.

EPISTOLA XXIII.

Pag. 245. S*Tratorius*] Fortaſſe legendum, *Statorius*, ex Feſto in Lacus Lucrinus.

Locis omnibus] Non modo Romæ, ſed etiam in Africa.

Quæ tibi acciderunt] Dio lib. 48. prodidit, T. Sextium, Numidiæ rectorem, impetu in Africam facto Adrumetum cepiſſe, & aliquanto poſt, Cornificiumque prœlio victum occidiſſe.

Conatum] Pro rep. vide epiſt. 28. libro decimo, epiſtola ſeptima, libro undecimo.

Multitudini fictum ab Antonio crimen videtur] Dicebat Antonius comprehendiſſe ſe domi ſuæ quos ad ſe occidendum Octavianus miſiſſet. id ab Antonio fictum vulgo putabatur, ut ex eo caperet occaſionem impetum faciendi in Octaviani pecuniam.

Pecuniam adoleſcentis] Teſtamento ei a Cæſare relictam.

Credunt factum] Fictum non putant, ut multitudo, ſed vere miſſos ab Octaviano credunt, qui Antonium domi ſuæ interficerent. quod Suetonius quoque confirmat in Auguſto. *Hortantibus* (ait) *nonnullis, percuſſores ei ſubornavit. hac fraude deprehenſa, periculum invicem metuens, veteranos ſimul in ſuum ac reipub. auxilium quanta potuit largitione contraxit.*

Quid quæris] Simile illud epiſtola 4. *Noli quærere.* Nec illud valde diverſum, epiſt. 31. lib. 10. *Quæres, quanti faciam.*

Noſter familiaris] Olim. ep. 15. l. 11. epiſt. 23. lib. 16.

Interfectores ſuos] Ab Octaviano miſſos.

Macedonicis] Ex Macedonia profectis. ibi enim Cæſar eas collocarat, ducturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat.

Quattuor] Martiam, Quartam, Secundam, Trigeſimam quintam; quarum duæ, Martia & Quarta, illum ſequi noluerunt, ſeque Octaviano tradiderunt, ut epiſt. 7. l. 11. in Phil. 3. & in aliis, & in Vellejo lib. 2. & in Dione libro 45. reliquæ vero duæ, id eſt, Secunda & Trigeſima quinta, pro eo contra Panſam prœlio Mutinenſi pugnarunt: ut eſt epiſtola 30. lib. 10. Appianus lib. 3. ſcripſit, ſex fuiſſe Macedonicas legiones: quarum unam Antonium Dolabellæ, collegæ ſuo, in Syriam proficiſcenti conceſſiſſe: reliquas ipſum accepiſſe. quod ſi ita eſt; legendum hic videtur, *Quinque*, non *Quattuor*: ut Antonius duabus quidem in prœlio ad Mutinam ſit uſus, unam vero caſtris præſidio reliquerit: quæ fortaſſe fuit Alaudarum legio, quam cum Antonio fuiſſe Cicero oſtendit epiſt. 7. ad Att. lib. 16. ita quinque legionum numerus reperietur.

In cervicibus noſtris collocare] Cum libertatem armis vellet opprimere. epiſt. ſeq.

Canutium] Tribunum pleb.

Pag. 246. *Apud eos*] Apud eos, qui partibus reip. ſtuderent. ep. 3.

Locum ſibi quæreret] Quia concionibus Antonium vexaret.

EPISTOLA XXIV.

L*Egati*] Miſſi ad Antonium a ſenatu, ut Mutinæ obſidionem omitteret. ep. 8. lib. 11. ep. 4. hujus lib.

Pag. 247. *Ut primum occaſio data eſt*] XIII. Kal. Ian. ep. 22. 25.

Nec minimum tempus amiſi tuendæ ſalutis libertatiſque communis] Idem aliter ep. 24. lib. 9. *Sic tibi mi Pæte perſuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei cives ſalvi liberique ſint.*

Pinarium] Pinarii, gens antiquiſſima, ante urbem conditam. Livius lib. 1.

Dionyſii noſtri] Opinor eſſe, qui nominatur ep. 15. lib. 4. ad Attic.

EPISTOLA XXV.

L*Iberalibus*] XVI. Kal. Apr. qui dies Baccho dicatus erat.

Altero viceſimo die] Die viceſimo ſecundo. nam, *alter*, ſecundum obtinet locum. quod ex antiquo lapide intelligitur, in Caſinati reperto, in ruinis villæ.

MEMORIÆ
SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI
ANN. ATTIGIT. CENTENS.
SEX. ALTERVM. ET. NONAGENS.
PERPET. INOFFENSA. VALETVD.
EXEGIT. RELIQVOS. SEPTEM. ET. D.
XIIX. DECVBVIT. ET. OCCVBVIT
NAT. LVD. SAECVL. VIII. OBIIT.
SEQVENT.

Et Tacitus in Dialogo de oratoribus tres ætates adoleſcentium oratorum de-

deſignat his verbis : *Nonodecimo ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, uno & xx. Cæſar Dolabellam, altero & xx. Aſinius Pollio Catonem, non multo ætate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus inſecuti ſunt, quas hodieque cum admiratione legimus.*

Pag. 248. *Non invita Minerva*] Feliciter. jocatur autem in nomine *Minervæ :* quod ea ſibi faverit, quia ſit in eum locum ſenatus decreto reſtituta, unde eam turbo dejecerat. epiſtola 1. lib. 3.

Minerva noſtra] Minervæ ſimulacrum, a Cicerone in exſulium eunte conſecratum in Capitolio. Dio libro trigeſimo octavo.

Cuſtos urbis] Minervæ cognomen, πολιάς. Plutarchus in Demoſthene, Lucianus in Lapith. & Cicero ſimulacrum illud, φυλακίς, inſcripſerat. Dio, Vrbes autem ex Minervæ liberalitate proceſſiſſe, Ariſtides auctor eſt.

Dejecerat] Quod Ciceroni mortem portendit. Dio, Obſequens in libro de prodigiis.

Panſa] Conſul.

Gaudio] Bonorum.

Minotauri] Claviſium ſignificat contumelioſo verbo.

Id eſt, Claviſii & Tauri] Delendum hoc arbitror, ut gloſſema.

Illi] Legati duo Claviſii, qui erant in Africa.

Notarentur] Quod provinciam adminiſtrare vellent abſentis Claviſii nomine : in quo dignitas Cornificii lædebatur. infra de Claviſio : *Provinciam abſens obtinebat.*

Ad XIII. *Kal. Ian.*] Epiſt. 22. & lib. 11. epiſt. 6. Phil. 14.

Pag. 249. *Obtinendis*] Ab iiſdem, qui obtinerent. ep. 22.

Labefactare] Debilitare, frangere.

Eum] Claviſium.

Abſens obtinebat] Per legatos: cum ipſe ad urbem eſſet cum imperio. revertit autem in urbem, depoſito imperio. vide epiſt. 30.,

Compellationes] Crebras appellationes vehementioribus verbis; cum eum Cicero, crebro compellans, in urbem revocaret.

Convicio] Convicium fuit compellatio quotidiana. ep. 26. lib. 16.

Purgas] Quod meis litteris non obtemperaveris. epiſt. 22.

Quoddam cæcum tempus ſervitutis] In quo non eluceret honeſtum, in quo homines recta non viderent: ut facile tamquam in tenebris errarent, ac laberentur. Hanc ego veram eſſe hujus loci ſententiam arbitror: eaque duorum veterum librorum teſtimonio comprobatur. In aliis pro *Cæcum*, legitur *Græcum :* quod mendoſum puto. Sunt qui ex ingenio, *Egregium*, legendum exiſtiment. ex quo quænam elici apta ad hunc locum ſententia poſſit, non equidem intelligo. In aliis, *Gratum*, mendoſe.

Quoddam Græcum tempus ſervitutis] Suſpicor in voce, *Græcum*, eſſe mendum. neque tamen excogitare quicquam ipſe potui, quod pro ea reponendum videretur. Vbaldini autem Bandinelli, hominis acutiſſimi, & ſcientiarum laude præſtantiſſimi, conjecturam etiam atque etiam probo: cum enim percommodum videtur habere ſenſum, tum a veteri ſcriptura non admodum recedit. nam cum in libris quibuſdam antiquis, pro *Græcum*, ſcriptum ſit, *cæcum*, ipſe nihil fere præter unam litteram immutans, legendum putat, *necum*, id eſt, *neceſſarium : cæcum* autem in antiquo libro Vincentii Riccii ſcriptum eſt. *Hæc olim in juvenilibus notis ad hunc locum Manutius, ſed poſtea veteriorem amplexus eſt ſententiam.*

Tuorum conſiliorum auctor] Auctor, ut optime de rep. ſentires.

Pag. 250. *Rapiebar*] Poſt Cæſaris necem, vexata ab Antonio conſule rep. epiſt. 1. lib. 10. Phil. 1. Off. libro primo. *Rapiebar*, ſummam voluntatem diſcedendi ex Italia demonſtrat. Diſceſſit autem ea mente, ut adeſſet Kal. Jan. quo die novi conſules, Hirtius & Panſa ſenatum habituri erant.

Eteſiæ] Venti euntibus in Græciam ſecundi, in Italiam adverſi. vide ep. 15. lib. 2.

Proſequi noluerunt] Cum ſpirare per XL. dies perpetuo, & adjuvare curſum navigantium ex Italia in Græciam ſoleant.

Auſterque adverſus maxime flatu] Epiſt. 6. lib. 16. ad Att. *Rejectus ſum auſtro*

auſtro vehementi ad eandem Leucopetram.

Tribulos tuos] Rhegienſes, legis Juliæ beneficio civitatem Romanam adepti, ſuffragium in tribu Cornificii ferebant.

Rhegium] Non Rhegium, ſed agri Rhegini promontorium Leucopetram: ut ex Phil. 1. cognoſcitur.

Ventis remiſque] Phil. 1. *Tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti ſatisfacerent.*

Poſtridieque] IV. non. Sept. nam in patriam Kal. Sept. pervenit. quo die vocatus in ſenatum ab Antonio conſule, non ivit. poſtridie autem, abſente Antonio, venit in ſenatum, & Philippicam primam habuit: de qua loquitur, cum hic ſubjungit: *Sic ſum in Antonium invectus, ut ille non ferret.* Et Phil. 5. *Veni poſtridie: ipſe non venit. locutus ſum de rep. minus etiam libere, quam mea conſuetudo, liberius tamen, quam pericula minaque poſtulabant.*

In Antonium] Abſentem.

Ut ille non ferret] Inimicitias enim Ciceroni denunciavit. Phil. 5.

Vinolentum] Ideo ſubjungitur, *Ructantem & nauſeantem.*

Effunderet] Apte, cum dixerit, *Effunderet*, orationem Antonii ſignificat: de qua in Phil 5. *In me abſentem orationem ex ore impuriſſimo evomuit.*

Elicere vellet ad cædis cauſſam] Nam, ad XIII. Kal. Oct. ideo Ciceronem Antonius adeſſe juſſit in ſenatu, ut ab eo cædis initium faceret. quod Cicero ſuſpicatus, in ſenatum non ivit. hoc dilucide narratur Phil. 5. & epiſt. 2. li 1.

Inſidiis] Si me elicere non poſſet ad cædis cauſſam: id eſt, ſi ego in ſenatum non irem. cædem enim meam ſenatus primum occaſione quæſivit; deinde, ſi ego in ſenatum non irem, inſidiis.

Confeci in Cæſaris Octaviani plagas] Suam laudem cum Octaviano communicat. *Confeci*, inquit, ac perdidi Antonium, in Octaviani plagas, id eſt, ut Octavianus eum & ipſe conficeret. Placeret tamen, ut olim, *Conjeci*, pro *Confeci*, unius litteræ mutatione: nam *F* ab *I*, ſi majuſculæ ſcribantur, ut olim, non admodum differt.

Pag. 251. *Puer egregius*] Epiſtola ſeptima libro undecimo.

Antonii reditus a Brundiſio] Epiſt. 23. & ad Att. epiſt. ſeptima libro decimo ſexto, & Phil. 3. 4. 5.

In tanta perturbatione] Quanta fuit vexata ab Antonio conſule resp.

Hic dies aliam vitam affert] Verba Terentii in Andr. Quidam legunt, *Hæc dies*: opinor, ut tempus potius, quam certus dies oſtendatur. Mihi placet interpretatio, mutatio non placet: primum ne diſſentiam ab antiquis libris, qui conſentiunt omnes in, *Hic dies*; quod etiam Donatus probat: deinde, quia dies virili genere interdum tempus deſignat, itemque muliebri certum diem. vide epiſt. 2. lib. 1. ne iterentur eadem.

Conſcendo] Communem bonorum navem. tu quoque (inquit) cum bonis omnibus conſpira ad tuendam libertatem.

Ut rectam teneamus] Ne naufragium reip. fiat. epiſt. 2. lib. 1. ad Q. fr. ὀρθὰν τὰν ναῦν, & ἅπαξ θανεῖν. quod ab aliquo Poeta ſumptum videtur. Ariſtides: ὦ ἴσθι Πόσειδον, ὅτι ὀρθὰν τὴν ναῦν καταδύσω. quod ita vertit Seneca lib. 12. ep. *Neptune, numquam hanc navem, niſi rectam.* Inde proverbium.

Quid enim præſtare aliud virtus poteſt] Non poteſt præſtare virtus, id quod maxime vellem, ut bonorum navis proſpero curſu feratur: hoc tamen poteſt, ne gubernatoris vigilantia arteque careat: quod certe non aberit.

Cum rep. conjunctam eſſe debere] Non a paucorum potentia petendam.

P. Luccejum] Quis non videt initium eſſe alterius epiſtolæ? cum infra de Panſa mortuo, ſupra de vivo fiat mentio. De eodem Luccejo epiſtola trigeſima.

Pag. 252. *Hirtium & Panſam*] Conſules.

Collegas noſtros] In auguratu. Phil. ſeptima.

Liberata] Victo ad Mutinam Antonio.

Nondum omnino explicata] Quia fugerant ex prælio Mutinenſi notiſſimi latronum duces, ut epiſt. 14. libro decimo

cimo ſcripſit ad Plancum: integro Antonii equitatu, ut epiſt. 34.

Si licebit] Si aberit vis. interdum enim non licuerat. ep. 2. lib. 10.

Cn. Minucio] Vel Cornificii legato, vel finitimam ei regionem adminiſtranti.

P. VICTORIUS.

Ut Minerva noſtra cuſtos urbis] Libro II de Legibus, de Pallade hac cuſtode urbis egit: Ita autem illam appellavit, opinor, ut memoria ſuorum beneficiorum ſemper recens eſſet, qui ope hujus ſapientiſſimæ Deæ patriam conſervarat. Nominabantur autem Dii a priſcis illis, quemadmodum a nobis etiam in noſtra religione, vel a munere aliquo, quo putarentur juvare mortales: vel a locis, in quibus templa illis erecta eſſent, & ubi præſentiores eſſe conſueverant. Cicero Minervam ſuam *Cuſtodem urbis* appellavit. Ciſalpinæ Galliæ Populi Minervam, quam & ipſi valde colebant, *Memorem* appellabant, quod vota preceſque mortalium audire, nec obliviſci ſoleret. Templum autem illi in agro Placentino ædificaverant, putabantque eam morbos curare. Infra Cabardiacum, non longe a Trebia, lapides plures viſuntur, in quibus vota huic Deæ ſoluta inciſa ſunt. E remotis etiam locis ad opem illius confugiebant, nec tantum vicinæ gentes præſidio ipſius fidebant, quod ex epigrammatibus illis intelligitur: unius lapidis inſcriptionem ponemus:

MINERVÆ
MEMORI
COELIA JULIANA
INDULGENTIA
MEDICINARUM
EJUS INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

Sed etiam alterius, quæ oſtendit eandem illam Cabardiacenſem appellatam, quam mulier quæ voti compos facta erat, dedicaverat:

MINERVÆ
CABARDIACENSI
MARIA. C. MARI
UMBONIS F.
V. S. L. M.

Ut autem hæc Minerva a ſede Cabardiacenſis appellabatur, ita Diana quædam Limnatis dicebatur, de qua potiſſimum nunc mentionem facimus: ubi enim de ipſa agitur in IV libro hiſtoriæ Taciti, ſcripturæ perverſio eſt: volumus autem eam tollere: *Audite dehinc Lacedamoniorum & Meſſeniorum legationes de jure templi Dianæ Limenitidis*: legendum enim eſt *Limnatidis*: priſcum ſane illud exemplar, unde exſcripti ſunt primi quinque libri, quod in Medicea bibliotheca ſervatur, *Liminatidis* habet. Quamvis autem a diligente & erudito viro libri editi ſunt, mendum tamen hoc cavere ille non potuit: manu enim ipſius in margine veteris codicis Ἄρτεμις Λιμενῖτις, ſcriptum eſt, quam putavit veram eſſe lectionem. Quantopere autem deceptus ſit, oſtendunt Græci auctores, Pauſanias in Meſſeniacis 89. Ἔστιν ἐπὶ τοῖς ὅροις τῆς Μεσσηνίας ἱερὸν Ἀρτέμιδος καλουμένης Λιμνάτιδος. Item 109. Ἔστι δὲ ἐν τῇ μεσογαίᾳ κώμη Καλάμαι καὶ Λίμναι χωρίον· ἐν δὲ αὐτῷ Λιμνάτιδος ἱερὸν Ἀρτέμιδος. Sed etiam Strabo lib. VIII, pag. 158. Superiores duas, & nonnullas alias voti ſolutiones e vetuſtis lapidibus acceptas dedit mihi Hieronymus Fondulus excellentis ingenii & multarum litterarum vir, qui paucis his menſibus morte obita magnum ſui deſiderium amicis reliquit.

Sed locum Taciti vindicavit J. Meurſius, qui docuit Limenatidem Minervam Dorice dici, quæ vulgo dicatur Λιμενῖτις, Limenetis, quæ ab utroque populo Meſſenio, & Lacedæmonio fuerit culta in confinio. Aliam vero eſſe Λιμνάτιδα Minervam, quæ a Lacedæmoniis pariter & Meſſeniis loco proprio fuerit culta, quam perperam Strabo cum Limenetide confundat. vide ejus Miſcell. Lacon. lib. I, cap. I.

EPISTOLA XXVI.

H*Oneſtus*] Ad honeſtatem familiæ, non ad hominis mores, refertur.

Pag. 253. *Gratiarum actione eos magis egere, quam commendatione*] Magis eſſe,

eſſe, cur tibi gratias agant, liberaliter jam a te tractati, quam quod tibi a me commendentur.

Liberalitate] Humanitate potius, quam largitione: ut epiſt. 7. lib. 1. *Tua præſtanti in eum liberalitate.*

Erotem] Nomen ſervi, quod in liberto remanſit.

Splendore] Specie quadam tum ex rei familiaris copia, tum ex quadam liberalis animi ſignificatione. ep. ſeq. & ep. 3. lib. 1.

EPISTOLA XXVII.

PRoximos] *Propinqui*, ſunt ſanguine conjuncti: *proximi*, conjunctiores quam propinqui. Phil. 14. *Conſolemur eorum proximos.*

Vt ſumma ſeveritas cum humanitate jungatur] Hæ ſunt illæ virtutes, quæ ſpecie diſpares, prudentia junguntur: ut ait Cicero in Oratore. inde ſumitur ad laudandum egregia ſententia. itaque cum Cicero M. Brutum in libro de perfecto oratore laudat, *Quid*, inquit, *tam diſtans, quam a ſeveritate comitas? quis tamen unquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior?* Lib. 3. de Leg. *Quid eſt elegantia tua dignius? cujus & vita, & oratio conſecuta mihi videtur difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate.* Eodem pertinet, quod ſcripſit ad Q. Fr. epiſt. 1. lib. 3. *Quibus ille rebus fortaſſe nimis lenis videretur, niſi hac lenitas illam ſeveritatem tueretur.* Et paullo poſt: *Hæc illius ſeveritas acerba videretur, niſi multis condimentis humanitatis mitigaretur.* Et ibidem, infra: *Cyrus ille a Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii: cujus ſumma gravitas ab illo Philoſopho cum ſingulari comitate conjungitur.* Et in Catone: *Erat in illo viro comitate condita gravitas.* Nec diſſimile illud in Bruto; *Sine arrogantia gravis eſſe videbatur, & ſine ſegnitie verecundus.* Hanc laudem in Pomponio Attico ſcriptor venuſtiſſimus Nepos fuiſſe oſtendit. *Ejus* (inquit) *comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate: ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent.* Ciceronis etiam filius de quodam Bruttio, rhetore Latino, ep. 21. lib. 16. *Cujus*, inquit, *cum frugi ſeveraque eſt vita, tum etiam jucundiſſima convictio.* Eodem illud pertinet lib. 1. Off. *Ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. cauſſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt.* Tribuit hanc laudem Cicero L. Craſſo lib. 1. de Orat. cum ait: *Quo quidem in ſermone multa divinitus a tribus illis conſularibus Cotta deplorata & commemorata narrabat: ut nihil incidiſſet poſtea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidiſſent. eo autem ſermone confecto, tantam in Craſſo humanitatem fuiſſe, ut cum lauti accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis: eaque eſſet in homine jucunditas, & tantus in jocando lepos, ut dies inter eos curiæ fuiſſe videretur, convivium Tuſculani.* Idem de Catilina dixit in oratione pro Cœlio: *Cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter.* Nec diſſimile illud pro Murena: *Si illius comitatem & facilitatem tuæ gravitati ſeveritatique aſperſeris.* Quæ collegimus more noſtro, ut in pulcherrima ſententia Latini ſermonis copia cognoſcatur.

EPISTOLA XXVIII.

Pag. 254. LIlybæo] Tria Siciliæ promontoria, Pelorus in Italiam ſpectans, Pachynum in Græciam, Lilybæum in Africam.

Tuo nomine] Ob ſtudia in te mea.

Appellaretur] Sic unus omnino vetus liber, & recte. quamquam &, *Appellaret*, ſententiam habet, ſed, ut arbitror, minus aptam. potius enim pro alicujus dignitate ſenatus appellatur, quam appellat.

Pag. 255. *Abſentibus*] Mutinam profectis ad D. Brutum obſidione liberandum.

H-S xx] Si, ſeſtertium viginti millia interpretemur; ſexcenti ſcutati erunt: exigua ſumma: itaque vereor, ne, vicies, melior ſit interpretatio: id eſt, ſcutatorum ſexaginta millia.

H-S DCC] Vnum & viginti millia ſcutatorum.

Tibi

Tibi ex S. C. imperandum] Vt, quam tibi ſenatus imperandi poteſtatem dedit, ea utaris.

Mutuum ſumendum] Vt milites alere poſſis. epiſt. 30.

Quibuſdam] Si hæc epiſtola ſcripta eſt ante prælium Mutinenſe, norat eos, qui Antonii cauſſam in ſenatu defendebant, ut Calenum, & alios: ſi poſt, Lepidum, & eos, qui Octavianum, cæſis Hirtio & Panſa, in ſpem conſulatus impulerant.

Epistola XXIX.

L. *Lamia*] Æliæ gentis. vide ep. 16. 17. lib. 11.

Magne theatro] Palam, ut in theatro.

Relegatus] Quo tempore princeps erat equeſtris ordinis: nunc autem ſenator, ædilitate jam geſta. epiſt. 16. lib. 11. & orat. pro Sextio.

Salutem meam] A Clodio trib. pl. oppugnatam.

Pag. 256. *Officia, vel merita potius*] Epiſt. 17. lib. 11.

Familiam] Servos. epiſt. 3. lib. 1.

Omnia tum falſa S. C. deferebantur] Antonio (ut opinor) & Dolabella coſſ. vide epiſt. 1.

Semproniane S. C.] Sempronii cauſſa facto. epiſt. 25.

Ne Romæ quidem tum fui] Diſceſſit, ut in Græciam iret, deſperata libertate. epiſt. 25.

Ad te ſcripſi] Significat eam partem epiſt. 25. in qua ſcripſit illa: *Ego, tuorum conſiliorum auctor, &c.*

Epistola XXX.

Pag. 257. *Multa iſta quidem*] Vel ſi verum ſit, quod ſcribis, neminem ad te, præter litigatores, meas litteras afferre: multæ tamen hæ ſunt.

Voluminibus] Paucæ enim epiſtolæ volumina ſunt. epiſtola ſeptima libro tertio.

Vacas] Otium habes. epiſt. 3. l. 8.

Nec mihi moleſtiam exhibere] Etſi, *Nec*, a verbo *Noli* pendeat: ſententia tamen propter duas negationes ad affirmationem non traducitur, ſed vim retinet negandi: quod uſitatum non modo Ciceroni, ſed aliis etiam animadverti. ep. 15. lib. 7. ad Attic. *Pleríque negant, Cæſarem in conditione manſurum, poſtulataque hæc ab eo interpoſita eſſe, quo minus, quod opus eſſet ad bellum, a nobis pararetur.* Quo loco ex verbo, *Negant*, elicitur primum negatio, deinde affirmatio: ut negatio referatur ad, *Cæſarem in conditione manſurum*: affirmatio ad, *Poſtulata interpoſita eſſe.* Sic libro tertio de Orat. *Nemo extulit eum verbis, qui ita dixiſſet, ut, qui adeſſent, intelligerent quid diceret; ſed contempſit eum, qui minus id facere potuiſſet.* Pro Roſcio Com. *Adverſaria in judicium protulit nemo: codicem protulit.* Cæſar lib. 3. bel. civ. *L. Staberius obſides ab Apolloniatibus exigere cœpit: illi vero daturos ſe negare; neque portas conſuli præcluſuros, neque ſibi judicium ſumpturos contra atque omnis Italia, populuſque R. judicaviſſet.* Horatius Sat. 1.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat: laudet diverſa ſequentes.

Nam verbum, *Laudet*, non reſpicit *Nemo*, ſed incluſam in *Nemo* affirmationem. Et infra, in eadem Sat.

Vt enim gravius ægrotant ii] Ep. 12. lib. 16. *Graves ſolent offenſiones eſſe ex gravibus morbis.*

Laboramus] Non diſceſſit a verbo, morbis accommodato.

Profligato bello, ac pæne ſublato] *Profligare* quid hic ſit, intelliget, qui legerit ea, quæ diximus epiſtola nona libro octavo.

Renovatum bellum] Lepidi ſcelere, qui Antonium pugna Mutinenſi fractum, inermem, fugientem recepit, & auxilio exercitus ſui confirmavit. epiſt. 8. 10.

Pag. 258. *Mihi aptum*] Accommodatum naturæ meæ.

Noli vereri] Vereri ſe, ſcripſerat Cornificius.

De ſumptu] De quo epiſtola vigeſima octava.

In rem militarem facere] *Impenſam facere*, epiſt. 2. lib. 14.

Nihil

Nihil ſane poſſum tibi epitulari] Idem ſcripſit epiſt. 28.

Conſulibus amiſſis] Hirtio & Panſa. epiſt. 23.

Incredibiles anguſtiæ pecuniæ publicæ] Et ad M. Brutum: *Maximus in rep. nodus eſt, inopia rei pecuniariæ.*

Optime meritu] Bello Mutinenſi. vide Phil. 14.

Tributo] Quod impoſitum populo non erat poſt devictam ab Æmilio Paullo Macedoniam. libro ſecundo Off. Plutarchus in Paulli vita. in epiſtola vero ad M. Brutum, *Obdureſcunt magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex conteſima collatum, impudenti cenſu locupletum, in duarum legionum præmia omne conſumitur.*

De Attio Dionyſio] Si eſt idem, de quo in epiſt. 24. *Attico* legi malim, quam *Attio*: ut ab Attico & cognomen, & nomen acceperit. quod etiam Corrado placuit. epiſt. 15. lib. 4. ad Att.

De P. Lucceio] Epiſt. 26.

Magiſtris] Auctionum.

Die] Auctionum.

Pag. 259. *Venulejo, Latino, Horatio*] Legatis C. Calviſii, per quos Africam provinciam abſens obtinebat. epiſtola 25.

Valde laudo] Quod lictores illis ademeris.

Honore] Digni.

Ignominia dignis] *Dignus* tam in malam, quam in bonam partem accipitur. lib. 1. de Fin. *Dignus odio.* Terentius in Eun. *Contumelia digna ſum.*

LIBRI XIII.

EPISTOLA I.

Pag. 263. C. *Memmio*] Hic eſt ille C. Memmius, qui Pompeji Magni uxorem, miſſis per Niciam Grammaticum codicillis, de ſtupro appellavit. Suetonius in libro de claris Gramm. Idem L. Lucullum, ex bello Mithridatico redeuntem, tribunus pl. die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit. Plutarchus in Lucullo. Aliquanto poſt cum uxore M. Luculli, Lucii fratris, adulterium commiſit. epiſt. 16. lib. 1. ad Att. Biennio poſt prætor de ſuperioris anni actis ad ſenatum retulit, ut C. Cæſar, qui ſuperiore anno conſul fuerat, actorum ſuorum rationem reddere cogeretur. quæſtionem cum exercere vellet in Vatinium, lege Licinia & Julia accuſatum, vi de tribunali deturbatus aufugit. Suetonius in Cæſare, interrogatio in Vatinium. Poſt triennium, cum Appio & Ahenobarbo coſſ. obtinendi conſulatus gratia, turpi pactione coivit: idemque poſtea pactionem illam in ſenatu recitavit. epiſt. ult. lib. 4. ad Attic. Eodem anno de ambitu accuſatus, & damnatus, Athenas in exſilium profectus eſt. erant enim quædam liberæ civitates, in quibus tuto Romanis exſulibus liceret eſſe, Athenæ, Mitylenæ, Rhodus, Smyrna, Dyrrhachium, Maſſilia, & aliæ. epiſt. 2. lib. 3. ad Q. fr. & Appianus lib. 3. Memmia gens plebeja fuit: quod vel uno probatur argumento; quia Memmius hic, ad quem Cicero ſcribit, tribunus pl. fuit. non licuiſſe autem homini patricio tribunatum pl. gerere, ſatis conſtat. Hanc gentem a Mneſtheo, Æneæ ſocio, originem duxiſſe, ait Servius lib. 4. Æn. in illo verſu: *Mox Italus Mneſtheus.*

Etſi non ſatis mihi conſtiterat] Simile principium epiſt. 27. lib. 11. *Nondum ſatis conſtitui, &c.*

Athenis] Pridie quam Cicero in Ciliciam proficiſcens Athenas venit, (ep. 10. lib. 5. ad Att.) Memmius Mitylenas profectus erat: (ep. 10. ad eundem) quod animi parum amici ſignum fuit. etſi perbelle quidem id Cicero diſſimulat. at mihi cauſſam quærenti, cur Ciceronis congreſſum vitaverit Memmius, venit in mentem ſuſpicari, quia reum de ambitu Cicero defendere noluerit. nuſquam enim ſignificat, eum a ſe defenſum. quin etiam epiſt. 2. lib. 3. ad Q. fr. bene ſentire ſe oſtendit de ejus accuſatore Curtio,

tio, quem vocat bonum & eruditum adoleſcentem; peſſime autem de ipſo Memmio, cum ſubjungit; ejus abſolutionem legum interitum fore.

Injuſta] Quod injuſto judicio damnatus eſſet. Ad Memmii gratiam hoc dicit. aliter enim eum ſentire, perſpicue cognoſcitur ex iis verbis, quæ ſunt in epiſt. 2. lib. 3. ad Q. fr.

Quod eſt modeſtia] In te exſule videndo.

Cum te non video] Quia fructu careo ſua[illegible]iſſimæ conſuetudinis tuæ.

Quod eſſe potuit voluptatu] Quaſi, non potiut eſſe ſumma, ob amici calamitatem. ſed, quæ potuit eſſe, major, ſi te vidiſſem, fuiſſet, quam eſt, cum te non video. nam etſi cum ſapientiam tuam, qua fers injuriam, disjunctus a te cogito; voluptatem aliquam capio: tamen, ſi te vidiſſem, aliquanto majorem cepiſſem. manſiſſet enim voluptatis eadem cauſſa: & aliquid præterea, cum te præſens præſentem viderem, tuoque ſermone fruerer, acceſſiſſet.

Non dubitabo dare operam] Licet cum aliqua moleſtia te ſim viſurus: non dubitabo tamen operam dare, ut te videam.

Cum id ſatu commode facere potero] [illegible] verbis cum ſpes futuri temporis, tum excuſatio præſentis affertur. nec abeſt in Memmium aculeus, qui, cum [illegible]t Ciceronis adventum appropinquare, diſceſſerit.

Et, ut arbitror, confici poteſt] Non enim a te petam, quod impetrare non d[illegible]am.

Cum Patrone Epicureo] Hic videtur principem locum Athenis tenuiſſe in Epicurea familia. quod infra perſpicuum fit ex iis verbis: *Honorem, officium, &c.*

Mihi omnia ſunt] Utrum hoc ad amicitiam, an ad mutua pertinet officia? ad amicitiam, opinor. nam officia potuit quidem Cicero in patronum, & plurima, & maxima conferre: ille in Ciceronem, Græculus homo, nullis opibus, nulla auctoritate, quæ potuit? atque etiam id, quod ſequitur: *Niſi quod in Philoſophia vehementer ab eo diſſentio*: pertinere magis ad amicitiam videtur. idem intelligitur ſubjectis exemplis. nam epiſt. 10. lib. 15. *Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligo me præcipue diligi.* Et ad Att. epiſt. 17. lib. 12. *Mihi ante ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio.* Ad eundem, ep. 15. lib. 15. *Bruto meo nullo loco deero: idque etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter ejus ſingularem incredibilemque virtutem.* In Ver. lib. 5. *Non, ut quiſque maxime eſt, qui cum tibi aliquid ſit, ita tui hujuſcemodi criminis maxime eum pudet?*

Pag. 264. *Diſſentio*] Epiſt. 25. lib. 9. *Ejus opera utor in iis controverſiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis.* Summum bonum Epicurus in voluptate, Academici, quorum ſententiam Cicero probavit, in honeſto & virtute collocarunt. quamquam Epicurus quoque voluptatem ſuam a virtute non disjunxit. vide epiſt. 17. lib. 15. & Laertium.

De ſuis commodis & præmiis] Quænam hæc ſint commoda & præmia, divinare non licet: niſi ſi, quod inter Epicureos excelleret, commoda ſibi aliqua & præmia poſtulavit: qua de re lite orta, Romam venit, & patrono in primis Cicerone, quæ voluit, a ſenatu conſecutus eſt.

A Phædro] Principes Epicureæ ſectæ, Ciceronis ætate, videntur fuiſſe, primum Phædrus, poſt eum Philo, poſt Philonem Patro. Nobilis Philoſophus in Philippica quinta *Phædrus* vocatur.

Ante quam Philonem cognovimus] Philo enim eruditior. epiſt. 8. lib. 9. De fin. lib. 5. ſic autem Tuſc. 2. *Noſtra memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, inſtituit alio tempore rhetorum præcepta tradere, alio Philoſophorum. ad quam nos conſuetudinem a familiaribus noſtris adducti in Tuſculano, quod datum eſt temporis, in eo conſumpſimus.*

Cognovimus] Cognovit eum Sulla & Pompejo coss. ut in libro de claris orat.

Ut vir bonus] Non amplius, ut Philoſophus. in quo notandum, virum bonum vocari, qui cum Epicuro ſentiat: cum tamen dixerit, ſe ab eo vehementer in Philoſophia diſſentire. ſed aliud eſt, in vita: aliud, in Philoſophia diſſentire.

Traditus mihi] In clientelam & fidem.

Uti te ſibi placarem] Iratum Patroni Memmium fuiſſe, ad Atticum ſcripſit epiſt. 11. lib. 5. cur fuerit iratus, neque in illa epiſtola, neque in hac oſtendit. quin etiam ſcire ſe diſſimulat, cum ait: *Si qua offenſiuncula facta eſt animi tui, perverſitate aliquorum.*

Neſcio quid illud Epicuri parietinarum] Minimam rem a ſe peti oſtendit, quo facilius impetret; & ſimul ut pudeat Memmium de parietinis illis laborare. minus autem eſt, *Neſcio quid illud parietinarum*, quam ſi dixiſſet, *parietinas illas neſcio quas*. epiſt. 14. lib. 15. *Quæres fortaſſe, quid ſit, quod ego hoc neſcio quid gratulationis & honoris a ſenatu, tanti æſtimem.*

Ædificationis tuæ conſilium] Areopagitæ, decreto facto, Memmio conceſſerant, ut ædes Epicuri veteres, quas Cicero ut in contemptionem adduceret, *parietinas* vocavit, commodi ſui gratia exædificare poſſet.

Idem ut ad te ſcriberem] Mitylenas.

Abjeciſſe illam ædificationem] Pro, abjeciſſe ædificandi conſilium. infra: *Ædificationem depoſuiſſe.* & ad Atticum epiſt. 11. lib. 5. *Memmius ædificandi conſilium abjecerat.* ſic epiſt. 15. lib. 9. *Domum Sullanam non abjeci:* pro, conſilium emendi domum Sullanam non abjeci.

Si jam plane tua nihil intereſt] Siquidem ædificandi conſilium abjeciſti.

Si qua offenſiuncula facta eſt animi tui] Si qua te leviter offenſus eſt animus tuus. nam ſi graviter eſſet offenſus, petere a te non auderem, ut ad lenitatem te dares.

Perverſitate] Qui, contra quam debet, agit, perverſus eſt; pervertit enim ordinem rerum: & actio ipſa perverſitas. nec tamen ſequitur, ut, qui perverſe agit, idem improbe agat: nam perverſitas non ſemper cum peccandi voluntate conjungitur: at qui improbe, idem perverſe. epiſt. 7. libro primo: *Eſt incredibilis hominum perverſitas; (graviore enim verbo uti non libet) qui nos, quos favendo in communi cauſſa retinere potuerunt, invidendo abalienaverunt.*

Aliquorum] Removet culpam a Patrone, vel certe minuit, quia cum aliis eam communicat.

Gentem illam] Non, omnes Græcos, verum Epicureos tantum. dixit autem hoc non ſine comtemptione quadam.

Des te ad levitatem] Iracundiam deponas.

Vel propter tuam ſummam humanitatem, vel etiam honoris mei cauſſa] Hoc tribue vel humanitati tuæ, quæ te non patitur offenſiore cuiquam eſſe animo; vel honori meo, qui hoc a te peto: ut aliquid apud te, atque adeo multum interceſſio mea valere videatur.

Niſi tamen] Pro, *Sed*, *tamen*; ut epiſt. 73. *De re nihil poſſum judicare: niſi illud mihi certe perſuadeo, te, talem virum, nihil temere feciſſe.* Et ad Atticum epiſt. 14. lib. 5. epiſt. 6. 23. libro undecimo. Terentius in Andr. *Quamobrem? neſcio: niſi mihi deos ſatis ſcio fuiſſe iratos, qui auſcultaverim.*

Pag. 265. *Laborare ſine cauſſa*] Cur enim labores de parietinis illis?

Cauſſam] Qua adducitur, ut tantopere contendat.

Honorem] Quod ibi habitaverit Epicurus.

Officium] Suum, debitum Epicuri ædibus.

Teſtamentorum jus] Tuenda enim teſtamentorum jura ſunt. hoc dicit, quia ſuos hortos Epicurus, in quibus habitare ac docere ſolitus erat, amico ſuo Metrodoro moriens teſtamento reliquerit, eo jure, ut poſt ejus obitum ad alios Epicureæ ſectæ principes poſſeſſio perveniret. Laertius.

Epicuri auctoritatem] Quæ minuitur, ſi, quibus in locis habitavit, ea deſerantur.

Phædri obteſtationem] Obteſtatus erat Phædrus, cum viveret, ne hortos Epicuri negligerent, neve occupari a quoquam ſinerent.

Sedem, domicilium] *Sedes* poſſeſſionem antiquam, *domicilium* habitationem ſignificat. poteſt autem & ſedes ſine domicilio eſſe, & domicilium ſine ſede. conjunguntur hic, & inf. epiſt. 4.

Veſtigia ſummorum hominum] Solum ipſum, veſtigiis impreſſum maximorum hominum Epicureorum.

Vitam]

Vitam] Ex Epicuri traductam inſtituto.

Rationemque] Sententiam.

Derideamus licet] Cum vero non derideamus: nam nec illi, nec ceteris, quos illa delectant, valde inimici ſumus: hanc ejus contentionem reprehendere non debemus.

Non valde inimici ſumus] Si dixiſſet, *Minime inimici ſumus*, quod erat verius; Epicuri Philoſophiam probare viſus eſſet. in quo diſcreparet a ſe ipſo. dixit enim ſupra: *Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt; niſi quod in Philoſophia vehementer ab eo diſſentio.* Quare Memmio gratificans, *Non valde*, inquit, *inimici ſumus.* Tantum porro abeſt, ut Cicero Patroni & ceteris, quos Epicuri Philoſophia delectabat, valde inimicus eſſet, ut eos etiam valde diligeret. de Patrone ipſo dixit jam: *Me habuit ſuorum defenſorum & amicorum fere principem.* Atticum, Pætum, Caſſium, Panſam Ciceroni cariſſimos & jucundiſſimos fuiſſe, ſcriptæ ad eos epiſtolæ demonſtrant: qui omnes quin idem, quod Epicurus, de voluptate ſenſerint, negari non poteſt. de Pæto ſatis plane cognoſcitur ex epiſt. 25. lib. 9. de Caſſio ex epiſt. 16. 17. 19. lib. 15. & ex Plutarchi Bruto: de Panſa ex epiſt. 12. lib. 7. epiſt. 19. lib. 15. ad Att. infra pluribus verbis.

Neſcio, an ignoſcendum ſit huic] Fortaſſe ignoſcendum eſt huic. Ne hic quidem audet dicere, *Ignoſcendum eſt huic*; ne vitam hominis rationemque probare videatur.

Non quo ſit ex iſtis] Hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem augeat; non quod is revera Epicureus non eſſet. nam epiſt. 19. lib. 5. ad eum, & lib. 1. de Leg. condiſcipulos ejus vocat Epicureos.

Omni liberali doctrina] Doctrinas adimit Epicuro lib. 1. de Fin. *Vellem* (inquit) *doctrinis fuiſſet inſtructior: eſt enim non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur.*

Liberali] Quæ decet hominem liberaliter educatum.

Politiſſimus] *Politus*, *Expolitus*, *Perpolitus*, dixit Cicero: *Politus e ſchola*, in Piſonem: *Politus artibus*, lib. 1. de Fin. *Expolitus vita atque cultu*, in libro de claris oratoribus: *Perpolitus non ſolum Philoſophia, ſed etiam litteris*, in Piſonem. Varro lib. 1. de re ruſt. *Politus omnibus virtutibus.*

Nutu] Epiſt. 22. lib. 11. *Nutus tuus poteſt eum incolumem in civitate retinere.*

Tua voluntate] Invito enim Memmio impetrari non poterat ab Areopagitis, ut decretum illud tollerent, Polycharmo prætore factum. ep. 11. lib. 5. ad Att.

Ὑπομνηματισμόν] Ad rei memoriam litteris mandatum.

Redeo ad prima] Sic epiſt. 10. libro primo ad Atticum: *Ut ad prima illa redeam, nihil ego illo impudentius, aſtutius, lentius vidi.*

Sic tamen habeto] Indicat ſuam cupiditatem.

Quod rogo] Plus eſt, quam peto.

EPISTOLA II.

Pag. 266. C. *Aviano Euandro*] Illud primum conſtat, libertum hunc eſſe M. Æmilii, qui poſt nominatur; deinde, cum liberti retinere ſoleant ſervile nomen, patere arbitror, Euandro nomen huic fuiſſe, cum ſerviret; Aviani autem cognomen ab eo, qui manumiſit, accepiſſe. non enim iis aſſentior, qui, *Avianio*, legunt, opinati Avianiam gentem Romæ fuiſſe, nam liberti eodem, quo patroni nomine utebantur. patrono autem Euandri, Æmilio nomen fuit, cognomen Aviano. itaque epiſt. 21. cum ejus libertum C. Avianum Hammonium Cicero commendare vellet, ſic orſus eſt: *M. Æmilius Avianus ab ineunte adoleſcentia me obſervavit.* Et ep. 27. *C. Avianus Hammonius incredibiles mihi gratias per litteras egit & ſuo, & Æmilii Aviani, patroni ſui, nomine.* Quod ſi opinionem ſuam veteres libri auctoritate defenderint: nos contra non uno, aut altero, ſed pluribus utemur teſtibus antiquis libris: quibus ipſa ratio maxime ſuffragatur. nam ſi patronus M. Æmilius Avianus vocatur; quod in dubium ne immutatores quidem iſti vocant: qui poteſt ejus libertus *A-*

vianius dici potius, quam *Avianus*? Id me magis aliquanto movet, quod primum hujus Euandri nomen eſt *Cajus*, non, ut ejus patroni, *Marcus*: & quod ejuſdem Æmilii libertus Hammonius item *Cajus*, non *Marcus*, appellatur: ut ex duabus epiſtolis, 21. & 27. cognoſcitur. Expediemus hunc fortaſſe nodum, ſi putabimus, Euandrum & Hammonium duobus fratribus C. & M. Æmiliis Avianis ſerviiſſe, manumiſſoſque prænomen a fratre majore Cajo accepiſſe. Nec vero de duobus fratribus Avianis incerta & inanis conjectura eſt. nam epiſtola ultima hujus libri, facta patris eorum C. Aviani Flacci mentione, ſubjunguntur hæc: *C. Avianus in Sicilia eſt: Marcus eſt nobiſcum.* Licet etiam opinari, manumiſſos Euandrum & Hammonium non ab horum fratrum altero, ſed ab utriuſque patre C. Aviano Flacco, & ab eo prænomen accepiſſe. nam, quo tempore in Ciliciam Cicero profectus eſt, vivebat Flaccus: periit autem aliquot poſt annis, Allieno Siciliam obtinente, ut ex epiſt. ult. hujus libri colligitur. Nam quod iidem in ceteris quoque, quæ infra leguntur, epiſtolis 21. 27. 35. 79. atque etiam lib. 7. epiſt. 23. *Aviani* nomen in *Avianium* mutarunt; eadem ratione refelluntur: ut omittam veterum librorum, quibus quidem ego utor, teſtimonium: quod illi tamen contemnunt, niſi ſi cum ſuo ſingulari libro conſentiat: nos tamen, contemni non debere, ſæpe ſumus experti: contra, in illo, quem ſe unum ſequi profitentur, mendoſa eſſe quamplurima non ignoramus.

Sacrario] Parte ædium urbanarum exſulis C. Memmii. nam *ſacraria* non modo in ſacris ædibus, verum in profanis etiam eſſe poterant, loca quædam conſecrata, vel ubi ſacræ res cuſtodirentur, vel ubi ſacra gentilicia fierent. In Verrem: *Erat apud Nejum ſacrarium, cum magna dignitate in ædibus, a majoribus traditum.* Suetonius in Auguſto: *Natus eſt in regione Palatina, ad capita bubula, ubi nunc ſacrarium habetur, aliquanto poſt, quam exceſſit, conſtitutum. nam cum C. Letorius, adoleſcens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegaret, eſſe ſe poſſeſſorem, ac velut æditimum ſoli, quod primum divus Auguſtus naſcens attigiſſet, peteretque donari quaſi proprio ſuo ac peculiari Deo; decretum eſt, ut ea pars domus conſecraretur.* In Tiberio: *Codicillos e ſacrario Auguſti protulit.* Eam igitur ſuarum ædium partem locaverat, ante quam ab urbe diſcederet, Memmius Euandro ſtatuario.

Subitum eſt] Nimis anguſta præfinita dies facit, ut ſubitum ſit, incommodum ob temporis brevitatem. nam neque ante Kal. Quinct. poteſt ea, quæ inſtituit, opera perficere: neque ſuo commodo, niſi prius ea perficiat, remigrare. Eodem modo Plautus in Aul. *Verum ecaſtor non poteſt. ſubitum eſt nimis.*

Remigrare] E Memmii ſacrario in veterem domum. vel, *Remigrare*, dictum eſt, non ob reditum in priſtinam domum, ſed ob diſceſſum, in quamcumque iturus eſſet.

Kalend. Quinct.] Præfinita Euandro die, qua e ſacrario migraret. Kalendæ Quinctiles in Urbe primus erat locarionum dies. Ad Q. fr. epiſt. 3. lib. 2. *Poſt Kal. Quinct. in tuam domum commigrabis.* h. e. finito locationis tempore demigrantibus iis, quibus eas locaveras. Suetonius in Tiberio: *Senatori latum clavum ademit, quem cognoviſſet ſub Kalend. Julii demigraſſe in hortos, quo vilius poſt eam diem ædes in urbe conduceret.*

EPISTOLA III.

UNum ex meis intimis] Ducta commendatio ab officio ejus, qui commendat, & a laude ejus, qui commendatur. debet enim Cicero, quantum in ipſo eſt, eum fovere ac juvare, qui ſit ex intimis amicis, ipſumque vehementer obſervet & colat. debet autem eo magis quod ille doctrina, humanitate, aliiſque rebus, quibus amor excitatur, excellit.

Pag. 267. *Tuaque amicitia digniſſimum*] Summa laus: & hoc ſufficere videbatur ad Fuſii commendationem: ſed no-

nominatim addere eruditionem & humanitatem, non alienum fuit.

Summo officio] Cum amicos, & de ſe bene meritos, omni genere officii colat.

EPISTOLA IV.

Legato] Præpoſito a Cæſare agris dividundis.

Proprætori] Auctoritatem & poteſtatem Valerio Cæſar auxit, addito Proprætoris nomine.

Magno enim meo beneficio affectis] Quod legem a tribunis pl. promulgatam, de agris eorum dividendis, perferri conſul non ſum paſſus. infra.

Nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt] Auge copiam e loco ſimili epiſt. 29. *In omni genere & honorum & laborum meorum & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præſto fuit, & paruit & temporibus, & fortuna mea.* Nec alienum illud epiſt. 8. lib. 15. *Vel defenſus triſtibus temporibus, vel ornatus ſecundis.* Huc etiam illud pertinet epiſtola nona ejuſdem libri: *Cujus erga me ſingularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perſpexi.*

Nulla cauſſa] Cur eos commendarem.

Pag. 268. *Monerem te*] Miſericordia commotus & æquitate.

Ad jus obtinendum] Ne agri eorum dividantur.

Sullani temporis] Cum L. Sulla dictator agros eorum, qui Marianis partibus favillent, publicare vellet.

Tribuni pl.] Præſertim Rullus, in quem orationes exſtant.

Quibus fortuna pepercisset] Tempore Sullano.

In lege agraria] Quam de agro Campano & Stellate dividundo tulit. Suetonius, & alii.

Oppidum] Ne municipes vectigal umquam penderent.

Ejus] Cæſaris.

Summa cum tua dignitate] Quia ſummo loco apud Cæſarem fuerat.

Illi integram omnem cauſſam reſervare] Non attingere agros Volaterranorum, ſed eos voluntati & judicio Cæſaris relinquere.

Tam grave, tam firmum, tam honeſtum] Grave, moribus; firmum, opibus; honeſtum, ſplendore municipum.

Pag. 269. *Domicilia, ſedes*] Vide quæ diximus epiſt. 1.

A diis immortalibus] Sullanis temporibus.

A præſtantiſſimis in noſtra rep. civibus] C. Cæſarem, de quo proxime locutus eſt, ſignificat; fortaſſe etiam ſe ipſum, qui Volaterranos in conſulatu ſuo defenderat.

Pro meis priſtinis opibus] Amiſſis bello civili, Cæſare victore.

Certamen] Epiſt. 6. lib. 2. *Omni non modo contentione, ſed etiam dimicatione.*

Iſti negotio] Agrorum diviſioni.

EPISTOLA V.

Quod tu optime exiſtimare potes] Siquidem me noſti, quam faveam dignitati tuæ.

Pag. 270. *Non committo*] Captat benevolentiam a modeſtia ſua.

Sullani temporis] Cum omnes ei fortunas ademit Sulla.

Tueri vix poteſt] Nemo enim ſenator eſſe poterat, niſi DCCC millia poſſideret. Suetonius in Auguſto.

Ne cauſſa potius apud te valuiſſe videar, quam gratia] Notetur locus. nam in commendando, ſi de ipſa re loquimur, poſſumus hanc ſententiam, qua nunc Cicero utitur, ſubjungere. ſin ordimur a commemoratione amicitiæ, quæ nobis cum eo, ad quem ſcribimus, intercedit; convertere ſententiam licet, hoc modo: *ſed mihi minus libet multa de noſtra amicitia ſcribere, ne gratia potius apud te valuiſſe videar, quam cauſſa.*

EPISTOLA VI.

Proconſ.] Supra proprætor eſt dictus: ſed tunc præpoſitus erat a Cæſare agris dividundis: nunc Africam adminiſtrat, & proconſul vocatur, licet conſulatum non geſſerit. vide quæ diximus epiſt. 1. lib. 1.

Cum te proſequerer paludatum] Paludati

dati ibant in provincias. epiſtola 17. lib. 15.

Pag. 271. *Societatis*] Publicanorum, qui Africæ vectigalia exigebant. erant autem ſingularum provinciarum ſocietates: & Bithynica nominatur epiſtola 9.

Notam] Inter Ciceronem & Valerium in Africam proficiſcentem convenerat, ut, quibus litteris ei Cicero aliquem vere, atque ex intimo animi ſui ſenſu, non ex aliorum voluntate, commendaret, ſignum quoddam apponeret, ut graves commendationes a levibus diſtinguerentur.

Pag. 272. *Valeant*] Cum animadvertuntur ab aliis.

Vellem expertus eſſes] Ergo Valerius paullo ante in provinciam venerat.

Sed tamen ſuſpicor ipſum hominem] Primum poſuit liberalitatis fructum: *Quæ quantum valeant in provincia, vellem expertus eſſes:* alterum ſubjungit: *Ipſum tamen hominem ſuſpicor amicitia tua perdignum eſſe.*

Id ſatis eſſe debebat] Eſt enim amico credendum.

Deligendis] Sic opinor melius, quam *Diligendis:* nam in delectu judicium oſtenditur. porro, quam parum differat *Deligendis* a *Diligendis*, qui libros veteres majuſculis deſcriptos litteris norunt, facile perſpiciunt.

EPISTOLA VII.

Pag. 273. *CLuvio*] Puteolano. epiſtol. 56.

In Galliam] Ciſalpinam.

De agro vectigali] Unde fructum capit Atellanum municipium.

Qui eſſet in Gallia] Cum reliqui Atellanorum agri eſſent in Campania.

Meum officium] Atellanis a me debitum.

Negotium] Agrorum dividendorum.

Et libenter mea cauſſa facturum eſſe arbitror] Ep. 1. eadem ſententia.

Maximis oneribus] A Cæſare dominante impoſitis.

Pag. 274. *Homines, quos nolo*] Vel Cæſarem, vel Cæſarianum aliquem ſignificat.

Et dignitatis municipii, & æquitatis, & voluntatis etiam erga ſe] Tribus rebus Atellanorum cauſſa nititur, dignitate municipii, æquitate rei, ſtudio erga illum, apud quem agetur.

Aliqua neceſſitudine] Erant fortaſſe in Cluvii clientela.

Neque honorum, neque laborum meorum] Epiſt. 4. eadem ſententia diverſe enunciata.

Pro noſtra ſumma conjunctione, proque tua in me perpetua & maxima benevolentia] Initio epiſtolæ dixit: *Pro noſtra neceſſitudine, tuaque ſumma in me obſervantia.*

Pag. 275. *Quando a te data ſit opera*] Ut voluntas pro re ſit.

EPISTOLA VIII.

CUm & mihi conſcius eſſem] Munitur ad impetrandum via, mutuæ voluntatis & benevolentiæ commemoratione.

Non dubitavi a te petere, quod mihi petendum eſſet] Similis locus epiſt. 6. lib. 2. *Non dubitavi id a te per litteras petere, quod mihi omnium eſſet maximum, maximeque neceſſarium.*

P. Sextium] Qui tribunus pl. Ciceronem ab exſulio reduxit.

Albini] Poſtumiæ gentis: ut argenteus nummus indicat optimi & clariſſimi viri, Andreæ Lauretani.

Cum ex filia natus eſt L. Sextius] In oratione pro Sextio: *Duxit honeſtiſſimi & ſpectatiſſimi viri C. Albini filiam: ex qua hic eſt filius, & nupta jam filia.* In eadem oratione prænomen Sextii pueri eſt *Publius*, idem quod patris, non *Lucius*. Antea in omnibus impreſſis, *cujus ex familia, &c.* legebatur. Primi nos locum emendavimus.

Pag. 276. *In æſtimationem*] Æſtimata lege Cæſaris, quanti fuerant ante civile bellum vide, quæ diximus epiſt. 16. lib. 9.

Accepit] A Laberio debitore.

A Cæſare] In ea auctione, quam de bonis Plotii, Pompejanas partes ſecuti, Cæſar fieri juſſit.

E rep.] Ex ea, quæ tum erat Cæſare dominante.

Dividi] Militibus Cæſaris.

Sullæ

Sullanas] Cum tamen Cæſar Sullanam ſectam oderit.

Quale ſit] Tale enim eſt, ut, ſi dividantur Albini prædia, quæ Cæſar vendidit, in reliquis ejus venditionibus auctoritas nulla futura videatur.

Magis ex animo] Dixit jam, *Majore ſtudio*: ſed hoc ſubjunxit, quia poteſt aliquid peti maximo ſtudio, nec tamen ex animo.

Non modo lætitia, ſed etiam quodam modo gloria] Non diſſimile illud ep. 6. lib. 2. *ſtatui me in eo non officio ſolum fructum, ſed etiam pietatis laudem debere quærere.*

Hominis maximi neceſſario] Albino ſocero ſuo.

Te vehementer etiam atque etiam rogo] Paullo ante: *Ego te plane rogo, atque ita, ut majore ſtudio, juſtiore de cauſſa, magis ex animo rogare nihil poſſim.*

Intelliges] Aliquando ex officiis in te meis.

Idem in notis Juventlibus.

Cujus ex filia] Antea, *cujus ex familia*, in omnibus impreſſis legebatur. Nos ſeptimum abhinc annum, *filia*, correximus ex oratione pro P. Seſtio, in qua C. Albini filiam P. Seſtio nupſiſſe traditur. Hunc autem locum, aliaque item multa a nobis reſtituta, & jam impreſſa qui ſibi poſtea vendicarint video fuiſſe. quam ego laudem illis vel ultro conceſſerim, modo ne iidem noſtrum librum tertio quoque verbo reprehenderent, & quod ex illo ſumpſerunt, id ſe vidiſſe diſſimularent, quodque magis doleo, Germanis acceptum referre mallent. Sed quoniam ab hoc concertationis genere natura ſemper, nunc etiam ratione abhorreo: de Germanis nihil dicam, qui, ut veterum libros ediderint multos, & optime de ſtudioſis meriti ſint, certe patri meo nunquam in hoc genere videbuntur comparandi: hunc autem, qui nos occaſione undecunque arrepta perſtringere conatur, ut etiam varias lectiones, quas olim in calcem operis rejeceram, tanquam a me probatas reprehendat, etſi de nobis male exiſtimet, amabimus tamen ut hominem diligentem, & doctum, atque etiam, ſi quid opis antiquorum ſcriptis, quæ depravata leguntur, attulerit, ex inſtituto noſtro gratias agemus.

P. Victorius.

Cujus ex filia] Si aliqua in re, quæ inſcitiam literarum, ingeniique tarditatem argueret reprehenderer, æquo animo paterer, vel potius gratias agerem: nihil enim tam cupio, quam doceri, & de ſententiis illis, quibus antea multum tribuerim, ſi falſæ ſunt depelli. Cum autem in rebus, quæ ad vitam, moreſque pertinent injuſte accuſor, ferre non poſſum: non ſum adeo anguſto, & jejuno animo, Paule, ut mihi aliorum induſtria inventas res vindicem. Ipſe potius ſi quando aliquid labore, ac diligentia mea e tenebris eruo, aliis deferre conſuevi: cujus rei mihi multi teſtes eſſe poſſunt: neque enim in obſcuris locis viximus, & multorum etiam doctorum, clarorumque virorum amicitia floremus. Non video cur quæ a te, ut ais, excogitata ſunt, mihi quoque in mentem venire non potuerint. Ipſe ſane arbitror ſi quid eruditum, & acutum unquam inveni, ab aliis prius id, meliuſque excogitatum fuiſſe. Quod me cupide dicis librum tuum reprehendere, falleris: nunquam enim iſtius laudis magnopere avidus fui, neque vero eſſe debui. Odioſum genus hoc eſt ſcribendi, mi Paule, nec poteſt ita tractari, ut non voluntas alicujus offendatur: neque ego hoc non videbam. Sed mos gerendus fuit amicis. Puto etiam me apud alios offendiſſe, poſtquam tu, contra quem dicere nunquam cogitavi, tam graviter tibi læſus videris. Falſum etiam illud eſt, me de te male exiſtimaſſe, quem ne notum quidem habebam: quod tua ſane culpa factum non eſt: omnia enim feciſti, ut ab omnibus cognoſcaris: neque ego tam negligens fui, ut non, edito tuo libro, de doctrina, & ingenio tuo percunctatus ſim: culpa illius fuit, qui interrogatus ea mihi confirmavit, quæ ipſe falſo credebat. Poſtquam te cognovi, ac de ingenio, & eruditione tua multa a melioribus auctoribus accepi, de te mehercule ſemper bene exiſtimavi,

vi, & mirifice amare cœpi, cujus rei argumentum eſſe poteſt, quod cum audiſſem te Ciceronis epiſtolarum libros imprimere, dixi me libenter tibi, ſi id ſciſſem, nonnulla traditurum fuiſſe, quæ videbar mihi non inſulſe poſt primam illam editionem animadvertiſſe: quod ſtatim tibi per viros honeſtiſſimos, amiciſſimoſque tuos ſignificatum eſt. Et nunc quoque a te provocatus, ac ſcriptis laceſſitus, non poſſum tibi non amicus eſſe, ſemperque ero, dum te tanto ſtudio ſcripta antiquorum multis modis depravata caſtigare, & caſtigata ad communem fructum edere cognovero, quamvis mihi placatus non ſis. Quod ſi animum tuum, tam infenſum mihi, aut levi, aut nulla de cauſa ſenſiſſem, operam dediſſem, ut tibi ſatisfacerem: neque enim mihi unquam cum literatis & ingenioſis hominibus inimicitias eſſe gerendas putavi: ſed eos & amandos, & omni officio colendos perpetuo duxi. Nam quod quereris me nonnulla potius Germanis accepta referre, hoc me penitus omni culpa liberat, docetque, nunquam diſſimulaſſe, a quibus adjutus ſim. Cur enim potius Germanis, quam Italis hominibus? qui mecum nulla re, neque publice, neque privatim conjuncti ſunt. Amo ſane nationem illam, ut non minus belli artibus, quam pacis ſtudiis claram: nec tamen Italos homines odio proſequi debeo. Omnibus denique me magno beneficio obſtrictum fatebor, quicunque hanc partem literarum impigre adjuverint. Hic potiſſimum purgare nos voluimus, quia hoc in loco acerbiſſime nos accuſaveras.

EPISTOLA IX.

UT *potui diligentiſſime*] Quam diligentiſſime potui.

Socios Bithyniæ] Publicani erant ex equeſtri ordine: itaque ep. 65. *homines ampliſſimi* vocantur. ii dividebantur in plures ſocietates, quæ a provinciis, quarum vectigalia exigenda ſuſceperant, appellabantur.

Cupere ei ſocietati commodare] Cupere, quæ ad ejus ſocietatis commodum pertinerent. *Incommodare*, contrarium: unde apud Terentium, in Andr. *Non tam ut obſequatur gnatæ, quam mihi ut incommodet.*

Pag. 277. *Non dubitavi hæc ad te ſcribere*] Non recuſavi, tergiverſatus non ſum, facile ſum adductus, ut hæc ad te ſcriberem.

Ordine ipſo, hominum genere] Et quod eſt ex equeſtri ordine, & quod ex hominibus ampliſſimis conſtat.

Ex ceteris ſocietatibus] Cum eſſent multæ publicanorum ſocietates, ex omnibus Bithynica conſtabat.

Præcipuum officium] Quia magiſter eſt in ea ſocietate.

Men.] Menenia tribu. vide, quæ de tribubus diximus lib. 8.

Magiſter] Qui ceteris ſociis præſcribit atque imperat quod agant.

Qui eſt in operis ejus ſocietatis] *Operæ* modo ſunt homines mercede conducti, ut epiſt. 11. lib. 1. ad Att. *Operæ comparantur.* Et epiſt. 12. ad eundem, ibidem: *Operæ Clodianæ pontes occuparant.* Modo ſunt actiones ipſæ, ut hic, & epiſt. 65.

Ejus opera] Ea, quæ facit.

Pag. 278. *Quæſtor*] Hinc licet intelligere, quæſtorem Bithyniæ Craſſipedem fuiſſe.

Non ſum ignarus] Quæſtor enim in Sicilia fuerat Cicero.

EPISTOLA X.

M. *Varro*] Romanorum doctiſſimus, cujus hodie libri exſtant de re ruſt. & de lingua Latina. intercidere plurimi.

Libertorum neceſſitudini] Epiſt. 26. & in Divinatione, & in Orat. pro Plancio.

Pag. 279. *Cum primum in forum venit*] Toga virili ſumpta, quæ ſumebatur ineunte ætatis anno XVII. in forum ibant, ut oratores audirent, eoſque diſcerent imitari.

Ut ſe corroboravit] Ut ad virilem ætatem acceſſit. Sic in Orat. pro Cœlio: *Cum is jam ſe corroboraviſſet, ac vir inter viros eſſet.* Et in eadem, *Non modo hæc ætas, ſed etiam corroborata*, id eſt, non modo adoleſcentes, ſed etiam viri. Et ſupra ejuſdem orationis initio, eos,

qui

qui non, ut Coelii accuſator, adoleſcentes eſſent, ſed viri, *robuſtiores* appellavit. Alibi etiam in hanc ſententiam eodem verbo uſus eſt. Inde *Robuſta ætas*.

In hoc ſtudio noſtro] Eloquentiæ, non Philoſophiæ.

Etiam nunc] Licet afflicta rep. qua ſtante delectabamur multo magis.

Delectamur] Non agendis in foro cauſſis, ſed privatis exercitationibus, de quibus epiſt. 33. lib. 7. & epiſtola decimaoctava libro nono.

Nec ſine induſtria] Nec, ita, ut langueret in otio, domeſtico & privato ſtudio deditus, ſed cauſſas in foro ageret. induſtria enim actione cognoſcitur.

Mature] Cito: quod auxit amorem meum.

Sed tamen] Quanquam maximis damnis affectus ſit: ea tamen cauſſa fecit amicitiam noſtram firmiorem.

Sed tamen cauſſa communis ordinis] Plerique veteres libri, *ſed tamen communis ordinis*: quod mendoſum eſſe conſtat: itaque legendum putabat Vbaldinus Bandinellus, quod item aliis placere video: *ſed tamen communio ordinis*. Equidem nec improbo, quod placet doctis viris; nec tamen ſtatuo, ſitne hoc melius, quam illud, *Cauſſa communis ordinis*: quod mihi quidem ideo magis placet, quia ſumptum eſt ex quibuſdam antiquis libris. ſunt, qui contendunt, *Communis*, recte legi, & ſubaudiri *ſocietas*: ut publicanorum omnium tota ſocietas intelligatur. id mihi videtur durius, & arceſſitum nimis longe.

In utriſque ſubſelliis] In publicis, privatiſque cauſſis, id eſt, in majoribus, & minoribus. Sunt enim ſubſelliorum, ſi habetur hominum ratio, tria genera; ſi cauſſarum, duo. nam & judices, & patroni, & accuſatores in ſubſelliis conſidebant: cauſſæ vero vel de publicis rebus erant, vel de privatis. Quod autem Pedianus majores cauſſas tribunalibus & ſellis curulibus, minores autem ſubſelliis tribuit: magiſtratus, judiciis propoſitos, non judices, diſtinguit. nam judices, ſive cum tribunis pl., triumviris, quæſtoribus, ædilibus pleb., ſive cum prætoribus, & ædilibus cur. judicarent, in ſubſelliis conſidebant: magiſtratus autem vel in ſubſelliis, ut ii, qui curules non erant, quos proxime nominavi, vel in ſellis curulibus, ut ædilis cur. & prætor: & ædilis quidem ſine tribunali, prætor autem cum tribunali. Hæc videtur eſſe Pediani ſententia, cum ait: *alii, Alienum, non nomen proprium putant eſſe, ſed alienum & alterius judicis, & non ex auditorio prætoris, majorumque cauſſarum, ſed a ſubſelliis, hoc eſt, non a tribunalibus. ſunt enim ſubſellia tribunorum, triumvirorum, quæſtorum, & hujuſcemodi minora judicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant.* Dixit igitur Cicero, verſatum eſſe Varronem in utriſque ſubſelliis, id eſt, egiſſe cauſſas & apud eos judices, qui ſimul cum magiſtratu non curuli, parvis de rebus, & apud eos, qui cum curuli de majoribus cognoſcerent. Hic addam quaſi παρεργον, tertium quoddam genus judicum fuiſſe, qui ſtantes judicarent: de quibus Cicero in Bruto, *ſi anguſte*, inquit, *& exſiliter dicere, eſt Atticorum; ſint ſane Attici, ſed in Comitium veniant, ad ſtantem judicem dicant. ſubſellia grandiorem & pleniorem vocem deſiderant.* Hos opinor levi aliqua de re, a magiſtratu mandata, ſeparatim judicaſſe. nam ſtantem judicaſſe vel triumvirum, vel alium minorem magiſtratum, credibile non eſt: & Pedianus triumvirum ſediſſe oſtendit; & idem Cicero confirmat, cum ait in Cluentiana: *Hominem ante pedes Q. Manlii, qui tum erat triumvir, conſtituunt.*

Petitione] Petiit, & adeptus eſt triumviratum, & tribunatum pl. ut ait Gellius lib. 13. cap. 12. ſed utrum tribunatum ante quæſturam, id eſt, ante hanc epiſtolam, eo quæſtore ſcriptam, an poſt, incertum videtur. ſcimus, poſt quæſturam peti ſolitum eſſe tribunatum: idque declarat, ut alia omittam argumenta, epiſt. ult. lib. 2. verum, petiiſſe Varronem, bonum virum, bonumque civem, tribunatum poſt hoc tempus, id eſt poſt amiſſam libertatem, cum nihil jure, nihil more gereretur, ad unius voluntatem omnia

referrentur, mihi quidem non ſit veriſimile. rurſus, quis credat eum, geſto jam tribunatu, quæſturam potius, quam ædilitatem cur. aut etiam, ædilitate relicta, præturam petere voluiſſe? omnino, ut in re difficili aliquid ſtatuam, ſi poſt quæſturam Varro tribunatum geſſit, ut magiſtratuum ordo poſtulat, geſſiſſe Auguſto principe, libentius crediderim, quam C. Cæſare dominante.

Honeſtiſſimum] Non omnis laborum fructus honeſtus, ſed honor fructus honeſtiſſimus. Pro lege Manilia: *Meus labor in privatorum periculis caſte integreque verſatus, ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus.*

Laboris ſui] Quem ſuſcepit, cum verſaretur in utriſque ſubſelliis.

His autem temporibus] Commutata rep.

Brundiſio] Quo ſe poſt pugnam Pharſalicam Cicero contulit. epiſt. 27. l. 11. & epiſt. 6. ad Atticum lib. 11.

Mandatis] Vt ageret cum Cæſare, ut in Italia, atque etiam in urbe, ſi vellet, Ciceroni liceret eſſe.

Ad Cæſarem] Bellum in Ægypto gerentem.

Pag. 280. *Renunciando*] Mihi.

Si prius cauſſam, cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem] Idem loquendi genus epiſt. 5. lib. 4. *Si hoc unum propoſuero, finem faciam.* Vide, quæ ibi diximus.

Vſus] Vtilitati. epiſt. 16. *Multis in rebus mihi magno uſui fuit & fides ejus, & prudentia.* epiſt. 1. lib. 1. ad Att. *Fuit & mihi, & Quincto fratri magno uſui in noſtris petitionibus.* Terentius in Heaut. *Mihi ſic eſt uſus.* In Hec. *Si eſſet ex uſu noſtro hoc matrimonium.* Interdum valet, *conſuetudo*, ut epiſt. 1. lib. 9. *Eorum uſum dimiſeram.* Interdum peritia, exercitatione parta, ut ep. 16. *Valet ingenio: habet uſum.*

Modeſtum, prudentem, a cupiditate omni remotiſſimum, magni laboris, ſumma induſtria] Hæc in quæſtore requiruntur, præſertim illud, ut ſit ab omni cupiditate remotiſſimus. multi enim pecunias in provincia contra leges capiebant.

Fores aperiantur] Pergit in tranſlatione, quia dixerat, *Aditus.* Non diſſimilis illa tranſlatio apud Terentium, in Heaut. *Quantam feneſtram ad nequitiam pateſeceris.*

Et ipſe ſperarit, nec ego dubitarim] Quemadmodum, *Nec*, *Et*, dicitur, ut ep. 1. lib. 1. *Nec miror, & gaudeo:* ſic contra, *Et*, *Nec*, ut in hoc loco, & Phil. 11. *Patebat via & certa, neque longa.* Et in eadem, infra; *Mihi quidem & ille pervenisse videtur, quoad progredi potuit feri hominis amentia; neque Antonius ullius ſupplicii adhibendi, ſi poteſtatem habeat, ullam partem eſt relicturus.*

EPISTOLA XI.

QVia ſemper animadverti] Tollit rogandi neceſſitatem, explicata commendandi cauſſa.

Pag. 281. *Sacra*] Publica.

Sarta tecta ædium ſacrarum locorumque communium] Quæ cum & conſervanda maxime ſint, nec ſine vectigalibus conſervari queant, ſummo ſtudio providendum eſt, ne qua res aut impediat agrorum vectigalium fructus, aut imminuat.

In provincia Gallia] Vt Attelani epiſt. 7.

Is enim magiſtratus] Ædilitas.

Nec ullus alius] In aliis enim municipiis vel dictator creari ſolebat, ut Lanuvii; (orat. pro Milone) vel conſul, ut Tuſculi; vel duumvir, ut Corfinii; (Cæſar lib. 1. bel. civ.) vel quatuorvir, ut Neapoli, & Cumis, (epiſt. 11. lib. 10. ad Att. & in Cluentiana) vel quæſtor, ut Sidicini, & Ferenti: (Gellius lib. 10. cap. 3.) Spartianus in Hadriano: *Per opida Latina dictator, ædilis, duumvir fieri voluit.*

EPISTOLA XII.

Pag. 282. QVorum mihi omnes neceſſitudines ſunt] Epiſt. 1. *cum Patrono mihi omnia ſunt.* epiſt. 14. *Omnia cum eo intercedunt jura ſummæ neceſſitudinis.*

Non ut aliquid de illa commendatione deminuam, ſed ut hanc addam] Simile illud epiſt. 10. *Nihilo infirmius illud hoc*

addi-

addito. Alii aliter. nos hic emendavimus ex vetuſto Maſæorum libro.

In Cilicia] Pro, in Ciliciensi provincia, cui tres διοικήσεις attributæ erant: ut epiſt. 67. non enim ſolam Ciliciam rexit Cicero.

Tribunus mil.] Primum in legione locum poſt legatum tribunus militum obtinebat. Sex autem in ſingulis legionibus Polybius conſtituit. Asconius duo genera facit, unum eorum, qui *Rufuli* vocabantur, qui creari ſolebant in exercitu: alterum, qui *Comitiati*, Romæ comitiis deſignati.

Vt accepiſſe ab eo beneficium viderer, non dediſſe] Sententia ſimilis epiſt. 19. lib. 6. *In qua ille ſe dediſſe beneficium putabit, non accepiſſe.* Recitat Gellius pulcherrimum Publii mimi Senarium: *Beneficium dando accepit, qui digne dedit.*

Secutus auctoritatem meam] Auctor enim ei fui, ut eam legationem ſuſciperet. Sequitur proxime: *Qui cum impulimus.*

EPISTOLA XIII.

Pag. 283. HOneſtus, gravis, plenus officii] Nihil redundat: ſingula enim ſingulis aliquid addunt. ut enim poteſt eſſe aliquis honeſtus, nec tamen gravis, aut officii plenus: ita contra. *honeſtus* autem refertur ad genus & familiam, quod honeſto loco natus: *gravis*, ad ætatem & mores: *plenus officii*, ad probitatem & conſuetudinem vel bene merendi, vel remunerandi.

Bonus plane vir] Ad hanc laudem addi nihil poteſt: & augetur ex ea majorem in modum commendatio, præſertim apud Brutum, inſigni bonitate virum.

Fortuna] Iis rebus, quæ ſunt in fortunæ poteſtate.

Si quid hoc ad rem pertinet] Si fortuna locum habet inter ea, quæ ad commendandum valent.

Familiariſſimus, ſic prorſus] Ratio non videtur ferre, ut, *ſic*, cum ſuperlativo jungatur, ſed ipſa ratio refellitur exemplis: ep. 33. *Cn. Otacilio Naſone utor familiariſſime, ita prorſus, ut illius ordinis nullo familiarius.*

Noſtri ordinis] Senatorii.

Jucundum] *Promitto, in meque recipio, fore eum tibi voluptati.* ep. 10.

EPISTOLA XIV.

OMnia mihi cum eo intercedunt jura ſumma neceſſitudinis.] Ep. 12. *Quocum mihi omnes neceſſitudines ſunt.*

Volcatio] Prætore urbano, qui ceteris prætoribus nobilitate præſtabat. epiſt. 12. lib. 10. Feſtus.

EPISTOLA XV.

Pag. 284. PRæcilium tibi commendo unice] Cauſſæ ſunt hujus commendationis duæ: quarum altera ſumitur ab adoleſcente Præcilio, qui modeſtia & humanitate excellat, Ciceronemque ipſum ſingulariter diligat: Altera ab ejus patre, cujus & in Cæſarem Ciceronemque non vulgaris benevolentia, & probitas eximia ſit. Præcilia gens & plebeja, nec ullo clara conſulatu, ne prætura quidem, quod ſciam.

Hem hic ille eſt] Inſignis ad movendum locus: tum quia ſenſus Præcilii & ſtudium erga Cæſarem declaratur: tum etiam, quia Cicero, qua ſibi re offenſum Cæſarem putat, in ea dat operam, ut illum ſibi, erroris confeſſione, reconciliet. *Hem*, particula non dolentis, ſed indicantis potius: ut Phil. 5. *Hem cauſſam, cur lex tam egregia ferretur, ut eos judices haberemus, quos hoſpites habere nemo vellet.* Et Terentius in And. *Obſecro te, quamprimum hoc me libera miſeram metu.* D. *hem libero.* In And. *Hem tibi, reſcivit omnem rem.* Et alibi. Similiter Plautus in Aſin. *Hem nunc, ſi velis da, commoda homini amico.* Et in Capt. *Hem mihi jam otium eſt.* Et alibi.

Irridere] Initio civilis belli.

Pag 285. *Non tecum conjungerem*] Conjunxit ſe cum Pompejo.

Honorificentiſſime] Ep. 9. libro nono.

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν] *Sed meum numquam animum in pectoribus perſuaſerunt.* Homeri verſus, Οδ. η.

Noſtros proceres] Pompejanos. *Proceres* vocat cum ironia, quia defendi ſe ſemp. gloriarentur.

Ἀλλα-

Ἄλκιμος ἔσσ', &c.] *Fortis eſto, ut aliquis te & poſterorum laudet.* Homerus Od. α, & γ.

Ὣς νεφέλη] *Sic nebula occultavit atra.* id eſt: ita non vidi, quod utilius mihi fuit: ita mihi quaſi nebula quædam videndi facultatem ademit. Od. ω.

Idem] Idem ſenex Præcilius, qui me irridebat antea & objurgabat.

Conſolatur] Cum dicat me tibi eſſe cariſſimum.

Etiam, hominem perustum, etiamnum gloria volunt incendere] *Etiamnum*, non placet: videtur enim abundare, cum jam dictum ſit, *Etiam*. Augent mendi ſuſpicionem veteres libri. nam pro, *Etiamnum*, tres habent, *Et intimum*: unus, *Et jam non*: duo, *Et inanem*: unus, *Et inani*: unus, quo ſum uſus adoleſcens, Vincentii Riccii, *Immanis*: quod in ſcholiis noſtris olim teſtati ſumus: unus omnino, *Etiamnum.* Quæ varietas dubitationem mihi quidem non parvam affert. placuit olim, *Inani gloria*: placet idem nunc, ita ſi docti viri probant. non enim is ſum, qui meas opiniones mordicus retineam.

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, &c.] *Ne negligenter, & ſine gloria peream, ſed magno aliquo editio facinore, & poſteris audiendo.* Il. χ.

Pag. 286. *Ut vides*] Quia non ſequor partes eorum, ſed in urbe ſum.

Ab Homeri magniloquentia confero me ad vera præcepta Εὐριπίδου] Quid Homerus dicat, non attendo: Euripidem audio libentius. Magnifice loquitur Homerus, quia ſuperioribus verſibus ad gloriam hortatur.

Vera] Qui enim deſipiat in re ſua, ſapere eum in aliena quis exiſtimet?

Μισῶ σοφιστήν] *Odi ſapientem, qui non ſibi ſapit.* Cur eos, inquit, monentes audiam; cum ipſi ſibi; tecum decertantes, non optime conſulant? Senarius hic ex Euripidis Medea videtur eſſe. vide epiſtolam ſextam libro ſeptimo.

Laudat] Quaſi vere dictum, & eorum exemplo comprobatum, qui mihi conſilium dant, cum ipſis eorum conſilia non proſint.

Poſſe eundem] Poſſe, qui ſuis rationibus proſpiciat, id quod ego facio, eundem præclare agere, & aliis præſtare: cum enim proceres illi, Ciceronem incendere gloria cupientes, ita loquerentur: *μὴ μὰν ἀσπουδεί γε*, &c. potes, ajebat Præcilius, & præclare agere, quod iſti monent, & ſimul tamen ante & poſt videre, id eſt, conſilia tuta & ſalutaria capere: quod e Cæſaris amicitia conſequeris.

Ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω videre] Præterita ſimul & ſequentia inſpicere: quod qui facit, errare non poteſt. facit autem is, ajebat Præcilius, qui cum Cæſare, opibus, honoribus, gloria florentiſſimo, non contendit. Sumptum ex Homero, qui Achillem ob ereptam ſibi ab Agamemnone Briſeidem ita conquerentem inducit Il. lib. 1.

— ἦ γὰρ ὅγ' ὀλοιῇσι φρεσὶ θύει,
Οὐδέ τι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω,
Ὅππως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοιντο Ἀχαιοί.

Et in Od. lib. ult.

Τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε γέρων ἥρως Ἀλιθέρσης
Μαστορίδης, ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Αἰὲν ἀριστεύειν] *Semper egregie ſe gerere, & aliis antecellere.* Homerus Il. ζ. & λ.

Genere novo] Ob interpoſitos Græcos verſus.

EPISTOLA XVI.

Pag. 287. P. *Craſſum*] Liciniæ gentis, plebejæ, M. Craſſi, a Parthis interempti, filium; epiſt. 8. lib. 5.

Ex omni nobilitate] Nobiles enim & plebeji generis homines dicebantur, ob honores ab eorum parentibus & majoribus præclare geſtos. ep. 64. *Plurís ex omni nobilitate neminem facio.* Quo loco de homine patricio loquitur.

Cognitis] Robuſtiore ejus ætate.

Optima ſtudia] Eloquentiæ P. Craſſus operam dedit: ideoque Ciceronis conſuetudine perlibenter utebatur: eumque cum patre diſſidentem in gratiam reduxit. auctor Plutarchus. Cicero autem in Bruto, *Quæ quidem*, inquit, *etiam cum P. Craſſo M. F. cum initio ata-*

tu

tu ad amicitiam ſe meam contuliſſet, ſæpe egiſſe me arbitror; cum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectiſſimam eſſe duceret, quam majores ejus ei tritam reliquiſſent. erat enim cum inſtitutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus: ineratque & ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans copia: præterea que ſine arrogantia gravis eſſe videbatur, & ſine ſegnitia verecundus.

Poſt mortem autem Craſſi] Periit Publius cum patre in Parthis.

Adme] Proconſulem.

In Alexandrino bello] Quod Cæſar, poſt Pharſalicam pugnam, cum Ptolemæo puero geſſit. extat eo de bello vel Hirtii, vel Oppii liber.

Propter memoriam Craſſi de tuis unus eſſet] Quia P. Craſſus in Gallia Cæſaris legatus fuerat.

Pag. 288. *Diodoto Stoico*] Epiſt. 4. lib. 9.

Teſſe arbitror] Mos Ciceronis eſt, aliqua re propoſita, breviter ſuum ſenſum oſtendere, ut epiſt. 1. lib. 16. *Ie omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus. factum puto.* Et epiſt. 4. lib. 10. ad Att. *Iurabat ad ſummam, quod nullo negotio faceret amiciſſimum mihi Cæſarem: eſſe habet.*

Vſum] Peritiam exercitatione partam.

In eo genere ſtudii] In hiſtoria.

Immortalitati] Quam nulla dies exſtinguet.

Iudicabis] De doctrina hominis, de ingenio, de uſu, & an Græcis litteris res tuas mandare poſſit.

Et tamen quod negaveram commendo tibi eum] Simile artificium epiſt. 18. *Quid modo verebar tibi gratias agere, nunc plane ago.*

EPISTOLA XVII.

Pag. 289. M' Manius prænomen. a *Mane*, ut a *Luce* Lucius. Familiare fuit Curiorum & Aciliorum prænomen.

Curium] Is eſt, ad quem ſunt epiſt. 28. 30. 31. libro ſeptimo, & ipſius etiam una ad Ciceronem. nominatur præterea epiſt. 50. hujus lib. & epiſt. 1. 6. 9. 10. lib. 16. & ep. 2, 3. ad Att. lib. 7. & ad eundem epiſt. 5. 6. lib. 8.

Vt primum in forum venit] Sic epiſt. 10.

Bello] Quod geſtum eſt inter Cæſarem & Pompejum.

Quam maximus poſtea commendatione cumulus accedat] Pro, *Poſtea*, *Poteſt mea*, mihi placere, ſcholia mea in has epiſtolas, ante triginta annos edita, & ſæpe deinde impreſſa, reſtantur. itaque non diſputo, quam recte faciant, qui, quod noſtrum eſt, ad alios transferant; cum præſertim, Scholia noſtra ſe vidiſſe, infitias ire non poſſint. equidem, quod ad me attinet, non laboro: minima enim hæc duco; & magis id ſpecto, ut ſtudioſis meo labore conſulam, quam ut inanem gloriam quæram: ſed iniquam noſtrorum temporum conſuetudinem notandam putavi. De correctione nihil addo. notus enim loquendi modus. uno tamen utar exemplo. epiſt. 4. lib. 15. *Quam potui maximis itineribus ad Amanum ire contendi.*

Pag. 290. *Religioſo & ſine ambitione*] Quaſi religioni adverſetur ambitio. nam religio veritatem exigit: ambitio ſæpe veris falſa præponit.

EPISTOLA XVIII.

E*Latum lætitia*] Epiſt. 10. lib. 2. *Poſt comitia iſta præclara, quæ me lætitia extulerunt.*

Rogatus, aut certe admonitus] Correctio, quia rogari amicus ab amico non vult. epiſt. 9. lib. 1. *quæ mihi commendas, ea tanta mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri, rogari vero ſine magno dolore vix poſſim.* Et epiſt. 4. lib. 15. *Admonendum te potius, quam rogandum puto.* Et epiſt. 13. l. 9. *Peto a te, vel, ſi pateris, oro.*

Quin ita futurum fuerit] Te reſponſurum liberaliter fuiſſe, dubium nobis non erat.

Vltro ad eum ſcripſiſſe] Ita ſcripſiſſe ad eum ultro, quaſi rogatus, aut certe, quoniam rogari amor non patitur, admonitus liberaliter ei reſpondiſſes.

Nec opinanti] Sic malui, quam *inopinanti*. *inopinatum* autem paſſive, ut Grammatici loquuntur, ſæpe dixit. Hic,

Nec

Nec valet *Nen*, ut epiſt. 4. lib. 15. *Præſentibus inſidiis nec opinantem liberavi.* Et in eadem infra: *Pleroſque nec opinantes oppreſſimus.* Et lib. 3. de Fin. *Quod cum accidiſſet, ut alter alterum nec opinato videremus, ſurrexit ſtatim.* Et lib. 3. de leg. *Senatori, qui nec aderit, aut cauſſa, aut culpa eſto.*

Quod tu & ipſius cauſſa, & tua ſponte feceris] Si enim id mea cauſſa feciſſes, gratias ipſe agere deberem: cum vero ipſius cauſſa feceris, ad eum pertinere gratiarum actio videtur. quamquam ne ille quidem gratias debet agere: non enim ab eo rogatus, aut admonitus, ſed ultro ipſe nec opinanti voluntatem ei tuam tantam per litteras detuliſti. itaque gratiarum actio nulla æquare poteſt officium tuum.

Eſſe gratum neceſſe eſt] Quia, quod jucundum, idem gratum, non contra. vide quæ diximus ep. 6. lib. 4.

Pag. 291. *Vtrumque eorum, quæ negavi mihi facienda eſſe, faciam*] Solet in commendationibus, hoc uti Cicero genere artificii, ut, quos primum negavit oportere commendari, eoſdem poſtea commendet: ut ep. 16. *Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum.* Et ad Catonem, ep. 4. lib. 15. cum hæc jam dixiſſet: *Etſi talibus de rebus graviſſimos homines & rogare ſolere, & rogari ſcio; tamen admonendum potius te a me, quam rogandum puto:* ſubjunxit aliquanto infra: *Huic meæ voluntati, ut faveas, adjuterque ſis, quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo.* Vide & initium epiſt. 47. & epiſt. 63.

Quantum acceſſionis fieri poteſt] Ep. 1. lib. 2. *Quantacumque tibi acceſſiones fient & fortunæ, & dignitatis.*

Epiroticis] Poſſeſſiones in Epiro Atticus habuit, ut epiſtolæ ad eum ſcriptæ, & Nepos in vita demonſtrat. Epirus autem hoc tempore ad imperium Sulpicii, Achajam regentis, pertinuit: antea Macedoniæ provinciæ pars fuit: ut oſtendit oratio in Piſonem.

EPISTOLA XIX.

L*Yſone*] Is eſt, cui Tironem ægrum commendavit. ep. 1. 6. 9. lib. 16.

Neceſſitudinem] Cujus arctiora quædam vincula ſunt, quam amicitiæ. itaque ſequitur, *Sancte colendam.* ſancta enim hoſpitii jura. unde hoſpitalis Juppiter, qui hoſpitiis præeſſet. epiſt. 10. lib. 2. ad Q. fr. & in orat. pro Dejotaro, & lib. 3. de Fin.

Abſentis] Quia Romæ, non Patris, eſſet.

In noſtra cauſſa, noſtriſque præſidiis] Pompejum ſecutus eſt in civili bello.

Timebamus] A Cæſare.

Pag. 292. *Quas Cæſar ad te dedit*] Poteſt eas litteras Cæſar in Hiſpania ſcripſiſſe: ſed veriſimilius eſt, in Vrbe: cum dicat Cicero, *Et noſtro, reliquorumque hoſpitum ſtudio.* quod ſi ita eſt; ivit Sulpicius in Achajam, antequam in Hiſpaniam; (ep. 4. lib. 4.) manſit uſque ad exitum belli. nam, ut diximus jam, Cæſar & Sulpicius, hic ex Achaja, ille miſſis ex Hiſpania litteris, in obitu filiæ conſolati ſunt.

Accideret] Voluntate Cæſaris.

C. Memmius Gemellus] Poteſt eſſe is Memmius, ad quem ſupra leguntur Ciceronis epiſtolæ. nam & prænomen idem eſt, & exſulavit uterque.

Patrenſis civis] Amiſſa Romana civitate. nam duarum civitatum civis eſſe nemo poterat.

Me illo negligenter de ſe ſcripſiſſe putet, non te oblitum mei] Simile illud ep. 1. *Non te in me illiberalem, ſed me in ſe negligentem putabit.*

EPISTOLA XX.

M*Edico*] Medicinam Romæ ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant.

Pag. 293. *Meorum*] Tironis, quem ex Cilicia decedens ægrum Patris reliquit, epiſt. 1. 6. 9. lib. 16.

EPISTOLA XXI.

I*N omni genere officii diligendus*] Non delector mutatione: facio tamen libenter, ut in locis mendum redolentibus teſtificer ſententiam meam. *In omni genere officii diligendus*, ferri poteſt, & eo magis, quod omnes libri veteres conſentiunt; veruntamen, quia

Diligens, & *Diligendus*, non admodum diverſa ſunt; ſcripſi olim, nihil tamen affirmans, magis mihi placere *Diligens*, quam *Diligendus*: ut mentio fiat in officio diligentiæ potius quam amoris, ex conſuetudine Ciceronis: quam ſi quis contemnit, eum a me diſſentire nec miror, nec moleſte fero. Ciceronis hæc ſunt, pro Plancio: *In omni officio diligentiſſimus*. Pro Cœlio: *Vir omnis officii diligentiſſimo*. Pro Cluentio: *In omnibus officiis retinendis diligentior eſſe nemo poteſt*.

Pag. 294. *C. Avianum*] Ep. 27. miror a nonnullis, *Avianium*, legi: cum tamen initio epiſtolæ, *M. Æmilius Avianus*, legant. cur autem liberti nomen a patroni nomine diſſentiat?

Moleſtiſſimis temporibus] Cum exſularet a Clodio pulſus.

Eum Hammonium] Fortaſſe abundat *Hammonium*.

EPISTOLA XXII.

VArro Murena] Varro Terentiæ gentis, Murena Liciniæ cognomen. hic igitur vel ex Terentia in Liciniam, vel, quod magis arbitror, ex Licinia in Terentiam adoptatus, novum cognomen accepit, vetere conſervato: ut Pompeji Magni ſocer Scipio Metellus, adoptatus a Q. Cæcilio Metello Pio, cum eſſet antea Corneliæ gentis: ut Varro Lucullus, qui anno Vrbis 680. Conſul fuit, accepto Terentiæ gentis cognomine, Liciniæ retento. Hunc ego Varronem Murenam facile crediderim ejus Varronis Murenæ patrem fuiſſe, qui cum Auguſto anno 730. conſulatum geſſit. *Murana* vero ſcribendum eſſe, non *Murena*, cum a μύραινα piſce deducatur, ut alia Romanarum gentium cognomina, licet adverſante lapidum antiquorum auctoritate, libenter exiſtimaverim.

Pag. 295. *Quibuſcumque rebus honeſte ac pro tua dignitate poteris*] Eodem modo epiſt. 31. Similiter epiſt. 32. & epiſt. 67.

EPISTOLA XXIV.

Pag. 296. VNis litteris] Epiſt. 19.
Pag. 297. *Tuis officiis, liberalitate complectare*] Omiſit copulam, ut ep. 28. *Homini gratiſſimo, jucundiſſimo*. & lib. 3. epiſt. 8. 10. 12. lib. 5. epiſt. 17. lib. 7. epiſt. 5. lib. 8. epiſt. 6. lib. 9. ep. 1. item alibi ſæpe.

EPISTOLA XXVI.

QVæſtor fuit] In Cilicia. epiſt. 20. 21. & lib. 5. & 6. lib. 16.

Gravem duxi] Epiſt. 10.

Pag. 298. *Libenter te eſſe facturum*] Ab omnibus antiquis libris, uno excepto, abeſt *Te*; nec ſane neceſſarium videtur.

Meas quoque litteras] Etſi neque numerus, neque genus loquendi admodum mihi ſatisfacit: quid enim eſt, *Mea littera magnum ſunt apud te?* conſenſus tamen facit veterum librorum, ut acquieſcam. in vulgatis legebatur, *Meas quoque litteras pondus habituras*; apte: ſed antiquitatis, ut arbitror, nullo teſtimonio.

M. Mindio] Ep. 20. lib. 5.

Elide] In qua urbe delubrum Jovis Olympii fuit. Plinius lib. 4. cap. 5.

Quod commodo tuo fieri poſſet] *Quod ſine moleſtia tua fiat*, epiſt. 23. & epiſt. ſeq. *Quod commodo tuo fiat*.

Diſceptatore] Rei, quæ in controverſiam vocatur, moderatore. In Partitionibus hoc verbum Cicero ipſe interpretatur: *Aut auſcultator eſt modo, qui audit, aut diſceptator, id eſt rei ſententiæque moderator*. Eo uſus eſt Aſinius, cujus hæc recitat Quinctil. lib. 9. cap. ult. *Si, Cæſar, ex omnibus mortalibus, qui ſint ac fuerint, poſſet huic cauſſa diſceptator legi, non quiſquam te potius optandus nobis fuit.*

Alienum tua dignitate] Sic locutus epiſt. 14. lib. 9.

EPISTOLA XXVII.

Pag. 299. NOn parcam opera] Commendare non deſinam.

Vt vos ſoletis in formulis] Sic plane in antiquo Fulvii Vrſini libro, & recte: alii duo, *Vt ſoletis in formulis*: reliqui mendoſe, *Vt voletis in formulis*. Notæ ſunt juriſconſultorum formulæ.

Pag. 300. *Commendaveram*] Ep. 21.

Cum tuo Servio] Epiſt. 3. lib. 4.
Virtute & probitate] Hic & epiſt. ſequenti, & 4. lib. 4. & 5. lib. 6. *virtus* non pro doctrina, ſed pro quadam præſtantia ſumitur.

EPISTOLA XXVIII.

Pag. 301. L*Ibenter*] Spe impetrandi.
Virtus, & probitas] Epiſt. 27.
Studia illa noſtra] Philoſophiæ, ut patet ſequentibus verbis.
Quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus] Epiſt. 2. lib. 9. *Stet nobis illud, una vivere in ſtudiis noſtris, a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc vero etiam ſalutem.* vide epiſt. 3. lib. 4. epiſt. 13. lib. 5. epiſt. 12. lib. 6. epiſt. 3. lib. 9. copiam enim auget locorum ſimilitudo.
Quæ te erunt digna] *Quas tua fides, amplitudo, juſtitia poſtulat*: epiſt. 28. *Quibuſcunque rebus honeſte ac pro tua dignitate poteris*: ep. 22. *Quantum tua dignitas fideſque patietur*: ep. 32. 37. 53.
Duo, quæ te nominatim rogo] *Duo quidem te*, in omnibus fere veteribus libris. quod placet.
Ampitius eo nomine non peti] Neminem eo nomine in poſterum eſſe petiturum, neque Meſcinium, neque alium quemquam.
Pag. 302. *Negotium confeciſſemus*] Ad quas enim condiciones, id eſt ad ea, quæ avertit, reſtituenda ſi putabit ſibi Romam eſſe veniendum, facile adducetur.
Illud quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo] *Id*, non abundat, ſed additum confirmationis gratia: ut epiſtola quinquageſima ſeptima: *Illud, quod tecum & coram, & per litteras diligentiſſime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo*. Et lib. 7. epiſt. 26. *Lex ſumptuaria, quæ videtur λιτότητα attuliſſe, ea mihi fraudi fuit.* Et pro Cœlio: *Illud tempus ætatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum, alterum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo.* Plautus in Pſeud. *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, eam circumducam lepide.* Varro lib. 3. de re ruſt. *Thebæ, quæ ante cataclyſmon Ogygi condita dicuntur, eæ tamen circiter duo millia annorum & centum ſunt.* Duo verba, *Tibi confirmo*, ſumpſimus ex antiquis libris: quod ideo teſtificamur, quia, locum ex ingenio ſuppletum, alii crediderunt, hoc argumento ducti, quod in ſuo vetere libro deeſſe aliquid cernerent.
Gratiſſimo, jucundiſſimo] Omiſſa copula, ut epiſt. 24. *officiis, liberalitate complectare.*
Nec] Sequitur, *Et*, ut epiſt. 1. l. 10. *Nec miror, & gaudeo.* Opinor autem hoc eſſe principium alterius epiſtolæ.
Quis te optime noviſſem] Paullo poſt: *Quod unus optime noſſes non noſtra ſolum, ſed etiam Græcia monumenta omnia.*
Et jura, & merita populorum] *Jura*, quæ illis tueri, non imminuere, debemus: *merita*, erga populum R. quibus commendati nobis eſſe debent.
Pag. 303. *Pro horum temporum perturbatione*] Quantum licet per hæc tempora, quibus plane felix eſſe nemo poteſt. *Pro malis temporum*, epiſt. 2. lib. 6. *Vt in tantis malis*, epiſt. 2. lib. 12.
Monumenta] Veteres hiſtorias.
Tua ſponte] Propter antiquam Lacedæmoniorum nobilitatem: principes enim Græciæ fuerunt.
Te non moleſte ferre] Tibi non ingratum eſſe.
Pertinet ad officium meum] Cum tibi omnia debeam.

EPISTOLA XXIX.

P*Lanco*] Cum Cæſare in Africa contra Scipionem & Jubam regem pugnante. Hic eſt, ad quem ſunt epiſtolæ lib. 10.
Quis tibi a patre relicti ſunt] Vide epiſt. 3. & 4. lib. 10.
Pag. 304. *Varietates meorum temporum*] Exſilium ſuum ſignificat.
Honorum, & laborum meorum] Vide epiſt. 4. & lib. 15. epiſt. 8. 9.
Paruit, & temporibus, & fortunæ meæ] Similiter pro Dejotaro: *Tequt Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit.*
Sorte] Quæſtores quoque provincias ſortiebantur. epiſt. ult. lib. 2. pro Murena, Suetonius in Claudio.
Oppreſſus] Subito Pompeji adventu quaſi captus.

Cum ſignaretur argentum] Juſſu Pompeji.

Abfuiſſe] In quo Cæſaris animum offendit.

A Caſtris] Pompeji.

Non modo ut non præeſſet ulli negotio, ſed etiam ut ne intereſſet quidem] Contra, epiſt. 6. lib. 1. *Omnibus negotiis non interfuit ſolum, ſed præfuit.*

Pag 305. *Poſt prælium*] Pharſalicum, quo victus Pompejus Ægyptum petiit.

A. Plancum] Qui Bithyniæ præerat, Cæſaris partium fautor & adjutor.

Ex parte dimidia, & tertia] Tota hereditas nomine aſſis vocatur, partes autem hereditatis partibus aſſis. dividitur in unciam, ſextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, ſemiſſem, ſeptuncem, beſſem, dodrantem, dextantem, deuncem. Pars igitur hereditatis dimidia, & tertia, ſi ab aſſis partibus vocetur, erit, ſemis, & triens, vel, unico vocabulo, dextans. quamquam neque dextantem, neque deuncem, neque quincuncem, ſeptuncem, beſſem, pro partibus hereditatis uſurpari a veteribus video: ſed tantum hæc, unciam, ſextantem, quadrantem, trientem, ſemiſſem, dodrantem, aſſem.

Publica poteſt eſſe] Antiſtii bona, ut Pompejani, publica eſſe, victore Cæſare, debebant. partem Capitoni relictam Cicero conſervare conatur, adjutore Planco. reliquum ſextantem, ait, poſſe Cæſarem capere, nulla cujuſquam querella, fortaſſe quod ii, quibus ſexta hereditatis pars legata fuerat, Pompejanarum partium fuiſſent: cum Capito abſtinuiſſet omnino ab armis, Cæſaremque potius quam Pompejum dilexiſſet.

H S xxx] Non, ſeſtertium triginta millia (nam parva pecunia fuiſſet, ſcutati noſtrates nongenti) ſed, ſeſtertium tricies, id eſt, ſcutatorum nonaginta millia: de qua ſumma jure ſubjungit: *ſed de hoc Cæſar viderit.*

Cæſar viderit] Ad quem ſextans ille, Pompejanis ab Antiſtio relictus, videtur jure belli pertinere.

Potentia] Apud Cæſarem.

Cujus] Neutro genere, haud ſatis uſitate.

Pag. 306. *Ipſum meminiſſe*] De Capitonis erga illum amore & obſervantia.

In me ipſo experiri] Quanti Cæſarem fecerit Capito, in me ipſo ſum expertus. quod enim fuerim moderatior, ac temperatior in civili bello, quam quiſquam Pompejanus; id auctore Capitone potiſſimum feci.

Ad te deferam] Conferam ad arbitrium tuum: ut ipſe judices, id quanti ſit. *Deferre aliquid ad aliquem*, eſt illius arbitrio committere. nam epiſt. 9. lib. 1. cum dixiſſet: *Iſtam partem vitæ conſuetudinis, quæ noſtra totam ad te defero:* ſubjunxit: *Quantum litteris, quantum ſtudiis conſequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum libentiſſime conferemus.*

Quibuſque munitus fuerim] Hunc locum vacare mendo, perſuaderi mihi vix poteſt. antiquus liber unus, *Quibus & munitus:* alius, *Quibuſque monitus:* reliqui omnes, *Quibuſque munitus ſuerim.* mihi placeret, *Quibuſque inimicus fuerim.* Ut in eo Pompejani ſignificentur, *Per quos homines ordineſque ſteterim;* Cæſariani in hoc, *Quibuſque inimicus fuerim.*

Quod intellexerim ſ... eſſ... ſum Cæſarem] Hoc refer non ad ſuperiora, ſed ad ea, quæ ſequuntur.

Aliorum conſilio] Culpam ſuam aliorum culpa tegit.

Auctoritate Capitonis] Auctore Capitone. ſuaſit enim, ut, quam minimum poſſem, Cæſarem oſtenderem. ſane Cicero, ſumptis armis, nullam belli partem attigit in Italia. Pharſalico autem prœlio non interfuit.

Reipub. reſtaſſe non nihil] Quia manſiſſem in Italia, & quaſi medius inter utramque partem agere de pace potuiſſem.

Mihi certe plurimum] Non enim ad Pompejum in Græciam navigaſſem: quod feci diſſuadente Capitone, reliquis neceſſariis hortantibus.

Adjunxeris] Adjunxit, & ita quidem, ut ejus apud Plancum opera in Attici re Cicero ſit uſus: quod ejus ad Capitonem epiſtola declarat, lib. 16. ad Attic.

EPISTOLA XXX.

A*Cilio*] Præerat Siciliæ proconſulari imperio, licet conſulatum non geſſiſſet. vide quæ diximus epiſt. 1. libro primo.

L. Manlius eſt Soſis] In litteris commendaticiis primum locum obtinet vel narratio, vel procœmium: hoc, ut exponantur cauſſæ, quibus ad commendandum adducimur: illa, ut ſtatim res ipſa, nullo exculta artificio, perſpicua veritate ſtudium & patrocinium boni viri conſequatur. Hic narratio incipit a nominibus. ut in Divinatione, *Agonis eſt quædam Lilybetana:* & lib. 1. in Verrem, *C. Sulpicius Olympus fuit:* lib. 3. in eundem, *Nympho eſt Centuripinus*, & alibi. *L. Manlius Soſis*, duo ſunt Romana nomina, tertium Siculum. qui enim peregrini Romanam civitatem aſſequebantur, eorum aſſumebant & prænomina, & nomina, quorum opera & beneficio cives Romani facti erant, vetere nomine conſervato. exemplum exſtat illud epiſt. 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella, rogatu meo, civitatem a Cæſare impetravit: qua in re ego interfui: itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Et in Verrem lib. 4. *Tu maximam & pulcherrimam menſam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla civis Romanus factus eſt, abſtuliſti.*

Is fuit Catinenſis] Eſſe deſiit, poſteaquam in municipium Neapolitanum adſcriptus eſt. civis enim duarum civitatum eſſe nemo poteſt. Nepos in Attici vita. Catina in Sicilia oppidum locuples, honeſtum, copioſum Cicero appellat lib. 4. in Verrem.

Pag. 307. *Erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem ſociis & Latinis datam*] Rationem affert, quo modo, Catinenſis cum fuerit, civis Romanus factus ſit. Quo tempore, inquit, ſociis & Latinis data civitas eſt, (datam eſſe lege Julia, oſtendit Cicero in oratione pro Balbo) adſcriptus jam erat Manlius in municipium Neapolitanum: ita cum reliquis Neapolitanis civitatem eſt adeptus. Hæc verba Ciceronis factum eſſe civem Romanum Manlium beneficio legis Juliæ, videntur oſtendere, non ejus legis, quæ a tribunis pl. Silvano & Carbone poſtea lata eſt, cujus hæc ſententia fuit, ut adſcriptis in fœderatos populos civitas daretur, ita, ſi tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & ſi ſexaginta diebus apud prætorem eſſent profeſſi. Nam ſi ad hanc Silvani & Carbonis legem Cicero reſpexiſſet, non hoc argumento uſus eſſet, quod in id municipium eſſet adſcriptus ante civitatem ſociis & Latinis datam, ſed hoc potius, quod in Italia domicilium habuiſſet, cum eam legem Silvanus & Carbo tulerunt. Non negaverim, eam legem ad peregrinos attinuiſſe, & peregrinorum in numero Catinenſes fuiſſe: verum ea lege non eſt uſus Manlius, qui aliquanto ante civis Romanus legis Juliæ beneficio factus eſſet. Quid igitur ſpectavit, aut quorſum lata eſt Silvani lex & Carbonis: ſi quidem adſcripti fœderatas in civitates jura civium Romanorum lege Julia adepti jam erant? Primum confirmabat eis legis Juliæ beneficium, ſed ita, ſi tum cum hæc poſterior lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & ſi ſexaginta dies apud prætorem profeſſi eſſent: alioqui datam antea civitatem eripiebat. deinde, ne certatim in poſterum peregrini homines fœderatis civitatibus adſcribi vellent, ut ea mox ratione in civitatis Romanæ cenſum irreperent, ademit eis hanc ſpem, dato iis tantum civitatis jure, qui tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent: nam, ſi poſt latam legem, nihil proderat.

Decuriis] Decuriones in municipiis erant, ut ſenatores Romæ.

Id municipium] Italici juris municipium fuiſſe, oſtendit & oratio pro Archia.

Sociis & Latinis] Cum Latio Italici omnes deſignantur. Italiam appello, non quam alpibus natura terminavit, ſed quæ jure civili duobus municipiis, Arimino a ſupero mari, Luca ab infero, a Gallia ciſalpina disjungitur. & quamquam pars Italiæ Latium fuerit,

& jus

& jus Latii differat a jure Italico: quod argumentum vir excellentis doctrinæ Carolus Sigonius tribus libris pleniſſime tractavit. ſæpe tamen & Livius, & alii, cum Italos omnes una cum Latio ſignificare vellent, *ſocii Latini nominis*, aut *[illegible] Latini*, dixere. cujus generis exempla multa non afferam, uno contentus ero. Livius enim libro nono cum dixiſſet: *In omni delectione ſociorum Latini nominis, urbano prope delectu decem [illegible]bantur legiones:* infra, qui eſſent ſocii Latini nominis, oſtendit his verbis: *Latium omne, cum Sabinis, & V[illegible], & Æquis, & omni Campania, & parte Umbriæ Etruriæque, & Picentibus, & Marſis, Pelignisque, ac Veſtinis, atque Apulis, adjunctaque omni ora Græcorum inferi maris a Thuriis Neapolim, & Cumas, & inde Antio atque Oſtia Samnitis.*

Et eſt hodie in bonis] Argumentum, [illegible] nullam ſit habiturus de ea hereditate controverſiam: quia nemo prohibuit, quominus eam adiret: cum facilius eſſet excludere, quam de poſſeſſione deji[illegible] *F[illegible] in bonis, eſſe in poſſeſſione bonorum, bona poſſidere*, & idem ſunt, & [illegible] Tulliana.

[illegible]um optimum] Dignum igitur amore [illegible]o.

[illegible]que familiariſſimum] Quo potes [illegible]igere, quantum ejus cauſſa cu[illegible].

[illegible] ſtudiis litterarum doctrinaque præ[illegible]m, quibus ego maxime delector] U[illegible] Philoſophiæ ſtudia ſignificat, an [illegible]iæ? hominem Siculum ab eloquentia laudari vix arbitror: de Philo[illegible] potius adducor, ut credam: cum præcipuam eam Cicero oppreſſa rep. maxime coluerit.

EPISTOLA XXXI.

H*Oneſto & ornato*] Cum dicit *Ornato*, ipſum laudat, cum *Honeſto*, genus.

C. Piſonis] Calpurniæ gentis. ep. 2. ad Att. lib. 1. *Tulliolam C. Piſoni L. F. Frugi deſpondimus* Hic primus fuit Ciceronis gener: alter Craſſipes, qui nominatur epiſt. 7. lib. 1. & epiſt. 5. lib. 2. ad Q. fr. tertius Dolabella, de quo epiſt. 16. lib. 2. ep. 12. lib. 3. ep. 6. & 12. & lib. 8. & alibi.

EPISTOLA XXXII.

Pag. 308. L*Auta*] Eleganti, & omnibus rebus ornata, qualis hodie Florentia.

Archagathum, & Philonem] M. Clodium Archagathum, C. Clodium Philonem. horum cognomina Græca ſunt, prænomina vero & nomina Romana. primum enim Siculi cum eſſent, civitatis Romanæ jus adepti, ſimul appellationem ſuſceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. Sic, *L. Manlius Soſis*, ep. 30.

Ambitione quadam] Ut oſtendam iis, quos tibi præcipue commendo, me apud te valere plurimum.

Vetuſtate] Vetuſta notitia. epiſt. 15. lib. 5. epiſt. 10. lib. 10. epiſt. 16. lib. 11.

EPISTOLA XXXIII.

Pag. 309. I*Ta prorſus*] Vide epiſt. 13.

Illius ordinis] Non hic ſenatorius, aut equeſtris ordo ſignificatur, ſed condicio quædam. ut enim diverſa hominum genera, ſic diverſi ordines. epiſt. 2. lib. 1. *Cum ejus fam[illegible]res omnium ordinum video.* Et lib. 3. Off. *qui eſſet, ut argentarius, apud omnes ordines gratioſus.* Et de Amic. *Numquam ſe ille Philo, numquam Rupilio antepoſuit, numquam inferiores ordinis amicis.*

EPISTOLA XXXIV.

D*Omuſque ejus*] Domeſticos ejus. epiſt. 38.

EPISTOLA XXXV.

Pag. 310. M*Eo beneficio*] Me rogante.

In Novocomenſes retulit] In eos, quos Novumcomum deductos in primo conſulatu civitate donavit. ii fuere quinque millia, & Græci maxime illuſtres quingenti. Philoxenus autem Græcus, quia Siculus. Suetonius & Strabo. poſtea vero dictator idem Cæſar tranſpada-

nos omnes, ut ait Dio, civitate donavit.

Nomen Aviani] Immo & prænomen. vide epiſt. 79.

Homine nullo plus eſt uſus] *Eſt uſus* dixit, quia perierat Avianus Flaccus.

EPISTOLA XXXVI.

DOlabella] P. Cornelius Dolabella, qui gener fuerat Ciceronis. nam divortium fecit poſt pugnam Pharſalicam.

P. Cornelius vocatur] Aſſumpto prænomine & nomine Dolabellæ, cujus beneficio civitatem impetraverat.

Tabulam] Æneam, in publico fixam.

Pag. 311. *Revelli*] Ne valeret.

EPISTOLA XXXVII.

CAlactinum] A Calacta, Siciliæ urbe. Ptolemæus.

Publice poſſidentur] Legem apud Calactinos fuiſſe crediderim, quæ vetaret, ne quidquam publice, niſi publico nomine poſſideretur. Hippiæ autem bona alicuo nomine, puta cujuſpiam abſentis, vel pupilli, publice poſſidebantur.

EPISTOLA XXXVIII.

Pag. 312. IAm inde a quæſtura mea Siciliensi] Siculi igitur erant hi Brutii, pater, & filius. quæſtor in Sicilia fuerat Cicero prætore Sex. Peducæo, ut ait Pedianus.

EPISTOLA XL.

Pag. 313. Q. Anchario] Tribunus pl. fuerat Cæsare & Bibulo coss. prætor, Marcellino & Philippo.

Preces.] Non geſto tamen conſulatu. vide quæ diximus ep. 1. lib. 1.

L. & C. Aurelios] Oreſtas. duos enim Aurelios Oreſtas, ſuperioris tamen ætatis, Cicero nominat in Bruto.

Quod ſcio multas plurimum valuiſſe] Notandum, *Quod*, ita uſurpatum, ut epiſt. ult. ad Att. lib. 9. quo loco genus hoc loquendi probavimus exemplis.

EPISTOLA XLI.

LUcceolo] Videtur Culleolus Illyrico præfuiſſe: quia nominantur in epiſtola ſequenti *Bylliones* Illyrici populi. quod ſi ita eſt, præfuit ante primum Cæſaris conſulatum. nam Cæſari primum conſuli, Galliæ utriuſque, & Illyrici adminiſtratio mandata eſt. nec vero poſt Cæſarem Culleolus in Illyricum ire potuit. nam vivo Pompejo Magno epiſtolam ſcriptam eſſe conſtat.

Pag. 314. *Videt autem ſæpiſſime*] Non caret elegantia ejuſdem verbi repetitio. ep. 53. & ep. 2. lib. 3. ep. 5. lib. 6. ep. 6. lib. 10.

Tua conſtantia gratia] Epiſt. 5. & 8. lib. 5. eadem conſtantia nominatur.

Oſtendiſti] Te facturum. ep. 8. lib. 9. *Quam vis quis oſtenderit.*

EPISTOLA XLII.

LUcceius meus] Summam benevolentiam & familiaritatem pronomen indicat. epiſt. 64. *Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit.* ep. 12. lib. 7. *Indicavit mihi Panſa meus Epicureum te eſſe factum.* Epiſt. 9. lib. 11. *Quid ipſe agat, quid noſter Hirtius, quid Cæſar meus.* epiſt. 10. lib. 16. *Curio meus illum incitabat.*

Pag. 315. *Bulliones*] Sic omnes libri veteres, pro *Bylliones*. interdum tamen Græca littera *Y*, ſervatur, ut in *Pyrrho*, *Tryges*: quod Cicero, contra veterem conſuetudinem, probat in libro de perfecto oratore. Populi ſunt ſupra Epidamnum, a Byllide, ſive Bullide urbe, quæ eſt in Illyrico. Plinius lib. 7. Stephanus.

Satisfacturos] Pecuniam Lucceio debebant.

EPISTOLA XLIII.

Q. Gallio] Fortaſſe hic eſt ille Q. Gallius, quem M. Calidius accuſavit de veneficio, ut eſt in Bruto. fuerunt autem duo fratres Gallii, M. & Q. & Quinctum

Quinctum accuſatum a Calidio defendit Cicero, ut ait Valerius lib. 8. cap. 10. ejuſque orationis verba quædam recitat ipſe Cicero in Bruto, alia Quinctilianus lib. 8. cap. 3. lib. 11. cap. ult. & Nonius, Cariſius, Aquila. Is hoc tempore cum Philippo, Aſiæ proconſule, legatus, ut exiſtimo in provinciam ibat. vide epiſt. 45. & 73.

Pag. 316. *Ea cauſa*] Vide quæ diximus epiſt. 1. lib. 1.

Egnatii Rufi] Epiſt. 44. 45. 73. 74. & ad Attic.

EPISTOLA XLV.

Pag. 317. P*Roquæſt.*] Q. Philippi procos. nam utrique Egnatium Cicero commendat. ep. 73. 74.

EPISTOLA XLVII.

Pag. 318. Q*Uid ego tibi commendem eum*] Simile artificium ep. 16. in eo loco: *Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum.* & ep. 18. *Quod modo verebar, tibi gratias agere, nunc plane ago.* & epiſt. 4 lib. 15. *Quod paulo ante me negaram rogaturum, vehementer te rogo.*

Non a me diligi ſolum, verum etiam amari] Epiſt. 14. lib. 9. *Tantum acceſſit ad amorem, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe.* Et ad M. Brutum: *Caſſius valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον, valde me amat.*

Nostra ſcilicet ceciderunt] Abierunt illa tempora, cum & dignitate, & honoribus, & hominum ampliſſimorum amicitiis in rep. florebamus. conſolemur igitur nos, non exquiſita aliqua ratione, ſed quo modo ſolet vulgus cujus hæc fere in adverſis rebus eſt ſententia. *Quid. ſi hoc melius? Cecidit auctoritas principum*, in oratione de aruſp. reſp. *Cecidit gravitas optimatum*, lib. 3. de Leg.

EPISTOLA XLVIII.

Pag. 319. C*Um primus in eam inſulam quæſtor veneris*] Antea enim Cyprus regnum fuerat, non provincia. ſed cum in eam lege Clodia M. Cato veniſſet; rexque Ptolemæus, audito ejus adventu, mortem ſibi conſciviſſet; regno publicato, provincia prætoria facta eſt, manſitque ad Strabonis ætatem: ut ipſe lib. decimoquinto ſcriptum reliquit. Nec vero P. Lentuli, qui Cyprum cum Cilicia primus rexit: ut ex epiſtola ſeptima lib. primi cognoſcitur, quæſtor fuit hic Sextilius. nam ſi Lentulus quæſtorem ſuum ad jus dicendum in Cyprum miſiſſet; feciſſet idem poſtea Cicero, qui eandem provinciam rexit. at ille non modo neutrum e quæſtoribus ſuis, (duos enim habuit, Meſcinium, & Cœlium) ſed nec ullum e quattuor legatis miſit: Q. Voluſium, unum e ſuis familiaribus, ei muneri præpoſuit quod in epiſt. 21. lib. 5. ad Att. ſcripſit. Deinde, ſi quæſtor Lentuli Sextilius fuiſſet; dixiſſet potius Cicero, *ſi P. Lentuli, proconſulis tui legem ſequi volueris*: quam, *ſi P. Lentuli, neceſſarii tui.* Jam legis Lentuli obſervationem cur Sextilii permittat arbitrio? quis crederet quæſtorem a ſui proconſulis lege in ea juriſdictione, quam idem ſibi proconſul demandaſſet, diſceſſurum fuiſſe? quo animo Lentulus ferret, contra eam legem, quam ipſe conſul tuliſſet, jus dicere quæſtorem ſuum? Poſtremo illa verba, *Ea, quæ a me conſtituta ſunt*, ſatis conſtat eſſe dicta de Cicerone Ciliciæ proconſule, cujus provinciæ pars Cyprus fuit. Cum igitur poſt Ciceronem proconſulem ſcripta ſit epiſtola, ſuſpicari aliquis poſſit, primo ſcriptam eſſe belli civilis anno, id eſt Lentulo & Marcello coss. antequam Cicero ad Pompejum in Græciam navigaret, vivo P. Lentulo: qui ex Pharſalica pugna fugientem Pompejum ſecutus, ut lib. 3. bel. civ. Cæſar ſcripſit, obiiſſe paullo poſt videtur. nam neque poſt Pharſalicam pugnam commendaticias litteras Cicero, confectus omni miſeria, miſiſſet: nec poſtea quam in Græciam navigaſſet, ardente bello: potius eum ſcripſiſſe, cum adhuc in Italia maneret, integra adhuc auctoritate, & apud Cæſarem gratia, credibile eſt. Ut omittam, quod illa verba, *ſi P. Lentuli, neceſſarii tui, legem ſequi volueris*, mihi quidem de vivo potius Lentulo quam de mortuo, viden-

tur eſſe dicta. Quod ſi de epiſtolæ tempore non erramus: quærendum relinquitur, a populo ne, an a proconſule aliquo miſſus venerit in Cyprum Sextilius. Utrumque nego. nam nec imperium quæſtori populus dare, nec ſine imperio præeſſe quiſquam provinciæ ſolebat. Proconſul vero poſt Ciceronem, impedita propter bellum civile provinciarum ſucceſſione, aliquandiu nemo fuit. Itaque cogimur credere, miſſum eſſe a Cæſare, urbe Roma potito: cum ejus voluntas pro legibus eſſet, Cicerone nondum in Græciam ad Pompejum profecto.

EPISTOLA L.

Pag. 320. A*Vcto*] Videtur hic eſſe Acilius Auctus, qui Ser. Sulpicio adminiſtraturus Achajam, ſucceſſit. epiſt. 30. lib. 7.

Brundiſii] Ubi Cicero aliquandiu fuit poſt pugnam Pharſalicam, reditum Cæſaris ex bello Alexandrino exſpectans. epiſt. 10. *His temporibus a me Brundiſio cum litteris & mandatis profectus eſt ad Cæſarem.* Et epiſt. 27. lib. 11. *Veni Brundiſium.* Et epiſt. 6. ad Att. lib. 11.

Curius] De quo epiſt. 17.

Multa in illum mea; quodque maximum eſt, ſummus inter nos amor] Quanto hoc venuſtius, quam ut eſt in vulgatis libris, *Multa in illum mea quoque maximum eſt, ſummus inter nos amor.* Sic autem ante multos annos ex antiquo libro Vincentii Riccii emendavimus. nunc eo magis confirmor in ſententia, quia video ſic & legi & diſtingui in Petri Pagani libro: in alio autem, *Multa in illum mea, quod maximum eſt, &c.*

Sartum & tectum, ut ajunt] Quod rei eſt inanimatæ, ad hominem tranſtulit. nam *ſarta tecta*, ut ait Feſtus, vocabantur, *quæ locabant cenſores, ut ea deinde integra exigerent.* epiſt. 11. *Sarta tecta ædium ſacrarum* nominantur. cum vero, addita copula, dicitur, *ſartum & tectum*, pleniorem eſſe locutionem ait Aſconius. quid autem hic Cicero ſignificet, ſequentibus verbis oſtenditur.

EPISTOLA LII.

Pag. 321. R*Egi*] Cognomen gentis Marciæ: ut e Salluſtio Valerio, Suetonio conſtat, addito etiam teſtimonio Ciceronis epiſt. 14. ad Att. lib. 1. & Plutarchi in vita Ciceronis. Abſurde nonnulli putant hunc eſſe Dejotarum regem: cum tamen, *Dejotaro regi*, non ſit in titulo, ſed tantum *regi.* præterea inepta familiaritas illa eſſet in iis verbis, quæ infra: *Fac igitur, mi Rex, &c.*

Pag. 322. *A Cæſare liberavi*] Venia impetrata.

Nobiſcum] In partibus Pompejanis.

In Cauſſa] Cauſſa Pompeji, & cauſſa Cæſaris, vocatur id, quod Pompejus & Cæſar defendunt.

Quo melius te de eo exiſtimaturum arbitror] His verbis adducor, ut ſuſpicer, in cauſa Pompeji Regem fuiſſe.

EPISTOLA LIII.

E*T te commodes*] Malim, *Et commodes.* Sic enim Cicero locutus. epiſt. 9. 13. 32. 35. 37. 41. 54. 69. 70. 75. hujus libri.

Patietur autem in omnibus] Similis repetitio, in qua ineſt quiddam elegantiæ, epiſt. 41 & lib. 3. ep. 2. lib. 6. ep. 5. lib. 10. ep. 6.

Pag. 323. *In Helleſponto*] Helleſpontum ad Aſiæ adminiſtrationem attinuiſſe, hic locus oſtendit.

Pariana civitas] Parion civitas in Helleſponto. Plinius, Strabo, Stephanus.

In illam διοίκησιν rejicias] Helleſpontiam: ne in Epheſina διοικήσει, (Epheſus enim primaria urbs erat eorum, qui Aſiæ provinciæ præerant epiſt. 55. & ad Atticum epiſt. 13. libro quinto,) incommodo ſuo, litigare cogatur.

Singulas ejus cauſſas] Singula ejus negotia.

EPISTOLA LIV.

INterpretis mei] Interpretes præibant proconſulibus. infra: *In longa apparitione.*

Laodiceam] Quæ fuit in imperio Ciceronis, capur unius Aſiaticæ *διοικήσεως*. ibi Cicero forum egit ex idib. Febr. uſque ad Kal. Maj. inde in Ciliciam profectus eſt. epiſt. 1. 2. ad Att. lib. 6.

Mihique] Qui tibi eum commendaſſem.

Propter te] Propter tuum in ſe officium.

Pag. 324. *Marcilium*] Patrem.

In longa apparitione] In ſuo munere multorum menſium. nam Laodiceam primum venit prid. Kal. Sex. eodem rediit ineunte menſe Februario, ut conjicere licet ex epiſt. 21. ad Att. lib. 5. manſit uſque ad idus Maji, ut ex eadem conſtat. ad eum igitur, eum eſſet illum Laodiceæ, Marcilius adoleſcens venit. ex quo de anno epiſtolæ conjecturam fecimus.

In longa apparitione] Omnes, qui apparebant, id eſt, præibant magiſtratibus, *apparitores* dicebantur: & *apparitio* munus ipſum. *apparitores* autem erant ſcribæ, interpretes, accenſi, præcones, lictores, viatores, ſtatores, & hujus generis alii. quos omnes ut liberos fuiſſe putem, multis adducor exemplis.

EPISTOLA LV.

M. Annejo, legati mei] Quattuor legatos habuit Cicero in provincia, Q. fr. C. Pontinium, utrumque prætorium, Pontinium etiam triumphalem, præterea L. Tullium, M. Annejum. epiſt. 4. lib. 15. & ep. 15. libro ſecundo, & alibi.

In bello] Quod exponitur ſatis glorioſe epiſt. 4. lib. 15.

Cum Sardianis] Cum populo Sardiano. epiſt. 57. Sardis autem urbs Lydiæ. Plinius, & alii.

Coram] Cum apud te cauſſa hæc ageretur.

Pag. 325. *In prætore*] Dixi jam, *Prætores* etiam eos appellari, qui poſt præturam, aut etiam conſulatum provinciam regerent. epiſt. 17. lib. 2.

EPISTOLA LVI.

CLuvius] Is fortaſſe, ad quem ſcribit ep. 7.

Mylaſii, & Alabandenſes] Sic diſerte ſcriptum eſt in meo vetere libro: in aliis, *Mylaſii, & Alabandes*: in quibuſdam, *Mylaſis, & Alabandes*, Græco more. Mylaſa, & Alabanda nominantur a Plinio, & aliis.

Pag. 326. *Ecdici*] Quaſi quæſtores quidam, rationem nummariam curantes.

Ὑποθήκας Cluvio dedit] Pignoris loco quædam Cluvio creditori ſuo aſſignavit, ea conditione, ut, niſi ei pecuniam, quam debebat, certa quadam die, de qua inter eos convenerat, ſolviſſet, hypothecæ Cluvii propriæ efficerentur. propterea ſubjungit Cicero, *Hæ commiſſa ſunt*: id eſt, cum aberit dies, qua ſe Philotes Cluvio pecuniam ſoluturum promiſerat, amitit jus, quod habebat in hypothecis, ex Cluvii factæ ſunt. Sic, *fiduciam tibi commiſſam* dicit, pro, fundum, fiduciario nomine acceptum, tui juris factum eſſe dicis, in orat. pro Flacco. Et, *commiſſam hereditatem Veneri Erycinæ, commiſſam palæſtra*, in Verr. lib. 1. & 2.

De hypothecis decedat] Cedat hypothecis, jus hypothecarum relinquat: quandoquidem commiſſæ ſunt, id eſt, nihil jam ad eum pertinent, elapſa die ſolutionis.

Aut pecuniam ſolvat] Æqua condicio. nam cum hypothecæ commiſſæ eſſent; Cluvius tamen, ſi ſibi pecunia ſolveretur, contentus erat, & hypothecis cedere volebat.

Heracleota, & Bargileta] Populi Cariæ, de quibus Plinius lib. 5. cap. 29. Heracleæ autem plures.

Fructibus] Quos ex agris colligunt.

Caunii] Et hi Cariæ populi. Plinius, Strabo.

Neque ex edicto, neque ex decreto] Edicto prætoris, decreto ſenatus.

Cn. Pompeji] Magni.

EPISTOLA LVII.

Pag. 327. BEllum magnum] Parthicum. ad Att. epiſt. 3. 4. 5. lib. 6.

In Ciliciam] Nunc enim erat Laodiceæ, in Aſia: ibique, ut diximus jam, forum egit ex idib. Feb. ad Kal. Maji.

Illud, quod tecum & coram, & per litteras diligentiſſime egi, id & nunc etiam atque etiam rogo] Cum dixerit, *Illud*, ſubjungit, *Id.* ſic locutus ep. 28. *Illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo.* & epiſt. 26. lib. 7. *Lex ſumptuaria ea mihi fraudi fuit.*

EPISTOLA LVIII.

Pag. 328. CUm longiſſime abſim] Erat enim in Cilicia.

EPISTOLA LIX.

PEducæane] Ex Peducæa gente in Curtiam adoptato. Excipiatur hoc nomen a regula nominum Romanorum, in *jus* deſinentium. omnes enim & lapides, & libri, *Peducæus* habent.

M. Fabium] Opinor eundem eſſe, quem commendat Cœlio lib. 2. ep. 14. & Pæto lib. 9. ep. 25. & Caſſio lib. 15. ep. 14.

Pag. 329. *Cum procul abſim*] Scripſit igitur. cum eſſet in provincia.

EPISTOLA LX.

L. Reguli] Livineji: ejus enim gentis cognomen Regulus fuit: quod argentei nummi teſtantur.

Calamitas] Fortaſſe exſulium. nam & epiſt. 19. *calamitatem exſulii* nominavit: & epiſt. 4. lib. 15.

Etiam officioſiorem me facit in illum: nam benevolentior, quam ſemper fui, eſſe non poſſum] Eodem fere modo ad Appium, epiſt. 12. lib. 3. *Benevolentior tibi quam fui, nihilo ſum factus, diligentior quidem ad declarandam benevolentiam multo.*

In noſtris temporibus] Cum exſularet. quod hic dicitur, comprobatur teſtimonio epiſt. 17. ad Att. lib. 3. *Livinejus*, inquit, *L. Reguli libertus, ad me a Regulo miſſus venit, &c.*

Bonam benevolentiam] *Fidelis benevolentia*, dixit ep. 16. lib. 9.

EPISTOLA LXI.

Pag. 330. PRopræt.] Bithyniæ: in qua ſunt Nicæenſes, qui nominantur in epiſtola.

Mire ſtudioſe] *Studioſus*, interdum addito genitandi caſu dicitur, interdum ſimpliciter, ut hic, & in epiſtola ad Titinium: *Quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur.*

Ad H S octogies] Ducenta quadraginta millia ſcutatorum.

EPISTOLA LXII.

ET in Atilii negotio te amavi] Ab eadem particula orditur epiſt. ult. & lib. 10. epiſt. 1. & ad Att. epiſt. 9. lib. 1. epiſt. 7. lib. 10.

Sero veniſſem] In provinciam.

Te in meo ære eſſe] Meum eſſe. ducta ſimilitudine a nummorum poſſeſſione. epiſt. 14. lib. 15. *Multi ſunt anni, cum ille in ære meo eſt.*

Lamia] L. Lamiæ, de quo vide epiſtola 16. libro 11. & epiſt. 29. lib. 12.

Impudentia proſequor] Quia tibi alios quoque commendo, ut Q. fratrem.

Sarciam] Remunerabor officia tua.

Pag. 331. *Magnum beneficium tuum*] Quod Atilium adductus commendatione mea conſervaſti.

EPISTOLA LXIII.

NOn putavi fieri poſſe, ut mihi verba deeſſent, ſed tamen in M. Lanio commendando deſunt] Simile illud ep. 11. lib. 2. *Putares ne umquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent? deſunt autem propter hanc cauſſam, &c.*

M. Lanio] Brundiſino, de cujus officio in Ciceronem vide epiſt. 4. lib. 14. & in oratione pro Plancio, & pro Sextio.

Dimiſi] Ex provincia.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

Pag. 332. NEro meus] Non vulgarem benevolentiæ ſignificationem habet pronomen *Meus*. vide epiſt. 42. Hic eſt T. Claudius Nero, cujus uxorem Liviam Druſillam Auguſtus poſtea prægnantem abduxit. Matrimonium Tulliæ, Ciceronis filiæ, hoc ipſo tempore videtur expetiſſe: nec recepit Cicero, ſed, quos homines ea de re ad uxorem & filiam miſerat, ii Romam venerunt factis cum Dolabella ſponſalibus ep. 6. lib. 6. ad Att. Quæſtor fuit C. Cæſaris Alexandrino bello: pontifex in locum P. Scipionis ſubſtitutus: Colonias Narbonam & Arelate duxit: occiſo Cæſare, de præmiis tyrannicidarum referendum cenſuit: præturam geſſit: Antonios in diſſenſione civili ſecutus eſt: poſtremo pace facta, in urbem reverſus, uxorem ſuam Liviam, ante jam Tiberium, qui poſtea imperator fuit, enixam, petenti Auguſto conceſſit: nec multo poſt e vita ceſſit. Suetonius, Vellejus, Dio, alii. *Nero* Sabinum vocabulum eſt, pro, fortis ac ſtrenuus: ut ait Suetonius.

Ex omni nobilitate] Nerones Claudii, & Pulchri, patricii; Marcelli vero plebeji. Sed nobilitas non a genere patricio, (multi enim patricii nullos geſſere, aut male geſſere, magiſtratus: itaque nobiles non fuere) ſed a parentum aut majorum virtute ſumitur, unde plebeji multi nobiles. ep. 16. *P. Craſſum ex omni nobilitate, adoleſcentem dilexi plurimum.*

Impenſius] Vehementius. unde *Impenſum pretium*, pro magnum, dixit & hic noſter ep. 13. lib. 14. ad Att. & Cæſar lib. 4. bel. Gal.

Magnum theatrum] Vt in theatro ſpectantur ea, quæ delectant: ſic iſta provincia ſpectare & noſſe Neronis virtutes, iiſque frui poteſt.

EPISTOLA LXV.

Pag. 333. OPeras in ſcriptura pro magiſtro dat] Negotia publicanorum curat. Eodem ſenſu dixit epiſt. 9. *Eſt in operis ſocietatis. Scriptura* vero eſt ratio tota publicanorum, qui vel decumas, vel portoria, vel paſcua redimunt. Sed hic Terentius videtur non in decumis aut paſcuis, verum in portu tantum operas dediſſe. nam epiſtola 10. lib. 11. ad Att. *P. Terentius, meus neceſſarius, operas in portu, & ſcriptura Aſiæ pro magiſtro dedit.*

Pactiones] Pro pecunia publicanis debita. nam inter ſociorum civitates & publicanos Romanos controverſia fere ſemper oriebatur in exactione vectigalium.

Nos] Cum in provinciam venirem.

Nutu, quod velis, conſequare] Ep. 22. *Nutus tuus poteſt hominem in civitate retinere.*

Hiſponem meum] Epiſt. 42. 64.

EPISTOLA LXVI.

Pag. 334. P. *Servilio Iſaurico*] Cognomen accepit a patre, qui de Iſauris triumphaverat.

Proconſ.] Aſiæ.

A Cæcinam] Liciniæ gentis. Plinius lib. 20. cap. 18. ep. 5. lib. 6.

Patris ejus] Patrem Cæcinæ nobiliſſimum, optimumque virum vocat ep. 6. lib. 6.

Hujus fortuna] Exſulabat, quia Pompejanas partes ſecutus erat, & Cæſari præterea, ſcripto libro, maledixerat. ep. 7. lib. 6.

Pag. 335. *Si Roma fuiſſet*] In Aſia enim fuit, cum Cæſari de ſalute Cæcinæ, id eſt, de reditu in urbem, ſupplicatum eſt, nec impetratum.

Collega tui] Cæſaris, qui ſecundum conſulatum cum Servilio geſſit.

Provinciam iſtam] Aſiam.

Veteris negociationis] Aſiaticæ. vide ep. 8. lib. 6.

EPISTOLA LXVII.

EX *provincia mea Cilicienſi*] *Cilicienſi*, non *Ciliciæ*, dixit, quia non Cilicia tantum, ſed Aſiæ quoque pars ad ejus imperium pertineret. ipſe τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas vocat. eæ fuere, Laodicea, Cibyra, Apamea, quas Appius quoque rexerat, ut ex epiſtolis lib. 3. licet intelligere. quattuor præterea διοικήσεις

cum ea provincia tum fuere, Cilicia ipſa, unde tota adminiſtratio nomen accipiebat, Pamphylia, Lycaonia, & Phrygiæ majoris pars ultra Mæandrum: qua de re diximus uberius ep. 1. lib. 5. ad Att.

Pag. 336. *Ad mea vita rationem & conſuetudinem accommodatum*] Epiſt. 30. lib. 1. *Hominem mihi aptum.*

Quam multi] Id eſt, quam pauci. eſt enim dictum cum ironia.

EPISTOLA LXVIII.

COllega] In auguratu.

Pag. 337. *Caſaris, collega noſtro*] Non poteſt eſſe Cæſar, niſi in auguratu, collega Ciceronis. habuit igitur duo ſacerdotia: nam & pontifex maximus erat: quod ex hiſtoria patet. auguratus autem cognoſcitur ex oratione 2. in Antonium, & Dionis libro 42. Sic Q. Fabius Maximus, ille cunctator, pontifex & augur fuit. Livius lib. 30. *Augur in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus, filius ejus: in ejuſdem locum pontifex (nam duo ſacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba.*

Tuebor] Non, defendam, ſed colam.

Patrem tuum] Qui cognomen Iſaurici, capta Iſauro, adeptus eſt. periit extrema ſenectute, eodem anno, quo Cæſar eſt occiſus.

EPISTOLA LXIX.

LIbertus Poſtumii] Et *Poſtumii*, & *Poſtumi*, eſt in veteribus libris. Si, *Poſtumii*, legas; non videbitur Mithres a patrono ſuo nomen accepiſſe, cum vocetur Curtius: itaque fortaſſe rectius, *Poſtumi*, legetur; quod fuerit C. Curtii cognomen: unde poſtea libertus C. Curtius Poſtumus Mithres dictus ſit. quamquam ſiletur interdum novum cognomen, & vetus nomen ponitur, ut hic C. Curtius Mithres, & ep. 70. T. Ampius Menander.

Pag. 338. *In Aſia*] Epheſus autem ubi habitabat Mithres, in Ionia eſt, Ionia vero in Aſia. Varro lib. 4. de ling. Lat. *Ut Aſia, ſic cœlum dicitur duobus modis. nam & Aſia, qua non Europa, in qua eſt Syria; & Aſia dicitur prioris pars Aſia, in qua eſt Ionia, & provincia noſtra Cilicia.*

Hac ad te eo pluribus ſcripſi, ut intelligeres, &c.] Sic epiſt. 68. cum propoſuiſſet commendandi cauſſas, intulit: *Hac propterea ſcripſi, ut me non ſine cauſſa laborare intelligeres.*

Gravis] In petendo. epiſt. 76. *Numquam me gravem vobis eſſe voluiſſe.*

EPISTOLA LXX.

Pag. 339. *TRibus non numquam in vulgus*] Alienos etiam interdum commendo.

T. Ampio Balbo] Ep. 12. lib. 6.

Frugi] *Frugi* & *nequam*, opponuntur. eſt autem propria laus in ſervo, & in liberto: ſed transfertur etiam ad ingenuos: & in rege quoque Dejotaro frugalitatem Cicero laudavit. nam in oratione pro illo habita, *Omnes*, inquit, *ſunt in illo regia virtutes, ſed pracipue ſingularis & admiranda frugalitas.*

EPISTOLA LXXI.

MVltos tibi commendem, neceſſe eſt] Sententia eadem, non iiſdem verbis, initio ſuperioris epiſtolæ.

Illo miſerrimo tempore] Exſuli mei.

EPISTOLA LXXII.

Pag. 340. *CÆrellia*] Hæc mulier, Philoſophiæ dedita, valde Ciceronem obſervavit, ejuſque ſcripta libenter legit. epiſt. 21. ad Att. lib. 13. *Mirifice Carellia, ſtudio videlicet philoſophia flagrans, deſcribit a tuis: iſtos ipſos de finibus habet.* Dio lib. 46. Caleni verba recitat, laſcivam, ac libidinoſam cum Cærellia conſuetudinem Ciceroni exprobrantis.

Nomina] Pecuniam illi debitam.

Pag. 341. *Qua tua fides pateretur*] Qui juſtitiam & dignitatem reip. tuetur, fidem ſervat.

Interpretabere] Judicabis, an eam, quam ego arbitror, facultatem habeas ex eo S. C. Cærelliæ commodandi.

EPI-

EPISTOLA LXXIII.

Q. *Philippo*] Marciæ gentis, opinor eum eſſe, qui belli civilis anno primo tribunus pl. fuit. Cæſar lib. 1. bel. civ.

Proconſ.] Suſpicor hoc verbum abundare, & additum ab aliquo, qui putavit, cum in ſequentis epiſtolæ inſcriptione *Proconſul Philippus* vocetur, multo magis in hac, quæ ordine antecedit, vocari debere: cum perverſus (ut jam diximus) ordo ſit, & illam, quæ ſequitur, huic omnino præponendam eſſe conſtet. Quo modo enim proconſul appellari poteſt, cum in urbem, depoſito imperio, redierit? in urbe enim potius Philippum eſſe, quam ad urbem, facile credo: cum dicat Cicero: *Quod ſi Romæ te vidiſſem, coram gratias egiſſem:* & quia qui ad urbem morabantur, triumphum expetebant: cujus rei nulla fit mentio in epiſtola: nec vero triumphavit umquam hic Q. Philippus.

Ex provincia] Aſia: in qua negotiabatur L. Oppius, qui nominatur in hac, & commendatur in ſequenti epiſtola. ſupra, epiſt. 43. *L. Oppius Philomeli negotiatur.* Philomelum autem quis neſcit in Aſia fuiſſe? præterea L. Egnatii, qui cum Oppio hic nominatur, Aſiatica negotia nominantur epiſt. 45.

Pag. 342. *Niſi illud*] *Niſi*, pro *Sed*, ut epiſt. 1. *Niſi tamen multo minus tibi ... poteſt, quam illi, laborare ſine cauſa.*

Facere poſſis] Quid tibi liceat per exiſtimationem tuam: nam de voluntate non dubito.

EPISTOLA LXXV.

Pag. 343. LEgato] Rei frumentariæ præpoſito: ut infra cognoſcitur.

Ob... quer homini familiariſſimo] Infra, *Illius voluntati obtemperans.*

De loco, & de tempore] Utrumque cupiebat Avianus, ut frumentum ſuum in oportunum locum deferre, tantumque temporis habere poſſet, quantum ad eam rem ſatis eſſe videretur.

Dum Pompejus iſti negotio præfuit] Non triennium, ſed quinquennium frumentario negotio præfuit Pompejus. notat igitur Cicero tempus, non quo Pompejus eam coram geſſit, ſed quo beneficium Aviano impetravit.

EPISTOLA LXXVI.

Q*Vattuorviris & decurionibus*] Fregellanis. Fregellæ, colonia fuit deducta, ut oſtendit Vellejus, anno urbis 424. quattuorviri igitur non modo municipiis, verum coloniis quoque præerant, item ut conſules Romæ: quamquam & duumviri in pleriſque coloniis, atque adeo in nonnullis municipiis fuere. quod lib. 1. de Antiquo Italiæ jure Carolus Sigonius egregie docuit.

Decurionibus] Vide epiſt. 18. lib. 6.

Pag. 344. *C. Valgium Hippianum*] Q. Hippii, ſupra nominati, filium naturalem, adoptatum autem a C. Valgio, a quo prænomen & nomen, vetere producto cognomine, accepit.

EPISTOLA LXXVII.

P. *Sulpicio*] Bernardinus Rutilius, qui opiniones quaſdam ſuas in Familiares, ut vocant, Ciceronis epiſtolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur, *P. Vatinio*, adductus in hanc ſententiam ea ratione, quia Cicero de ſervo ſuo Dionyſio ſcribit in hac epiſtola: de quo item Vatinius ad Ciceronem in duabus, 9. 10. lib. 5. & ad eum Cicero epiſt. 11. ibidem. Senſit idem poſtea Corradus in ſuis ſcholiis. Mihi non ſatis neque Rutilii, neque Corradi ſententia, quam alii poſtea ſecuti ſunt, probatur. nam, ut illud omittam, quod hæc hujus epiſtolæ verba: *Salvo jure noſtræ veteris amicitiæ*. & quæ ſunt infra: *Pro tuo perpetuo in me ſtudio:* non videntur in Vatinium convenire, cujus erga Ciceronem perpetuum certe ſtudium non fuerat, inimicitiis, oratione adverſus

cum

cum notiſſimis, interruptum: ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis non eſt: valde me movet ea ratio, quod poſt ſupplicationem decretam ſcribit Cicero de ſervo ſuo ad Sulpicium: at Vatinio decreta ſupplicatio videtur Octobri menſe, ut ex epiſt. 10. lib. 5. non dubiam facere conjecturam licet. Scripſit enim Vatinius Nonis Dec. eam epiſtolam, cum de ſupplicatione decreta jam e Ciceronis litteris cognoviſſet. ante Novembrem autem alteram ejuſdem epiſtolam acceperat Cicero, datam v. id. Quinct. in qua de fuga ſervi Dionyſii ſe audiviſſe ſignificavit. quod cum ita ſit; cui veriſimile videatur, hanc epiſtolam, Sulpicio inſcriptam, in qua de ſupplicatione decreta fit mentio, ad Vatinium de Dionyſii fuga, multo ante ſupplicationem ei cognita, ut ignota de re miſſam eſſe? Ad hanc rationem accedit altera, ipſa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam cum Cicero ſupplicationem decretam Sulpicio ſignificat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatinius autem in epiſtola ſua de ſupplicatione ſibi decreta reſpondens, verbum de Bolano nullum facit. Conſenſum omitto veterum librorum, quibus in omnibus perſpicue ſcriptum video, ne una quidem littera veritatem obſcurante, *P. Sulpicio.* Reſtat illa dubitatio: cum in Vatinii imperio urbs Narona fuerit, ut ex ipſius epiſtolis intelligitur, qui poſſit eadem urbs eſſe in imperio Sulpicii. Placere video doctis viris, id quod ego quoque ſemper exiſtimavi, Vatinii, qui tribunatum e Cæſaris primum conſulis voluntate geſſerat, & Sulpicii, qui ejuſdem Cæſaris legatus fuerat in Gallia, communem fuiſſe provinciam Illyricum: & eo magis, quod iidem in re quoque maritima, contra Octavium Pompejanum in Illyrico præclare geſta, collegæ fuerant: ut apud Oppium ſcriptum eſt. At Vatinium de Illyrico ſine Sulpicio triumphaſſe, faſti docent: ex quo ſequi videtur, ut ſolus Illyrico præfuerit. Hoc refellere non difficile eſt. potuit enim toto triennio, quo Vatinius Illyricum adminiſtravit, id eſt a quarto Cæſaris conſulatu ad Lepidum & Plancum conſules, aliquid in provincia Sulpicius offendere, aut a Cæſare ipſo revocari, aut poſt obitum Cæſaris ab Octaviano rerum potito: potuit ante Lepidi & Planci conſulatum interire: fortaſſe etiam hunc honorem Octavianus, cum omnia non jure, non more, ſed ex dominantium libidine gererentur, uni Vatinio gratiæ cauſſa largiri voluit.

His temporibus] Amiſſa libertate: ut bono civi, quæ de rep. ſentit, ſine periculo dicere non liceat.

Pag. 345. *Exiſtimationi, aut dignitati*] Plus eſt *dignitas*, quam *exiſtimatio.* nam *dignitas* honoribus comparatur: *exiſtimatio* ad privatæ quoque vitæ laudem ſpectat. itaque diſtinguuntur in epiſtola quoque ad M. Brutum: *Reſpondi id, quod ſentiebam & dignitate, & exiſtimatione tua maxime conducere.*

Servus meus] Anagnoſtes. epiſt. 9. lib. 5.

Multorum nummorum] Magni pretii. ita locutus & in Ver. lib. 4. *Signum a ſocju pecunia magna ſuſtulit.*

Narona viderunt] Hoc Vatinius non audivit, cum Naronæ tamen ſatis diu fuerit, ſed eum cum Vardæis eſſe: quod mirari licet. quamquam & fieri poteſt, & ſæpe contingit, ut longinqua ſciamus, quæ propinqua neſcimus.

EPISTOLA LXXVIII.

A*Lliene procoſ.*] Proconſul vocatur, nondum tamen geſto conſulatu. Oppius in libro de bello Africo modo prætorem, modo proconſulem vocat, utrumque more. epiſt. 17. lib. 2. Præerat autem Siciliæ Allienus, ut idem Oppius oſtendit, & ex epiſtola ſequenti cognoſcitur. Allienus opinor gentis nomen eſſe, ex iis, quæ a deſinentibus in *ius* excipiuntur, ut a Vibio *Vibienus*, a Matio *Matienus*, ſic ab Allio *Allienus.* Alliam autem gentem in Commodo Lampridius nominat.

Sicyonius] A Sicyone, Achajæ urbe.

Pag. 346. *Et colit, & obſervat*] *Colit*, honore: *obſervat*, aſſiduitate & officio.

Colimus etiam ea, quæ oculis non cernimus, ut Deum; obſervamus tantum ea, quæ ſub oculos cadunt, ut homines. itaque, & Deum & homines colere, proprie dicitur; *obſervare Deum*, non dicitur.

Munio] Pro Cluentio: *Ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi aliis ſceleribus ante munivit. Munire viam*, proprie dicitur: ad alia multa transfertur: quod Ciceronis exempla declarant.

Quæ tua natura eſt] Simile illud epiſt 5 lib. 4. *Qui illius amor in te fuit.* Ad quem locum exempla contulimus.

Complectare, diligas, in tuis habeas] Nihil otioſum. plus enim eſt, *Diligas*, quam *Complectare*: plus, *In tuis habeas*, quam *Diligas*. non enim, quos complectimur, ſemper diligimus: neque, quos diligimus, ſemper in noſtris habemus.

EPISTOLA LXXIX.

E*T te ſcire arbitror*] Simile principium epiſt. 62. & ad Att. epiſt. 9. libro primo. epiſt. 7. lib. 10.

C. Avianum Flaccum] *Avianus* Æmiliorum cognomen fuit, epiſt. 21. *Flaccus* Valeriorum. fortaſſe igitur his gemino cognomine utebatur, quia, cum eſſet Valeriæ gentis, adoptione tranſiit in Æmiliam, ita & vetus remanſit, & novum cognomen acceſſit. Perierat autem, cum hæc epiſtola ſcripta eſt. epiſt. 35.

Quanti fecerim] Suum familiariſſimum vocat epiſt. 35.

Pag. 347. *Quam a te liberaliter eſſet tractatus*] Vixit igitur Allieno Siciliam obtinente.

Dignitatem] Vel ipſius propriam, vel familiæ.

LIBRI XIV.

TIRONEM patroni ſui Ciceronis epiſtolas eo, quo paſſim leguntur, ordine collocaſſe, proditum eſt. id ego non libenter credo: libenter enim eum, quem Cicero ipſe & vehementer dilexit, & laudavit ſæpe ut litteratum, ac diligentem, gravi negligentiæ culpa libero. Feramus illud, atque etiam probemus conſilium, quod eas epiſtolas, quæ ad unum ſcriptæ ſunt, puta ad Lentulum, Cœlium, Appium, aliosve, ſimul omnes voluerit conjungere, & rationem habere perſonarum potius, quam temporum: cum ſatis conſtet, ſi tempora ſpectentur, interponi debuiſſe multas: ſed peccaſſe eum in iis ipſis, quas eidem inſcriptas aggregabat, nec vidiſſe ordinem, quem vel adſcripta cuique dies, vel argumentum oſtendebat, magnopere miror. quid, quod in iis diſponendis, quas ad ipſum ſcripſerat Cicero, item ut in aliis peccavit? quod vitium quia non licet excuſare; libenter, ut dixi Tirone abſoluto, quemvis alium condemnaverim. quis eſt autem, qui neſciat, cum ad intelligentiam, tum ad memoriæ diuturnitatem pertinere plurimum, ſi, quo geſtæ ſcriptæve ſunt, eodem res ordine cognoſcantur? itaque operæ pretium eſſe duxi, has ad Terentiam epiſtolas per annos digerere, ordine ſervato, quem docti homines ante nos & viderunt, & rationibus probarunt. Prima eſt, quam ſcripſit in exſulio, anno urbis

DCXCV Piſone & Gabinio coſſ. *Ego minus ſæpe*] pridie Kal. Maj.

Noli putare. In exſulio, III. non. Oct.

Et litteris multorum. In exſulio, VI. Kal. Dec.

Accepi. In exſulio, pridie Kal. Dec.

DCCIII. Paullo & Marcello coſſ. *Si tu, & Tullia, lux noſtra.* Cum ex provincia rediret, XV. Kal. Nov.

DCCIV. Lentulo & Marcello coſſ. *Conſiderandum.* Cum ortum eſſet civile bellum, & oræ Campanæ Cicero præeſſet. IX. Kal. Feb.

Noſtrum jam conſilium eſt. Poſtridie, Minturnis.

Omnes moleſtias. Cum ad Pompejum in Græciam navigaturus eſſet. VII. id. Iun.

DCCV.

DCCV. Cæſ. II. Servilio coſſ. *Valetudinem tuam.* In caſtris Pompeji. IV. non. Iun.
Da operam. In caſtris Pompeji.
Nec ſape eſt. In caſtris Pompeji. idibus Quinct.
Quod nos. Brundiſii, cum in Italiam Cicero poſt Pharſalicam pugnam veniſſet. pridie non. Nov.
In maximis. Brundiſii.
Ad ceteras. Brundiſii.
Si quid haberem. Brundiſii.

DCCVI. Cæſare dictatore iterum, nondum creatis conſulibus. *Et ſi ejuſmodi* Brundiſii, pridie non. Ian.

Tullia noſtra.	Brundiſii,	XVII. Kal.	Quinct.
Conſtitueramus.	Brundiſii,	XII. Kal.	Quinct.
Quid fieri placeret.	Brundiſii,	VII. id.	Quinct.
Quod ſcripſi.	Brundiſii,	VI. id.	Quinct.
Nos neque.	Brundiſii,	IV. id.	Quinct.
Reddita.	Brundiſii,	pridie id.	Sext.
Nos quotidie.	Brundiſii,	Kalendis	Sept.
In Tuſculanum.	Brundiſii,	Kalendis	Oct.

EPISTOLA I.

Pag. 349. T*Erentia*] Hæc quater nupſit, Ciceroni, Salluſtio hiſtorico, Meſſallæ Corvino, Vibio Ruſo. Dio lib. 57. & divus Hieronymus lib. I. adverſus Jovinianum. Vixit annos CIII. Plin. lib. 7. cap. 48.

Cum primum ſapere cœpit] Hoc tempore annum agebat ætatis ſuæ Cicero filius octavum. natus enim erat Cotta & Torquato coſſ. ut ex epiſt. I. lib. I. ad Atticum licet intelligere.

Ab iis me amari putabam, qui invidebant] Carpit Pompejum, Hortenſium, Arrium, & alios; qui auctores ei fuerunt, ut Clodio tribuno pleb. cederet, ne civilis contentionis cauſſa eſſet. hos deſignat epiſt. 10. lib. 3. ad Attic. cum ait: *Hic utrum tandem ſum accuſandus, quod deleo, an, quod commiſi, ut hæc aut non retinerem; quod facile fuiſſet, niſi intra parietes meos de mea pernicie conſilia inirentur, aut certe unus amitterem?* Et ibidem, ep. 13. *Quod ſcribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero mens integra eſt, atque utinam tam in periculo fuiſſet, cum ego iis, quibus meam ſalutem cariſſimam eſſe arbitrabar, inimiciſſimis, crudeliſſimiſque uſus: qui ut me paullum inclinari timore viderunt, ſic impulerunt, ut omni ſuo ſcelere & perfidia abuterentur ad exitium meum.* Et epiſt. 15. ibidem: *Quod ſi quiſquam fuiſſet, qui me, Pompeji minus liberali reſponſo perterritum, a turpiſſimo conſilio revocaret; aut occubuiſſem honeſte, aut victores hodie viveremus.* Et in eadem, infra: *Proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea præſidia neglexi, totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, deſtitui & reliqui.* Et epiſt. 19. ibidem: *Si me a meis conſiliariis proditum & projectum vides.* Et epiſt. 3. lib. I. ad Q. fr. *Quantum Hortenſio credendum ſit, neſcio, me ſumma ſimulatione amoris, ſummaque aſſiduitate quotidiana ſceleratiſſime inſidioſiſſimeque tractavit, adjuncto quoque Arrio: quorum ego conſiliis, promiſſis, præceptis deſtitutus in hanc calamitatem incidi.*

Eos non ſequebar, qui petebant] L. Lucullum præcipue ſignificat, qui ſuaſit, ut armis cum Clodio decertaret potius, quam in exſulium iret. Plutarchus. Vel hoc de Cæſare dixit: a quo delatam legationem accipere noluit. ep. 3. *Meum fuit officium, legatione vitare periculum.* & ad Atticum epiſt. 18. lib. 2.

Noſtris conſiliis] Vt pugnarem potius, quam e patria diſcederem.

Dabo operam, ne mea valetudo tuo labori deſit] Dabo operam, ut valeam, ne tu pro mea ſalute fruſtra laborem ſuſcipias.

Quanto fuerit facilius, manere domi, quam redire] Epiſtola tertia: *Ejicere nos magnum fuit, excludere facile eſt.*

Omnes tribunos pl.] Deſignatos. nondum

dum enim magiſtratum inierant, octo tribuni pl. Ciceroni opem tulerunt, T. Milo, P. Sextius, C. Sextilius, M. Ciſpius, T. Fadius, M. Curtius, C. Meſcinius, Q. Fabricius: qui nominantur in oratione poſt reditum in ſenatu: duo reliqui, partium Clodianarum, Sex. Atilius Serranus, Numerius Quinctius fuere: quos in oratione in Piſonem, de lapide emptos Cicero ait: quia mercede id faciebant, ut Aſcon. interpretatur.

Lentulum] P. Lentulum, conſulem deſignatum: qui poſtea de reditu Ciceronis legem centuriatis comitiis tulit.

Pag. 350. *De familia*] De ſervis: quos poſtea liberavit, veritus ne cum ceteris bonis publicarentur. epiſt. 4.

Plancius] Cn. Plancius, quæſtor in Macedonia: pro quo exſtat oratio. vide & eam poſt reditum in ſenatu habitam.

Me capit eſſe ſecum & adhuc retinet] Epiſt. 22. lib. 3. ad Atticum: *Me adhuc Plancius liberalitate retinet, jam aliquoties conatum ire in Epirum. ſpes homini eſt injecta, non eadem, qua mihi, poſſe nos una decedere: quam rem ſibi magno honori ſperat fore. ſed jam cum adventare milites dicentur; faciendum nobis erit, ut ab eo diſcedamus.*

Loco magis deſerto] Vt ignoraretur a militibus.

Hiſpo] Centurionis fortaſſe nomen. Hiſponem quendam nominat Quinctilianus lib. 6. cap. de riſu. Hic nonnulli veteres libri habent, *Ipſo*: alii *Ipſe*: quinque noſtri, *Heſpo*. Ex hac varietate legendum fortaſſe, *Piſo*, vel potius, *Ipſe*: ut de eodem accipiatur: cujus nomen omitti potuit, cum Terentiæ litteris, L. Piſonem, Ciceronis inimicum, ejus anni conſulem, ad Macedoniam regendam propediem iturum ſignificantibus, reſponderet. nominare enim, qui conſul adhuc erat, non audebat.

Milites] A L. Piſone in Macedoniam præmiſſi, quorum ipſe opera proconſul uteretur. epiſt. 3. *Cum inimici noſtri venire dicentur, tum in Epirum ibo.*

Piſonis] C. Calpurnii Piſonis L. F. Frugi, Ciceronis generi: qui periit ante reditum, quam ab exſilio Cicero rediret: ut in duabus poſt reditum orationibus.

Et voluptati ſit] Quam voluptatem capiat me reſtituto. quod non evenit.

Velui eſſe quam conjunctiſſimos] Diſcordiæ igitur aliquid inter Q. fratrem & Terentiam extiterat.

Agere gratias] Quod optime ſint erga me animati, operamque ſuam conferant ad ſalutem meam.

Vicum vendituram] Vt mihi pecuniam ſuppeditare poſſis.

Quid puero miſero fiet] Quibus facultatibus, me afflicto, ſuſtentabitur?

Efficere] Id quod effici opus eſt, ut ego in hac miſera fortuna non egeam.

Per fortunas miſeras noſtras] Vide, quæ diximus epiſt. 16. lib. 8.

Ne puerum perditum perdamus] Perditum, calamitate noſtra: perdamus, vico vendito, & rei familiaris jactura.

Pag. 351. *Et mediocris fortuna*] Virtuti fortunam adjungit: ut epiſt. 3. lib. 10. *Omnia conſecutus es, virtute duce, comite fortuna.*

Iam brevis exſpectatio eſt] Fore arbitror ut brevi litteras veſtras accipiam.

Libera] Sui juris: ut in ea Romani exſules tuto eſſe poſſent.

In me officioſa] Quia ſemper a me defenſa. epiſt. 3. & ad Att. epiſtola 22. lib. 3. *Ego, quod meis ſtudioſos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi; cum illa ſuperiora Theſſalonicæ ſcripſiſſem.* In oratione pro Plancio: *Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi.*

Alio me conferam] In Epirum ſe contulit. epiſt. 3. & epiſt. 22. 23. ad Atticum libro 3.

EPISTOLA II.

NEc hoc tempore quidquam difficilius facio] Abhorret enim a ſcribendo fractus malis, & dejectus mœrore animus.

Præſtare] Efficere.

Niſi tam timidi fuiſſemus] Timorem ſuum accuſat, quod e patria diſcedere maluerit, quam armis decertare.

Piſonem noſtrum] Generum.

Cohortatus ſum] Ne intermittat officia ſua.

Novis] Deſignatis.

Pag. 352. *Craſſum*] Quem Publius filius cum Cicerone in gratiam reduxit. Plutarchus.

Fortiſſime] Superiore epiſtola Terentiæ virtutem & fortitudinem laudavit, quæ nec animi, nec corporis laboribus defatigaretur.

Mæreo caſum ejuſmodi] Cum accuſandi caſu, ut Tuſc. 1. *Cum graviter filii mortem mæreret.*

Vt tantis tuis miſeriis mea miſeria ſubleventur] Non diſſimile illud epiſt. 21. lib. 16. *Ex meis anguſtiis illius ſuſtento tenuitatem.*

P. Valerius] De hoc Phil. 1. *Cum intempeſta nox eſſet; manſiſſemque in villa P. Valerii, comitis, & familiaris mei.*

A Veſta] A templo Veſtæ. Plautus in Pœn. *Quo te agis? Ad. ego ne? in Veneris.* Terentius in Adel. *Vbi ad Dianæ veneris, ito ad dextram.* & pro Milone: *Cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro volitarunt.* Græca figura.

Ad Tabulam Valeriam] Locus in foro fuit, quo tribuni pleb. convenire ſoliti ſunt. In Vatinium: *Cum eum tu conſulem in vincula duceres, & a Tabula Valeria collegæ tui mitti juberent.* Fuit etiam *Tabula Sextia*, quæ nominatur in oratione pro Quinctio, his verbis: *Ipſe ſuos neceſſarios ab atriis Liciniis, & a faucibus macelli corrogat, ut ad Tabulam Sextiam ſibi adſint hora ſecunda poſtridie. veniunt frequentes: teſtificatur iſte, P. Quinctium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe. tabulæ maxima ſignis hominum nobilium conſignantur. diſceditur.* Quibus verbis locum fuiſſe cognoſcitur, ubi jus diceretur. quod ſi ita eſt: de Tabula Valeria idem exiſtimare poſſumus.

Opem petere] Vt, ea intercedente, patrocinio Ciceronis uterentur.

Et ſordibus] Sordes mœrorem conſequuntur. affecto enim graviter animo, nec de munditie corporis, nec de nitore & elegantia veſtis laboramus.

Qui ceteros ſervavi, ut nos periremus] Cum indignatione dictum. nam, ſi perit is, qui ceteros ſervavit; quid iniquius? ſervatos autem a ſe cives ſuos Catilinæ conjurationis tempore, & hic, & alibi vere Cicero gloriatur.

De area] Everſa enim domo, area ſupererat: quæ poſtea reverſo in patriam Ciceroni reſtituta eſt, & ſuperficies æſtimata.

Hac] Vt reſtituantur nobis ea, quæ amiſimus.

Qua impenſa facienda eſt, in ejus partem te, miſeram & deſpoliatam venire] Veteres libri, quos quidem ego viderim, *Te*, non habent, & videtur ſubaudiri poſſe.

Si conficitur negotium] Si reſtituor.

Omnia conſequemur] Reſarcietur omnis jactura.

Reliquias tuas] Quæ tibi facultates reliquæ ſunt, amiſſis meis.

Pag. 353. *Valetudinem iſtam infirmam*] Vixit tamen ultra centum annos: ut diximus.

Timeo, ut ſuſtineas] Timeo, ne ſuſtinere non poſſis. eodem modo ep. 14. *Vereor, ut Dolabella ipſe ſatis vobis prodeſſe poſſit.* pro: Vereor, ne non ſatis prodeſſe poſſit. Vide illud ep. 1. lib. 2. *Non enim vereor, ne non ſcribendo te expleam.*

III. non. Oct.] Ergo ſcripta eſt ante ſuperiorem, ſicuti ante hanc ea, quæ incipit, *Ego minus*: ut quartus locus ei tribuatur, cujus initium eſt, *Accipi.* quod adſcripta dies indicat.

EPISTOLA III.

L*Egatione vitare periculum*] Nam ſi legationem, a Cæſare, Galliæ proconſule, delatam, accepiſſet; Clodii tribuni plebis furorem vitaſſet. dicem enim ei dicere, qui reip. cauſſa abeſſet, non licebat. epiſt. 18. ad Attic. libro 2. *A Cæſare valde liberaliter invitor in legationem illam, ſibi ut ſim legatus: atque etiam libera legatio voti cauſſa datur. Sed hæc & præſidii apud furorem Pulchelli non habet ſatis, & a fratris adventu me ablegat: illa & munitior eſt, & non impedit, quo minus adſim, cum velim.*

Pag 354. *Virtutem*] In reſiſtendo.

Ejicere nos magnum fuit, excludere facile eſt] Epiſt. 1. *Intelligo, quanto ſit facilius fuerit, manere domi, quam redire.*

Frui liceat] Non licuit. ante reditum Ciceronis obiit.

In primis quidem diebus] Primus dies tribunatus pl. erat, quarto idus Dec. ut Dionyſius docet.

Ut quam celerrime, quid agatur, audiam] Eſt enim civitas Italiæ proxima. epiſt. 1.

Si perficitis, quod agitis] Epiſt. 2. *Si conficitur negotium.*

Sin autem : ſed nihil opus eſt plura ſcribere] Ἀποσιώπησις· ut Virg. lib. 1. Æn.

Quos ego : ſed motos præſtat componere fluctus.

Pag. 355. *Magis jam rem, quam litteras*] Dixit ſupra : *Spes reliqua eſt in novis tribunis pl. & in primis quidem diebus : nam ſi inveterarit, actum eſt.*

EPISTOLA IV.

QUod utinam minus vitæ cupidus fuiſſem] *Quod* pro *Sed* : ut epiſt. 14. lib. 8. *Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio ſit perturbatura.* Et Philip. 10. *Quod qui ab illo abducit exercitum, & reſpectum pulcherrimum, & præſidium firmiſſimum adimit reſp.* Et in Ver. lib. 1. *Quod vos oblitos non arbitror, qua multitudo te ipſum accuſat, qui Clodianis armis ceſſerit.* Infra : *Peractum eſt nostrum, niſi quod non unam animam cum ornamentis amiſimus.* epiſt. 2. *Niſi tam timidi fuiſſemus, præſtitiſſem.*

Fixa ſunt] Perpetuo eadem futura. infra : *Sin, ut ego metuo, tranſactum eſt.*

Quos ego ſervavi ſemper] Sic unus antiquus liber : omnes reliqui : *Quibus ego ſervivi ſemper.* quod magis placet.

Pag. 356. *Nobis gratiam retulerunt*] Qui nos immerentes opprimi paſſi ſunt.

M. Lanium Flaccum] Vide epiſt. 63. lib. 13. & in oratione pro Plancio, & pro Sextio.

Legis improbiſſimæ] Clodiæ : quæ pœnam irrogabat iis, qui Ciceronem tecto recepiſſent intra CD. millia paſſuum. ep. 4. ad Att. lib. 3. & in oratione pro domo.

Ad v. Kal. Majas] Ad 11. *Kal. Majas*, legendum eſſe conſtat ex die extremæ epiſtolæ adſcripta. & ex ep. 7. ad Att. l. 3.

Per Macedoniam Cyzicum petebamus] Epiſt. 6 ad Att. lib. 3. *Nobis iter eſt in Aſiam, maxime Cyzicum.*

Pag. 357. *Eam confirmes, & rem adjuvis*] Sic veteres libri, & recte. *Confirmare ſpem*, dixit Cicero in Divinatione.

Tranſactum eſt] Actum eſt : ſpes nulla ſupereſt. ſupra : *Sin hæc mala fixa ſunt.*

Quid de Tulliola mea fiat] Cum ita ſit in meis omnibus antiquis libris ; non video, cur mutem. Etſi ſcio, *Quid Tulliola mea fiet*, quod ad Latini ſermonis conſuetudinem attinet, recte legi poſſe. ut epiſt. 1. ad Atticum libro ſexto : *Quid illo fiet, quem reliquero ?*

Matrimonio] Dixi jam, hoc tempore uxorem C. Piſonis Tulliolam fuiſſe. ejus doti, & famæ, ſe abſente, Cicero timebat.

Ceterorum ſervorum ea cauſſa eſt] Veritus Cicero amiſſionem ſervorum cum tota re, manumiſit eos hac condicione, ut, ſi per legem Clodiam bonis omnibus privandus eſſet, ii ſuo beneficio liberti eſſent, ſi modo id obtineri poſſet : ſin autem lex ſervos non adimeret, & , ut ad veterem dominum pertinerent, concederent ; ſervirent, ut antea, præterquam pauciſſimi, quos ob fidem & diligentiam omnino liberatos vellet. Dixit autem, *ceterorum ſervorum*, cum de ſuis loqueretur. nam ex Terentiæ ſervis neminem manumiſerat : (neque enim poterat) tantum iis, eam facturam eſſe, ut quiſque eſſet meritus, promiſerat. Hic locus in omnibus libris impreſſis mendoſe legebatur. nos eum diſtinctione tantum reſtituimus.

Pag. 358. *Tempeſtatem*] Facultatem navigandi.

Clodium Philetærum] Libertum, qui cum ſerviret, Græco nomine Philetærus, quaſi amator amicorum, vocabatur.

Salluſtius] Fortaſſe is, de quo epiſtola 11.

Officio vincet omnes ſpes] Mutationem ſententia non requirit, præſertim confirmata non uno, aut altero, ſed omnibus veteribus libris. bene ſperavimus, inquit, de Salluſtio : ſed ille officio vincet omnes ſpes. Novum autem, vel abſurdum videri non debet, *Vincere ſpes*, neque quod ad ſententiam, neque quod ad loquendi genus attinet. Eodem modo, *ſpem ſummam civium virtute ſuperare*, dixit in libro de Amicitia. *Spes* autem, numero multitudinis, & apud Ciceronem ipſum, & apud alios uſitatum eſt.

Sica] Cujus in fundo Vibonenſi ſuerat. vide ep. 2. & 4. ad Att. lib. 3.

EPISTOLA V.

Pag. 359. A *Caſtus*] Servus Ciceronis. epiſt. 9. libro 6. ad Att. *In Piraea cum exiſſem pridie idus Oct. accepi ab Acaſt, ſervo meo, litteras.*

Uno & Vigeſimo die ſane ſtrenue] Similiter epiſt. 18 lib. 14. ad Atticum: *Tuas litteras veſperi acceperam in Pompejano, ſane celeriter, tertio abs te die.* Ad Attic. epiſt. 5. lib. 16. *Magis commode, quam ſtrenue, navigavi.*

Sive nos ipſos] Erant enim eum ipſo, filius, pater, fratris filius.

Ad arma rem ſpectare] Propinquum videri bellum, quod poſtea geſtum eſt inter Cæſarem & Pompejum.

Quando ſubeunda fortuna eſt] Cum fortunam impendentem vitare non liceat. *Fortunam* vocat, quia cum offenſionem vel Cæſaris, vel Pompeji non poſſit effugere, aleæ ſe committere videtur in dicenda de rep. ſententia.

Pag. 360. *Camillus*] Epiſt. 15. & epiſt. 20. lib. 5.

EPISTOLA VI.

C*Icero S. D. Terentiæ ſuæ*] Sic quattuor veteres libri, quos ſecuti ſumus: unus, *Terentiæ*, & *Tulliæ*: duo, *Suis S. D. M. Cicero:* quos non probamus. cur enim aut eorum nomen, ad quos ſcribit, aut etiam ſuum Cicero occultaret, non video. quaſi vero manus illius a multis agnoſci non poſſet: aut cujus ſervus eſſet Pollex, qui nominatur in extrema epiſtola, reperiri difficile eſſet. præterea cur inſcribatur, *Suis:* cum ad unam Terentiam epiſtola mittatur? quod illa indicant, *Ex tuis litteris* &, *Noſtra tibi gratias agit :* &, *Felicem extrudas.* Non enim huic ſententiæ illud adverſatur, quod, quaſi plures alloquatur, ait; *Videatis, velim, quo modo ſatisfiat ei, cui ſcitis me ſatisfieri velle.* vult enim Terentiam ea de re cum amicis conſilium capere.

Pag 361. *Noſtra*] Fortaſſe Tulliola.

Pollicem] Epiſt. 45. ad Att. lib 13. *Pollex, ut dixerat, mihi Lanuvii praſto fuit, ſed plane Pollex, non index.* Placuit hunc locum recitare: ne, *Pollucem*, ut antea legendum aliquis putaret.

EPISTOLA VII.

Pag. 362. X Ολὴν ἄκρατον] *Bilem puram*, ex qua oriebantur moleſtiæ & ſollicitudines.

Ejeci] Evomui.

Pie & caſte] Pia mente, caſto corpore.

Id eſt Apollini & Æſculapio] Gloſſema hoc eſſe interdum putavi. Apollinem vero & Æſculapium ideo nominat, quia præeſſe illos curandis morbis antiquitas credidit.

Pag. 363. *Cicero*] Filius. nam & is ad bellum cum patre profectus eſt: eumque Pompejus alæ equitum alteri præfecit. Off. lib. 2.

EPISTOLA VIII.

IV. non. Jun.] Hæc dies oſtendit, epiſtolam ſcriptam eſſe altero belli civilis anno, cum eſſet in caſtris Pompeji. nam hæc omnino poſt ſuperiorem videtur ſcripta. quod ſi ita eſt: certe anno ſequenti. alioqui dies utrique adſcripta priorem hanc eſſe indicaret. prior autem non eſt, quia, poſtea quam a Terentia diſceſſit, ſtatim de vomitione ſua ſignificavit VII. id. Jun.

EPISTOLA IX.

Pag. 364. T*Ullia*] Ep. 6. ad Attic. lib. 11. *Tullia mea morbo, & imbecillitate corporis me exanimat.*

EPISTOLA XI.

Pag. 365. V*Enit ad me*] Brundiſium. vide epiſt. 17. ad Att. lib. 11. Plutarchus ait, præter alias cauſſas, quibus adductus Cicero divortium cum Terentia fecit, hanc maxime fuiſſe, quod nec ipſa ad eum Brundiſium iverit, & euntem Tulliolam tenui viatico inſtruxerit.

Negligentia] Curare enim diligenter debui, ut meliore fortuna talis filia uteretur. epiſt. 17. ad Att. lib. 11. *Incredibili*

bili ſum dolore affectus, tale ingenium in tam miſera fortuna verſari, idque nullo ipſius delicto, ſumma culpa mea.

Pietas] Erga patrem: ad quem longo itinere profecta eſt, ut animi dolore perturbatum adſpectu & ſermone ſuo conſolaretur. *Pietas* quam late pateat, diximus epiſt. 1. libro 1.

Dignitas] Dignitas eſt in feminis ob claritatem virorum; ut cum uxores, aut filiæ, aut ſorores conſulum, aut conſularium ſunt. ep. 14. ad Att. lib. 7. *De mulieribus noſtris quaſo videas, ut ſatis honeſtum nobis ſit, eas Romæ eſſe; cum cetera eas dignitate diſ eſſerint.*

Ciceronem ad Cæſarem mittere] Qui peteret; ut ei, quod Pompejum in bello ſecutus eſſet, ignoſceret. epiſt. 17. 18. ad Atticum libro 11. *Ego cum Salluſtio Ciceronem ad Cæſarem mittere cogitabam. Tulliam autem, non videbam eſſe cauſam, cur diutius tanto in communi mœrore retinerem.*

XVII. Kal. Quinct.] Scripta igitur eſt ante ſuperiorem.

EPISTOLA XII.

PErturbati dolore animi, magniſque injuriis] Epiſt. 6. ad Attic. lib. 11. ſuam in Italiam nimis celerem profectionem excuſat his verbis: *Quæ me cauſæ moverint, quam acerbæ, quam graves, quam novæ, coegerintque impetu magno quodam animi uti, quam cogitatione, non poſſum ad te ſine maximo dolore ſcribere.* Injurias, quas hic ſignificet, non intelligo: niſi ſi, quod ei filius Pompeji Magni, quia victi exercitus dux eſſe recuſaret, mortem minitatus eſt, ut ait Plutarchus. Vel injurias vocat fratris, ejuſque filii in ſe malevolentiam (epiſt. 5. ad Atticum libro undecimo.) Vel Interpretatur, injuria ſe affectum ab iis, quorum conſilio in Italiam venerit, detruſus de ſua ſententia: ut epiſt. 16.

Quod non facile explicare poſſimus] Quod exitum non habeat, quod e ſententia non ſuccedat. epiſt. 1. ad Attic. lib. 14. *Nihil perditius: explicari rem non poſſe. etenim ſi ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet?*

Adjuva] Ut mihi Cæſar ignoſcat, quod & adverſus eum arma ceperim, & ejuſdem injuſſu in Italiam venerim. epiſt. 6. ad Att. lib. 11. *In oppido mallem reſediſſe, quoad arceſſerer.*

EPISTOLA XIII.

Pag 366. DE *nuncio remittendo*] Ut doti Terentiæ caveretur, convenerat inter eos de nuncio remittendo, id eſt, de divortio faciendo: quod tamen poſtea revera factum eſt: quia res domeſticas Cicero nihilo meliores, quam publicas, poſt bellum Pharſalicum ad urbem reverſus offendit. epiſt. 14. lib. 4 & ad Attic. epiſt. 23. lib. 11. *Placet mihi, & idem tibi, nuncium remitti.*

Iſtius] Cæſaris ex Ægypto redeuntis.

Vis] Impetus. non enim de Cæſaris potentia loquitur, quam ſummam eſſe non ignorabat, victo Pompejo Magno, urbe & Italia in illius poteſtatem redacta. epiſtola decima octava: *Si qua vis, & ſi quæ rapina fieri cœperint.* & ad Att. epiſt. 11. lib. 7. *Te puto jam videre, quæ ſit ὁρμὴ Cæſaris, qui populus, qui totius negotii ſtatus.*

Multitudinis] Urbanæ.

Si metuendus iratus eſt; quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur] Proponit quod objici poteſt: & idem confutat. Si quis dixerit, metuendum eſſe Cæſarem iratum: non negabo: veruntamen quies ab illo fortaſſe naſcetur. poſita enim ſunt omnia in illius voluntate. idem & exitium, & otium afferre poteſt. quare timenda pernicies, nec tamen deſperanda ſalus. Equidem valde miror, obſcuram quibuſdam hanc ſententiam, & mendoſum locum videri. nam quod pro, *Quies*, eſt in uno vetere libro, *Quieſcere*, id me quidem parum movet. habeo enim ſex antiquos libros, in quibus nulla varietate, *Quies*, legitur: & ſententia patet: itaque mutationem ſine cauſſa non quæro.

Pag. 367. *Totum*] Hoc totum, quod ego diſputo, judicabis.

Minime miſerum] Divortium ſibi non diſplicere ſignificat: ſed id non ſatis aperte: ne Terentiam non amare videatur, & ideo divortium ſuadere.

EPISTOLA XIV.

Veſtrum jam conſilium eſt, non ſolum meum] Epiſt. 18.

Vereor, ut] Pro, *vereor ne non.* vide quæ diximus epiſt. 1. lib. 2.

Dolabella ipſe] Gener Ciceronis, qui cum Cæſare erat.

Veſtri ſimiles] *Iſto loco*, dixit epiſt. 18. & epiſt. 14. ad Att. lib. 7.

Videndum eſt] Dubitandi vim habet: quaſi dicat, Vereor, ne non poſſitis: ut epiſt. Q. Ciceronis, lib. 16. *Vide, ut probare poſſit, te non peccaſſe.* id eſt: vereor, ne non poſſit. Alii utrumque locum ſine cauſſa mutant.

Pag. 368. *Quo modo quidem nunc ſe res habet*] Ut ſe nunc res habet: pro ſtatu rerum præſenti. epiſt. 2. lib. 2. ad Q. fr. *Quomodo ſe res habet, non eſt facienda.* ad Att. epiſt. 2. lib. 13. *Quo modo nunc eſt, pedem, ubi ponat in ſuo, non habet.* lib. 2. de Orat. *Quo modo nunc ſe iſtorum artes habent, pertimeſcenda eſt multitudo cauſſarum.*

Hac loca] Oram Campanam, & maritimam. epiſt. 10. lib. 16. *Italiæ regiones deſcriptæ ſunt, quam quisque partem tueretur: nos Capuam ſumpſimus.* & epiſt. 11. ejuſdem libri: *Ego adhuc oræ maritimæ præſum a Formiis.* & epiſt. 11. ad Att. lib. 7

Tenere liceat] Metuebat, ea ne loca Cæſar occuparet.

Belliſſime vel mecum, vel in noſtris prædiis eſſe poteritis] Cupiebat omnino ſecum eas eſſe; etſi videatur earum conſilio permittere. nam epiſt. 14. ad Att. lib. 14. *Velim*, inquit, *eas cohortere, ut exeant; præſertim cum ea præſidia in ora maritima habeamus, ut in his pro re nata non incommode poſſint eſſe.* Ivere poſtea ad Ciceronem Formias. epiſt. 17. ad Att. lib. 7.

Etiam illud verendum eſt, ne brevi tempore fames in urbe ſit] Impedita re frumentaria, ut in bellis. Quinque cauſſas colligit Cicero, quibus mulieres ſuas, ut exeant, impellat: etſi, quid ipſe velit, plane non aperit. Prima eſt illa: *ſin homo amens diripiendam urbem daturus eſt: vereor, ut Dolabella ipſe ſatis nobis prodeſſe poſſit.* Altera: *Etiam illud metuo, ne jam intercludamini, ut, cum velitis, exire non liceat.* Tertia: *Reliquum eſt, quod ipſæ optime conſiderabitis, veſtri ſimiles feminæ ſint ne Romæ.* Similes autem earum feminas, ac minore etiam dignitate, diſceſſiſſe non ignorabat. itaque epiſt. 18. *Illud*, inquit, *me movet, quod video omnes bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere.* & ad Att. epiſt. 14. lib. 7. *De mulieribus noſtris quæſo, videas, ut ſatis honeſtum nobis ſit, eas Romæ eſſe; cum ceteræ illa dignitate diſceſſerint.* Quarta: *Belliſſime vel mecum, vel in noſtris prædiis eſſe poteritis.* Poſtrema: *Verendum eſt, ne brevi tempore fames in urbe ſit.*

Camillo] Poſt Atticum amiciſſimo Ciceronis. ut epiſt. 5. & epiſt. 20. lib. 5.

Labienus] T. Atius Labienus, qui multos annos Cæſaris legatus in Gallia fuerat, egregiamque in re militari virtutem oſtenderat, orto civili bello ad Pompeji partes tranſiit. epiſt. 11. lib. 16. *Maximam plagam accepit, quod is, qui ſummam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus ſocius ſceleris eſſe noluit, reliquit illum, & nobiſcum eſt.* Et epiſt. 13. ad Att. lib. 7. *Labienum ἥρωα judico: facinus jamdiu nullum civile præclarius.*

Piſo] L. Calpurnius Piſo, in quem extat oratio. epiſt. 13. ad Att. lib. 7. *Amo enim Piſonem: cujus judicium de genero ſuſpicor viſum iri grave.*

Ab urbe diſceſſit] Non contulit ſe ad Pompejum, ſed ab urbe diſceſſit: in quo non probare Cæſaris, generi ſui, conſilia viſus eſt. nam ſi probaret, eum in urbe exſpectaret.

Rufus] Fortaſſe M. Cœlius Rufus: quem ad Ciceronem in Cumanum veniſſe conſtat ex epiſt. 16. lib. 2. Vel, ſi hoc non probatur, dictum putemus de Meſcinio Rufo, qui Ciceronis quæſtor in provincia fuerat, epiſt. 19. 20. libro 5.

IIX. *Kal. Quinct.*] Recte Sigonius conjecit, legendum eſſe, IIX. *Kal. Febr.* quod ex epiſt. 18. & ex 11. libro 16. colligitur. Præterea, cum ad Att. ſcriberet, *L. Cæſarem*, inquit, *vidi Minturnis IIX. Kal. Febr.*

EPISTOLA XV.

UT *ad te antea ſcripſeram*] Epiſt. 11.

Caſaris] Ex Ægypto ad urbem redeunti.

Mutavimus conſilium] Epiſt. 18. ad Att. lib. 11. *De illius ab Alexandria diſceſſu, nihil adhuc rumoris, contraque opinio, valde eſſe impeditum: itaque nec mitto, ut conſtitueram, Ciceronem, &c.* Miſit autem Cicero Philotimum ad Cæſarem. ut ex ep. 23. intelligitur, & ad Att. ep. 19. 24. lib. 11.

Pag. 369. *Quid velimus*] Volebat diutius Brundiſii non eſſe. epiſt. ad Att. ſupradicta, quæ eſt eodem, quo hæc, die ſcripta; *Te rogo ut me hinc expedias. quodvis enim ſupplicium levius eſt hac permanſione.*

Sica] Epiſt. 4.

Tulliam adhuc mecum teneo] Tullia Brundiſium ad eum venerat XVII. Kal. Quinct. id eſt ante quattuor dies, quam hæ litteræ ſcriptæ ſunt. epiſt. 11.

EPISTOLA XVI.

E*Juſmodi tempora noſtra ſunt*] Brundiſii jacebat in mœrore. nam & Pompejanos offenderat, & victorem Cæſarem timebat. timere enim, quod ipſe epiſt. 8. ad Att. lib. 11. fatetur, non arceſſitus a Cæſare in Italiam venerat. nam neque palam cum lictoribus ad urbem audebat accedere, ne quis impetus Cæſarianorum militum fieret: & lictores, ante bellum civile ſibi a populo datos, omnino dimittere nolebat. in hoc ſtatu, nec habebat quod ſcriberet, nec a Terentia cur litteras exſpectaret.

Volumnia] Quæ ſe parum officioſe in Terentiam geſſerat.

Et cautius] Nec debuit Volumnia facere, quod fecit: & id ipſum, quod fecit, facere diligentius & cautius: quo minus exiſtimationi tuæ noceret. Fortaſſe ob debitam ſibi pecuniam Volumnia Terentiam appellaverat. Egiſſe autem hoc tempore Terentiam, illud oſtendit epiſt. 7. lib. 11. ad Att. *Alterum eſt, cur te nolim diſcedere, quod ſcribis Terentiam flagitare.* Et ibidem epiſt. 26. *Tempora monent, ut videat, ut ſatisfaciat quibus debeat.* Et ibidem ep. 23. *Te oro, ut de hac miſera cogites, & illud, de quo ad te proxime ſcripſi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulſandam.*

Alia ſunt, quæ magis curemus] Suam vicem dolet, quod Brundiſii jaceat.

Ut iis voluerunt] Tacite Dolabellam accuſat, cujus conſilio in Italiam venerit. epiſt. 7. ad Att. lib. 11. *Miſi ad Antonium L. Lamiam, qui demonſtraret, Cæſarem Dolabella dixiſſe, ut ad me ſcriberet, ut in Italiam quamprimum venirem: ejus me litteris veniſſe.* Hoc etiam queritur epiſt. 12. *Perturbati*, inquit, *dolore animi, magniſque injuriis metuo, ne id conſilii ceperimus, quod non facile explicare poſſimus.*

EPISTOLA XVIII.

Pag. 371. H*Æc autem regio*] Campana & maritima ora, cui præerat. ep. 14. lib. 16. ep. 11.

Noſtrorum opidorum] Opida ſua vocat, quibus præpoſitus erat.

Ego mecum] In opidis noſtris.

Iſto loco] Iſta dignitate, *veſtri ſimiles* ep. 14. & ad Att. ep. 14. lib. 7. & pro Cluentio, *Pro loco, pro antiquitate generis.* Terentius etiam in Eun. *Conveni quendam mei loci atque ordinis.* Locus enim ad ſtatum & conditionem refertur, ſive ſit obſcurior, ſive clarior.

Philotimo] Terentiæ liberto. epiſt. 2. lib. 4.

IX. *Kal. Feb.*] Pridie quam illas alteras litteras dedit, quarum initium eſt: *Veſtrum jam conſilium.*

EPISTOLA XIX.

I*N maximis meis doloribus*] Quod in Italiam venerim non arceſſitus.

Valetudo Tulliæ] Ep. 6. ad Att. l. 11. quæ ſcripta eſt IV. Kal. Dec. de Tullia ſic: *Tullia mea morbus, & imbecillitas corporis me exanimat.*

Pag. 372. *Me multa impedierunt*] Præcipue lictores: quos non nominat; quia cautius agit cum femina, quam cum prudenti viro Attico. ad quem enim ſcribens ep. 6. lib. 11. *Propius*, inquit, *accedere, ut ſuades, quo modo ſi-*

ne lictoribus, quos populus dedit, poſſum? qui mihi incolumi adimi non poſſunt.

EPISTOLA XXIII.

Pag. 374. S*Atis liberales*] In oratione pro Ligario: *Cæſar ad me ex Ægypto litteras miſit, ut eſſem idem, qui fuiſſem.*

EPISTOLA XXIV.

DE *Cæſaris adventu*] Ex Ægypto.

De litteris] Cæſaris, Philotimo ad Ciceronem datis. Philotimum Cicero, mutato mittendi filii conſilio, ad Cæſarem miſerat. epiſt. 24. ad Atticum lib. 11.

LIBRI XV.

EPISTOLA I.

Pag. 375. E*Uphratem*] Meſopotamiæ flumen, ex Niphate, ut ait Strabo, Armeniæ monte ortum, imperii Romani terminum, qui ad Trajanum imperatorem permanſit. nam is, Armenia, Meſopotamia, Aſſyriaque ad populi Romani ditionem adjectis, ad flumen Tigrim fines imperii protulit. mox Hadrianus, invidens Trajani gloriæ, veterem imperii terminum Euphratem eſſe voluit, captaſque a Trajano provincias Perſis reſtituit.

Cum omnibus fere ſuis copiis] Ep. 18. ad Att. lib. 5. *Parthi Euphratem tranſierunt duce Pacoro, Orodis Parthorum regis filio, cunctis ferme copiis.*

Procos.] Syriæ.

Certiora] Quia Parthis propinquior Bibulus, quam Cicero.

Pag. 376. *De alterius provincia*] De Syria, quam a Parthorum ditione dividebat Euphrates.

Pane] Quia Syriæ finitima Cilicia, quæ Ciceronis erat provincia. epiſt. 10. lib. 2. *Cum veniſſem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis eſt, diviſus aquarum divortiis.*

Regis Antiochi Commageni] Cujus ſoror uxor fuerat Orodis Parthorum regis. Dio lib. 49. Commageni citra Euphratem Aſiæ regio eſt: cujus caput Samoſatam urbem Plin nominat l. 5. c. 24.

Tranſire] In Syriam. epiſt. 4.

In Ciliciam] Erat enim in Aſia: cujus tres diœceſes adminiſtrabat. epiſt. 67. lib. 13. De hoc itinere epiſt. 20. ad Att. lib. 5. his verbis: *Ad caſtra veni ad VII. Kal. Sept. ad III. exercitum luſtravi apud Iconium. ex his caſtris, cum graves de Parthis nuncii venirent, perrexi in Ciliciam, per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit.*

Pag. 377. *A Tarcondimoto*] Regulo in Ciliciæ parte, qui Civili bello contra Cæſarem pro Pompejo pugnavit: eique poſtea victor Cæſar ignovit. poſt interitum Cæſaris, copias pro reip. partibus comparante C. Caſſio, cum eo ſe conjunxit. Caſſio mortuo, ſecutus Antonium cum Octaviano dimicantem, ab Agrippa navali prœlio cæſus eſt. Dio lib. 41. 47. 50. Strabo lib. 14. Florus l. 4.

Pacorum] Dux eſſe videbatur, quia regis filius. revera autem copias Oſaces ducebat: quem poſtea C. Caſſius prœlio victum occidit. Pacorus autem hoc tempore nondum ex ephebis exceſſerat. Dio. lib. 40. Eum poſt aliquot annos cum omnibus copiis cæſum a Ventidio, qui de Parthis primus triumphavit, idem Dio lib. 49. Juſtinus lib. 42. & alii prodiderunt.

Ab Jamblicho] Strabo lib. 16. Tarcondimoti filium appellat. Dio videtur aliter ſenſiſſe lib. 50. & 54. Occiſum autem ait a M. Antonio, de proditione ſuſpectum.

Phylarcho] Regem fuiſſe in quadam Arabiæ parte, auctor eſt Dio libro 50. ejus filio paternum principatum ab Auguſto reſtitutum, lib. 54. *Phylarchum* dignitatis apud Arabas nomen fuiſſe, Strabo docet.

Pag. 378. *Noſtram conſuetudinem integritatemque*] Etſi neque veteres libri mutant; & *Conſuetudinis* verbo ſignificari laudem conſtat: probo tamen conjecturam Hieronymi Ferrarii, qui legendum putabat, *Manſuetudinem*, adductus

ductus in hanc opinionem ſimilitudine locorum. nam ep 3. *Mihi maxime cura eſt, ut, qua copiis & opibus tenere vix poſſumus, manſuetudine & continentia noſtra, ſociorum fidelitate teneamus.* Et epiſtola 5. *Manſuetudine & innocentia imperatoris, provinciam retentam, atque conſervatam.* Epiſt. 9. ad Att. lib. 5. *Factum, ut ſumma modeſtia, & ſumma abſtinentia munus hoc extraordinarium traducamus.* Et ep. 16. ad eundem: *Sociis incredibilis videtur & noſtra manſuetudo, & abſtinentia.*

Ciliciam] Provinciæ ſuæ partem, in quam nondum pervenerat.

Æquitatu noſtro] Duo veteres libri, *Equitatui noſtri.* & ep. 2. *Cum equitatum in Ciliciam miſiſſem.* Malo tamen, *Æquitatu noſtro.* plus enim præſidii, ad continendos in fide ſocios, in æquitate ſua, quam in univerſo exercitu, non modo in equitatu, Cicero ſibi eſſe conſtitutum exiſtimabat: ut epiſt. 3. & hic proxime, quid profecerit integritas ſua, jam oſtendit.

Qui ex Cilicum gente in armis eſſent] Amanienſes ſignificat. vide epiſt. 4. & lib. 2. ep. 10.

Nos quemadmodum inſtructos] Ep. 2. & lib. 8. ep. 5.

Quibus vectigalia populi R. continentur] Aſiæ vectigalia maxima erant. Pro lege Manilia, *Ceterarum*, inquit, *provinciarum vectigalia tanta ſunt, ut his ad ipſas provincias tutandas vix contenti eſſe poſſimus: Aſia vero tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.*

Pag. 379. *In Aſia*] Nondum in Syriam pervenerat Bibulus, ſed erat adhuc in Aſia.

Dejotari.] Galatiæ regis.

Quantacumque ſunt] Fuere cohortes triginta, quadringenorum peditum ſingulæ, id eſt, peditum duodecim millia, legiones videlicet duæ: equitum vero duo millia. epiſtola prima ad Att. lib. 6. & ad eundem epiſt. 18. lib. 5.

Inanis] Vacua præſidio. in ea regnabat Ariobarzanes, qui nominatur epiſtola 2. lib. 4. & lib. 2. epiſt. 17. ad Attic. epiſt. 20. lib. 5.

In hac paucitate] Duas tantum legiones habebat. epiſt. 15. ad Attic. lib. 5. & Plutarchus.

Dignitati certe conſulemus] Nihil indecore faciemus; nihil turpiter.

EPISTOLA II.

CUm pridie Kal. Sext. in provinciam veniſſem] Epiſt. 4. & lib. 3. ep. 6. & ad Atticum epiſt. 13. lib. 5.

Navigationum difficultatem] Ad Att. epiſt. 12. lib. 5. *Negotium magnum eſt navigare, atque id menſe Quinct. Sexto die Delum Athenis venimus. pridie non. Quinct. a Piræo ad Zoſtera, vento moleſto, &c.*

Facultate & copiis] Epiſt. 3. Opibus & copiis.

Iſauros] De quibus anno 679. triumphaverat P. Servilius, & Iſaurici cognomen acceperat.

Pag. 380. *Quod ea maxime pateret*] Epiſt. 4. *Cappadocia patet a Syria.*

Per Cappadociæ partem eam] Epiſt. 6. lib. 3.

Quæ cum Cilicia continens eſt] Quæ Ciliciam attingit. ep. 4.

Cybiſtra] Opidum Cappadociæ, ubi quinque dies caſtra habuit. ad Att. epiſtola 20. lib. 5.

Artuaſdes, rex Armenius, quocumque animo eſſet] Cujus ſoror Pacoro, regis Parthornm filio, nupta erat; filia vero Dejotari regis filio pacta. ep. 3. & ad Att. ep. 21. lib. 5. Appianus in Parthico. *Artavaſdes*, non *Artuaſdes*, vocatur ep. 20. 21. lib. 5. ad Att. & a Paterculo. Dicit autem, *Quocumque animo eſſet*, quia propter affinitatem cum rege Parthorum contractam dubitari poterat. idque ſignificat apertius ep. 20. lib. 5. *Perrexi* (ait) *in Ciliciam per Cappadociam partem eam, quæ Ciliciam attingit, eo conſilio, ut Armenius Artavaſdes, & ipſi Parthi Cappadocia ſe excludi putarent.*

Regem] Cappadociæ.

Euſeben, & Philoromæum] Pius, & amicus Romanorum. Sic appellabatur, Græcis nominibus ad Latinam conſuetudinem transductis.

Pag. 381. *A noſtro ordine*] A ſenatu.

In conſilio meo] Præſentibus qui majoris apud eum dignitatis erant, quæſto-

re Meſcinio, legatis quattuor, C. Pontinio, Q. Cicerone, M. Annejo, L. Tullio, præfecto fabrum Lepta, tribunis mil. & aliis fortaſſe.

Caſum illum interitus paterni] Hujus Ariobarzanis patrem, quem regno expulſum a Mithridate Pompejus Magnus reſtituerat, per inſidias interfectum, hæc verba & alia inferiora declarant.

Pag. 382. *Amicoſque in patris ejus fide atque judicio probatos*] Sic habent duo veteres libri: unus, *Amicoſque patris ejus atque judicio probatos*: reliqui omnes, *Amicoſque in patris ejus atque judicio probatos*. Fortaſſe legendum: *Amicoſque patris ejus fide atque judicio probatos*. id eſt, quibus pater ejus fidem haberet, de quibus optime judicare ſolitus erat.

Pag. 383. *Regnare diſceret*] Non multo enim ante rex a ſenatu appellatus erat, Cicerone conſule. epiſt. 17. lib. 2.

In eos uteretur jure regio] Hoc, & quæ ſequuntur, ſignificavit, cum dixit: *Regnare diſceret.*

Pag 384. *Conſilio veſtro*] Qui, facto S. C. de Ariobarzanis ſalute, & incolumitate regni a me defendenda, providiſtis, ne acciderent ea, quæ pæne acciderunt. infra.

Nullo poſtulante] Cicerone tamen conſule referente. epiſt. 17 lib. 2.

Tantam curam diligentiamque] Cum decreveritis de eo, quod nullo umquam de rege. ſupra.

EPISTOLA III.

Pag. 385. M. *Cicero imp.*] Imperator Cicero appellatus eſt III. id. Oct. cæſis Amanienſibus, ut epiſt. 20. ad Att. lib. 5. Ea res geſta nondum erat, cum hæ litteræ ſcriptæ ſunt, ac ne tum quidem, cum illæ ſuperiores ad ſenatum, quas poſt has miſſas eſſe ſatis liquet: ait enim in his Cicero: *Publice propter duas cauſſas nihil ſcripſi.* Quare mendoſam hanc imperatoris appellationem ſemper duxi: & (opinor) librarius, cum videret in titulo ſequentis epiſtolæ, *Cicero imperator*; eodem modo hanc eſſe inſcribendam, ignarus temporum, exiſtimavit. Hoc & Sigonium video ſuſpicatum eſſe.

Ab Antiocho Commageno] Ep. 1. 4.

Ad Iconium] In caſtra venit Cicero, quæ fuere apud Iconium VII. Kal. Sept. cum Iconii decem dies fuiſſet: ut epiſt. 20. ad Att. lib. 5 Ab Iconio caſtra movit pridie Kal. Sept. ep. 6. lib. 3. Itaque legendum videtur, III. *Kal. Sept.* eodemque modo in ep. ſeq. ubi nunc legitur; *Kal. Sept. legati a rege Commageno ad me miſſi.*

Regis Parthorum filium] Pacorum. epiſt. 1.

Regis Armeniorum] Artuaſdis. epiſt. 2.

Multarumque præterea gentium] Arabum. ep 4. *Magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiochiam acceſſiſſe.*

Ad te] Cujus in clientela Cappadocia eſt. epiſtol. quarta: *Duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus inſula, & Cappadociæ regnum.*

Certiora] Quia Syria, Bibuli provincia, Parthis finitima.

Ut in ejuſmodi re] Rei difficultatem hic loquendi modus indicat. ſic ep. 9. lib. 4. *Adhuc & factum tuum probatur, ut, in tali re, etiam fortuna laudatur.*

EPISTOLA IV.

Pag. 387. S*Umma tua auctoritas*] Tanta fuit Catonis auctoritas ob ſingularem ejus integritatem, ut, quæ illi placerent, ea demum & recta, & honeſta omnes ducerent. argumentum illud inſigne, quod, ambitus cum eſſet maximus, tribunicii candidati jurarunt ſe arbitrio Catonis petituros, depoſitis apud eum H S quingenis; ut, qui a Catone damnatus eſſet, id perderet, & competitoribus tribueretur. ita viſus eſt Cato plus unus poſſe, quam omnes leges, omneſque judices. ep. 15. ad Att. lib. 4. & epiſt. 14. ad Q. fr. lib. 2.

Propter anni tempus] Ut ante hiemem geri aliquid poſſet.

Exercitum] Quo Appius proconſul uſus erat. ex fuere legiones duæ. ep. 3. 5. lib. 3. & ad Att. ep. 15. lib. 7.

Biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quat-

quatriduum, &c.] Aliter ad Att. ep. 16. *Moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade.* Et ibidem, ep. 20. ait ſe moratum eſſe biduum Laodiceæ, quinque dies Apameæ, triduum Synnadis, Philomeli quinque dies, Iconii decem.

Magni conventus] Jus enim dixit in iis opidis, tributaque ademit ab Appio impoſita. epiſt. 16. ad Att. lib. 5. *Audivimus nihil aliud, niſi imperata ἐπικεφάλαια ſolvere non poſſe: poſſeſſiones omnium venditas: civitatum gemitus, ploratus, monſtra quædam non hominis, ſed feræ neſcio cujus immanis. levantur tamen miſeræ civitates, quod nullus fit ſumptus in nos.* Et ad eundem, epiſt. 20. *Injurias revellimus ſuperiores. nihil ea juriſdictione æquabilius, nihil lenius, nihil gratius.* Et epiſt. 17. *Satis habeo negotii ſanandis vulneribus, quæ ſunt impoſita provinciæ. quod, do operam, ut faciam quam minima illius contumelia.* Et ad eundem, epiſt. 1. 2. libro ſexto.

Falſo ære alieno] Quod vere non debebatur: erat enim contractum ob ſolutionem tributorum: quibus liberatæ civitates, ære ſimul alieno liberatæ ſunt.

Quinque cohortes] Opinor eſſe eas, de quibus epiſt. 6. lib. 3.

Sine legato, ſine tribuno mil. denique etiam ſine centurione] In ſingulis legionibus erant ſinguli legati, interdum tamen bini, (nam Cicero proconſul duas tantum legiones, quattuor legatos habuit) tribuni mil. ſeni, centuriones triceni. auctor Polybius.

M. Anneio] Epiſt. 57. lib. 13. hoc nomen varie legitur in antiquis libris.

Evocatorum] Præfecto Antonio. epiſt. 6. lib. 3.

Exercitu luſtrato] Cum exercitum duces educere in expeditionem vellent, prius, quam caſtra moverent, exercitum luſtrabant, id eſt, recognoſcebant.

Kal. Sept.] III. *Kal. Sept.* legendum eſſe, jam oſtendimus.

Syria] Bibuli provincia.

Mea provincia] Et Aſiaticis tribus diœceſibus. ep. 67. lib. 13.

Duo aditus] Vterque per Amanum montem.

Pag. 388. *A Tauro*] De hoc monte Plinius lib. 5. c. 17.

Opidum Cybiſtra] Cappadociæ. ep. 20. ad Att. lib. 5.

Præſentia, magnitudine, & animi, & conſilii] Pro, *Animi præſentia, magnitudine conſilii*: præſenti animo, magno conſilio. In oratione pro Milone, *Præſentiam animi*, dixit Cicero, & Cæſar lib. 5. bel. Gal. Interdum ita commiſcentur conſilium & animus, ut ab animo conſilium pendeat: quia metus conſilium impedit. Cic. lib. 1. Off. *Præſenti animo uti conſilio.*

Cum omnibus ſuis copiis] Cohortibus triginta quadrigenariis, equitum duobus millib. ad Att. epiſt. 18. lib. 5. & 1. lib. 6.

Pag. 389. *Cum auctoritate regnaret*] Hoc explanatur infra.

Athenaidis] Malo nomen eſſe mulieris, quam civitatis: ut regis uxor materve fuerit. nam, *Importunitate*, aptius de muliere dici puto, quam de civitate. Suffragatur huic opinioni antiqua inſcriptio, quam Romæ vidimus in hortis Carpenſibus.

C. POPILIVS. ALBA..S
VIX. AN. XXXV.
ATHENAIS. AV...SYAIS. VNCT
POSIT. FRATRIS.

Sacerdos] Comanorum ſacerdos Archelaus, a Pompejo Magno, ut ſcribit Appianus, Mithridate devicto, præfectus: poſt quem ſacerdos fuit Nicomedes, a Cæſare, poſt ſuperatum Pompejum, præpoſitus. Ejus ſacerdotis poteſtas, quæ fuerit, oſtendit Hirtius de bello Alexandrino, his verbis: *Comana, vetuſtiſſimum & ſanctiſſimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut ſacerdos ejus deæ, majeſtate, imperio, & potentia ſecundus a rege conſenſu gentis illius habeatur: id homini nobiliſſimo Nicomedi Bithynio adjudicavit.* Videndus & Strabo libro 12.

Adoleſcens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus] Latine quoque dicebant cum præpoſitione, *a*, vel *ab*. Plancus epiſt. 8. lib. 10. *Cum, Deum benignitate, ab omni re ſimus paratiores.* Cœlius epiſt. 8. lib. 8. *Qui ſcirem, quam paratus ab exercitu eſſet. Imperati cum a*

 mib-

militibus, tum a pecunia, epiſt. 15. l. 2. ad Attic. Cicero dixit. *Imparatiſſimus omnibus rebus*, ſine præpoſitione, libro primo bel. civ. Cæſar.

Toto] Ignoratio Latini ſermonis quoſdam induxit, ut hoc mendoſum putarent, & inepta quædam comminiſcerentur. Sed, *Toto*, Cicero dixit, pro eare, quæ ſumma eſt, & in qua ſunt omnia. Ad Att. epiſt. 20. lib. 5. *Eſt totum, quod Kalendis Mart. futurum ſit.* Et epiſt. ad Capitonem: *Totum hoc, ut, quod ſemper exiſtimavi, nunc plane intelligam, me a te multum amari.* Et epiſt. 1. lib. 3. ad Q. fr. *Totum in eo eſt, tectorium ut continuum ſit.*

Pag. 390. *Antiochiam*] Quæ erat in Syria, Bibuli provincia. epiſt. 10. lib. 2.

Equitum meorum] Equitatum a ſe in Ciliciam eſſe miſſum, dixit ep. 2.

Cohorte prætoria] Quæ firmiſſima in exercitu manus erat. epiſt. 30. lib. 10.

Epiphanea] Plinius lib. 5. cap. 24.

Occidione occiſum] Phil. 14. *cum A. Hirtius M. Antonii copias occidione occiderit, ſuo exercitu incolumi.* Sic & Livius & Tacitus, & alii locuti.

Hoſtem ab Antiochia receſſiſſe] Caſſio inſequente. epiſt. 20. lib. 5. ad Att. *Rumore adventus noſtri & Caßio, qui Antiochia tenebatur, animus acceſſit, & Parthis timor injectus eſt. itaque eos cedentes ab oppido Caſſius inſecutus, rem bene geſſit. qua in fuga magna auctoritate, Oſaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis poſt diebus.*

Cum magno, & firme equitatu, & peditatu] Equitum duobus millibus. epiſt. 1. lib. 6 ad Att.

A regno] Galatia.

Vtraque provincia] Syriæ, & Ciliciæ.

Intereſſe utriuſque provinciæ] Eſt enim terminus inter utramque, & utrique communis, aquarum divortio diviſus. epiſt. 10. lib. 2.

Pag. 391. *Perpetuum hoſtem.* Ep. 10. lib. 2. *cum meis copiis omnibus vexavi Amanienſes, hoſtes ſempiternos. multi occiſi, capti: reliqui diſſipati.*

L. Tullius] Cujus avaritiam carpit epiſt. ult. lib. 5. ad Att.

Sepyram, & Commorim] Obſcura vicorum potius, quam oppidorum nomina.

Pag. 392. *Apud Aras Alexandri*] Iterare eadem non oportet. vide ep. 10. lib. 2.

Eleutherocilicum] Liberorum Cilicum, qui ſuis legibus utebantur. ep. 2. lib. 5. ad Att.

Qui ne regibus quidem umquam paruiſſent] Quod eſt argumentum ſummæ pervicaciæ. Tacitus de Thracibus lib. 4. *Ne regibus quidem parere, niſi ex libidine, ſoliti.*

Turribus] Vnica turri: ep. 20. lib. 5. ad Att.

Tebarani] Ignota geographis gens: nimium enim negotii fuiſſet, latronum Amani montis nomina perſequi. Latrocinia enim exercebant ejus montis incolæ. Tibarenos & Plutarchus in Lucullo nominat, & Plinius lib. 6. capite quarto. ubi Themiſcyræ regionis gentes perſequitur.

Aut captis, aut male pacatis] Ep. 20. libro quinto ad Atticum: *Exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Quincto fratri dabam.*

Relatum ſit] Vt mihi ſupplicationes decernantur.

Graviſſimos homines] Hoc dicit, quia gravitas reſpuere preces, ut indecoras, videtur, & *L. Craſſus, ille orator ſummus, cum petere magiſtratum blandius, id eſt rogare vellet, ſocerum ſuum Scævolam dimittebat; cum ei ita diceret, ſe velle ineptum eſſe: id erat petere blandius: quod niſi inepte fieret, bene non poſſet fieri.* De orat. lib. 1. *Admonendum potius te a me, quam rogandum, puto. rogamus enim eos, quorum voluntatis parum confidimus: admonemus tantum quos erga nos optime animatos eſſe credimus.* epiſt. 9 libro primo. *Quæ mihi commonias, & tanta mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri, rogari vero ſine magno dolore vix poſſim.* epiſt. 18. lib. 13. *Ego admirabar magis te, quaſi rogatus, aut certe admonitus, liberaliter Attico reſpondiſſes.*

Pag. 393. *Cum cuidam clariſſimo atque optimo viro ſupplicationem non decerneres*] Cæſarem ſignificari, nonnulli arbitrantur: quod ego non ſentio. virum enim optimum Cæſarem non vocaret, Catonis inimicum, præſertim cum in hoc tota epiſtola gratiam Catonis

nis aucupetur. C. Antonium, collegam Ciceronis in conſulatu, deſignari potius opinor. nam ei decretam ob victum Catilinam ſupplicationem, indicat Dio libro 37. *Clariſſime*; ob victoriam de Catilina relatam.

Quas conſul in urbe geſſiſſet] Ex quattuor antiquis libris ita lego. alii: *Quas is conſul in urbe geſſiſſet.* Ego Catonem, cujus in ſe officia hic Cicero commemorat, cum C. Antonio ſupplicationem ſua ſententia non decerneret, dixiſſe puto, decreturum ſe, ſi referretur ob res a conſule, id eſt a Cicerone, in urbe geſtas: cum ea pluris æſtimaret, quæ togatus Cicero conſul in urbe geſſiſſet, quam quæ foris armatus Antonius. Hanc ſententiam confirmant ea, quæ ſequuntur.

Mihi ſupplicationem decreviſti togato, non, ut multis, rep. bene geſta, ſed, ut nemini, rep. conſervata] Idem gloriatur in oratione in Piſonem: *Mihi togato ſenatus non, ut multis, bene geſta, ſed, ut nemini, conſervata reipub. ſingulari genere ſupplicationis deorum immortalium templa patefecit.* Et oratione ſecunda in Antonium: *Senatus clariſſimis civibus bene geſta reip. teſtimonium multis, mihi uni conſervata dedit.* In eundem XIV. *Mihi conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumptis, non ob cædem hoſtium, ſed ob conſervationem civium, novo & inuſitato genere decreta eſt.*

Invidiam] Odium. epiſt. 1. lib. 1.

Meas tempeſtates] Clodianis temporibus.

Subiens] Sponte: quod me vexari innocentem judicares, quia remp. domeſtico malo liberaſſem.

Si per me licuiſſet] Si armis contra Clodium certare voluiſſem. epiſt. 9. lib. 1. *Qui meos cives & a me ſervatos, & me ſervare cupientes, ſervis armatis objici noluerim.*

Inimicum meum] P. Clodium.

Milonis] Qui Clodium occiderat.

In ſenatu defendenda] Inter Milonis patronos Catonem Pedianus nominat, eumque ait ſtuduiſſe in petitione conſulatus Miloni, & reo adfuiſſe, nec di[illegible]laſſe, bene actum eſſe cum rep. morte P. Clodii.

A me autem hæc ſunt profecta] Hoc verbum interdum Cicero ad beneficiorum & ſtudiorum commemorationem accommodat, ut epiſt. ult. lib. 2. *Quæcunque a me ornamenta in te proficiſcentur.* Et epiſt. 14. lib. 9. *Si omnis tua laus a meis conſiliis profecta videatur.*

Græcis] Græce etiam Cicero ſcripſit, ut commentarium de conſulatu ſuo. ep. 1. lib. 2. ad Att.

Pag. 394. *Hoc neſcio quid gratulationis & honoris*] Honorem ſupplicationum: quem ſe ſua ſponte non magnifacere oſtendit, cum ait: *Hoc neſcio quid.* ut epiſt. 1. lib. 13. *Neſcio quid illud parietinarum.* Gratulabantur autem diis immortalibus ob victoriam, decreta a ſenatu ſupplicatione. epiſt. 5. *Si tu diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum, mavis.* Et ep. 18. lib. 11. *Tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus.* Phil. 14. *Supplicationem decernitis; hoſtem non appellatis. grata vero noſtra diis immortalibus gratulationes erunt, grata victima.*

Et natura, & magis etiam ratione atque doctrina] Magis laudandi, qui ratione & doctrina aliquid agunt, quam qui natura. itaque Nepos in Attici vita, *Neque id fecit*, inquit, *natura ſolum, (quamquam omnes ei parere debemus) ſed etiam doctrina.* ſic pro Cluentio: *nihil tam remotum ab accuſatione, quam Cluentius, & natura, & voluntate, & inſtituta ratione vitæ.* Jacet enim natura, niſi voluntas accedat, & conſuetudo: & hæc omnia ratio & doctrina vehementer adjuvat.

Ego profecto is ſum] Similiter locutus, in re diverſa, epiſt. 14. libro ſexto: *Si quiſquam eſt timidus in magnis periculoſiſque rebus, ſemperque magis adverſos rerum exitus metuens, quam ſperans ſecundos; is ego ſum.*

Et natura, & magis etiam, ut mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina] Lib. 1. in Ver. *Ab hominibus & natura, & conſuetudine, & diſciplina leviſſimis.*

Per ſe] Gloriam non ſpectavi, cum recte agerem: ſed ea ſtudioſe geſſi, ex quibus gloria naſci poſſet.

Provinciam] Quam in concione depoſuit. epiſt. 2. lib. 5. & Phil. 11. *Inſtru-*

ſtructam ornatamque a ſenatu provinciam depoſui. Ea vero provincia, Gallia citerior fuit. nam in oratione in Piſonem, *Provinciam*, inquit, *Galliam, ſenatus auctoritate, exercitu & pecunia inſtructam & ornatam, in concione depoſui, reclamante populo Romano.* Et ad Att. epiſt. 1. lib. 2.

Spem non dubiam triumphi] Triumphare poterat e Salaſſis, & inalpinis gentibus, quæ populo Romano non parebant. cum his bellum geſſit & Metellus Celer, ut epiſt. 1. lib. 5. & D. Brutus, ut epiſt. 4. lib. 11.

Sacerdotium] Auguratum.

Injuriam] Exſulium ſuum ſignificat.

Augur poſtea fieri volui] In locum P. Licinii, Craſſi, M. F. qui a Parthis occiſus eſt.

Eum honorem] Triumphum.

Nunc mihi expetendum puto] Vt, ſi quam antea, pulſus in exſulium, dignitatis jacturam feciſſet, honore novo ita ſarciret, ut de priſtino ſtatu detractum nihil, additum potius aliquid ad gloriam videretur. cauſſam hanc attigit ep. 6. lib. 6. ad Att. his verbis: *Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram, non negligendam.*

Ad ſanandum vulnus injuriæ] Injuria, id eſt exſulium, injuſte mihi irrogatum, quaſi vulnus fuit, cujus medicina triumphus erit.

Vt faveas] In ſupplicatione adipiſcenda, quæ triumphi prærogativa erat. epiſt. 4.

Quod paullo ante me negaram rogaturum, vehementer rogo] Dixi jam de hoc artificii genere, epiſt. 16. 18. 47. lib. 13.

Pag. 395. *Honores ſummos*] Triumphos.

Equidem etiam mihi illud, &c.] Cognita Catonis conſuetudine, ne totum ponere videatur in bellicis rebus, quæ plerumque a fortuna pendent, æquitatem & continentiam ſuam commemorat; eaque ſibi ait contra metum impendentis Parthici belli, & ad ſociorum animos recuperandos, firmiſſima præſidia fuiſſe.

Quam attente te audire ſoleam] Cum de habendis, aut non habendis honoribus in ſenatu ſententiam dicis.

In mea cauſſa] In hoc negotio, de quo tecum ago.

Exercitu imbecillo] Duabus legionibus. epiſt. 15. libro quinto ad Atticum. & Cœlius epiſt. quinta libro octavo: *Si Parthus movet aliquid, ſcio non mediocrem fore contentionem. tuus porro exercitus vix unum ſaltum tueri poteſt.*

Maximi belli] Parthici, quod, poſt Craſſum interfectum, cæſaſque ejus copias, formidoloſum in primis erat.

Veteris imperii] Imperii Romani, cui parere ſoliti erant.

Præſertim ad te] Cum enim omnes ſocii ſuas querellas ad te deferant; nimirum nihil eorum ignoras, quæ in provinciis geruntur. itaque narrari hæc a me de me ipſo, neceſſe non videtur.

Qui meis inſtitutis ſe recreatos putant] Cum Appii injuriis afflicti eſſent. epiſt. 16. libro quinto ad Atticum, & epiſt. 1. lib. 6. ad eundem.

Duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus inſula, & Cappadocia regnum] Cyprus ea cauſſa, quia lege P. Clodii, Ciceronis inimici, Piſone & Gabinio coſſ. profectus in eam inſulam Cato, regis Ptolemæi, qui ſibi veneno mortem conſcivit, publicatis bonis, maximam pecuniæ vim in ærarium intulerat. mos autem veterum fuit, ut, quorum opera natio aliqua in populi Romani poteſtatem veniſſet, eorum in clientela perpetuo eſſet. itaque Siculi Marcellorum, Pœni Scipionum clientes. Cyricos quoque, qui erant in Cypro inſula, Catonis clientes, lib. 4. de Fin. Cicero vocat. Cappadociæ regnum ideo clientela Catonis erat, quia regem Ariobarzanem vehementer diligebat, auctorque ſenatui fuit, ut eum Ciceroni commendaret. de quo ſupra, *Regem Ariobarzanem*, inquit, *cujus ſalutem a ſenatu te auctore commendatam habebam, præſentibus inſidiis nec opinantem liberavi.* Maximas autem clientelas appellat, quia privatæ quoque tenuiorum hominum erant.

De me loquentur] Cyprum enim inſtitutis meis recreavi: Cappadociæ regem inſidiis liberavi.

Quæ ſi etiam majora ſunt] Quam res geſtæ. ſupra enim dixit: *Equidem etiam mihi illud animadvertiſſe videar, te non*

tam

tam res geſtas, quam mores, inſtituta, atque vitam imperatorum ſpectare ſolere in habendis, aut non habendis honoribus.

In omnibus ſæculis pauciores viri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quam qui hoſtium copias vincerent] Fortaſſe hanc ſententiam e Xenophontis Ageſilao ſumpſit. Πολὺ πλείονες, inquit, τῶν πολεμίων ἢ τῶν τοιούτων δύναται κρατεῖν. Et infra: Καλὸν μὲν ὁ κεκτῆσθαι, τείχη ἀνάλωτα ἐπιβάθῃ ὑπὸ πολεμίων· πολὺ μέντοι ἔγωγε κάλλιον κρίνω, τὸ τὴν αὐτοῦ ψυχὴν ἀνάλωτον κατασκευάσαι, καὶ ὑπὸ χρημάτων, καὶ ὑπὸ ἡδονῶν, καὶ ὑπὸ φόβου.

Hæc genera virtutis] Æquitatem & continentiam.

Iuſtiores] Profecto, qui ſententiam attenderit, legendum, *illuſtriores*, intelliget. bellicis enim rebus non juſtitiam, ſed ſplendorem addunt æquitas & continentia.

Allegem] Mittam. epiſt. 10. *Allegatem ad te illos.*

Pag. 396. *In forum, atque in remp.*] Cum uterque locos graves ex Philoſophia, abhorrentes ab uſu forenſi & publico, magna cum laude in judiciis, in concionibus, in ſenatu tractaret. vide procemium Paradoxorum.

In ipſam aciem pane deduximus] Otio & deſidiæ, forum, remp. aciem opponit. *aciem* autem pro ſumma contentione poſuit, non quaſi tertium quiddam, a duobus proxime dictis, id eſt a foro & a rep. diverſum, ſed quod & foro, & reipub. jungatur: quaſi dixiſſet, in majores & fori, & reip. contentiones. qua ſimilitudine lib. 1. de Orat. *forenſem aciem* appellavit.

Negari] Negavit tamen. epiſt. ſeq. & lib. 8. epiſt. 11. & ad Att. epiſt. 1. 2. lib. 7.

A Catone] Ab eo, qui Philoſophiam ipſam vehementer amat. vis eſt in nomine: ut ad Curionem epiſt. quarta libro ſecundo *Quid eſt, quod poſſit graviter a Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de rep.*

Ex meis litteris] Ex his litteris quibus a te peto, ut mihi tua ſententia faveas, adjutorque ſis.

Auctoritate tua] Quam ſummam eſſe dixit initio litterarum.

Mihi quod maxime cupierim, contigiſſe] Supplicationem ipſam.

EPISTOLA V.

INnocentiam] Hoc addidit, quia poteſt eſſe virtus ſine innocentia: nam hic virtus eſt præſtantia quædam & animi, & ingenii: qualem in multis fuiſſe disjunctam ab innocentia, hiſtoriæ teſtantur.

Cognitam in maximis rebus domi togati] Cum remp. Catilinæ conjurationis exitio togatus liberaſti. epiſtola decima tertia libro duodecimo: *Tua toga omnium armis felicior.*

Adminiſtrari] Exerceri.

Pro meo judicio] Non laudavi te gratiæ cauſſa, ſed adductus judicio meo: cum ii, qui ſupplicationem tibi decreverunt, gratiæ fortaſſe potius id tribuerint, quam judicio.

Pag. 397. *Innocentia conſilioque tuo*] Ut ſupra cum virtute innocentiam, ita conjungit hoc in loco cum innocentia conſilium. nam ut reip. ſine innocentia virtus, ita ſine conſilio innocentia nihil prodeſt.

Defenſam] Contra metum Parthici belli, non quod Cicero cum Parthis pugnaverit. & ipſe in epiſtola ſuperiore, *Reperies*, inquit, *me exercitu imbecillo contra metum maximi belli firmiſſimum præſidium habuiſſe æquitatem & continentiam.*

Quæ in re nihil fortuito] Fortuito geri ea res oſtendit, quarum cauſſa ſupplicatio decerni, & diis immortalibus gratulatio fieri ſoleret. ita bellicas victorias fortunæ tribuit, Ciceronis autem continentiæ & æquitati defenſam provinciam, ſervatum Ariobarzanis cum ipſo rege regnum, ſociorum revocatam ad ſtudium imperii voluntatem. qua ſententia videri volebat, plus decreviſſe Ciceroni, quam ſi ſupplicationem decreviſſet. ſed Cicero aliter accepit, dolorem tamen ſuum diſſimulavit, ut intelligitur ex epiſtola ſequenti: ad Atticum autem cum ſcriberet: *Aveo ſcire*, inquit, *Cato quid agat: qui quidem in me turpiter fuit malevolus; dedit integritatis, juſtitia, clementia, fidei mihi teſtimonium, quod non quærebam;*

bam; quod poſtulabam, negavit. itaque Cæſar iis litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis, in me ingratiſſimi, injuria? at hic idem Bibulo dierum viginti: ignoſce mihi, non poſſum hæc ferre, nec feram. Et epiſtola tertia ibidem, invidiſſe ait Catonem ſuæ dignitati.

Gaudeo] Si tu mavis, ea, quæ pro repub. feciſti, non rationi & continentiæ tuæ, ſed diis immortalibus tribui, ſupplicationem decretam gaudeo.

Triumphi prærogativam] Quæ tribus, quæque centuria ſuffragium ferebat, prærogativa dicebatur, *quod prima rogaretur*, ut ait Aſconius, *quos vellet conſules fieri.* Et quoniam prærogativæ tanta auctoritas erat, ut eam ceteræ tribus & centuriæ ſequerentur: inde factum, ut prærogativa pro certo acciperetur ſigno, futuram rem prænunciante.

Caſum potius, quam te, laudari vis] Fortuitum eventum, beneficio deorum immortalium, potius quam æquitatem & continentiam tuam. Lib. 3. de nat. deor. *Hoc quidem omnes mortales ſic habent, omnem commoditatem proſperitatemque vitæ a diis ſe habere: virtutem nemo umquam acceptam deo retulit. nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, ſi id donum a deo, non a nobis, haberemus. at vero honoribus aucti, aut re familiari, aut ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni, aut depulimus mali; cum diis gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſumptum arbitramur, &c.*

Contra conſuetudinem meam] Stoicorum enim brevis oratio. Stoicus autem Cato: ut indicat oratio pro Murena, Plutarchus, & alii.

Quod maxime volo] Maxime volo exiſtimes, laborare me, &c.

De tua maieſtate] De tua dignitate.

Quod ampliſſimum ſum arbitratus] Duxi ampliſſimum eſſe, rationi & continentiæ tuæ acceptam referri defenſionem provinciæ, quod mea ſententia cenſui; non benignitati deorum immortalium; quod cenſuerunt ii, qui ſupplicationem decreverunt.

Quod tu maluiſti] Maluiſti, ſupplicationem decerni: quod factum eſſe gaudeo.

Pag. 398. *Severitatem*] Ne quid contra leges committatur, qua virtute Cato ipſe in primis excelluit.

EPISTOLA VI.

LÆtus ſum laudari me] Senarii finis eſt, *Lætus ſum*: alter ſenarius integer, *Laudari me, pater, abs te laudato viro.* Tuſc. 4.

Opinor apud Nævium] Opinor, ait, memoriæ vitium ſimulans dignitatis cauſſa: ne videatur homo conſularis, & jam ſenior Poetas lectitare. quod eo videri turpius putabat, quia non ad juvenem quendam ſcribebat, fabellis poeticis deditum, non ad eum, qui mediocrem prudentiam conſecutus eſſet, verum ad graviſſimum & ſapientiſſimum virum Catonem, ab omni abhorrentem voluptate, addictum Philoſophiæ, eamque vita & moribus exprimentem. C. Nævius Poeta Campanus, ut ex Gellii libro primo capite vigeſimo quarto licet conjicere, ſcripſit carmine bellum Punicum primum, & in eo bello ipſe militavit: fabulas præterea multas, quarum exemplis utuntur ſæpe Varro, Feſtus, Nonius, alii.

Laudato viro] Quæ enim laus eſt a non laudato? Recte Plautus in Epid. *Strenuiori deterior ſi prædicat ſuas pugnas, de illius ore fiunt ſordida.*

Ampliſſimum] Vſus eſt Catonis verbo, qui ſcripſerat: *Me voluiſſe de tua majeſtate, quod ampliſſimum ſum arbitratus.*

Libenter amicitiæ dediſſe] Et hic, ut opinor, ad Catonis verba reſpexit. dixerat enim initio epiſtolæ ſuæ: *Quod & reſp. me, & noſtra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, &c.* Laudaſti, inquit, me amicitiæ cauſſa. libenter enim amicitiæ tribuiſti, quod veritati facile tribueres.

Et ſi non modo unus, verum etiam multi Catones eſſent, &c.] Vnus es vere Cato, iſto plane dignus cognomine, antiqua majorum virtute decorato: verum, ſi multi prætere Catones eſſent; ego tamen ſententiæ tuæ teſtimonium omnibus triumphis anteponerem: quanto ma-

magis, cum ſis unus: quo tua major eſt auctoritas, tua virtus illuſtrior. Cum vero dixit; *Si non modo unus, verum etiam multi Catones eſſent:* Catonum præſtantiam, non numerum, cogitavit. nam alii quoque Catones erant, ut C. Cato, qui epiſt. 2. 4. 5. libro primo nominatur. Video quoſdam legere, *Omnes*, non *Unus:* quorum opinionem non improbo. eodem enim fere ſpectat, & adſtipulatores habet veteres libros; quorum teſtimonio noſtra quoque ſententia comprobatur.

Pag. 399. *Quem ego currum, aut quam lauream*] Quem triumphum. nam & currus, & laurea corona ſunt inſtrumenta triumphantium.

Ad meum ſenſum] Ut quidem ego ſentio. alii fortaſſe pluris faciunt ſupplicationem decretam: mihi tamen ſententia tua, quæ ſupplicationem non decrevit, nihil videtur laudabilius & præſtantius eſſe poſſe.

Ad illud ſincerum ac ſubtile judicium] Quaſi non ſincere, nec ſubtiliter judicent, qui aliter ſentiunt. Pronomen, *Illud*, non commune, ſed ſingulare quiddam hic deſignat: ut epiſt. 9. lib. 8. *Si ad illam ſummam veritatem legitimum jus exegeris.* Et pro Marcello: *Illa ipſa rerum humanarum domina fortuna.* Et alibi.

Cauſſam meæ voluntatis] Dixit enim in ſuperioribus litteris, cupere ſe ſupplicationem, non quia delectetur inani laude, ſed ut acceptam ab inimicis injuriam novis honoribus compenſet.

Parum juſta tibi viſa eſt] Quia ſupplicationem non decreviſti.

Honos] Et ſupplicatio, & triumphus.

Honore, uſitato præſertim] Triumpho: nam ſupplicationem ſenatus jam decreverat.

Tantum ex te peto] Non peto, ut mihi triumphum decernas: ſed illud tantum peto, ſi triumphum ſenatus detulerit, ut gaudeas.

Quod ampliſſimum eſſe arbitraris] Ampliſſimum eſſe judicaſti, virtutem, innocentiam, diligentiam meam laudari; idque mihi tribuiſti.

Pag. 400. *Quod maluero*] Malebat triumphum, quam ſine triumpho laudari.

Sic enim feciſſe te video] Video te ſupplicatione mihi decreta gaviſum eſſe: quia, cum S. C. ſcriberetur, affuiſti.

Et ſenſiſſe] Senſu intimo, non vultu ſolum, qui ſæpe mentitur, gaviſum eſſe.

Scripſiſſe] Gaudere enim ſe, factum eſſe, quod Cicero maluiſſet, id eſt, ſupplicationem decretam, in ſuis litteris Cato dixerat.

Scribendo affuiſti] Vide illud, *ſcribendo affuerunt*, ep. 8. lib. 8.

Quam timeo] Emergebat jam inter Cæſarem & Pompejum diſcordia, quæ civile bellum, reip. perniciosum, excitavit.

EPISTOLA VII.

C. *Marcello*] Hic locus, non ſemper credendum veteribus libris, facile probat. ſcriptum eſt enim in omnibus, *Marco*, non *Cajo*, falſo, ut oſtendam, prænomine. Tres Marcelli, unus Marci, duo Caji prænomine, per triennium deinceps conſules fuere: primo anno Marcus, M. F. ut ait Dio, Ser. Sulpicio collega: quibus non conſulibus deſignatis, ſed conſulatum gerentibus, Cicero in provinciam profectus eſt, ut e ſuperiore epiſt. & ex epiſtola tertia libri tertii, perſpicuum fit: altero anno cum L. Paullo Cajus, C. F. Ciceronis in auguratu collegæ, Marci vero non frater germanus, ſed ut perſpicue narrat Suetonius, patruelis. nam ſi germani eſſent fratres, in patris prænomine congruerent. at Marcus Marco patre, Dione teſte, natus eſt: Cajus autem Cajo: quod ex epiſtola, quæ ſequitur hoc initio, *Marcellum tuum*, intelligitur. atque his conſulibus Cicero, abſoluto annuo imperio, ex provincia deceſſit. Tertio anno alter Cajus, M. F. ut lapides Capitolini, & Dio ſignificat, Marci, biennio ante conſulis, frater germanus, quod ex parentis prænomine cognoſcitur, cum L. Lentulo, anno civilis belli primo, conſul fuit. cujus anni primis diebus, id eſt pridie non. Jan. Cicero procoſ. ad urbem acceſſit: ut epiſtola deci-

decima libro decimo ſexto. Hæc ad infirmandum conſenſum veterum librorum, & veritatem hiſtoriæ teſtimonio reſtituendam, arbitror ſufficere. Eſt enim hic (ut ἐν ἐπιτομῇ ſupra dicta colligantur) C. non M. Marcellus, ut quidam crediderunt, M. Marcelli, ad quem ſuperior eſt epiſtola, frater patruelis, Caji, ad quem ſequens, filius.

Fortunare] Etſi *Fortuna* vocabulum ſit ambiguum; proptereaque adverſa, vel ſecunda, diſtinctionis gratia, appellari ſoleat; *fortunare* tamen verbum, & *fortunatus*, in bonam partem ſemper accipiuntur. ep. 2. l. 2. *Tibi patrimonium dii fortunent.*

Volo] Pro *Cupio*: ut epiſt. 19. lib. 12. *Eandem rem tibi volo bene & feliciter evenire.* Et epiſt. 1. lib. 1. *Regis cauſſa, ſi qui ſunt, qui velint.* Hanc ſententiam expreſſit aliis verbis ep. 11. *Tibi velim ii ſint exitus, quos mereris: quos fore confido.* Et ep. 7 lib. 2. *Ut ſempiterna laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopte.*

Parentiſque tui] C. Marcelli, ad quem ſcribit Cicero epiſtolam ſequentem.

In omni varietate rerum mearum] Ep. ſeq. *Vel in labore, vel in honore meo.* & ep. 4. 29. lib. 13.

Veſter] Tuus, & parentis tui.

Pag. 401. *Matris tuæ*] Juniæ, ep. ſeq.

Erga ſalutem] In laboribus meis. ep. 11.

Dignitatem] In honoribus. Proxime utrumque dixit; *In omni varietate rerum mearum.*

Diligas, atque defendas] Præſertim in conſulatu. timebat enim Cicero, ne ſibi, propter Galliarum controverſiam, Pompejo eas Cæſari ante legitimum tempus eripere cupiente, vel ſuccederet nemo, vel etiam provinciæ tempus prorogaretur. epiſt. 7. & lib. 8. epiſt. 5. 6. 8.

EPISTOLA VIII.

C*Ollega*] In auguratu. hoc ipſe docet Cicero lib. 2. de Divin. & Cariſius.

Marcellum tuum] Filium.

Vel in labore meo, vel in honore] Idem aliis verbis in epiſtola ſuperiore: *Patris tui pluribus beneficiis, vel defenſus triſtibus temporibus, vel ornatus ſecundis.* & ep. 10.

Vel ſalutis, vel dignitatis meæ] Proxime dixit: *vel in labore meo, vel in honore.*

Junia] Matri C. Marcelli, conſulis deſignati.

EPISTOLA IX.

Pag. 402. C. *Marcello conſule facto*] C. Deſignatus erat conſul in annum ſequentem C. Marcellus: qui ſi frater germanus fuiſſet M. Marcelli, addidiſſet Cicero, *fratre tuo.* erat autem frater patruelis: poſt quem conſul fuit alter C. Marcellus, Marci frater germanus: de quo epiſt. 9. lib. 4.

A te ipſo miſſi] A te conſule, & Ser. Sulpicio, collega tuo. epiſtola tertia libro tertio. infra: *quod tu mihi & S. C. & lege finiſti.*

Ultimas gentes] Inter ultimas imperii Romani. nam ultra Ciliciam Syria eſt. epiſtola nona libro primo: *Recordare, quibus laudationem ex ultimis terris miſerit*: cum Hiſpaniam citeriorem, non ulteriorem ſignificet.

Dilexerim] Et, *Dilexi*, uſitatum erat. utrique enim modo ſervit particula *Cum*, ſequente *Tum*. ut ep. 6. lib. 9. *Cum enim te ſemper magnum hominem duxi; tum quod his tempeſtatibus es prope ſolus in portu.*

Tuo facto] Quod opera, gratia, ſtudio tuo factum ſit, ut conſul crearetur C. Marcellus patruelis frater tuus.

Populi R. de te judicio] Quid enim populus de te judicet, fratre tuo conſule facto declaravit.

Vel me tui ſimilem eſſe audio, vel te mei] Comparari ſolitum Ciceroni M. Marcellum, & judicari ſimillimum, hic locus, & alter in Bruto declarat. interroganti enim Ciceroni, quid de Marcello judicas, quem ſæpe audiſti? reſpondet Brutus: *Quid cenſes, niſi id, quod habiturus es ſimilem tui?* Et infra: *Itaque cum eum ante tui ſimilem in dicendo viderim; tum vero nunc, a doctiſſimo viro Cratippo inſtructum omni copia, multo videbam ſimiliorem.*

Aut mihi ſuccedat quamprimum aliquis] Quamprimum, id eſt poſt abſolutum annuum imperium.

Aut

Aut ne quid accedat temporis] Aut ſi nemo ſuccedat, ſaltem diſcedere mihi liceat, eo tempore decurſo, quod tu mihi & S. C. & lege finiſti. quod ita contigit. nemine enim ſuccedente, Cœlium, quæſtorem ſuum, decedens Cicero provinciæ præpoſuit.

Tu mihi] Immo uterque conſul. Sed unum, ad quem ſcribit, affatur, ut ſupra, *A te ipſo miſſi.*

Et S. C. & lege] Lex curiata ſignificatur; de qua diximus ep. 9. lib. 1. in eo loco: *Si licitum eſſet legem curiatam ferre.*

Non putabam a me etiam nunc ſcribenda eſſe publice] Nondum enim ſatis certa: quæ poſtea legatis primum Antiochi regis Commageni, deinde litteris Tarchondimoti, & Jamblici confirmata ſunt. epiſtola prima hujus libri. quamquam primus locus, habita ratione temporum, huic epiſtolæ debetur.

EPISTOLA X.

Pag. 403. Q*Vando id accidit*] Sic mei quinque veteres libri reliqui, *Quomodo*, *Cum*, *Quem*: placet, *Quando.*

Marcellinorum etiam] Eorum etiam, qui ex familia veſtra in alias adoptione tranſierunt. deſignat maxime Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum: de quo vide quæ diximus ep. 1.

Generis] Claudiæ gentis.

Nominis] *Nomen* interdum accipitur pro familia, interdum & pro prænomine, vel cognomine. hic videtur eſſe dictum de familia.

Lauſque & honor earum] Ut laudari, & honorari, te conſule poſſent, ſupplicatione decreta.

Si mihi tecum minus eſſet] Diximus hoc de genere loquendi, ep. 1. lib. 13.

Allegarem] Mitterem. ep. 4. *Philoſophum ad te allegem.*

Neque enim ſaluti meæ, neque honori amicior quiſquam dici poteſt] Idem aliis verbis, ep. 8. 9.

Frater tuus] Patruelis, M. Marcellus. epiſt. 7.

Neque vero tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum] Paullo ante dixit: *Si mihi tecum minus eſſet, quam eſt, cum omnibus tuis.*

In ſupplicatione decernenda] Uterque conſul, magis tamen Paullus, Ciceroni ſtuduit in ſupplicatione decernenda; vide ep. 11. lib. 8.

EPISTOLA XI.

Pag. 404. M*Eus honos*] Supplicatio.

Cum parentibus tuis] Matrem quoque ſignificat: de qua vide epiſt. 8.

Res ipſa loquebatur] Cum decreta mihi ſupplicatio eſſet.

Magni intereſt, cui debeas] Cauſſam affert, cur dixerit, *Tum libenter.* non enim omnibus libenter debemus.

Jam ante] Antequam conſul eſſes.

Ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam, non recuſem] Simile illud ep. 18. lib. 6. *Non recuſo, quin, quantum de illo libro, tantumdem de mei judicii fama detrahatur.*

Tibi velim, ii ſint exitus, quos mereris] Epiſt. 8. *Cum honorem tibi deos fortunare volo.*

In ipſos Eteſias] De his ventis, certo anni tempore flantibus, unde nomen accepere, diximus epiſt. 15. lib. 2.

EPISTOLA XII.

Pag. 405. L. *Paulo*] Æmiliæ gentis, patriciæ. videtur is eſſe, qui Catilinam lege Plautia, ut ait Salluſtius, interrogarat.

Cos. des.] Cum C. Marcello.

Nec opinatus, & improviſus] Hæ duæ particulæ, *Nec*, *Et*, ſic uſurpantur interdum, ut antecedat ea, quæ negat, ſequatur, quæ affirmat. epiſt. 1. lib. 10. *Nec miror, & gaudeo.*

Provinciæ caſus] Epiſt. 2. lib. 3. *Cum & contra voluntatem meam, & præter opinionem accidiſſet, ut mihi cum imperio in provinciam proficiſci neceſſe eſſet.*

EPISTOLA XIII.

Pag. 406. F*Uit explorata*] Numquam dubitavi, quin te populus R. conſulem cunctis ſuffragiis facturus eſſet.

Ornaſti] Studiis & officiis tuis.

Reditum meum] Ab exſulio.

Rerum gerendarum] In provincia.

Amplitudo, & dignitas] Quæ conſulis eſt.

Omnes gentes] Significat, prædicari a ſe etiam in provincia, quantum Paullo debeat.

Pag 407. *Honore*] Supplicationis.

Gratulatione] Ut gratulatio fiat diis immortalibus ob res proſpere geſtas.

Ad collegam] C. Marcellum. eæ litteræ non exſtant.

Procurationem, ſuſceptam, velim habeas] Quam antea ſuſcepiſti, eam velim habeas.

Cum abſens, tum etiam præſens] Abſens ſupplicationem, præſens triumphum.

EPISTOLA XIV.

C. *Caſſio*] Qui poſtea Cæſarem occidit.

Proquæſ.] Quæſtor cum M. Craſſo procos. in Syriam iverat. eo mox a Parthis interfecto, proquæſtor uſque ad Bibuli procos. adventum in provincia remanſit.

M. Fabium] Fortaſſe is eſt, quem Cœlio commendat epiſt. 14. lib. 2. Pæto epiſt. 25. lib. 9. Curtio epiſt. 59. libro 13.

In ære meo eſt] Inter meos. epiſt. 62. lib. 13. *Semper in animo habui, te in meo ære eſſe propter Lamiæ noſtri conjunctionem.*

Pag. 408. *Me convenire potuiſſes*] Ante quam ab urbe diſcederem, in provinciam proficiſcens.

Tanto intervallo] Poſt triennium. nam Caſſius cum Craſſo proconſule in Syriam iverat Domitio & Appio coss. Cicero autem Sulpicio & Marcello.

Gratulari] Ob rem bene geſtam. infra: *Hac tua victoria tanta.* Et epiſt. 10. lib. 2. & ad Att. epiſt. 20. lib. 5.

Tum] Cum de duabus rebus agit Cicero, *primum, deinde*, ſolet uſurpare: cum de tribus, *primum, deinde, poſtremo*: cum de quattuor, tertio loco *Tum* interit.

Bono litterarum] Commodo litterarum.

Unus ſcilicet fructus] Etſi video eſſe in aliquot antiquis libris, *Unus ſcilicet unis fructus*: mihi tamen magis arridet, *Unus ſcilicet fructus*: ut eſt in tribus item antiquis libris. verbum enim, *Uni*, quem hic locum habeat, non ſatis intelligo. quid enim eſt, *Unus uni fructus percipi litteris non poteſt?* quaſi vero non id omnium commune ſit. nemo enim ex amici litteris eum fructum, quem ex præſentis conſpectu & ſermone, percipit.

Pro opportunitate temporis] Hoc videtur dicere, quia parabatur in eum accuſatio, fortaſſe de repetundis. nam avaritiæ nomine male audiit Caſſius. quod & Plutarchus in Bruti vita narrat. & Cœlii quoque teſtimonio cognoſcitur. ait enim ep. 10. lib. 8. *In eam opinionem Caſſius venerat; quæ diripuiſſet ipſe, ut viderentur ab hoſte vaſtata, finxiſſe bellum & Arabas in provinciam immiſiſſe, eoſque Parthos eſſe, ſenatui renunciaſſe.* ſatis igitur Caſſii patet avaritia. accuſationem autem demonſtrant illa verba: *Si quæ ſunt onera tuorum; ſi tanta ſunt, ut ea ſuſtinere poſſis: &c.* Recte igitur gratulatur Cicero pro opportunitate temporis, quia ſummam in eum decedentem provincia benevolentiam oſtendebat: quod inimicorum ſermones refellebat.

Ea, quæ reliqui] Cum ab urbe diſceſſi, turbulenti nihil erat adverſus te: ſed alius poſtea victoriæ tuæ nuncius clariorem faciet adventum tuum.

Hac tua recente victoria] Parthos enim Caſſius fudit, fugavitque poſt adventum Ciceronis in provinciam id oſtendit ep. 10. lib. 2. fudit tamen Parthos Caſſius ante Bibuli Syriæ proconſulis adventum. qua de re in Philip. 11. *Magnas ille res geſſit ante Bibuli, ſummi viri, adventum, cum Parthorum nobiliſſimos duces, maximaſque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit.* De hac victoria Dio lib. 40. & alii.

Si quæ ſunt onera tuorum] Quæ ſunt hæc onera? opinor vel propinquus aliquis Caſſi, vel amicus, qui cum eo fuiſſet in provincia, pecuniæ contra leges captæ, aut ereptæ accuſabatur. qui ſi damnatus eſſet, manifeſtum præjudicium fuiſſet in Caſſium.

Pag.

Pag 409. *Si tanta ſunt*] Tanta, minus hic potius, quam auget magnitudinem: ut epiſt. 8. lib. 8. *Sin aut non erit iſte bellum, aut tantum erit, ut vos, aut ſuccedentes, parvo addito copiis, ſuſtinere poſſint.*

Ita ſuſtinere] Efficere, ne damnentur. Tranſlatio, quia dixerat, *Onera.*

Ita opera: nihil tibi erit lautius] Ex omnibus antiquis libris unus omnino Mediceorum eſt, in quo ita legatur. nam in qui mei, *opera*; Mediceus, *Propere*, habent. ex quo patet, qui veritatem e tenebris velit educere, multos ei conſulendos eſſe veteres libros. Sententia ſatis aperta.

Lautius] Elegantius.

Scis, an ſuſtinere poſſis] Scis, an tuis opibus efficere poſſis, ut abſolvantur tui. Tecte admonitio: quaſi dicat: ſi damnantur tui: tibi quoque periculum impendet.

Senatus] Senatuſconſulto.

Populus] Lege epiſt. 7.

Paullum] Conſulem epiſt. 13.

Eſt Curio: eſt Furnius] Uterque tribunus pl. epiſt. 11. lib. 8. & ad Att. epiſtola 18. lib. 5.

Enitare] Supra: *Omnes tuos nervos in eo contendas.*

Quaſi in eo ſint mihi omnia] Supra: *Ut in eo fortunas meas poſitas putem.*

Teſtiſſimus meis temporibus] Clodianis: cum in exſilium Cicero pulſus eſt.

Cum Bruto tuo] M. Bruto: cujus ſoror uxor erat Caſſii. Plutarchus, & alii.

Societatis] Habet rationem ætatis: nam erant Cicerone multis annis juniores.

EPISTOLA XV.

Pag. 410. *Uterque noſtrum*] Uterque enim, victo in Pharſalia Pompejo ab armis diſceſſit, verum prior Cicero: propterea ſubjungit *Ejus conſilii princeps ego fuiſſe videor.*

Spe pacis] Fore enim ſperabam, ut, illo in Pharſalia quaſi quodam fatali prœlio facto, pax conſequeretur. ſed, cum homines eſſemus, ea futura, quæ acciderunt, divinare non potuimus.

Odio civilis ſanguinis] Verum: tamen illud verius, *ſpe pacis*. nam bellum in Africa renovatum iri non putavit. quod infra ſignificat & ad Atticum aperte, epiſt. 16. lib 11.

Plus fortaſſe tibi præſtare ipſe debeo, quam a te exſpectare] Efficere ipſe debeo, ne te pœniteat conſilii tui, non a te exſpectare, ut ea ſcribas ad me, quibus in ſententia confirmer. Hoc præponit, quia dicturus erat, quod in extremo poſuit: *Velim ſcribas ad me, quid videas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiſtimes.* Hanc enim ob cauſam, ſcribi fuiſſe videtur has litteras.

Si non totam cauſam] Fieri enim poſſet, ut Pompejana cauſa uno prœlio victa, tamen afflicta & perdita plane non eſſet.

Noſtrum judicium definiri convenire] Ut arma deponeremus. judicare enim ex una pugna potuimus, perſequi nos belli civilis extrema non debere.

Deleri] Deletur enim reſp. cum de communi jure, pace contempta, diſceptatur armis.

Imminutam] Uno prœlio.

Scilicet] Eleganter uſurpatum pro *nimirum*. ep. 6. lib. 1 & ad lib. 9. & ad Att. epiſt. 10 lib. 13.

Nisi non videbamus] Non enim fore putavimus, ut in Africa tantum bellum, tantis Pompejanorum copiis, exciteretur. Videtur ſignificare, ab armis fortaſſe diſceſſurum neque ipſum, neque Caſſium fuiſſe, ſi vidiſſent ea futura, quæ poſtea præter utriuſque opinionem acciderunt. jam enim dixit, utrumque pacis abeſſe a belli pertinacia voluiſſe. quod apertius ad Attic ſcribit, ep. 16. lib. 11. *Qui ex Aſia (inquit) veniunt, nihil auditum eſſe dicunt de pace: cujus ego ſpe in hanc fraudem incidi.*

Cum homines eſſemus] Quibus divinare non licet.

Et victores communi ſaluti conſulere vellent] Pace facta, victis ignoſcendo.

Pag. 411. *Et victis ſua*] Depoſitis armis, venia præteritorum petita.

Africa] Pompejani, qui ſe poſt Pharſalicum prœlium in Africam contulerant. Metonymia: nam ab eo, quod continet, ſignificatur id, quod continetur.

Quam cognovit Aſia, quam etiam Achaia] Quam cognoverunt ii, qui poſt Pharſalicam pugnam ſe in Aſiam, & in Achaiam receperunt. Videtur autem hic locus indicare, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam poſtea quam Cæſar ex Alexandrino bello per Aſiam, & Achaiam in Italiam reverſit. Ego aliter ſentio. nam, ante reditum ſuum in Italiam, Pompejanis multis, vel in Aſia, vel in Achaia commorantibus, Cæſar ignovit. hoc probatur verbis ep. 14. lib. 11. ad Att. cum adhuc Cæſar eſſet Alexandriæ; tamen in illa epiſtola ſcribit Cicero ignotum eſſe quibuſdam Pompejanis, qui vel in Achaia, vel in Aſia conſederant. Præterea cum ait in hac ad Caſſium epiſtola: *Qui neſcio quem iſtum Pharnacem Aſiæ terrorem illaturum putaret?* num dubie ſignificat, Cæſarem cum Pharnace bellum gerere? Jam illud, *Ego, qui feſtinavi, ut Cæſarem in Italia viderem:* ſatis aperte, ut mihi videtur, demonſtrat, Ciceronem Brundiſii adhuc eſſe, necdum Cæſarem vidiſſe.

Ipſo] Cæſare.

Legato, ac deprecatore] Non exſpectaſſet, ut Pompejani legatos ad eum, qui deprecarentur, mitteret: ſed ipſe ad eos, quæ eſt ejus humanitas & clementia, ultro iviſſet, atque ut pace facta reconciliarentur, deprecatus eſſet.

Temporibus] Occaſionibus.

Quæ plurimum valent] Nam neque res eædem ſemper ſunt, neque hominum voluntas.

Interpoſitus annus] Inter pugnam Pharſalicam, & id tempus, quo Cæſar, conſumptis (ut ait Appianus) in Alexandrino bello novem menſibus, Pharnacem devicit.

Alios induxit, ut victoriam ſperarent, alios, ut ipſum, vinci, contemnerent] Pompejanorum, bellum in Africa renovantium, duo genera ponit: quorum alii, anno poſt Pharſaliæ cladem interpoſito, in ſpem victoriæ venerant: alii, licet victoriam non ſperarent, pugnare tamen ſtatuerant, ita animati, ut, etiam ſi contigiſſet, ut vincerentur, non laborarent.

Culpam fortuna ſuſtinet] *Culpam* vocat, quia bellum in Africa renovetur, ſed fortunæ culpam, non hominum.

Tantam moram] Novem menſium. Appianus.

Neſcio quem iſtum Pharnacem] Quem nemo tanti roboris putavit, ut Aſiæ terrorem inferret. Mithridatis filius fuit: quo Cæſar mox unica pugna ſuperato, ſcripſit ad amicos: *Veni, vidi, vici:* ut Pompejum carperet, qui tantum mulierculis in Aſia pugnaſſet. Hic locus nondum victum eſſe Pharnacem oſtendit, ex quo licet epiſtolæ annum invenire. Fuiſſe autem, cum Pharnaces Aſiam terreret, Ciceronem Brundiſii, duæ ad Atticum epiſtolæ, 21. 22. lib. 11. clariſſime demonſtrant.

In conſilio pari] Diſcedendi ab armis, & ſpe pacis, & odio civilis ſanguinis.

Caſu diſſimili] Hoc explanatur ſequentibus verbis: quorum ſententia, collecta breviter hæc eſt: Tu te ad Cæſarem ipſum contuliſti, ut cum eo eſſes: ego me Brundiſium, ut eum exſpectarem.

Conſiliis intereſſes] Cæſaris. Caſſius enim cum claſſe in Helleſponto Cæſari occurrens, non ſolum ei ſe tradidit, verum etiam apud eum manſit. Dio libro 42.

Futura animo proſpicere poſſes] Quod iis non licet, qui conſiliis non interſunt. Propterea dixit infra: *Velim ſcribas ad me, quid videas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiſtimes.*

Feſtinavi] Cujus eum conſilii graviter pœnituit, ad Att. epiſt. 6. & 9. libro 11.

Sic enim arbitrabamur] Nam neque de Alexandrino bello, neque de Pharnace ſuſpicari poteramus.

Longiſſime] Cicero enim Brundiſii, Cæſar in Ponto, confecto jam, ut arbitror, Alexandrino bello.

In gemitu Italiæ, & in urbis miſerrimis querelis] Abſente Cæſare, M. Antonius multa contra leges, moremque majorum tyrannico more commiſit. itaque Cicero oratione ſecunda in illum, *Italiæ*, inquit, *percurſatio, comite mima: in oppida militum crudelis & miſera deductio: in urbe auri, argenti, maximeque vini fœda direptio.* Et paulo poſt: *Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hereditatum poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egeſtas: quo ſe*

ver-

verteret, non habebat: erat ei vivendum latronum ritu; ut tantum haberet, quantum rapere potuiſſet.

Pag. 412. *Si auctor aſſuiſſet*] Cæſar: quo auctore publicis vulneribus mederemur.

Quid videas, quid ſentias] Potes enim, cum interſis conſiliis, futura animo proſpicere. ſupra.

Primus illu] Quibus ſuadebas, ut omnino ab armis abſtinerem.

EPISTOLA XVI.

Cum hac te tertia jam epiſtola ante oppreſſit] Sic olim emendavimus ex antiquo libro Vincentii Riccii a Spe. idque teſtati ſumus ante aliquot annos in ſcholiis noſtris: nam quod eſt in aliis veteribus libris: *Cum hac tertia jam epiſtola ante operis ſit*: id mihi prorſus non placet. ſenſus enim videtur eſſe durior, nec tamen, niſi fallor, verus. quid enim? adeo ne longa eſt hæc epiſtola, ut opus videri poſſit? cum præſertim eam, quæ ſequitur, Cicero brevem appellet: quæ tamen brevior, quam hæc, non eſt.

Pag. 413. *Exigam*] Quaſi debitas: cum ego tres epiſtolas jam ad te miſerim. Nonius in, *Exigere*, addit: *Quando hercle ego temere exigam.*

Neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας] Quod Græce φαντασία, Latine *visum* dici poſſe, ait Cicero Acad. 1. hic igitur interpretamur, *per ſpectrorum viſa.* Putabant igitur Epicurei, ſi quis aliquam rem cogitaret, ejus rei ſpectrum & imaginem ad cogitantis animum advolare. de qua opinione dubitat Cicero, & in eo jocatur.

Pag. 414. *Tui amici novi*] Epicurei, quorum dogmata Caſſius ante biennium probare cœperat.

Διανοητικῆς φαντασίας] Mentis, vel intelligentiæ viſa.

Spectris Catianis] Cogitationibus illis, quæ ſpectra Catius vocabat, Epicurus & Democritus εἴδωλα.

Hic ſpectra nominat] Tacite, nec ſine joco, Catium accuſat qui, quod Græce εἴδωλα, *ſpectrum*, Latine converterat. Et Caſſius in epiſtola ſua, quaſi jocum joco reddens, *Nec tamen*, inquit, *hoc uſu venit propter ſpectra Catiana.* Et quia ſenſerat Catium a Cicerone reprehenſum, quaſi Græci verbi malum interpretem, ægre ferens Epicureos ſuos ut barbare loquentes morderi, tanquam ad ulciſcendam injuriam ſubjunxit: *Pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas.*

Excitari] Commoveri. dicebant enim Epicurei, ſi quis aliquid cogitaret, ejus animum cogitatæ rei ſpectro feriri. id Cicero infra explanat, cum ait: *Doceas tu me oportebit, cum ſalvus veneris, in mea ne poteſtate ſit ſpectrum tuum, ut, ſimul ac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat.* Et proxime: *Si in ulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus?* Hic igitur, aperte Cicero oſtendit, Epicureorum hanc opinionem fuiſſe, ut ſpectra non modo in oculos, ſed in animum quoque, ſi quam rem cogitare cœpiſſemus, incurrerent. Libro autem de Fin. 1. ex Epicuri ſententia non cogitatione ſpectra in animo gigni, ſed ſpectrorum incurſione adduci nos ad cogitandum, non obſcure docet. *Imagines* (inquit) *quas εἴδωλα nominant, quorum incurſione non ſolum videamus, ſed etiam cogitemus.* Eodemque ſpectat illud epiſt. 3. lib. 2. ad Att. *Si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valde aberrarent εἴδωλα in angiſtiis.*

Catius] De quo Quinctilianus l. 10. cap. 1. *In Epicureis levis quidem, ſed non injucundus tamen auctor eſt Catius.*

Inſuper] Sic olim placuit: quamquam videremus in antiquis omnibus libris eſſe, *Inſuper.*

Gargettius] Epicureus, ex ignobili pago Gargetto: unde Cicero lib. 2. de Nat. deor. *Quam volet*, inquit, *Epicurus jocetur, homo non aptiſſimus ad jocandum, minimeque reſpiciens patriam.* Laertius, Suidas.

Democritus] Abderites, Pythagoræ imitator, quamquam eum non audiverit. Laertius.

His autem ſpectris] Et hic jocum quærit, iterato ſpectrorum vocabulo.

Etiamſi oculi poſſent feriri] Quæ fuit Epicuri ſententia.

Quod velis ipſa currunt] Vincentii Riccii a Spe liber habet: *Quod in his incurrat*: reliqui; *Quod velis ipſa currunt.*

runt. unus hoc totum non habet, ſed amplam illi unam, quantam ſcilicet implerent hæc ipſa verba: ut fortaſſe Græcum aliquid deſit. nam eodem modo, qui librum illum deſcripſit, ubi Græcum aliquid occurrit, inane ſpatium reliquit. Hæc mihi varietas mendi ſuſpicionem affert, & libenter legerem, *Quod, cum velis, ipſa incurrunt*, id eſt in animum.

Pag. 415. *In illam Brittanniam*] Si, quam numquam vidi, cœpero cogitare.

Si enim ſtomachabere] Quod irridere videar Epicuri dogmata.

Ex qua hæreſi] E Stoica, ut ex ep. 19. intelligitur.

Ut hominibus armatis] Per jocum verba mutuatur ex juriſconſultorum formulis. nam hoc ſignificat: poſtulabimus, ut, omiſſa voluptate, referas te ad virtutem, a qua diſceſſiſti. Vide epiſtola 13. lib. 7.

In hoc anno] Quod addi ſolebat in omnibus interdictis.

Cum virtuti nuncium remiſiſti] Cum virtutem amare deſiiſti. tranſlatio ab iis, qui divortium faciunt.

In integro res nobis erit] In integro non eſſet, ſi, ut in ceteris interdictis, item in hoc adderetur, *In hoc anno.* Sed tibi annuum ſpatium definitum non eſt: conceditur, ut vel poſt biennium, aut etiam triennium cum virtute in gratiam redeas.

Quamquam qui cum loquor] Quamquam, cum te noverim, ſperare poſſe videor, te ad virtutem eſſe rediturum. nihil enim umquam feciſti, niſi pleniſſimum ampliſſimæ dignitatis.

Pag. 416. *In iſta ipſa αἱρέσει*] In Epicurea ſecta, quam probare cœpiſti.

Nervorum] Cum ego eam mollem & imbecillam putarim.

Quid tibi in mentem venit, inquies] Cur hæc ſcribis? inquies.

Neque enim, quod ſentio, libet ſcribere] Epiſt. 4. lib. 2. *In hoc genere hæc mea cauſſa eſt, ut neque ea, quæ ſentio, velim ſcribere.*

P. VICTORIVS.

Quod vel tis ipſa occurrunt] Locum inquinatiſſimum ita purgari poſſe cenſuimus, non inſulſe (ut opinor) neque ineleganter: alii ſtudioſos in iiſdem volutari ſordibus voluerunt. Magnas labes in antiquis ſcriptoribus factas eſſe, quod ab imperitis librariis, quandoque ex duabus una dictio facta ſit, aut contra, ex una duæ, fatebuntur. Quod ſi quis hic quoque factum eſſe concedet, nullus labor eſt reliqua reſtituere. Infinitis locis in Mediceo codice duarum vocalium, quas appellant altera abſorpta eſt. ad Pætum: *Salis enim ſatis eſt, ſannorum parum.* ad eundem: *Tenuculo apparatu* ſignificans Balbum fuiſſe contentum, pro *Sannionum* & *Tenuiculo.* Poſſemus infinita alia exempla afferre, & hoc frequentius: eſt, cum eædem literæ ſunt, ut in epiſtola Q. Ciceronis: *Res eſt aut Tribunicis, aut privatis conſiliis munienda*, pro Tribunicius. Nam de Germanorum fide bene exiſtimo: video enim illos epiſtolarum antiquos codices habuiſſe, multaque aduotaſſe, quæ ficta non eſſe & commentitia auſim affirmare. De ſententia horum verborum non laboro: puto enim me affatim oſtendiſſe citatis teſtimoniis magnorum virorum, doctrinaque illorum explicatis, ſi ita legatur, omnia opinionibus illius familiæ reſpondere.

EPISTOLA XVII.

Pag. 417. *EXſpecta πάντα περὶ πάντων*] Omnia de omnibus: longiſſimas litteras de omnibus rebus.

P. Sullam patrem] Corneliæ gentis, eum, ut opinor, pro quo extat Ciceronis oratio. vide ep. 19. & lib. 9. ep. 10. & lib. 2. de Off.

Mortuum] Extra urbem. nam ſubjungit: *Alii a latronibus, alii, cruditate, dicebant.*

Habebamus] Audiebamus.

Non curabat] De genere mortis. mortuum autem eſſe lætabatur. Eodem modo jocatus eſt Cicero de Sullæ morte ep. 10. lib. 9.

Combuſtum enim eſſe conſtabat] Itaque de morte dubitari jam non poterat. in hac familia combuſtum eſſe neminem, ante Sullam dictatorem, lib. 7. cap. 14. Plinius prodidit.

Pro tua ſapientia feres æquo animo]

Ironia.

Ironia. ſatis enim ſciebat non dolere Caſſium ejus homines morte, qui bona Pompejanorum emere in auctione ſolitus eſſet. infra.

Haſta] Signum auctionis. epiſt. 10. lib. 9. *Ego cetera qui animo aquo fero: unum vereor, ne haſta Caſaris refrixerit.*

Adverſarium] In emendis Pompejanorum bonis.

De Hiſpania] In qua Cæſar cum Pompeji liberis pugnabat.

Triſtiores] Adverſis Cæſaris rebus.

Ἀδέσποτος] Sine auctore.

Panſa] C. Vibius Panſa, qui poſtea cum Hirtio conſul fuit.

Paludatus] Epiſt. 10. lib. 8.

Profectus eſt] In Galliam citeriorem, M. Bruto ſucceſſurus. epiſt. 26. lib. 12. ad Att.

Ut quivis intelligere poſſit] Ex hominum benevolentia, quæ diſcedentem proſecuta eſt.

Nuper] Ante biennium, vel triennium, Epicureus factus. epiſt. 16.

Dubitare cœpiſti] Honeſtum enim non propter ſe ipſum; ſed ita, ſi cum voluptate jungeretur, Epicurei expetebant.

Τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν] Honeſtum propter ſe expetendum.

Miſeriis levavit] Valebat enim apud Cæſarem auctoritate.

Hominem præbuit] Humaniſſime ſe geſſit: afflictis opem tulit. ſic Terentius in Heaut. *Homo ſum: humani nihil a me alienum puto.* Sic locutus epiſt. 18. lib. 5. *Te colligas, virumque præbeas.*

Ἀκενόσπουδος] Minime curioſus, inanium rerum ſtudio vacans, rumuſculos cujuſque rei non captans.

Pag. 418. *Erit gratum*] Brundiſii enim Caſſius, remotus ab omni negotio.

EPISTOLA XVIII.

Φλύαρον] Garrulum, nugacem. ego autem nugis & garrulitate non delector.

Pag 419. Σπουδάζειν] Serio agere, graves res tractare.

Non mehercule facillime] Ne Cæſarianos offendamus: quaſi de bello Hiſpanienſi bene ſperemus, & ideo rideamus.

Aberrationem a moleſtiis] Epiſt. 37. lib. 12. ad Att. *Aberrationem a dolore.*

Ubi igitur, inquies, Philoſophia] Non ea tibi moleſtias adimit.

Tua quidem in culina, mea moleſta eſt] Mordet Caſſium, ut Epicureum, cujus Philoſophia voluptatem rebus omnibus præponeret. *In culina:* in epulis. Varie legitur hic locus in antiquis libris: *Tua quidem in culina tua moleſtat*: vel, *Tua quidem in culina mea moleſta ſit*: vel, *Et quidem in culina mea moleſta eſt*: vel, *Tua eſt? quidam, in culina mea moleſta ſit*: in uno pro *Moleſta*, *Modeſtia* legitur.

Pudet enim ſervire] Reprehendit me, quia ſerviam.

Pag. 420. *Facio me alias res agere*] Fingo me non ſervire, ſed aliis rebus operam dare.

Ne convitium Platonis audiam] Servientes objurgantis.

De Hiſpania] In qua Cæſar contra Pompeji filios bellum gerebat.

Mea cauſſa] Quia careo conſuetudine tua.

Tua] Quia ſolutus omni cura frueris otio jucundiſſimo, ἀκενόσπουδος, epiſtola 17.

EPISTOLA XIX.

S*Pectra Catiana*] Vide ep. 16.

Ruſticos] Indocte & barbare loquentes.

Stoicos] Quorum ſectam probas, ut Epicurea meliorem.

Regeram] Contra objiciam. tu Catium notaſti ut ruſticum & indoctum: ego contra, tot ruſticos tibi Stoicos nominabo, ut Catius, cum iis collatus, urbaniſſimus eſſe videatur. *Regerere*, eſt ei, qui aliquid reprehendat, aliquid contra objicere. Plinius lib. 13. cap. 15. *Confines et Mauri: quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania: quas feminæ viris contra margaritas regerunt.*

Athenis] In urbe totius Græciæ humaniſſima, & eruditiſſima. epiſt. 1. lib. 6. *In ea urbe es, ubi nata & alta eſt ratio ac moderatio vitæ.*

Panſam] Epiſt. 17.

Pag. 421. *Ad bonos pervenire*] Ut ad Panſam, probum & clementem virum,

 per-

pervenit honor Galliæ adminiſtrandæ.

Difficile eſt enim hominibus perſuadere] Quod nunc perſuadebitur exemplo Panſæ. propterea dixit : *Spero homines intellecturos , quanto ſit omnibus odio crudelitas , & quanto amori probitas & clementia.*

Τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν eſſe] Honeſtum per ſe expetendum. hoc ſignificat : multi cum honeſtum ſequuntur , honorem & utilitatem ſpectant : Panſa vero honeſtum amat propter ipſum. ideo jure perveniunt ad eum , quæ mali concupiſcunt.

Ἡδονὴν vero & ἀταραξίαν] Voluptatem & ſtatum mentis perturbatione carentem. in his enim duobus felicitatem locabat Epicurus : quod Plutarchi , Laertii , & aliorum teſtimoniis probatur.

Virtute , juſtitia , τῷ καλῷ parari] Hoc ſenſiſſe Epicurum , affirmat Caſſius : quamquam Catius , & Amafinius , Epicuri verba perperam interpretati , ſecus opinarentur. quod ſi virtute , juſtitia , honeſto voluptas tranquillitaſque mentis paratur : quis Epicuri , hoc ſentientis , dogma non probet ?

Pag. 422. *Omnes Catii , & Amafinii*] Omnes ii , qui ſimiles Catii ſunt & Amafinii. de Catio epiſt. 16. de Amafinio Tuſc. 4.

Mali verborum interpretes] Vel quia εἴδωλα Catius verteret *ſpectra* : vel quod Epicureorum duo genera , unum eorum , qui Epicuri mentem ſenſu falſo interpretabantur , opinati voluptatem eam , quam rebus omnibus præponebat Epicurus , non virtute , juſtitia, honeſto , ſed obſcenis turpibuſque rebus parari : quod Catius , Amafinius , & horum ſimiles alii ſenſerunt , σοφισταὶ a Laertio vocati. Alterum genus eorum erat , qui voluptatem ab honeſto & virtute disjungendam non putabant : quod apertis verbis Epicurus oſtendit , cum ſcriptum reliquiſſet : οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ δικαίως καὶ καλῶς ζῆν· *non licet ſuaviter vivere , niſi juſte & honeſte vivatur.* ex hoc genere Caſſius & ſe ipſum eſſe , & Panſam , & alios præterea ſignificat.

Dicit] In ſuis ſententiis , quæ Græce κύριαι δόξαι , a Cicerone *rata ſententia* vocantur , lib. 1. de Nat. Deor. lib. 2. de Fin.

Οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν] Non poteſt jucunde vivi , niſi honeſte & juſte vivatur. quam ſententiam l. 2. de Fin. ſic attigit Cicero : *Cum diceres clamare Epicurum , non poſſe jucunde vivi niſi honeſte , & ſapienter , & juſte viveretur.* Et Tuſc. 3. *Negat Epicurus jucunde poſſe vivi , niſi cum virtute vivatur.* Et Tuſc. 5. *Epicurus negat quemquam jucunde poſſe vivere , niſi idem honeſte , ſapienter , juſteque vivat.* Extant apud Laertium Epicuri aliquot epiſtolæ. quarum in tertia ſunt hæc : Διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις , ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πᾶσαι πεφύκασιν ἀρεταί , διδάσκουσα , ὡς οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν , ἄνευ τοῦ φρονίμως , καὶ καλῶς , καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως , καὶ καλῶς , καὶ δικαίως , ἄνευ τοῦ ἡδέως. Et infra , ubi recitat ejus ſententias : οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν , ἄνευ τοῦ φρονίμως , καὶ καλῶς , καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως , καὶ καλῶς , καὶ δικαίως , ἄνευ τοῦ ἡδέως· ὅτῳ δὲ τοῦτο οὐχ ὑπάρχει , οὐ ζῇ φρονίμως , καὶ καλῶς , καὶ δικαίως· καὶ ὅτῳ τοῦτο οὐχ ὑπάρχει , οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν. Quod Cicero lib. 1. de Fin. Latine ſic expreſſit : *Clamat Epicurus , non poſſe jucunde vivi , niſi ſapienter , honeſte , juſteque vivatur ; nec ſapienter , honeſte , juſte , niſi jucunde.*

A vobis] Epicureos irridentibus , tamquam voluptatis , nulla virtutis cura , ſtudioſos. itaque vocatis eos φιληδόνους tantum , non , ut oporteret , etiam φιλοκάλους , καὶ φιλοδικαίους.

Φιλήδονοι] Amatores voluptatis.

Φιλόκαλοι , καὶ φιλοδίκαιοι] Amatores honeſti , & juſti.

Sulla] Cujus mortem Cicero ſignificaverat , epiſt. 17.

Cujus judicium probare debemus] Quaſi præſtantis viri. Ironia.

Diſſentire] De ſummo bono : quod alii ponerent in ſola voluptate , alii in virtute , quidam in divitiis , aut in alia re.

Quid bonum eſſet] Quod eſſe varium videbatur ex varia Philoſophorum ſententia.

Omnia bona coëmit] Ne erraret in delectu.

lectu, omnia bona ſumpſit. Ludit in ambigua bonorum ſignificatione. nam Philoſophi de ſummo bono diſputabant: Sulla vero Pompejanorum bona omnia, cum in auctione venderentur, coëmit.

Forti mehercule animo] Et hic jocatur. nullam enim Caſſius moleſtiam cepit ex obitu Sullæ.

Deſiderare] Nemo Sullam deſiderabat: ſed, quaſi deſiderarent, ita fore Caſſius dicit, ut alios ei ſimiles reſtituat Cæſar.

Habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat] Arguta in primis & feſtiva ſententia. lege Pompeja damnatos reſtituerat Cæſar: ut legimus apud eum l. 3. de bel. civ. hoc latenter Caſſius notat: cum tamen de iis loquatur, quos Cæſar ad ſectiones faciendas, ne haſta refrigeſceret, Sullæ mortuo ſuffecturus eſſet. Jocus eſt in verbo, *Reſtituat*, ambigua ſignificatione, ad majorem Cæſaris contumeliam.

Ipſe] Cæſar, cujus erat pecunia, quæ de vendiriis Pompejanorum bonis colligebatur.

Sectorem] *Sector* is eſt, ut Pedianus ait, qui condemnati bona emit in auctione: & *ſecari* autem, & *cadi* bona dicuntur. unde illud Craſſi oratoris in proœmio lib. 3. de Orat. *Non tibi illa ſunt cadenda, ſi Craſſum vis coërcere.*

Pag. 423. *Filium*] P. Sullæ, qui patrem imitabitur: itaque ſectore non carebimus. epiſt. 3. lib. 3. ad Q. fr.

Niſi ſollicitus ſum] De belli eventu.

Cl mentem] Cæſarem.

Crudelem] Cn. Pompejum, Magni filium.

Ἀντιμυκτηρίσαι] Viciſſim deridere, ſed ruſtice gladio. nam urbani homines facetus & ſalſis dictis, non gladio, derident.

Soluto] Cutis vacuo, non impedito.

Quid me facere oporteat] Utrum ſollicito, an ſoluto me animo eſſe oporteat.

P. VICTORIVS.

H'δονῇ vero & ἀταραξίας] Ita accurate de hoc loco diſſeruimus, ut aliquid nunc addere ſupervacaneum exiſtimemus. Mediceus veræ lectionis veſtigia & ipſe retinet: habet enim Αταξιαν, ut ſi ſecundæ literæ apicem addas, ἀταξίαν facias, quod in aliis etiam manu ſcriptis invenitur. Animadvertimus autem librarium, qui eum codicem ſcripſit, in hoc ſæpe peccaſſe. Et ut imperitum Græci ſermonis I pro T, crebro ſumpſiſſe, ut paulo ſupra, ισχαλον, & ad Fabium γλωια χαρδιον. In cunctis autem media ſyllaba defecit. Præclara etiam vox Epicuri a Clemente in VI. commentario de vera Philoſophia adducitur: qua docuit ille non parvum juſtitiæ fructum eſſe, quod ea reddit animum omni perturbatione vacuum: in ea autem explicanda ille hoc nomine uſus eſt, δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία. Sed altera etiam ejuſdem a Plutarcho in commentario adverſus Coloten Epicureum, qua dignitatem hujus ſecuritatis mirum in modum celebraverat. Plutarchi ipſius verba ſunt: ἀλλὰ τίνες εἰσὶν οἱ ταῦτα συγχέοντες καὶ ἄρδην ἀναιροῦντες οὐχ οἱ τῆς ἀταραξίας στέφανον ἀσύμβλητον ταῖς μεγάλαις ἡγεμονίαις λέγοντες. Hanc & ſuperiorem illam, de incurſione ſimulacrorum, caſtigationem, quæ non parvam doctrinam continent, & ab eo qui Epicuri ſententiarum rudis ſit, intelligi non poſſunt, expoſui nuper Franciſco Medici optimo ac nobiliſſimo juveni, ut quid de hac omni re ſentiret, intelligerem: non quod Epicureus ille ſit: eſt enim omni liberali doctrina eruditiſſimus: ſed cum omnes Peripateticorum ſententias cognitas habere voluerit: non ſprevit etiam hujus familiæ decreta, inprimiſque Romanum Poëtam, qui inventa Epicuri politiſſime expreſſit, amavit: eamque operam in eo poſuit, quæ & illi neceſſaria erat, & omnibus ipſius ſtudioſis grata eſſe debebit. Ita autem loquor, quia ſpero illum cum per graviora ſtudia, quibus deditus eſt, ei licuerit, non paſſurum tot, tamque utiles ſuos labores fruſtra ab aliis deſiderari. Ut autem omnes intelligant, me non ſine cauſa de illius doctrina & ſedulitate tam egregie ſentire, locum e multis ab ipſo feliciſſime reſtitutis, qui nunc mihi ſuccurrit, exponam. In II. lib. Lucretius, ubi docet

corpora individua, cum multitudine infinita ſint, figuris eſſe finita: narratque quod incommodum ſequeretur, ſi formæ illorum ſine fine eſſent: quod Democritus, & Leucippus voluerant, inquit (ut Franciſci opera cognoſcimus)

Aurea pavonum ridenti imbuta lepôre
Sæcla, novo rerum ſuperata colore, jacerent.

Qui verſus, quam deformati antea in omnibus libris eſſent, & quam planam elegantemque nunc ſententiam habeant, omnibus notum eſſe poteſt. Præſidio autem ille antiquorum codicum, adhibito etiam judicio, quo plurimum valet, omnes illinc maculas delevit. Hanc libenter ipſius hic caſtigationem adjunxi, quia non parvo ornamento huic meo libello fore putavi. Conſultus igitur ille a me ſuper duobus his locis, judicium meum probavit, & hanc dixit ſe veram eſſe illorum lectionem arbitrari.

EPISTOLA XX.

O*Ratorem meum*] Sic appellat librum ſuum de perfecto oratore. ep. 18. lib. 6. *Oratorem meum tantopere a te probari, vehementer gaudeo.*

Sabine] Nomen proprium. a regione tamen deductum. pro Sext. *Maledicto Sabino homini Reatino.*

Natio hominis] Nota enim Sabinorum probitas & fides. Livius de Numa: *Suopte ingenio temperatum animum virtutibus fuiſſe opinor magis, inſtructumque non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica, ac triſti Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.*

Pag. 424. *Candidatorum*] Qui magiſtratum petentes, populo ſe, quæſita interdum fictis cognominibus gratia, commendant.

Etſi modeſtus ejus vultus] Altera cauſa, cur ei librum recte committi putaret. Impulit me, inquit, non ſolum hominis natio, quia Sabinus, verum etiam modeſtus ejus vultus, ſermoque conſtans, Sabinam integritatem quadam ex parte referens.

A Curibus] Numæ regis patria, Sabinorum olim urbe nobili.

Ad amorem meum aliquantulum diſcedens addidiſti] Pro, *Aliquantulum*, veteres libri omnes *Aliquantum olim*, uno excepto, in quo eſt, *Aliquantulum olim*, ex quo placuit, *Aliquantulum*. nam, *Olim*, locum non habet: cum Trebonius paulo ante diſceſſiſſet: quod illud infra demonſtrat; *Iter tuum cujuſmodi ſit, ubi Brutum noſtrum videris.*

Igniculum deſiderii tui] Eam, qua incendimur, tui videndi cupiditatem.

Iſtic eſt] In vobis reipubl. liberatoribus, te Caſſio, Marco & Decimo Brutis: quibus provincias ſenatus decreverat. nam in urbe, dominantibus Antonio & Dolabella conſulibus, reſpub. non eſſe videbatur.

Brutum noſtrum] M. Brutum; qui, metu plebis ab Antonio concitatæ, militumque veteranorum, urbe exceſſerat.

De bellicis rebus] Pro liberanda rep. ab Antonio conſule oppreſſa.

Quo ſtatu ſimus] Eſt enim in vobis reſp.

EPISTOLA XXI.

Pag. 425. E*Piſtolam tuam*] Quæ non exſtat. nam illa, quæ eſt decimaſexta lib. 12. de Ciceronis filio, & de Antonio ſignificat: de quibus in hac nulla mentio. & hæc de Calvo reſpondet: illa mentionem Calvi nullam habet. præterea, illa poſt interitum Cæſaris, hæc ante ſcripta eſt.

Librum] De quo infra.

In ea voluptate hunc accepi dolorem] Similis figura epiſt. 9. lib. 1. *In moleſtia gaudeo.* Quo loco vide, quæ diximus.

Diſcedis a nobis] In provinciam Aſiam proficiſcens. epiſt. 16 lib. 12.

Ut illa omittam, quæ civitate teſte, feciſti, cum mecum inimicitias communicaſti: cum me concionibus defendiſti] Lepida figura, brevem commemorationem diſſimulationis arte inducens earum rerum, quarum producta narratio ſatietatem potius, quam delectationem afferret. ἀντίφρασις Græce vocatur: cum quædam nos dicere negamus, & tamen dicimus: ut epiſt. 3. lib. 8 ad Att. *Omitto illa vetera: quod iſtum in remp. ille aluit, auxit, armavit.* Et Terentius in Eun. *Ut omittam, quod ei amorem difficillimum & cariſſimum ab meretrice avara,*

vir-

virginem, quam amabat, eam conſeci ſine moleſtia. Et Virg. 2. Georg.

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra?

Feſtis] Temporibus Clodianis.

Concentibus] Quas, ut opinor, privatus habuit, concedente magiſtratu. nam ſi eas tribunus pl. habuiſſet; non ante quæſturam, cujus mentio proxime ſequitur, ſed poſt nominatus eſſet. nam tribunatus pl. poſt quæſturam dabatur. geſſit autem tribunatum Trebonius Pompejo II. Craſſo II. conſulibus, id eſt biennio poſt quæſturam, quam geſſit Piſone & Gabinio coſſ.

In mea, atque in publica cauſa] Quo tempore Ciceronem conſules Gabinius & Piſo, eodem remp. prodiderunt. communis igitur & Ciceronis, & reſp. cauſa fuit. ſiquidem ille in conjuratos, indicta quidem cauſa, ſed jubente ſenatu, animadverterat. quo facto lege Clodia in exſilium abiit.

Tribuno pl.] P. Clodio, fortaſſe jubenti, ut omnes magiſtratus in legem ſuam jurarent.

Tuus collega] Alter quæſtor urbanus. nam duo ærarium curabant.

In armis] Civili bello.

In reditu] Cum poſt Pharſalicam pugnam in Italiam redii.

Cura & dolores mei] Vehementer enim Ciceronem pœnituit, in Italiam veniſſe, non arceſſitum a Cæſare. vide epiſt. 6. lib. 11. ad Att.

Brundiſium] Ubi Cicero tam diu moratus eſt, donec Cæſar, confecto Alexandrino bello, in Italiam rediit.

In Hiſpaniam] Ut Hiſpaniæ præeſſet, poſt præturam, quam geſſit anno ſuperiore proximo, Cæſare iterum & Servilio coſſ.

Pag. 426. *Liber iſte*] Quem ſcripſerat Trebonius de dictis Ciceronis.

Sive ſic] *Sic*, minuendi vim habet, ut epiſt. 13. lib. 15. ad Att. *Cautum Marcellum, me ſic, ſed non tamen cautiſſimum.* Et apud Terentium in Heaut. *Sic ſatis.*

De uno me] Alii, *de uno, de uno me.* quæ geminatio mihi non admodum probatur: non quod ea ſæpe Cicero non utatur, idque graviter & ornate: ſed etiam ſententia, niſi opinione fallor, hoc in loco requirere non videtur.

Si te non amarem] Quia de me uno tamdiu cogitaſſes.

Futurum ſatis] Malim, *facturum ſatis*: ut ſubaudiatur, *Me.* alioqui, *Quo tamen ipſo*, unde regatur, non erit. nam, *futurum*, nullo modo cum auferendi caſu conjungi poteſt.

Illas Calvo litteras miſi] Videtur ad Ciceronem ſcripſiſſe Trebonius, ſibi non probari, quod Calvum tantopere laudaſſet. id Cicero excuſat, quod ad ipſum Calvum cum ſcriberet, aliter ſcripſerit, quam ſi multos lecturos putaſſet. laudaverat enim illum aliquanto plus, quam veritas concederet. Hic eſt Licinius Calvus, C. Licinii Macri filius; qui de repetundis apud Ciceronem prætorem accuſatus, voluntaria morte pœnam præcurrit. auctor Valerius Max. & Plutarchus.

Acute movebatur] Quod eſt ingenii. Sic Acad. lib. 1. *Zeno, cum valde ſubtiliter diſſereret, & peracute moveretur, corrigere conatus eſt diſciplinam.*

Genus quoddam] Dicendi.

Quo valebat tamen] Qua tamen parte valebat, id eſt ingenio, conſequebatur id quod optimum putabat. quam puto fuiſſe exilitatem orationis. nam Calvus Atticum ſe oratorem videri volebat: & nimia quadam religione orationem attenuans, dum verebatur, ne quaſi vitioſum ſanguinem colligeret, verum etiam deperdebat. hoc enim de illo Cicero ſcripſit in Bruto. laudatur tamen & a Cicerone, & a Quinctiliano, Tacito, & aliis.

Vis non erat] Exiliter enim, ſicce, jejune dicere, id eſſe Calvus putabat, Attice dicere. quod & in libro, quem Oratorem inſcripſit, & alibi Cicero reprehendit.

Plurimum valet, ſi laudes eum, quem cohortere] Id obſervat epiſt. 8. lib. 2. epiſt. 8. lib. 2. & alibi.

Exiſtimavi bene] Bene judicavi: id enim valet, *exiſtimare*, hoc in loco, ut epiſt. 7. lib. 1. *Ex eventu homines de tuo conſilio exiſtimaturos.*

Pag. 427. *Profectionem*] In Hiſpaniam.

Judicabis] Si tua in me officia multum tecum recordabere.

LIBRI XVI.

ORdinem epiſtolarum fere omnium ad Tironem oſtendit ratio temporis, ex adſcripta cuique die, & in ipſo argumento ſatis nota. Prima ſine dubio eſt, quæ incipit, *Paullo facilius*: ſecunda, *Non queo*: tertia, *Nos apud*: quarta, *Varie*: quincta, *Vide*: ſexta, *Facilius*: ſeptima, *Septimum*: octava, *Nos a te*: nona, *Etſi opportunitatem*: decima, *Quo in diſcrimine*: undecima, *Magna*: duodecima, *Omnia*: tertiadecima, *Menandrus*: quattadecima, *Ægypta*: quintadecima, *Spero*: ſextadecima, *Video*: decimaſeptima, *Sollicitat*: decimaoctava, *Exſpecto*: decimanona, *Ego vero*: vigeſima, *Quid igitur?* vigeſimaprima, *De Tirone*: vigeſimaſecunda, *Etſi mane*: vigeſimatertia, *Tu vero*: vigeſimaquarta, *Cum vehementer*: vigeſimaquinta, *Etſi juſta*: vigeſimaſexta, *Verberavi*: vigeſimaſeptima, *Mitiſicam*.

EPISTOLA I.

Pag. 429. *AD honorem noſtrum*] Ad triumphum, quem ſperabat; ſed, cum ne diſcordiæ civiles impedirent, verebatur: id quod evenit, propterea dicit: *Quamprimum ad urbem venire.*

Peccaſſe mihi videor, qui a te diſceſſerim] Simile illud epiſt. 13. lib. 4. *Vt hoc ipſum, quod maneam in vita, peccare me exiſtimem.*

Cibum cepiſti] Stomacho non, ut antea, reſpuente. ideo ſcripſit epiſt. 6. *Ius tibi dandum non fuit, cum κακοστόμαχος eſſes.*

Tuum conſilium eſt] Tui conſilii ſit, velis navigare necne. hoc tuæ permitto voluntati. epiſt. 8. lib. 8.

Marionem] Servum.

Pag. 430. *Hæc pro tuo ingenio conſidera*] Vt tibi faciundum videbitur, ita facies.

Illud igitur potius] Vt valentem videamus.

De tuis innumerabilibus in me officiis] Epiſt. 4. *Innumerabilia tua ſunt in me officia; domeſtica, forenſia; urbana, provincialia; in re privata, in publica; in ſtudiis, in litteris noſtris. omnia viceris, ſi, ut ſpero, te validum videro.* & epiſt. 3.

III. non.] III. non. diſceſſerat a Tirone, ut in epiſt. ſequenti, & 9.

EPISTOLA II.

QVo animo ſim affectus] Quia te careo.

Tertio die abs te] Diſceſſerat igitur a Tirone III. non. nam hæc epiſtola ſcripta eſt nonis, ſuperior III. non.

Alyziam] Qui eſt Acarnaniæ locus, a mari diſtans quindecim ſtadiis, ut ait Strabo lib. 10.

Leucadem] Quondam Neritum dictum. Plinius lib. 4. c. 1.

Stadia CXX.] Stadia Columella & Plinius metiuntur paſſib. CXXV. id eſt pedib. DCXXV. Gellius pedib. DC. Suidas e ſtadiis ſeptem & dimidio milliarium conſtituit. qua ratione milliarium e mille paſſibus, unde nomen ſumpſit, non conſtabit. Videtur autem Plutarchus idem fere ſenſiſſe. nam in Gracchi vita milliarium ait e ſtadiis eſſe paullo minus quam octo. cum ex octo integris conſtare debeat: ſi modo in ſtadio paſſus fuere CXXV. in milliario mille.

EPISTOLA III.

ANte diem IIX. id. Nov.] Hic locus aperte demonſtrat, *ante diem IIX id.* idem eſſe, quod IIX. id. quod aliis probavimus exemplis epiſt. 7. lib. 8.

Pag. 431. *Magiſtrum tuum*] Quem propterea magis, quam alios, amare debes. epiſt. 10. *Docui te*, inquit.

Marionem] Epiſt. 1.

Vtilitatibus tuis poſſum carere] *Vtilitates* hic non pro rebus utilibus accipiuntur, ſed pro operis quas Tiro, cum valeret, Ciceroni præbere ſolitus erat. ut ab eo, quo utimur, non ab eo, quod utile eſt, deducatur. Sic ad Att. ep. 5. lib. 7. *Tironem, etſi mirabiles utilitates mihi præbet, cum valet, in omni genere vel negotiorum,*

rum, vel ſtudiorum meorum, tamen propter humanitatem & modeſtiam malo ſalvum, quam propter uſum meum. Et Lucretius lib. 6. *Utilitatem*, pro, uſum dixit; *Nihil adeo poſſet cuiquam levo, tenueque membris Vertere in utilitatem.* Manſit hæc ſignificatio uſque ad venerabilis Bedæ tempora: nam in quadam homilia, *An tu*, inquit, *calumniaris ea, quæ oculis vides, manu tenes, utilitate ſentis?*

EPISTOLA IV.

DE medico] Aſclapone ep. 9.

Cum κακοστόμαχος eſſes] Stomacho cibum non appetente: quæ dicitur ἀνορεξία. non enim, quicunque κακοστόμαχος eſt, jure læditur. Ius autem pulli gallinacei, quo æquari humores videmus, & alii prodidere, non dubito, quin ſignificet.

Lysonem] Patrenſem, de quo epiſt. 1. & 9. & lib. 13. ep. 19.

Curium] Ad quem ſcribit lib. 7. ep. 3. nominatur & in hoc libro ep. 5. & 9. & ad Att. ep. 2. 3. lib. 7.

Suaviſſimum hominem] Suavitatem ejus ep. 28. lib. 7. *urbanitatem* epiſt. 31. nominat, & ep. 2. lib. 7. ad Att.

Pag. 432. *Quod ad valetudinem opus ſit*] Quæcumque res ad valetudinem opus ſit, in ea ſumptu ne parcas.

Pareat] Tibi. ep. 5. lib. 8. ad Attic. *Tironem Curio commendes; ut ei, ut petiit, ſi quid opus erit, in ſumptum eroget.* Et epiſt. 6. *Tironem video in ſumptum ab aliis mutuatum. ego autem Curium noſtrum, ſi quid opus eſſet, rogaram. malo Tironis verecundiam in culpa eſſe, quam illiberalitatem Curii.* Et ad Tironem, ep. 9. *Curio miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus eſſet.*

Innumerabilia] Epiſt. 1. 6.

Si recte eris] Si valebis. ep. 5. *Cum me iuſ ule tibi eſſet.* Epiſt. 22. *Spero tibi melius eſſe.*

Quæſtore Meſcinio] Qui poſt Ciceronem in Italiam venit. epiſt. 20. de quæſtoribus Ciceronis diximus epiſt. 3. l. 3.

Decurſurum] Maritimo curſu ad me venturum.

Conſulito navigationi] Ep. 6. *Cum valetudinis rationem habueris, habeto etiam navigationis.* Et epiſt. 1. *Comites, & tempeſtates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis.*

Nullo loco] Dum mihi nullam ſerviendi occaſionem prætermittis, valetudini tuæ ſervire non potuiſti. ep. 18.

Pag. 433. *Lepta*] Præfectus fabrum apud Curionem proconſulem. epiſt. 7. lib. 3.

EPISTOLA V.

THyreo] Locus inter Alyziam & Leucadem. nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero venit: unde proficiſcens hanc epiſtolam ſcripſit. Thyreo nullas litteras dedit: quia duas tantum horas ibi manſit.

Factum puto] Aliqua re propoſita, cum Cicero ſubjungit ſententiam ſuam, utitur hac figura, quam & gravitas, & brevitas commendat, ut hic. *Is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus. factum puto.* Et epiſt. 16. lib. 13. *Incenſus ſtudio rerum tuarum, eas litteris Græcis mandare cupiebat. poſſe arbitror. valet ingenio.* Ad Att. epiſt. 4. lib. 10. *Iurabat ad ſummam, quod nullo negotio faceret amiciſſimum mihi Cæſarem. eſſe debet.*

Marionem remittero] Quem antea miſerat. epiſt. 1.

Cum meliuſcule tibi eſſet] Epiſt. 6. *ſi recte erit.* epiſt. 22. *ſpero tibi melius eſſe.* Tuſc. 1. *Pompejo melius factum eſt.*

Acaſtus] Servus Ciceronis eſt. epiſtola 10. 14. & ad Att. epiſt. 9. lib. 6.

Patras] Ubi ægrum Tironem reliquerat. epiſt. 2. lib. 7. ad Att.

EPISTOLA VI.

Pag. 434. TErtiam] *Primam*, hoc initio, *Vario:* ſecundam, *Vide.*

Eodem die] Pro, *Eodem die*, contra Aſconium, qui *Diem* fœminini generis a *Die* maſculini diſtinguit: ut illa ſit tempus, hic XXIV. horarum ſpatium. In epiſt. ad Q. fr. lib. 3. *Antiquior dies adſcripta erat in tuis litteris, quam in Cæſaris.* Et Virg. lib. 2.

Iamque dies infanda aderat. ——

Cariſius eandem diſtinctionem Varroni tribuit: a quo ipſe diſſentiens adjungit: *Quod nemo ſervavit.*

Igi-

Igitur illa] Scribamus eadem, quæ antea: quæ mihi in primis curæ ſunt.

Innumer. bilia] Idem ep. 1. 6.

Cum va tudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam navigationis] Ep. 4. *Cum valetudini tuæ diligenter me conſulueris; tum, mi Tiro, conſulito navigationi.*

Actio] Ad hoc Acarnaniæ promontorium Antonius ab Auguſto maritima pugna victus.

EPISTOLA VII.

Pag. 435. NOn *ſederemus*] *Sedere* interdum eſt nihil agere, ut hic, & apud Terentium: *Sedere domi virginem tam grandem.*

Per anni tempus] Abeunte hieme. epiſt. 33. lib. 10. *Anni tempus libertatem majorem mihi dat.* Plautus in Merc. *Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.* ſic alibi *tempus diei, tempus ætatis.*

XV. Kal. Nov.] Si attendimus, quod epiſt. 9. ſcriptum eſt: cogemur credere, *Dec.* non *Nov.* legere.

EPISTOLA VIII.

A'Κινδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ] Tuta quidem, ſed diuturniora: id eſt, te quidem non ægrotare periculoſe, ſed morbum fore diuturniorem.

Pag. 436. *In magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo*] Eſt quædam non invenuſta figura, cum contrarium contrario jungitur, ut alterum altero levetur. exemplum exſtat epiſt. 9. lib. 1. *In moleſtia gaudeo.* Quo loco plura hujus generis oſtendimus.

Si diutius a nobis abfuturus es, is, cuius uſum, &c.] Eadem figura lib. . de orat. *Quorum princeps Socrates, is, qui, &c.* Et alibi, *Vſum* pro *conſuetudine* poni, ut aliis quoque locis, quivis, opinor, intelligit.

Explorate] *Caute*, dixit Cicero epiſtola 9

Ψύχος δὲ] Frigus autem tenui cuti inimiciſſimum. Senarius Euripidis; ſed amiſſæ tragœdiæ.

EPISTOLA IX.

Pag. 437. AD *Caſſiopen*] De quo loco Plinius & Strabo.

Ludibundi] Ludentibus ſimiles, navigatione jucundiſſima.

Cn. Plancii] Pro quo exſtat oratio.

Omnino liberaſſent] Quod eſſet factum, ſi te plane valere ſignificaſſent.

Aſclapo] Quem Sulpicio commendat ep. 26. lib. 13.

Pag. 438. *Symphoniam Lyſonis vel invitaſſes*] Συμφωνεῖν, eſt *concinere*. per tranſlationem *obſequi*, ut hic. nam cum Tiro in aliqua re valetudini contraria, Lyſoni eum invitanti, obſecutus eſſet, verebatur Cicero, ne in quartam hebdomadem ejus morbus perduceretur. nam eorum morborum, qui cito terminantur, magna pars, vel ſecunda, vel tertia hebdomade finem invenit. quod ſi qui ad quartam pervenerint, metuenda diuturnitas.

Hebdomadem] Si *hebdomadem*, Græco more legas: Gellium corrige, ubi legitur quibuſdam locis, *Hebdomada*, &, *Hebdomadam*.

Pudori tuo] Qui te adduxit ad ſymphoniam Lyſonis, id eſt, ad obſequium.

Curio] Quem nominavit 4. 5 1.

Miſi] Pro, *mandavi*. ep. 4. *Miſi ad Curium, quod dixiſſes, daret.* ad Att. epiſtola 7. lib. 13. *Miſi equidem ei nuncium, te exſpectaſſe ejus adventum.*

Vt medico honos haberetur] De pecunia intellige, non de honore: unde *Honorarium*, præmium honoris cauſa datum.

Ex Kal. Ian.] Novis conſulibus magiſtratum ineuntibus.

Magnus tumultus] Conſulibus in eam curam una cum Pompejo contendentibus, ut Cæſari Galliæ ante decennii tempus, lege jam conceſſum adimerent; tribunis vero plebis pro Cæſare repugnantibus. quæ belli civilis origo fuit.

Agemus omnia modice] Sic, ut neque Pompeji, neque Cæſaris animum offendamus.

Caute] *Explorate*, dixit Q. Cicero, epiſt. 8.

Honeſto aliquo homine] *Honeſto*, non ad mores, ſed ad dignitatem refertur.

Pag.

Pag. 439. *Incolumem ſteterit*] Recte alii verbum *Steterit*, mutatione minima, cum ſit in antiquis libris *Steterit*, repoſuerunt. Sic ad Att. epiſt. 14. libro 10. *Te vegetum nobis in Græcia ſiſte*.

EPISTOLA X.

EGo vero] *Vero*, in principio epiſtolæ, reſponſionem ſignificat. epiſt 23. & lib. 4. epiſt. 6. lib. 7. epiſt. 30. lib. 9. epiſt. 5.

Hac tamen epiſtola] In qua, te ſatis belle habere, ſignificas.

Acaſtus] Servus. epiſt. 5. 14.

Oculos paullum ſuſtulerunt] Contrarium contrario reddidit, quia dixerat, *oblanguerunt*. nam languore oculi demittuntur.

Pompejus] Obierat jam Pompejus Magnus, quem Cicero, cum non addit prænomen, ſignificare ſolitus eſt. itaque, *Pomponius* pro Pompejus, reponendum eſſe, jampridem ſuſpicatus ſum. non enim, Pompejo Magno mortuo, quemquam præterea Pompejum, ita Ciceroni familiarem invenimus, ut, prænomine omiſſo, tamen indicaretur.

Cupienti audire noſtra] An aliquid ſcriberem.

Muta eſſe] Tacere enim litteræ videntur, cum nihil ſcribimus. In Bruto: *Quid hunc debet, ego a te peto. Quidnam id, inquam? Ut ſcribas, inquit, aliquid. jampridem enim conticuerunt tuæ litteræ.* Et lib. 2. Off. *Cum reſp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet litteræ conticuerunt, forenſes & ſenatoriæ.*

Muſis noſtris] Communem a nobis operam exigentibus.

Operam] Quas præbere conſueſti.

Reddas] Intermiſſas tuo morbo.

Noſtra] Quæ ad me pertinent, quæ me eſſe facturum tibi promiſi. Manumiſſio ſignificatur ep. 14.

Docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet] Docui te, *Fidem* inde dictam, quia fiat id, quod promittitur. lib. 1. de Off. *Docuit tamquam magiſter*. epiſt. 3. *ſi nos amas, & præcipue me magiſtrum tuum. ἔτυμον, notationem, quod rem, de qua prædicatur*, ut ait Boetius, *notam faciat*.

EPISTOLA XI.

Pag. 440. ETiam firmiorem fore] Quam fuiſti ante morbum; hoc ideo dicit, quia pituitam, & melancholicum humorem quartana febris exſiccat. Galenus in primo de arte cur. ad Glauconem.

Ex deſiderio] Mei.

Labores] Epiſt. 14. *Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare.*

Nauſea] Quæ navigando præſertim inſolentibus, & ſtomacho infirmis, excitatur.

Ad urbem acceſſi] Non enim urbem, niſi triumphans, ingredi volebat.

Cupiditates certorum hominum] Ep. 12. *Miris invaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam iis, qui boni habentur. ut pugnare cuperent, me clamante, nihil eſſe bello civili miſerius.* Et lib. 4. epiſt. 1. *Incideram in hominum pugnandi cupidorum inſaniam.* Et lib. 6. epiſt. 6. *Cauſſa belli orta eſt: Quid ego prætermiſi aut monitorum, aut querellarum? cum vel iniquiſſimam pacem juſtiſſimo bello anteferrem, victa eſt auctoritas mea, non tam a Pompejo, (nam is movebatur) quam ab iis, qui duce Pompejo freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli victoriam fore putabant.*

Pag. 441. *Exercitum & provinciam*] Quæ ſenatus populuſque conceſſerant.

Invito ſenatu] Qui, coitione conſulum & Pompeji, decreverat, ut Cæſar, exercitu dimiſſo, provinciam ſucceſſori ante tempus traderet. Cæſar lib. 1. bel. civ. Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio, & alii.

Curio meus illum incitabat] Vellejus lib. 2. diſcuſſas ait, ac ruptas a Curione pacis conditiones, quas & Cæſar juſtiſſimo animo poſtulabat, & Pompejus æquo recipiebat.

Antonius quidem noſter, & Caſſius] M. Antonius, Q. Caſſius, tribuni pl.

Nulla vi expulſi] Imo expulſi, injuſto S. C. ut queritur Cæſar lib. 1. bel. civ. & Suetonius pulſos plane ait.

Cum Curione] C. Curione, ſuperioris anni tribuno pl.

Ne quid reſp. detrimenti caperet] Quo uno verſiculo ſumma in cives poteſtas com-

Igitur illa] Scribamus eadem, quæ antea: quæ mihi in primis curæ ſunt.

Innumer. bilis] Idem ep. 1. 6.

Cum valetudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam navigationis] Ep. 4. *Cum valetudini tuæ diligentiſſime conſulueris; tum, mi Tiro, conſulito navigationi.*

Actio] Ad hoc Acarnaniæ promontorium Antonius ab Auguſto maritima pugna victus.

EPISTOLA VII.

Pag. 435. NOn *ſederemus*] *Sedere* interdum eſt nihil agere, ut hic, & apud Terentium: *Sedere domi virginem tam grandem.*

Per anni tempus] Abeunte hieme. epiſt. 33. lib. 10. *Anni tempus libertatem majorem mihi dat.* Plautus in Merc. *Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.* ſic alibi *tempus diei, tempus ætatis.*

XV. Kal. Nov.] Si attendimus, quod epiſt. 9. ſcriptum eſt: cogemur credere, *Dec.* non *Nov.* legere.

EPISTOLA VIII.

A'Κίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ] Tuta quidem, ſed diuturniora: id eſt, te quidem non ægrotare periculoſe, ſed morbum fore diuturniorem.

Pag. 436. *In magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo*] Eſt quædam non invenuſta figura, cum contrarium contrario jungitur, ut alterum altero levetur. exemplum exſtat epiſt. 9. lib. 1. *In moleſtia gaudeo.* Quo loco plura hujus generis oſtendimus.

Si diutius a nobis abfuturus es, is, cujus uſum, &c.] Eadem figura lib. . de orat. *Quorum princeps Socrates, is, qui, &c.* Et alibi, *Vſum* pro *conſuetudine* poni, ut aliis quoque locis, quivis, opinor, intelligit.

Explorate] *Caute*, dixit Cicero epiſtola 9.

Ψῦχος δὲ] Frigus autem tenui cuti inimiciſſimum. Senarius Euripidis; ſed amiſſæ tragœdiæ.

EPISTOLA IX.

Pag. 437. AD *Caſſiopen*] De quo loco Plinius & Strabo.

Ludibundi] Ludentibus ſimiles, navigatione jucundiſſima.

Cn. Plancii] Pro quo exſtat oratio.

Omnino liberaſſent] Quod eſſet factum, ſi te plane valere ſignificaſſent.

Aſclapo] Quem Sulpicio commendat ep. 20. lib. 13.

Pag. 438. *Symphoniam Lyſonis vellem vitaſſes*] Συμφωνεῖν, eſt *concinere*: per tranſlationem *obſequi*, ut hic. nam cum Tiro in aliqua re valetudini contraria, Lyſoni eum invitanti, obſecutus eſſet, verebatur Cicero, ne in quartam hebdomadem ejus morbus perduceretur. nam eorum morborum, qui cito terminantur, magna pars, vel ſecunda, vel tertia hebdomade finem invenit. quod ſi qui ad quartam pervenerint, metuenda diuturnitas.

Hebdomadem] Si *hebdomadem*, Græco more legas: Gellium corrige, ubi legitur quibuſdam locis, *Hebdomada*, &, *Hebdomadam*.

Pudori tuo] Qui te adduxit ad ſymphoniam Lyſonis, id eſt, ad obſequium.

Curio] Quem nominavit 4. 5. 11.

Miſi] Pro, *mandavi*. ep. 4. *Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret.* ad Att. epiſtola 7. lib. 13. *Miſi equidem ei nunciaſſe, te exſpectaſſe ejus adventum.*

Vt medico honos haberetur] De pecunia intellige, non de honore: unde *Honorarium*, præmium honoris cauſa datum.

Ex Kal. Ian.] Novis conſulibus magiſtratum ineuntibus.

Magni tumultus] Conſulibus in eam curam una cum Pompejo contendentibus, ut Cæſari Galliæ ante decennium tempus, lege jam conceſſum adimerentur; tribunis vero plebis pro Cæſare pugnantibus: quæ belli civilis origo fuit.

Agemus omnia modice] Sic, ut neque Pompeji, neque Cæſaris animum offendamus.

Caute] *Explorate*, dixit Q. Cicero, epiſt. 8.

Honeſto aliquo homine] *Honeſto*, non ad mores, ſed ad dignitatem refertur.

Pag.

Pag. 439. *Incolumem ſiteris*] Recte alii verbum *Steteris*, mutatione minima, cum ſit in antiquis libris *Steteris*, repoſuerunt. Sic ad Att. epiſt. 14. libro 10. *Te vegetum nobis in Græcia ſiste.*

EPISTOLA X.

EGo vero] *Vero*, in principio epiſtolæ, reſponſionem ſignificat. epiſt 23. & lib. 4. epiſt. 6. lib. 7. epiſt. 30. lib. 9. epiſt. 5.

Hac tamen epiſtola] In qua, te ſatis belle habere, ſignificas.

Acaſtus] Servus. epiſt. 5. 14.

Oculos paullum ſuſtulerunt] Contrarium contrario reddidit, quia dixerat, *oblanguerunt.* nam languore oculi demittuntur.

Pompejus] Obierat jam Pompejus Magnus, quem Cicero, cum non addit prænomen, ſignificare ſolitus eſt. itaque, *Pomponius* pro Pompejus, reponendum eſſe, jampridem ſuſpicatus ſum. non enim, Pompejo Magno mortuo, quemquam præterea Pompejum, ita Ciceroni familiarem invenimus, ut, prænomine omiſſo, tamen indicaretur.

Cupienti audire noſtra] An aliquid ſcriberem.

Muta eſſe] Tacere enim litteræ videntur, cum nihil ſcribimus. In Bruto: *Quod huic debes, ego a te peto. Quidnam id, inquam? Vt ſcribas, inquit, aliquid. jampridem enim conticuerunt tuæ litteræ.* Et lib. 2. Off. *Cum reſp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet litteræ conticuerunt, forenſes & ſenatoriæ.*

Muſis noſtris] Communem a nobis operam exigentibus.

Operas] Quas præbere conſueſti.

Reddas] Intermiſſas tuo morbo.

Noſtra] Quæ ad me pertinent, quæ me eſſe facturum tibi promiſi. Manumiſſio ſignificatur. ep. 14.

Docui enim te, fidei ἔτυμον quod haberet] Docui te, *Fidem* inde dictam, quia fiat id, quod promittitur. lib. 1. de Off. *Docui tamquam magiſter.* epiſt. 3. *ſi nos amas, & præcipue me magiſtrum tuum.* ἔτυμον, *notationem, quod rem, de qua prædicatur,* ut ait Boetius, *notam faciat.*

EPISTOLA XI.

Pag. 440. ETiam firmiorem fore] Quam fuiſti ante morbum; hoc ideo dicit, quia pituitam, & melancholicum humorem quartana febris exſiccat. Galenus in primo de arte cur. ad Glauconem.

Ex deſiderio] Mei.

Labores] Epiſt. 14. *Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare.*

Nauſea] Quæ navigando præſertim inſolentibus, & ſtomacho infirmis, excitatur.

Ad urbem acceſſi] Non enim urbem, niſi triumphans, ingredi volebat.

Cupiditates certorum hominum] Ep. 12. *Mirus invaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam iis, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil eſſe bello civili miſerius.* Et lib. 4. epiſt. 1. *Incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias.* Et lib. 6. epiſt. 6. *Cauſſa belli orta eſt: Quid ego prætermiſi aut monitorum, aut querellarum? cum vel iniquiſſimam pacem juſtiſſimo bello anteferrem, victa eſt auctoritas mea, non tam a Pompejo, (nam is movebatur) quam ab iis, qui duce Pompejo freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli victoriam fore putabant.*

Pag. 441. *Exercitum & provinciam*] Quæ ſenatus populuſque conceſſerant.

Invito ſenatu] Qui, coitione conſulum & Pompeji, decreverat, ut Cæſar, exercitu dimiſſo, provinciam ſucceſſori ante tempus traderet. Cæſar lib. 1. bel. civ. Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio, & alii.

Curio meus illum incitabat] Vellejus lib. 2. diſcuſſas ait, ac ruptas a Curione pacis conditiones, quas & Cæſar juſtiſſimo animo poſtulabat, & Pompejus æquo recipiebat.

Antonius quidem noſter, & Caſſius] M. Antonius, Q. Caſſius, tribuni pl.

Nulla vi expulſi] Imo expulſi, injuſto S. C. ut queritur Cæſar lib. 1. bel. civ. & Suetonius pulſos plane ait.

Cum Curione] C. Curione, ſuperioris anni tribuno pl.

Ne quid reſp. detrimenti caperet] Quo uno verſiculo ſumma in cives poteſtas com-

committebatur. vide orationem pro Dejotaro. Cæſarem lib. 1. bel. civ. Salluſtium in Catil.

Paratiorem ducem] Cæſarem laudat invitus, ut epiſt. 9. lib. 8. ad Att. *Hic τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt.*

Comparatur] Quidquid ad bellum pertinet.

Sero cœpit timere] Cum eum ipſe aluiſſet. quod ſæpe queritur Cicero.

Flagitavit] A conſulibus, ut referrent.

Pag. 442. *Lentulus*] Cognomento, *Crus*, vel *Cruſcellus*. ep. 4. lib. 8.

Nihil cupide] De rep. ut arbitror, potius, quam de triumpho. quod ex verbo ſequenti, *Auctoritas*, intelligitur, & ex eo, quod in epiſtola ſuperiore dictum eſt: *Roma, vereor, ne ex Kal. Ian. magni tumultus ſint. nos agemus omnia modice.* Aut igitur hæc temperantiæ ſignificatio ad remp., non ad triumphum, aut ad utrumque ſimul ſpectat.

Nos Capuam ſumpſimus] Ep. 12. *Ego adhuc ora maritima præſum a Formiis. nullum majus negotium ſuſcipere volui.* Et ad Att. ep. 11. lib. 7. *Ego negotio præſum non turbulento. vult enim me Pompejus eſſe, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & ſumma negotii referebatur.*

EPISTOLA XII.

D*Omos noſtras, & patriam ipſam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus*] Epiſt. 1. lib. 4. *Vrbem relictam direptioni & incendiis.* Hoc Pompeji conſilium de urbe relinquenda, ſæpe reprehendit Cicero, ut epiſt. 16. l. 2. & ad Att. epiſt. 10. lib. 7. & alibi. non enim aggregare placet exemplorum copiam.

Mirus furor] Epiſt. 11. *Cupiditates certorum hominum, &c.*

Improbus] *Invade* cum dandi caſu, ut hic, apud Salluſtium, Varronem, Artium; cum accuſandi caſu, addita præpoſitione *In*, ſæpe apud Ciceronem; ſine præpoſitione, apud eundem, ſed raro; nullo caſu, apud Terentium: *An morbus invaſit?*

Pag. 443. *Amentia*] Qui a rep. deſciſcunt, amentes, inſani, furioſi dicuntur. Infra: *Videtur, ſi inſaniet, poſſe opprimi.*

Nominis] Quod antea magnis rebus pro rep. geſtis adeptus eſt.

Honorum] Epiſt. 9. lib. 1. *Cum Cæſar, ſingularibus ornatus & novis honoribus, ad eam cauſſam accederet.* Quo loco ſupplicationes, novo numero auctæ ſignificantur. hic autem non tam ſupplicationes, quam magiſtratus & imperia.

Quam ſapienter, aut quam fortiter] Id eſt, nec ſapienter, nec fortiter.

Hiſpaniam] Pompeji provinciam. quod Cicero, vitandi belli civilis cauſſa, cenſuit. epiſt. 6. lib. 6. *Eundum in Hiſpaniam cenſui: quod ſi feciſſet, civile bellum nullum omnino fuiſſet.* Hac de re in epiſtolis ad Att. & in omnibus fere hiſtoriis.

Pag. 444. *Domitio*] L. Domitio Ahenobarbo, Cæſaris inimico, quem Suetonius ait ſucceſſorem ei per tumultum eſſe nominatum. Conſul fuerat cum Ap. Claudio.

Conſidio] Q. Conſidium ſenem nominat ep. 24. lib. 2. ad Att.

Noniano] Ex Nonia gente in Conſidiam adoptato. Hic nondum conſul fuerat: itaque Gallia citerior prætoria facta provincia.

Ad conſulatus] Secundi, quem geſſit cum P. Servilio, Iſaurici filio.

Abſentis rationem haberi ſui] Quod ei lege permiſſum erat, ipſo Pompejo conſule pugnante. vide epiſt. 6. lib. 6. ut omittam hiſtorias omnes. Hic a vulgatis libris antiqui diſſentiunt. nam pro, *Sui*, omnes habent *Suam*: pro *Abſentis*, nonnulli, *Abſente ſe.*

Trinundinum] Lex, ad populum ferenda, promulgabatur prius, ut per trium nundinarum ſpatium populo pateret; quo poſſet, lege ſatis conſiderata, quid ſentiret, ſuffragiis oſtendere. Eadem, opinor, in magiſtratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant: ut populus, de quibus ſuffragium laturus eſſet, tanto ante noſſet. Atque hic *Trinundinum*, pro Trinundini ſpatio dictum puto, ut Phil. 5. *Promulgatis trinundinum.* Et pro domo: *Sit accuſatio trinum nundinum.* Ibidem: *Si quod in*

cete-

veteris legibus trinum nundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt, trium eſſe horarum: nihil reprehendo. Pro C. Cornelio, apud Priſcianum: *Ex promulgatione trinundinum dies, poteſtaſque veniſſet.* Et Varro γεροντοδιδασκάλῳ· *Ruſticus Romanus internundinum barbam alebat.* pro, internundini ſpatio. Servari a ſe velle conſuetudinem veterem in petendo, modo Pompejus iter in Hiſpaniam, Cæſari oſtendebat.

Ut removeat præſidia ex iis locis, quæ occupavit] Occupaverat Ariminum, Piſaurum, Anconam, Aretium. ſupra, & Cæſar lib. 1. bel. civ.

Sui eſſe, ut ſumus] Vagi, relicta patria, in ſummo diſcrimine. ſupra: *Domos noſtras, & patriam ipſam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus.*

Præter tranſpadanos] Quibus Cæſar & ædilis, & conſul civitatem dare cogitaverat: quod poſtea dictator effecit. Dio. Tranſpadanos autem Cæſari ſtuduiſſe, auctor eſt Cicero ep. 7. lib. 7. ad Att. & ep. 2. lib. 5. ad eundem.

Afranio & Petrejo] Legatis Pompeji, quos poſtea Cæſar devicit.

Modo ut urbe ſalva] Timebat propinquum malum: ne Cæſar, priuſquam opprimeretur, urbem vel diriperet, vel inflammaret. ideo proxime dixit: *Tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem poſſit accedere.*

T. Labienus] Aſiæ gentis, plebejæ: qui cum legatus Cæſaris in Gallia res præclaras geſſiſſet, poſtea, Pompejum ſecutus, nihil parta gloria dignum adminiſtravit. ep. 14. lib. 14. *Labienus rem meliorem fecit.* Et ad Att. ep. 13. lib. 7. *Labienum ἥρωα judico. facinus jamdiu nullum civile præclarius: qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem: ſed etiam ad ſummam profectum aliquid puto.* Idem alii.

Ora maritima] Vide epiſt. 11. & ad Att. ep. 11. lib. 7.

A Formiis] Præfecturæ meæ primum oppidum Formiæ ſunt.

Nullum majus negotium ſuſcipere volui] Epiſt. 7. lib. 4. *Neque tu multum interfuiſti rebus gerendis; & ego id ſemper egi, ne intereſſem.* Epiſt. 6. lib. 6. *ſuſceptum bellum eſt, quieſcente me.*

Pag. 445. *Video me caſtris, & certis*

legionibus præfuturum] Non præfuit, ac ne interfuit quidem Pharſalico prælio. epiſtola decima octava libro nono: *In acie non fui.* De Divin. lib. 1. Plutarchus.

Dolabella noſter] Sic epiſt. ult. lib. 7. *Caſſius tuus, & Dolabella noſter.* *Noſter* autem, quia gener. ep. 16. lib. 2. ep. 12. lib. 8.

EPISTOLA XIII.

M*Enandri*] Servi, quem ad Tironem miſerat, ut antea quoque Marionem.

EPISTOLA XIV.

Pag. 446. A*Ndricus*] Non dubito, quin hic ſit idem, qui *Menander* in epiſtola 13. nominatur. itaque cum putarem, vel in ea epiſtola, *Andrici*, non *Menandri*, vel in hac *Menandrus*, pro *Andricus*, reponendum eſſe: conſului veteres libros; quorum in uno corrupte quidem, unde tamen veritas elici poſſit, *Atandrius*; in altero, *Mandricus*; in tertio clariſſimis litteris, *Menandrus*, legitur. utroque enim modo, *Menandrus*, & *Menander*, uſitate dicitur. Propertius lib. 3. el. 21:

Librorumque tuos docte Menandre ſales.

Et Ovidius:

Dum fallax ſervus, durus pater, improba lena,
Vixerit, & meretrix blanda, Menandrus erit.

Ex hoc loco, non unum aut alterum, quod ſæpe jam dixi, ſed multos ad tollenda menda inſpiciendos eſſe veteres libros, plane conſtat. nam in quibuſdam, etiam antiquitate celebratis, legitur *Andricus*.

Habui noctem plenam timoris ac miſeriæ] Sic lego ex veteribus aliquot libris: placere aliis video: *Habui noctem plenam timoris, ac miſeriis. tuis litteris nihilo ſum factus certior, quo modo te haberes: ſed tamen ſum recreatus.* Quod minime placet. Quo modo enim miſeria major eſt, quæ naſcitur ex litteris Tironis; cum, iis acceptis, recreatum ſe dicat, id eſt, priore miſeria liberatum, aut certe valde levatum?

Pag. 447. *Medico*] Aſclaponi. ep. 9. & lib. 13. ep. 20.

Mercedis] Hoc eſt, quod dixit epiſt. 4. *Medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior.* Et epiſt. 9. *Curio miſi, ut medico honos haberetur.*

Id ſcripſi ad Mumium] Veteres libri varie, *Mumium*, *Munium*, *Numium*, *Nummum*, *Vatinium*, *Vmmium*; omnes, ut ego ſuſpicor, mendoſe. Quis enim iſte eſt vel *Vmmius*, vel *Mumius*, vel *Munius*, vel *Numius*, vel *Nummus*, vel *Vatinius*, a quo pecuniam medico promitti Cicero vult? is enim nuſquam neque in his ad Tironem, neque in iis, quæ ad Atticum ſcriptæ ſunt, epiſtolis nominatur, ad Curium quidem ſe ſcripſiſſe, ut Tironi, quidquid opus eſſet, in ſumptum erogaret, utique ſignificat, ut epiſtola 4. *Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret. medico ipſi puto aliquid dandum eſſe, quo ſit ſtudioſior.* Et epiſt. 9. *Curio miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus eſſet.* Et ad Attic. epiſt. 5. lib. 8. *Faſciculum qui eſt M'. Curio inſcriptus, velim cures ad eum perferendum. Tironemque Curio commendes; ut ei, ut petiit, ſi quid opus erit, in ſumptum eroget.* Et ibidem epiſt. 6. *Tironem video ſumptum ab aliis mutuatum, ego autem Curium noſtrum, ſi quid opus eſſet, rogaram.* Quare videtur in hac etiam ad Tironem epiſtola Curius omnino ſignificari. &, ut dicam quod ſentio, legendum opinor ſic: *Id ſcripſi ad Manium*: mutatione fere nulla: cum in vetere libro ſcriptum ſit, *Munium*. Fuiſſe autem *Manius*, Curiorum prænomen, nemo fere paullo eruditior ignorat. Nec mirum videatur, ſolo prænomine quemquam indicari. nam, cum ad Tironem ſæpe Cicero de Curio & hac ipſa de re ſcripſiſſet: prænomen poni, cum de homine notiſſimo loqueretur, ſatis eſſe duxit: ut interdum *Servium*, *Appium*, *Sextum* nominat, neque addit, *Sulpicium*, *Claudium*, *Peducæum*. Prænomen autem *Manius*, quia non admodum erat uſitatum, iccirco librariorum incuria ſæpe tranſiit in *Marcus*, eo facilius, quod *M'.* quo *Manius* oſtenditur, minimum diſtat a *M.* Hinc. M. Acilius Glabrio, M. Aquilius, M. Curius, mendoſe ubique pro M'. quod mendum ſuſtulimus ex epiſt. 17. lib. 13. & ad Att. epiſtola 2. 3. lib. 7. & epiſt. 5. lib. 8. ad eundem.

Ex eo te laborare] Epiſt. 11. *Non ignoro, quantum ex deſiderio labores.*

Humanitatemque] Non dubito, quin *humanitatem* hic Cicero, non pro facilitate quadam & benevolentia erga homines, ſed pro eruditione poſuerit: ut lib. 1. de Orat. *In omni recto ſtudio atque humanitate verſarentur.* lib. 2. *Homini non hebeti, non exercitato, neque communium litterarum, & politioris humanitatis experti.* In Verrem: *Tu ſine ulla bona arte, ſine humanitate, ſine ingenio, ſine litteris intelligis & judicas?* Gellius autem libro 13. cap. 16. *Qui verba, inquit, Latina fecerunt, quique iis probe uſi ſunt, Humanitatem non id eſſe voluerunt, quod vulgus exiſtimat, quodque a Græcis φιλανθρωπία dicitur, & ſignificat dexteritatem quandam, benevolentiamque erga omnes homines promiſcuam; ſed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem, inſtitutionemque in bonas artes dicimus; quas qui ſinceriter cupiunt, appetuntque, ii ſunt vel maxime humaniſſimi. hujus enim ſcientiæ cura & diſciplina ex univerſis animantibus uni homini data eſt, iccircoque humanitas appellata. Sic igitur eo verbo veteres eſſe uſos, & cum primis Varronem, & Tullium, omnes ferme libri declarant. quamobrem ſatis habui unum interim exemplum afferre. itaque verba poſui Varronis e libro rerum humanarum primo: cujus principium hoc eſt: Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini eſt, paullum modo humaniori, ignotus.*

Animo valere] Quo non valet, qui angitur. epiſt. 11. *Non ignoro, quantum ex deſiderio labores.*

Dies promiſſorum adeſt] Manumiſſionem ſignificari puto, ut etiam epiſt. 10. *Noſtra ad diem dictam fient. docui enim te, Fides ἔτυμος quod haberet.* Et ep. 15. *Ego te omni cura liberabo.*

Repræſentabo] Non exſpectabo diem dictam: manumittam te etiam ante, ſi adveneris.

Epi-

EPISTOLA XV.

Æ*Gypta*] Nomen ſervi, ad Att. epiſtola 15. lib. 9. Miſit ad Tironem Cicero quinque ſervos ſuos, ut & benevolentiam in eum oſtenderet, & de ejus valetudine certior fieri poſſet: Marionem primum, epiſt. 1. deinde Menandrum, epiſt. 13. poſtremo Hermiam & coquum, epiſt. 15. Acaſtum autem non miſit, ſed cum eo reliquit, epiſtola 5.

Belle habere] Epiſt. 9. lib. 9. *Terentia minus belle habuit.*]

Omni cura liberabo] Manumittam te. epiſt. 10. 14.

EPISTOLA XVI.

Pag. 448. I*Ndignum illa fortuna*] Indignum, qui ſerviret.

Amicum] Manumiſſus enim, incipit eſſe in amicorum numero.

Exſilui gaudio] Alibi, *Exſultat gaudio*, vel *exſultat*, ſimpliciter. ad Attic. lib. 7. epiſt. 2. *Quo modo exſultat Catonis in me ingratiſſimi injuria?* ep. 7. l. 2. *Inceſſi omnibus lætitiis.*

Et age gratias, & gratuler] Hæc interdum conjunguntur, ut epiſt. 9. lib. 2. *Cum gratuler, tum vero, quibus verbis tibi gratias agam, non reperio.*

Statii] A Q. Cicerone manumiſſi. epiſt. 18. 19. lib. 2. ad Attic. & epiſt. 2. lib. 1. ad Q. F.

Fidelitas] Differre arbitror *fidelitatem a fide*: ut *fides* in mente ſit, *fidelitas* re declaretur: propterea Plautus Trin. *Probo, & fideli, & fido, & cum magna fide.*

His ipſis commodis] Fidelitate: de qua dixit jam, *Hæc eadem bona*: quaſi in una fidelitate multa commoda, multaque bona ſint.

Propter hanc] Quod Tironem liberaveris.

Vel quod] Hoc etiam nomine. Tale illud ep. 13. lib. 2. *Vel quas proxime acceperam, quam multi, & officis, & conſili.* Et ep. 24. lib. 7. *Vel quas proxime de Tigellio.*

Sic] Verbis lætitiam ſignificantibus: ut plane te totum in litteris viderim.

Sabini] Cognomen Romanæ familiæ. ep. 20. lib. 15.

Pueris] Servis.

EPISTOLA XVII.

Pag. 449. V*Ideo quid agas*] Opinor hoc ſignificari, Tironis epiſtolas ita diligenter ſcriptas eſſe, ut cupere videretur eas quoque in volumina referri. De voluminibus epiſtola 7. lib. 3.

Tuas quoque] Ita ut meæ referuntur. Fuit enim hæc ipſius Tironis opera: quod & Nepos in Attici vita oſtendit: & Cicero ipſe ep. 4. lib. 16. ad Attic. negat quidem eas a ſe in volumina referri, a Tirone tamen ait aliquot ſervari. *Mearum* (inquit) *epiſtolarum nulla eſt* συναγωγή· *ſed habet Tiro inſtar ſeptuaginta. & quidem ſunt a te quadam ſumendæ. eas ego oportet perſpiciam, & corrigam: tum denique edentur.*

Κανὼν] Regula. utrum hoc ad judicium Tironis, qui ſcripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam corrigere ſolitus eſſet, an ad diligentiam pertinet, qui ſummam in iis cuſtodiendis ordinandiſque curam poneret? ad judicium potius, ut opinor: quod indicant ea, quæ ſequuntur. miratur enim Cicero, parum aperte tranſlato verbo Tironem uſum eſſe, quem ipſe judicem ſuis in ſcriptis habere conſueviſſet.

Ἄκυρον] Improprium, alieno loco poſitum.

Verecunda tranſlatio] *Ut in ſuum locum verba immigraſſe, non in alienum irruiſſe videantur*: quod ait Cicero lib. 3. de Orat. & in Bruto. vide Ariſt. de Arte Poetica, & lib. 3. Rhetoricorum.

Demetrius] Is de quo ep. 19. 22.

Quo quidem comitatu ἀφωμίλησα*, ſatis ſcis*] Qui vident acutius, iis examinandum hunc locum relinquo. nam mihi quidem tenebræ ſunt. putavi interdum, ἐφομιλήσας, legendum: pro, *uſus*: verbo compoſito ab ἐπὶ & ὁμιλέω.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 450. N*On ſic oportet*] Inſcribi epiſtolas meas.

Διαφόρησιν] Animi relaxationem. Alibi eſt, ut medici loquuntur, evaporatio. ſic *διάχυσις*, proprie cum ſit humorum diffuſio, accipi tamen interdum non modo a Græcis, verum etiam a Latinis, ut a Cœlio Aureliano, pro exhilaratione, ſolet.

Tuſculanum] Quo ſe Tiro contulerat, animi & valetudinis cauſa. Si tibi, inquit, Tuſculanum quoque profuerit, item ut profuit *διαφόρησις*, cum ex urbe exiiſti: longe mihi erit amabilius, quam antea.

Pag. 451. *In modum procedit*] Satis procedit. nam ego vere exiſtimo me a te amari. *Modus* moderatum quid oſtendit: unde *Modice* propterea interdum dicitur, *Mirum in modum*, *Majorem in modum*, & ſimilia.

Ut eſt] Malim, *Utut eſt*: pro, quoquo modo res ſe habet: ſive me vere amas, ſive ſimulas. nam, *Ut eſt*, *Quo modo eſt*, *Quo modo ſe res habet*, affirmare videntur, & præſentem rei ſtatum indicare. Cicero autem hic jocans dubitare ſe fingit.

Indulge] *Indulgere*, eſt nimium obſequi. plus concedere, quam deceat: ut ep. 4. lib. 10. ad Att. *Q. filius indulgentia noſtra depravatus, eo progreſſus eſt, quo non audeo dicere.* Et ep. 6. ibidem: *Pater, nimis indulgens, quidquid ego adſtrinxi, relaxat.* Eſt etiam filii in patrem laudabilis indulgentia, in lib. 3. Off. *Qui perindulgens in patrem, idem acerbe ſeverus in filium.*

Cui quidem adhuc, dum mihi deſervis, ſervisti non ſatis] Epiſt. 4. *Adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe vis, nunquam te confirmare potuiſti.*

Πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας] Concoctionem, vitationem laſſitudinis, ambulationem moderatam, oblectationem, facilitatem alvi.

Belle] Recuperata valetudine. epiſtola 15. *Belle habere.*

Non modo te] Qui, pro amore in me tuo, diligentiam omnem ad convaleſcendum adhibueris.

Tuſculanum] In quo morbum depuleris.

Plus amem] Pro, plus amabo. Paullo ante: *Quanto mihi illud erit amabilius.*

Parhedrum] Proprie, *πάρεδρος*, *Aſſeſſor* eſt: transfertur ad alia, & conſiliarium, aut cuſtodem ſignificat. fortaſſe loquitur Cicero de olitoris vicino.

Hortum] In agro Tuſculano, ubi Tiro erat.

Ipſo conducat] Conducere hortum in Tuſculano, poſſeſſum a quodam olitore, Cicero cupiebat; ille nimium petebat: ut fere fit, empturis, aut conducturis aliquid iis, qui opibus abundant. fallere igitur olitorem Cicero cum vellet; Parhedrum, hominem non divitem, vicinum olitoris, vel ſuum, qui hortum ipſum minoris conduceret, deinde Ciceroni traderet, ſummittendum cogitabat.

Olitorem] De quo epiſt. 20.

Commovebis] Calfacies. hoc enim verbo infra utitur in eadem ſententia: *Commovebis olitorem.* Opinor, dictum, pro moleſtia illum afficies: nam *calfacere*, id valet hoc in loco: ut epiſt. 9. lib. 8. *Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigeſcimus.* Et epiſt. 2. lib. 3. ad Q. Fr. *Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius.*

Helico] Sic veteres libri omnes, & opinor, mendoſe, obſcure quidem certe. obſcura autem omnia ſi mutare conemur, ultro implicabimur difficili cura, nec ſemper neceſſaria.

Nequiſſimus] Qui rem familiarem temere diſſipat.

Pag. 452. *H S* CIↃ] Seſtertium mille, noſtratis monetæ ſcutatis triginta.

Dabat] Reprehendit Cicero nequitiam illius Heliconis, qui pro eodem horto, quem ipſe conducere volebat, dederat, olim ſcutatos annuos triginta. ex quo olitor in ſpem venerat, non minus Ciceronem daturum. Fortaſſe etiam alio de horto, quem Helico ille magna mercede conduxerat, loquitur Cicero: cujus exemplo velle dicit inſanire, neque paſſurum, ut ab olitore tanta impenſa, id eſt tanta mercede horto illo conducto, derideatur. atque in hanc opinionem eo venio libentius, quia veriſimile non videtur, eum hortum Ciceronem conducere voluiſſe, qui nec apricus eſſet, & careret emiſſario, maceria, caſa.

Cal-

Calſace] Commove. loquitur enim de olitore: de quo dixit jam: *Oliterem ipſum commovebis.*

Ut ego] Calfeci.

M. Othonem] *Methonem*, antiqui libri omnes. placet vel *M. Othonem*, cujus crebra mentio lib. 12. ad Attic. vel *Mathonem*, eum fortaſſe, qui nominatur epiſt. 25. lib. 9. vel *Motonem*, de quo epiſt. 50. ad Att. lib. 12. vel *Mutonem* in oratione pro Fundanio.

Abutor coronis] Mihi ab olitore donatis. *Abutor* autem, quia calfieri eum a te volo, in quo videor ei malam gratiam referre.

De Crabra] Agri Tuſculani aqua. In Rullum orat. 3. *Ego Tuſculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: Si a Sulla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem.* Et Frontinus de aquæ duct.

Pag. 453. *Sudum*] Serenum tempus, quaſi ſine udo.

Pangis] Scribis. de verſibus dictum, non de ſoluta oratione, putat Feſtus, & Probus. Cicero tamen epiſt. 6. lib. 2. ad Att. ad orationem ſolutam, niſi fallor, tranſtulit. *Ἀνέκδοτα*, inquit, *a nobis, quæ tibi uni legamus, Theopompino genere, aut etiam aſperiore multo, pangetur.* Proprie, *Pangere*, eſt figere. unde *pangere clavum, plantam, ſtylum in cera.* inde factum, ut *Pangere*, ſic ſcribere: quia verſus in cera pangebantur.

Sophocleum] Simile Sophoclis verſibus, qui excellunt inter alios. unde Virgilius:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Fac opus appareat] Fac ut videam. *Opus* eſt id, quod poſt operam remanet, ut ex aliqua re quaſi fructus enaſcitur. itaque interdum libri, opera dicuntur, ut hic: quia fructus otii ſignificatur. & ad Att. epiſt. 6. lib. 2. *Tibi ſuperioribus litteris promiſeram, fore, ut opus exſtaret hujus peregrinationis.* & lib. 3. Off. *Nulla ejus ingenii monumenta, mandata litteris, nullum opus otii, nullum ſolitudinis munus exſtat.* Accipitur igitur pro quacunque re, quæ poſt operam extat, non ſimpliciter pro eo, quod ſcribitur. itaque male Latine loquuntur, qui, *Platonis opera*, dicunt.

A. Ligurius] Is eſt, de quo epiſt. 9. lib. 11. ad Att.

Exſpectemus] Romæ.

P. VICTORIUS.

Helico nequiſſimus] Sic omnes quos vidi manu ſcripti, Mediceus in primis: impreſſi enim *Helluo*. Ex vetere ſcriptura libenter legerem *Salaco nequiſſimus* qua Græca voce uſus eſt in epiſtolis ad Gallum, *Cognoviſti meam cauſam, & iſtius Salaconis iniquitatem*, & in epiſtolis ad Atticum. Declaratio hujus vocis qua naturam ipſius Græci interpretantur, mire quadrat huic ſententiæ Ciceronis: ait enim Salaconas dici θρυπτομένους, qui delicate vivunt. καὶ ὧν μὴ δεῖ δαπανῶντας. & qui ſumptum faciunt, ubi minime oportet: Cicero enim inquit, HS. CIↃ dabat nullo aprico loco, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa: grandem igitur pecuniam pendebat, ubi non decebat, & in rebus quæ nihil haberent commoditatis, aut oblectationis. Ariſt. lib. II. Rhetor. ubi de moribus divitum diſſerit, & in quibus fere peccent, oſtendit, inquit: τρυφεροὶ δὲ καὶ σαλάκωνες. quo etiam in loco aperit, cur illi his vitiis obnoxii ſint. Mire igitur exprimit Græca vox hujuſcemodi ingenium, quale in eo quem acerbe accuſat, Cicero deſcribit. S, autem ultima erat litera antecedentis dictionis, quæ cum geminata eſſe deberet (conſequens enim vox ab eadem litera incipiebat) negligentia librarii relicta eſt. maculæ plurimæ hujuſcemodi ſunt. Par huic eſt, & eodem pacto conformata, quæ fœdavit locum Taciti in primo libro, ea autem tanti incommodi fuit, ut perſuaſerit docto, & diligenti viro locum illum ſtellula, ut deſperatum notare. ſic autem legendus totus eſt: *Atque idem cum Valerius Meſſalinus ſignum aureum in æde Martis ultoris, Cæcina Severus aram ultioni ſtatuendam cenſuiſſent, prohibuit ob externas eas victorias ſacrari, dictitans domeſtica mala triſtitia operienda.* Potuit etiam hæc in Cicerone perverſio naſci, quod ſuperioribus temporibus mala quædam conſuetudo erat libros corrigendi: non pauci enim fuerunt, neque hi omnino imperiti, nec

parum in hoc munere jactati homines, qui cuncta, quæ ſtatim non intelligebant, tollerent: a quibus multæ, quæ nunc in bonis auctoribus maculæ ſunt, fluxerunt: Oſtendimus alias, non pauca in Lucretio quondam ab eo, qui corrigere voluit, depravata fuiſſe: idem etiam de Catullo dicimus: cum enim ille vetuſtate ex majore parte dilapſus eſſet, non pauca præterea vulnera ab his ſiniſtris correctoribus accepit. De una ipſius plaga nunc mentionem faciam, quæ ab eo impoſita eſt, qui rariorem vocem ignorabat, & malo conſilio uſus eam delevit, ac communem pervulgatamque repoſuit: illum autem nomine etiam appellare poſſem, quod tamen non faciam, parcamque dignitati hominis. Verſiculi Catulli ſunt in carmine de Ati,

Ait hac minax Cybele: religatque juga manu.
Ferus ſe ipſe adhortatus rapidum incitat animum.

Non ſolum autem manu ſcripti codices, ſed nonnulli etiam formis excuſi primis illis annis, quibus hæc ratio ſcribendi libros inventa eſt, habent: *Ferus ſeſe adhortatus: lis, rapidum incitat animum,* quæ vera ac germana lectio eſt. *Lis* autem Græcis leo: quod qui ignorant, parum in lectione Græcorum Poetarum verſati ſunt, qui ea voce frequenter utuntur. Theocritus certe in Idyllio, quem appellavit Hylam, ter ipſa uſus eſt. Libenter autem uſurpare Poetas peregrina verba, & ea etiam ratione ſolere fabulas ſuas ornare, quis neſcit? Hanc quondam, cum Romæ eſſem, caſtigationem expoſui Franciſco Mario Molſæ, maximi ingenii, ac eruditionis viro, ut ejus judicio potiſſimum uterer in eo Poeta expurgando, quem ille plurimum amat, ac politiſſimis ſuis verſibus divinitus exprimit.

EPISTOLA XIX.

D*Emetrium*] De quo epiſt. 17. 22.

Redde noſtrum] Sic locutus epiſtola 32. lib. 7. *Dolabellam redde plane meum.*

De Aufidiano nomine] Ut exigas ab Aufidio, quod debet.

EPISTOLA XX.

C*Ompone*] Ordina, & diſpone, ſuo quemque loco ſtatue.

Indicem] Quem componere, majoris laboris eſt.

Cum Metrodoro] Medico.

Cum olitore] Epiſt. 18.

Spectare] In urbe.

Redire] In agros.

EPISTOLA XXI.

Pag. 454. A*Doptatiſſimus*] Pro *exoptatiſſimus.* ſic Vatinius epiſt. 9. lib. 5. *Quem potius adoptem, aut invocem, quam eum, quo defendente vincere didici?* Alibi, *Adoptare*, eſt eum, quem optamus, aſſumere: ut, *Adoptare filium.*

Pag. 455. *Buccinatorem*] Qui quaſi buccina canens, divulgas laudes meas. in oratione pro Archia, *præconem*, dixit Cicero pater: *O fortunate adoleſcens, qui tuæ virtutis præconem inveneris.*

Mihi ſucceſſa] Pro *ſucceſſiſſe.* quod Latini ſermonis conſuetudo ferre vix videtur. Omnino mirari ſatis non poſſum, non modo ab elegantia & copia, ſed interdum etiam a proprietate paterni ſermonis longe diſtare orationem filii: quod voluntatis potius, quam naturæ vitium eſſe arbitror.

Cratippo] Philoſophorum principi in peripatetica doctrina: de quo diximus epiſt. 16. lib. 12.

Pag. 456. *Bruttio*] Latino ſermone: plerique tamen veteres libri, *Bruto*: mendoſe ſcilicet. opinor enim, qui ſubſequi mentionem Caſſii viderunt, eos hunc eſſe M. Brutum, illum C. Caſſium putaſſe. quaſi vero poſt Cæſaris necem ita vacuo animo eſſent, itaque otio abundarent Brutus & Caſſius, ut apud alterum Græce declamitare, apud alterum Latine exerceri Cicero filius arbitratu ſuo poſſet. Præterea, quis credat hoc ad M. Brutum pertinere? *Quem nullo tempore a me patior diſcedere.* Et illud? *Huic ego locum in proximo conduxi & ut poſſum, ex meis anguſtiis illius ſuſtento tenuitatem.* Non enim ut arbitror, ita loqueretur adoleſcentulus Cicero

cero

cero de claro viro, & ejus anni prætore. M. Bruto. nec ita Brutus ab amicis imparatus erat, ut a Ciceronis filio, cui pater in annuum ſumptum non ſatis large ſuppeditaret, ſuſtentandus in Athenarum urbe nobiliſſima fuerit. numquam id (ut matrem Serviliam, propinquos, familiares reliquos omittam) Atticus tuliſſet; qui etiam, ut in ejus vita Nepos ait, Bruto Italia cedenti H-S c. muneri miſerit, eidem in Epiro abſenti c. c. juſſerit dari.

Cujus cum frugi, ſeveraque eſt vita, tum etiam jucundiſſima convictio] Quæ ſumma laus eſt; ſeveritatem humanitate temperare. epiſt. 27. lib. 12. *Eſt autem ita temperatis moderatiſque moribus, ut ſumma ſeveritas ſumma cum humanitate jungatur.* Quo loco plura diximus.

Philologia] Diſputatione de litteris.

Συζητήσει] Mutua quæſtione.

Pag. 457. *Mitylenis*] Cratippi patria.

Adduxit] Non multo ante. nam Pompejus eum, ex pugna Pharſalica fugiens, Mitylenis vidit.

Leonides] Qui cum ad Ciceronem de filio ſcriberet, certi nihil auſus eſt polliceri. epiſt. 16. lib. 14. ad Att. *Cupio excurrere in Græciam, magni intereſt Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule utriuſque, me intervenire diſcenti. nam epiſtola Leonidæ quid habet quæſo, in quo magnopere lætemur? numquam ille mihi ſatis laudari videbitur, cum ita laudabitur, Quo modo nunc eſt. non eſt fidentis hoc teſtimonium, ſed potius timentis.* Et epiſt. 16. lib. 15. *Leonidas retinet ſuum illud, Adhuc. ſummis vero laudibus Herodes.*

Τὰ ἀφ' ὧν καθ' ἡμᾶς, ταῦτα] Quæ igitur ad nos pertinent, hæc ſunt.

De Gorgia] Græco rhetore.

Διαῤῥήδην] Aperte.

Vt eum dimitterem ſtatim] Cauſſam, cur eum a filio dimitti Cicero voluerit, Plutarchus hanc narrat, quod ad potum & voluptates adoleſcentem alliceret. Hoc fortaſſe magiſtro didicit ſtrenue bibere Cicero filius. nam binos congios ſimul haurire ſolitum ſcribit Plinius lib. 14. cap. ult.

Σπουδή] Propenſa voluntas ad Gorgiam retinendum, ſtudium de non dimittendo Gorgia. ad Attic. lib. 13. epiſtola 27. *Nec in hac quidem re quicquam magni ut vellem accidere potuit, quam quod σπουδὴ noſtra non eſt probata.*

Grave eſſe me de judicio patris judicare] Non recte facere me, ſi de patris judicio ita judicare vellem, quaſi falli poſſet in eo, quod exiſtimaret de Gorgia.

Studium & conſilium] *Studium*, quia cupis: *conſilium*, quia ſuades, ne Gorgia utar.

Hoc loco] Hac parte epiſtolæ.

Noli mirari] Cum gratulatio primum in epiſtola locum poſtulet, exempla ſunt in epiſt. 7. 9. lib. 2. epiſt. 12. lib. 3. epiſt. 12. lib. 6. epiſt. 12. lib. 8.

Habes ubi deponenda tibi ſint urbanitates] Nihil muto: nec enim neceſſe eſt. Habes, inquit, ubi mores urbanos deponas, animumque liberiore vitæ genere, nulla gravi occupatione, remittas, ac relaxes. Vel, *Deponenda urbanitates*, omittendæ res urbanæ: ut ep. 17. lib. 7. *Mihi interdum levis in urbis urbanitatiſque deſiderio videbare.*

Pag. 458. *Ruſticus Romanus factus es*] Ioco dictum: quaſi Tironi, qui paullo ante ſervierat, gratuletur, quod ruſticus Romanus, emptio prædio, ſit factus. nam veteres illi ruſtici Romani admodum laudabantur, utpote conſulares multi ac triumphales. Varro γεροντοδιδασκάλῳ: *Quotiens priſcus homo, ac ruſticus Romanus inter nundinum barbam radebat.*

Videre enim videor amentem te ruſticari] Modus transferendi conjecturam ad oculos; quo plus fidei noſtra conſequatur opinio. epiſt. 15. lib. 9. *Te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Craſſos quoque, & Lælios videre videor.* In Lælio: *Videre jam videor populum Romanum a ſenatu disjunctum.* Pro Q. Gallio: *Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes.* Simile illud epiſt. 12. lib. 5. *Cerno jam animo, quanto omnia uberiora, quantoque ornatiora futura ſint.*

In lacinia ſervantem ex menſa ſecunda ſemina] *Laciniam* Feſtus dixit eſſe partem veſtimenti. id Plauti teſtimonio confirmatur. ait enim in Aſinaria: *Lacrumantem lacinia tenet lacrumas.* Ma-

crobius quoque lib. 2. Sat. *Poſt victoriam*, inquit, *Cæſaris, interrogatus Cicero cur in electione partis erraſſet, reſpondit: Præcinctura me fefellit. jocatus in Cæſarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam, velut mollis incederet.* Suetonius in Nerone: *Circuitis templis, cum in æde Veſtæ reſediſſet, conſurgenti ei primum lacinia obhæſit: deinde, &c.* Item Servius Honoratus, cum illud Virgilii explanaret, *Cinctuque Gabino*, hæc poſuit: *Cinctus Gabinus eſt toga, ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia, a tergo revocata, hominem cingat.* Hæc de lacinia, veſtimenti parte. Pro linteolo, aut ſudario quadrato, aut oblongo, Plautus accepit in Mercatore. *Sume*, inquit, *laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.* Nec alia, niſi fallor, in hac Ciceronis filii epiſtola ſignificatio eſt. quid enim? an e ſecunda menſa Tiro ſemina exciperet in veſte, cum eadem & honeſtius multo, & commodius in linteolo ſervare poſſet? Tertio modo laciniam uſurpavit Columella pro definita loci parte; dixit enim lib. 7. cap. 5. *morbo affectum gregem in lacinias diſtribuendum: quia particulatim facilius, quam univerſus, convaleſcat.* Ad hanc ſimilitudinem ſpectavit Plinius lib. 8. c. 50. de capris cum dixit: *laciniæ e cervice bina dependentes.* Et lib. 5. cap. 10. *Laciniosam Alexandriam*: id eſt, in urbanas inſulas, tamquam in lacinias quaſdam, diviſam ac diſtinctam. Et lib. 25. cap. 10. *Laciniosa folia*: pro, partibus conciſa, lacinias imitantibus. *Laciniatim*, pro particulatim, dixit Apulejus: *Non laciniatim disperſe, ſed cuneatim ſtipato grege.* Eodem modo ſæpe uſurpavit Frontinus, in lib. de Coloniis. *Hic in lacinia*, dixit Cicero filius, pro, in veſtimenti parte. fingit enim Tironem, empto prædio, ruſticos prorſus imitari: eamque ſpeciem familiari joco deſcribit.

Servantem] Quod ruſtici ſolent.

Semina] Pomorum, quæ comeduntur in ſecunda menſa.

Pag. 459. *Hypomnematis*] Commentariis, ex tempore & ſine cura ſcriptis. epiſt. 23. lib. 15. ad Att. *Silium expectabam: cui ὑπόμνημα compoſitum.* Vide illud epiſt. 3. lib. 8. *Atque ad me σύνταγμα conſcribas.* Hæc Hypomnemata fortaſſe Cratippi commentarii fuere: qui nominantur lib. 3. Off. in extremo. *Hypomnematis*, ex conſuetudine dictum eſt: nam ratio poſtulabat *Hypomnematibus*: cum ſit in nominativo *Hypomnema*, non *Hypomnematum*. Sic, *Poematis* dicebant veteres, pro *Poematibus*: & *Poematorum*, pro *Poematum*. ideo librum ſuum Varro inſcripſit *de Poematis*: & Annæus Florus ad divum Hadrianum: *Poematis delector.* Et Cicero pro Gallio: *Poematorum*, dixit: in Oratore, *Poematis*. Sed & Q. Lælius, ex principibus Grammaticis, librum ſuum ita inſcripſit: *De vitiis, virtutibuſque Poematorum.* Attius quoque Didaſcaliorum IX. *Quam varia ſunt genera Poematorum, Bæbi, quamque longe diſtincta ab aliis, noſce.* Et Varro ad Ciceronem undecimo: *Horum Poematorum, & hic Poematis, oportere dici, affirmat.* Hæc Carilius. Eandem conſuetudinem a Nonio obſervatam video. ait enim, Ciceronem libro 3. de off. dixiſſe: *Quod idem in Poematis & in picturis uſu venit.* Vt Plautus quoque dixit in Aſinaria: *Neque fictum umquam eſt, neque pictum, neque ſcriptum in Poematis.* *Poematorum* autem, pro *Poematum*, dixit Afranius, in Privigno.

Συμφιλολογεῖν] De litteris inter nos diſputare.

Antherum] Servum. ἀνθηρός, floridus.

EPISTOLA XXII.

T*Ibi melius eſſe*] Epiſt. 1. *Cum meliuſcule tibi eſſet.* epiſt. 6. *ſi tibi e erit.* epiſt. 33. lib. 12. ad Att. *Ego hic vel ſine Sica (Tironi enim melius eſt) ſolitus poſſem eſſe, ut in malis.*

Cuſpio quidem certe] Præpoſita re non ſatis certa, cum ſequitur affirmatio, hæc duo verba, *Quidem certe*, ut omnino tollatur dubitatio, ſubjungi ſolemus: ut epiſt. 9. lib. 1. cum vereretur Cicero, ne conſilium ſuum, quia ſe cum Cæſare & Pompejo conjunxerat, non ſatis probaſſe videretur, hæc ſubjecit: *Illud quidem certe noſtrum conſilium jure laudandum eſt, quod meos cives, ut a me*

con-

conſervatos, & me ſervare cupientes, ſervis armatis objici noluerim. Et epiſt. 14. lib. 4. *De mea in te voluntate ſic velim judices, me, quibuſcumque rebus opus eſſe intelligam, quamquam videam, qui ſim hoc tempore, & quid poſſim; opera tamen, & conſilio, ſtudio quidem certe, re, fama, ſaluti tuæ præſto futurum.* Ad Att. epiſt. 1. lib. 1. *Spero me tibi cauſſam probaſſe, cupio quidem certe.* Pro Quinctio: *Ut ſumma haberem cetera, temporis quidem certe vix ſatis habui.*

Ego hic ceſſo] Cum dicit, *Hic*, ſe non eſſe in urbe ſignificat. ut ep. 33. lib. 12. ad Att. *Ego hic vel ſine Sica faciliſme poſſem eſſe, ut tu mal...*

Librarii] Qui libros deſcribebant.

Facile legere ſoleo] Sic antiqui libri omnes. Interdum abundare verbum, *Legere*, ſuſpicatus ſum: ut ſubaudiatur, *Intelligere*: cum paullo ante dictum ſit, *Non intelligent.*

De quadrimo Catone] De puero Catone, quattuor annos nato. Hæc eſt illa interpoſitio, quam ne ipſe quidem legere facile ſolebat. nec dubito, quod aliis quoque viſum eſt, librum ſignificari, quem ſcripſit de laudibus Catonis Uticenſis: cujus libri teſtimonio utuntur veteres Grammatici. Non tamen deſunt ſcripti libri, in quibus eſt, *De qua primo*: ex quo creditum eſt, legi poſſe: *De qua primo caveto.*

Tertia] Mulier poſt duas ſorores nata, unde nomen: ſoror M. Bruti, uxor C. Caſſii, *Tertia* vocata, & *Tertulla*.

Pag. 460. *Aderit*] In cœna, quæ dabitur in illo triclinio.

Rogatus ſit] Ut ad cœnam veniat.

Demetrius] De quo ad me ſcribis, fortaſſe is, de quo epiſt. 17. 19.

Pag. 461. *Nunquam omnino Phalereus fuit*] Jocatur in Demetrii nomine, nunquam, ait, elegans, urbanus, Phalereo Demetrio ſimilis fuit.

Plane Billienus eſt] Non Phalereo, ſed improbo homini Billieno ſimilis, qui nominatur epiſt. 15. lib. 8. quanquam ibi non *Billienus*, ſed *Bellienus* vocatur. hic veteres libri diſſentiunt. habent enim, *Billenus*, *Builenus*, *Bilienus*, *Billienus*.

Te de vicariam] Ut vicariam mihi operam præſtes: ut ea diligentia in eo obſervando & cavendo utaris, qua ego uterer, ſi adeſſem. *Vicarius* eſt, qui facit id, quod alius facere debebat.

Etſi, Veruntamen: De illis] Brevitas locum obſcurat: opinor tamen Demetrii illius, quem obſervari a Tirone jubet, conciſum perplexumque ſermonem repræſentarit.

Neſti cetera] Quæ ille ſolet dicere.

EPISTOLA XXIII.

TU *vero*] Epiſt. 12. *Ego vero.* quo loco vide quæ diximus.

Profeſſionem] *Profiteri*, eſt hic, publice denunciare, quidquid pecuniæ, agri, aliarumve rerum Cicero poſſideat. & videtur, ut hæc per Tironem, ſic altera ſuperioris anni profeſſio per Philotimum eſſe facta. nam epiſt. 33. lib. 13. ad Att. *Negligentiam*, ait, *miram! ſemelne putas mihi dixiſſe Balbum, & Faberium, profeſſionem relatam? quin etiam eorum juſſu miſeram, qui profiteretur. profeſſus eſt Philotimus.*

Hæc pecunia] Quæ nobis debetur.

Ut profeſſione non egeat] Quia, cum nondum ſit apud nos, profiteri eam non debemus.

Veruntamen] Subaudi, *cenſeo*: & hanc ipſam pecuniam profitere.

Balbus] Idem, qui epiſt. 21.

Epiphora] Oculorum morbo.

Ut loqui non poſſit] Jocus: nam epiphora officium oculorum impedit, non linguæ. *Non poſſit* autem dixit, id eſt, nolit: quia ſtudioſus Antonii, & homo tectus. epiſt. 21. lib. 14. ad Attic.

Antonius de lege quid egerit] Hoc malo cum ſuperioribus conjungere, quam, ut nonnullis placet, ſeparatim conſtituere. lex Antonii fortaſſe illa ſignificatur, de qua ſic epiſt. 12. lib. 14. ad Attic. *Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani: cujus rei, vivo illo mentio nulla.*

Liceat modo ruſticari] Quod urbanis rebus, quas Antonius conſul e ſua libidine adminiſtrat, antepono.

Bithynicum] Epiſt. 17. lib. 6.

De Servilio tu videris] Iſauricum ſignificari arbitror. is enim hoc anno periit, ut oſtendit Dio lib. 45. Reſpondet Ti-

roni, qui Servilii mortem ſignificaverat. Tu cogita, inquit, & cura, ne ex hac vita, niſi ultima ſenectute, diſcedas: quod Servilio contigit.

Senectutem non contemnis] Jocus non abeſt. ſignificat enim Cicero, Tironem non contemnere ſenectutem, ſed magni etiam facere: qui fortaſſe ſcripſerat, id ſibi curæ eſſe, ut ætate Servilium æquaret. Poteſt autem hoc tacite dicere, ſenectutem ego non tanti facio, quanti tu: vel quia neque mortem, neque caſum ullum extimeſco: (ad quam ſententiam ſpectant ea, quæ ſequuntur) vel quia ſatis jam videor vixiſſe. annum enim, cum hæc ſcripſit, agebat Cicero LXII. & occiſus eſt anno ſequenti.

Etſi Atticus noſter] Etſi Atticus, quia me quondam, antequam præſidio Philoſophiæ ſeptus eſſem, repentinis terroribus perturbari ſenſit, nunc item timidum eſſe putat: cum Philoſophia prorſus me liberet ab omni metu, quæ docet; timendum nihil eſſe, præter culpam, unde illa vox epiſt. 9. lib. 14. ad Attic. *O Socrates, o Socratici viri, nunquam ego vobis gratiam referam. Dii immortales, quam mihi iſta pro nihilo.*

Πανικοῖς] Repentinis terroribus: quorum cauſam Pani deo tribuit antiquitas: unde πανικά. Hoc ſatis eſt ad intelligentiam loci. Plura ſi quis poſtulat, Politianum legat Miſcell. cap. 28.

Pag. 462. Θορυβοποιεῖ] Tumultum facit: terrorem in aliis gignit. vult enim timere me ab Antonio.

Ego tamen Antonii, &c.] Etſi nihil timeo, Antonii tamen inveteratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere volo.

Inveteratam] Jam ante multos annos occidere Antonius P. Clodium Ciceronis cauſa conatus eſt. Phil. 2. & Cicero ſic ad eum ſcribit lib. 4. epiſt. ad Att. *ſemper te amavi, primum tuo ſtudio, poſt etiam beneficio provocatus.*

Nec tamen te avoco a ſyngrapha] Etſi videre te cupio: nolo tamen te ab urbe diſcedere, priuſquam conficias eam rem, cujus rei cauſa te miſi. Miſerat eum Cicero, ut pecuniam, ſibi per ſyngrapham debitam, exigeret.

Γόνυ κνήμης] Genu tibia propius eſt. nam ſubauditur ἐγγίον. Integrum proverbium recitat Ariſtoteles Moralium lib. 9. Theocritus autem in Idyllio, quod Charites inſcripſit, eodem ſenſu dixit, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνάμα, id eſt, longius, quam genu, tibia. Terentius autem in Andria: *Heus proximus ſum egomet mihi. Tunica pallio propior.* Plautus in Trin. dixit. Hoc proverbio ſignificatur, curanda magis eſſe, quæ magis ad nos pertinent.

Etenim] Abeſt ab uno vetere libro. placeret, *Eum:* ſed, *Etenim*, ferri tamen poteſt. quaſi hoc dicat Cicero: *Quippe ad cujus rutam.*

Ad cujus rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt] Amatus, ut ruta, Lepτæ ſermo; ſuavis, ut pulegium, Tironis. Lepida ſimilitudo, amaritudo, inquit, ſermonis Lepτæ, ſermonis tui ſuavitate, quaſi ruta pulegio, condietur. Notiſſima eſt utraque herba.

EPISTOLA XXIV.

Pag. 463. H*Arpalum*] Servum.

Miſeram] Romam, ubi Tiro erat.

Rei magnitudo] Rationes meæ, quas explicari a te cupio.

Prora & puppis] Summa conſilii mei. nam prora & puppis totam navem continent. unde natum proverbium apud Græcos, πρῶρα & πρύμνη.

Offilio & Aurelio] Creditoribus.

A Flamma] Debitore. hic eſt Flaminius Flamma, nominatus epiſt. 16. lib. 14. ad Att. & epiſt. 1. 2. lib. 15. ad eundem. Hoc & Calpurniæ gentis cognomen fuit.

Ut expedita ſit penſio Kal. Ian.] Ut Kal. Jan. ſolvat id, quod debet.

De attributione] De aſſignatione pecuniæ, quam Ciceroni Dolabella, divortio facto cum Tulliola, ejus filia, debebat. vide epiſt. 13. lib. 15. ad Att. & epiſt. 3. lib. 16. ad eundem. Varro lib. 1. ling. Lat.

De repræſentatione] De pecunia ante diem ſolvenda. id enim eſt *Repræſentare.* unde, *Repræſentare diem promiſſorum*, μεταφορικῶς, epiſt. 14.

Omnia mihi certa] Perſcribe. verbum omittit, ut infra, *Sed quod egerint:* & ſæpe in epiſtolis ad Att. figura eſt, quæ Græce ἀποσιώπησις dicitur, in epi-

ſtolis

ſtolis quæ ad familiares mittantur, uſurpata.

Quid Octavius] Agat. Poſt Cæſaris necem, ſororis ejus nepos Octavius, ab eo adoptatus, heresque relictus ex dodrante, Apollonia, ubi ſtudiis operam navaverat, ad urbem profectus, cum Antonio conſule in contentionem venit, primum pecuniæ Cæſaris cauſa, in quam Antonius impetum facere cogitabat, (epiſt. 23. lib. 12.) deinde propter ipſam remp. quam Antonius opprimere conabatur. epiſt. 25. lib. 12. epiſt. 7. lib. 16. ad Attic.

Sed ſi] Sic veteres libri omnes. Ego legendum arbitror, *ſed ſt*; id eſt, ſed hoc ſilebis. eſt enim, *St*, nota ſilentii. Idem olim ex lib. 2. de Orat. mendum ſuſtulimus. In Plauto etiam ubi legendum *St*, modo *Si*, modo *Aſt*, modo *At*, mendoſe legitur. Terentius quoque in Phormione hac nota uſus eſt. Et Nævius in Corollaria apud Cariſium: *St: tale verbum cave faxis.*

Pag. 464. *Balbum tuum*] L. Cornelium Balbum, Gaditanum, pro quo exſtat oratio.

Hirtium] Conſulem cum Panſa deſignatum in annum ſequentem.

Ad aquas] Bajanas. epiſt. 12. lib. 14. ad Attic.

Pag. 465. *Sed quid egerint*] Fac ut ſciam: vel, *Sciemus*, ſubaudiendum; amat enim hic Cicero brevitatem, ut paulo ante: *De publicis omnia mihi certa:* ſubandi, ſignificat. Mei tamen veteres libri, *Seis*, non *Sed*, omnes habent. itaque cogor de mendo ſuſpicari.

Dolabella procuratores fac, ut admoneantur] Qui conſul erat hoc anno. gener antea Ciceronis fuerat: & dimiſſa jam ante Hiſpanienſem Cæſaris victoriam Tulliola, dotem reddere debebat. Ideo utitur Cicero hoc verbo, *Admoneantur*: quod ad pecuniam pertinet, quam ei Dolabella debebat. epiſt. 18. lib. 6. *Me Romæ tenuit omnino Tullia mea partus: ſed, cum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam penſionem.*

Appellabis] Et hoc verbum eorum eſt, qui pecunias a debitoribus petunt. *Appellare* autem, plus eſt, quam *Admonere.* utriuſque verbi vis & notio patet ex oratione pro Quinctio: *Cum tibi quotidie poteſtas hominis fuiſſet admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere, appellas.*

Papiam] Mulierem Papiæ gentis, plebejæ, quæ Ciceroni pecuniam debebat. Hic apparet, valde Ciceronem de rebus domeſticis laborare. nam, cum dixiſſet jam, *De domeſticis rebus hactenus:* & publicas attigiſſet: rurſus in extrema epiſtola redit ad domeſticas.

EPISTOLA XXVI.

Pag. 466. *VErberavi te*] Accuſavi: ut in epiſt. ſequenti: *Mirificam mihi verberationem ceſſationis epiſtola dediſti.* modo a verberibus deducatur *verbero*: quod Nonius animadvertit.

Te patrono] Si tu cauſam tuam velis agere. quod ſi Marcum fratrem adhibeas patronum, fortaſſe ne is quidem, accurata licet oratione, probabit, vacare te culpa.

Lagenas etiam inanes obſignabat] Nam ſi quas non obſignatas, ut inanes, reliquiſſet; dici potuiſſet, eas quoque, quæ furtim eſſent exſiccatæ, inanes fuiſſe. ea vero ideo etiam inanes obſignabat, ut obſignatio lagenarum communis, plenas pariter eſſe omnes oſtenderet: & ita nullus excuſandi locus iis, qui eas furtim exſiccaſſent, relinqueretur. *Lagena*, vas vinarium fuit, quo vinum a cupa ad menſam ferebatur. opinor eſſe, quem communi lingua *fiaſcum* vocamus. id videtur oſtendere Plinius epiſt. 6. *Cum venabere, inquit, licebit auctore me, ut panarium, & lagunculam, ſic etiam pugillares feras.* Et epiſt. 30. *Vinum parvulis lagunculis in tria genera deſcripſerat.* Eodem ſpectant divi Auguſtini verba, quæ legimus confeſſionum lib. 9. c. 8. *Cum de more, ait de matre ſua, tanquam puella ſobria juberetur a parentibus de cupa vinum depromere, ſubmiſſo poculo, qua deſuper patet, priuſquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum: quia non poterat amplius, ſenſu recuſante.* Horatius in Satyra de Naſidieni cœna:

Convivæ reliqui minimum nocuere lagenis.

Idem

Idem epiſt. 2. lib. 2.

—— Poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno læſo non inſanire lagena.

Martialis videtur idem facere *lagenam*, *matellam*, *amphoram*; & lagenam ab uno Panarcto epotam ait. Lagenas e radicum filis tum fici, tum etiam ſilveſtrium, fieri ſolitas, auctor Plinius lib. 16. cap. 31.

EPISTOLA XXVII.

Pag. 467. M*Irificam mihi verberationem ceſſationis epiſtola dediſti*] Quid poteſt eſſe durius, aut magis diverſum a Marci fratris puriſſimo ſermone? Dicit hoc: valde me, quia ceſſaverim in litteris ad vos mittendis, verberaſti in epiſtola tua: pro, tacite reprehendiſti.

Verecundia] Qua factum eſt, ut parcius quædam ſcriberet, quæ ne fratris animum offenderent, verebatur.

Penitus novi] Cum legatus eſſet Cæſaris in Gallia.

A gubernaculis] A reip. adminiſtratione, tranſlatio a navi, quæ gubernatoris imperiti culpa naufragium facit.

Oppoſitis Gallorum caſtris] Quo tempore in Gallia cum Cæſare militabant.

Ille latro] M. Antonius, cum quo Hirtius & Panſa, ſequentis anni conſules, bellum geſturi videbantur. *Latronem* & Plancus vocat epiſt. 15. lib. 10. Et Phil. 6. *ſemper eum duo diſſimilia genera tenuerunt, lenonum & latronum.*

Delenict] Sibi conciliabit, ad ſuas partes traducet.

Tribunitiis] Vt Tribuni pl. totam remp. præſidio conſulari deſtitutam, ſuſcipiant.

Privatis] Vt privatus aliquis civis ducem ſe bonarum partium contra M. Antonium profiteatur. quod fecit Octavius. vide epiſt. 7. lib. 11.

Quibus alteri Ceſenam] Hunc locum carere menda nunquam non ſum arbitratus. neque enim adeo tum ignobilis, aut obſcura Ceſena fuit, quæ nunc in primis lauta & honeſta civitas eſt, ut, tamquam abjecta res, nominari debuerit. nam quod Sidonius Apollinaris furnum ait eſſe potius, quam oppidum: jocari videtur, ut amico, qui Lugdunum, patriam ſuam, accuſaverat, familiariter cavillans par pari referret. Auxit hanc ſuſpicionem vetus liber viri optimi nec litterarum expertis, condiſcipuli olim mei, Vincentii Riccii a Spe: quo in libro eſt, *Quibus geſsi, vel qui ius ſutsavarum.* Alter liber, e Cypro advectus, quo olim ſum uſus, habebat, *Quibus alteri Cenſenam.* Atque hoc teſtati ſumus ante multos annos in Scholiis noſtris. Nunc video ſcriptum eſſe in antiquo exemplari Fulvii Urſini: *Quibus alteri Cunſanatum, alteri Coſſutinarum:* ut ſint nomina tabernarum, quæ tunc ædificarentur. quod non diſplicet, licet ignotæ mihi tabernæ ſint. In aliis, *Conſuntinarum*, *Conſutianarum*, *Coſſutianarum.*

Pag 468. *Ut dixi*] Non in hac epiſtola, ſed in ſermone, cum ſimul eſſent.

Fere oculis] Mirifice diligo. *Reliqua exempla in oculis habent*, ut epiſt. 17 ad Q. fr. lib. 3. *Balbum in oculis fero.* Phil. 6. *Trebellium fert in oculis.* & alibi.

In medio foro] In urbe igitur Tiro, in agris erat Quinctus.

Diſſuaviabor] Et hic amor oſtenditur. nam *Suaviari*, id eſt oſculari, plus eſt, quam Complecti: *oculos*, plus quam malas: *in foro*, plus quam domi, vel, in via: *in medio foro*, plus quam in alia fori parte: *diſſuaviari* autem, plus quam ſuaviari: iteratio enim ſuaviorum indicatur. Veteres libri omnes, *Diſſaviabor*, detracta littera *V*: ut *Savium* quoque & *Suavium* veteres dicebant, a *Suavitate* tamen deducto vocabulo.

P. MANVTII IN CICERONIS EPISTOLAS AD FAMILIARES COMMENTARII

FINIS.

NOTAE
SIVE
OBSERVATIONES
IN
QUOSDAM AUCTORUM
Locos qui citantur.

Tom. I. Pag. 284. col. b, v. 1.

EX Polybio, ſententiæ complendæ gratia, inſerere poteris, Καρχηδονίοις μὲν, τὸν θεὸν τὸν πατρῷον. (f. ἱμώνειν δεῖ.) Ῥωμ. P. 299, a, verſus hic, Πολλ' ἐν κακοῖσι θυμὸς εὐνηθεὶς ὁρᾷ, a Stobæo citatur non ex Euripidis Medea, ſed e Sophoclis Tyro. nec ex eodem loco petitos eſſe verſus iſtos, diverſitas metri ſatis indicat. Deinde ex tribus verſibus, quos ab Euripidis Medea, quæ nunc eſt in manibus, (id eſt, quæ hoc ſeculo extat) abeſſe ſcribit, unus tantum abeſt. nam qui ſecundus eſt, Μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος ψυχὴ, δηχθεῖσα κακοῖσι, in Stephanea, Plantiniana & Hervagiana editione legitur non procul a principio, in colloquio Nutricis & Medeæ. Iidemque primus, quem ex Ariſtophanis ſcholiaſte adducit, paullo intervallo antecedit: ſed aliter in hodiernis editionibus legitur, in duos verſus diſtinctus: Δύστανος ἐγὼ μελέα τε πόνων· Ἰώ μοί μοι, πῶς ἂν ὀλοίμαν; Tum in Ariſtophanis loco qui præcedit, Baſileenſis & Florentinus codex habent, Ὤλόμαν ὠλόμαν, ἀποχειρωθεὶς τοῖς ἐν τοῖσι λοχευομέναις. Et mox, ὦ δῖε. pro ὦ. nam ὦ eſt σχετλιαστικόν. Pro ἀποχειρωθεὶς vero ſi quis ἀποχειρωθεὶς reponendum ſuſpicetur, non improbaverim.

Infra Tom. II. pag. 99, a, verſ. 14. pro φάλαγγι, quod Stephanus quoque agnoſcit, apud Suidam legimus φαλυροῖ. itemque pro ὀρίαμβον apud Stephanum eſt θρίαμβος. Pag. 124. b. μαζῷ.] Οἶος ὅρα τῷ. Et hæc quidem de Græcis. In Latinis vero non minorem ſæpe deprehendi diverſitatem: & ſunt alia nonnulla de quibus lector monendus erat. Sed quia pleraque in Commentario in epiſtolas ad Att. recurrunt, commodius ad finem illius reſervabuntur. Nunc quædam exempli gratia adduxiſſe ſufficiat.

Tom. I. pag. 25, b. v. 13. pro *Ergo dies*, in omnibus quæ inſpexi Virgilii exemplaribus legitur, *Jamque dies*. Pag. 39. *diſceſſum eſt* habent libri Com. Cæſ. impreſſi.

Pag. 70. a, v. 1. Joſ. Scaliger ſic legit, *Dea quoque ipſa Damia, & ſacerdos ejus Damiatrix appellabatur*, rejectis Græcis vocibus, ut ineptis. Pag. 173, a, v. 12. eſt *Ignavium*, ut Aldus repoſuit in Cæſare: nam apud alios invenies *Tignium*. Pag. 199, a, v. 40. ὑπὲρ Μαλίας Steph. in ſua editione legit, ep. 26. lib. 10. non Μαλέας: nec alterius lectionis meminit. citatur in plurali a quibuſdam ex Plut. Arato. Pag. 407, b, v. 8. *duumvir Ven.*] *Unchas* pro *Vachas*, & verſ. ſeq. *cum quibus ad*, Curtii quædam exemplaria habent. Porro p. 68, a, v. 44. *adjurat*. Pag. 184, a, v. 37. *ſuadeam*. Pag. 293, b, v. 1. *ſperare*. Pag. 356, b, v. 3. *oſtendebant*, rectius contra exemplar legeris.

Unum

Unum hic prætereundum non fuit: Hanc epiſtolarum editionem longe diverſam a Manutiana illa quæ ante multos annos prodiit, adeo ut aliqua etiam loca prorſus ſint mutila & aperte depravata; quæ tamen in veteribus codicibus omnino ita ſint & legantur: & hoc eo conſilio factitatum, ut lectione antiquorum exemplarium fideliter oſtenſa ſit, quo niti conjectura poſſit, ſi quis ingenio veritatem veſtigare voluerit. Sed ne cuipiam ea res fraudi ſit, in explanatione plerunque probata lectio, eademque opera utriuſque editionis diſcrimen indicatur. De quibuſdam vero dubium eſt, an eo modo in vet. lib. legantur, quo hic impreſſa ſunt; cum præſertim nulla de iis in Scholiis fiat mentio, quæ tamen neceſſaria eſſet. Ejuſmodi eſt locus lib. I. ep. 5. ubi pro *nimium magno ſilentio*, Aldina editio vetus habet *Omnium mag. ſil.* Sic lib. I. ep. 7. *animo in te ſingulari*, pro *animo ſingulari*: Lib. V. ep. 16. *Homines nos ut*, pro *homines ut.* Ibidem, *conditione vita videretur*, pro *conditione videretur.* Lib. VII. ep. 29. *ad urbem lubentes*, pro *ad ver. lub.* etiam in vet. cod. eſſe crediderim. Præterea in citatione locorum ex epiſtolis deſumptorum, Manutius fere lectiones veteris illius editionis ſequi ſolet: ut, cum lib. I. ep. 7. hujus editionis ſit, *qui per provinciam atque imperii tui provincias ei credidiſſent*, infra Tom. II. p. 102, a, v. 22. quo modo olim editum eſt, legit, *qui per provinciam imperii tui pecunias ei credidiſſent.* De cæteris volente Deo alias dicetur.

FINIS.

HIERONYMI RAGAZONII

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLAS FAMILIARES.

In quo breviſſime, quo quæque earum ordine ſcripta ſit, ex ipſa potiſſimum hiſtoria demonſtratur.

AMPLISSIMO VIRO,

VINCENTIO RICCIO,

Illuſt. Decemviralis Conſilii Venetae reip.
Secretario digniſſimo.

HIERONYM. RAGAZONIVS S.D.

SI, quantum ingenii M. Cicero, VINCENTI clariſſime, ad epiſtolas eas quæ familiares vocantur, ſcribendas adhibuit, tantum, qui ab initio ſexdecim earum volumina collegerunt, ad eas illuſtrandas induſtriæ attuliſſent, profecto iidem multo melius nobis, quam fecerunt, in hac tota literarum ratione conſuluiſſent. Cum autem res ita, neſcio quo fato, ceciderit, ut quo magis Cicero in his epiſtolis excelluerit, eo minorem illi noſtræ in iis componendis intelligentiæ rationem habuerint: propterea factum eſt, ut qui poſtea in iis aut emendandis, aut explanandis, aut quoquo modo illuminandis elaborarint, (quod multi hac ætate iique eruditi viri fecerunt) ii merito magnam laudem incredibili omnium hominum conſenſione adepti ſint. Etenim ſummam illam, quæ pleroſque ab hujuſmodi ſtudio deterrebat, obſcuritatem, ſi non penitus, at certe magna ex parte ſuſtulerunt. Ego autem illud in hac re præcipue dolere ſoleo, quod maximas ſemper his epiſtolis tenebras offudit, id neminem hucuſque, qui aliqua ratione diſcuſſerit, extitiſſe. id eſt, ut, quoniam nullo ſervato temporum ordine compoſitæ quondam fuerunt, ipſæ per tempora ſua digererentur, atque deſcriberentur. Quo ex labore cum alia multa commoda conſequuntur, tum illa in primis, ut propter negotiorum temporumque conjunctionem, & facilius alteram ex altera intelligamus, & ipſius Ciceronis eorumque annorum contextam hiſtoriam habeamus. Quorum non, perinde atque in epiſtolis ad Atticum colligendis factum eſt, rationem habitam eſſe demiror. Hoc autem ita eſſe, cum ipſe antea ſemper, ubi me ad hac ſtudia contuli, intellexi, tum meam hanc opinionem proximis hiſce annis, multo etiam vehementius Caroli Sigonii auctoritas confirmavit: quem a me ſæpe hac de re interrogatum, ita diſſerentem audivi, ut non multis ſolum laudibus conſilium, fructumque laboris hujus efferret, ſed etiam qua id potiſſimum ratione perduci ad exitum poſſet, ſigillatim oſtenderet. Quamobrem cum in quotidiana vitæ conſuetudine multa ab eo in hanc rem ſubtiliter & erudite dicta attente collegiſſem, jamque juſtum quaſi eorum commentarium ad meum uſum confeciſſem, tum me rem facturum eſſe omnibus harum epiſtolarum ſtudioſis non ingratam putavi, ſi quæ ipſe vel per me vel ab eo plurima in hoc genere didiciſſem,

ea ſummo ſtudio atque multorum dierum lucubratione conſcripta, ad eorum qui illum non audiverunt, utilitatem, literis memoriaque mandarem.

Id autem totum in tuo potiſſimum nomine apparere, VINCENTI *ampliſſime, volui, ut ipſe intelligeres, quam tuis fideliſſimis rectiſſimisque conſiliis diligentiſſime paruiſſem: quo præſertim auctore, Sigonio ipſi, poſtquam ille Venetiis publice profiteri cœpit, aſſiduum me in hac litterarum ratione auditorem addixi. Accedit, quod quanquam tu gravioribus in ſtudiis perpetuo ita verſatus es, ut nullum honeſtioris diſciplinæ genus ſit quod non plane perceperis, nulla inſignia ad laudem ornamenta, quæ non abunde retuleris: tamen cum te publicis negotiis, quibus maxime diſtineris, aliquantulum relaxaris, his noſtris etiam ſtudiis ſummopere delectaris: præſertim vero cum has ipſas epiſtolas ita ames, ut eas quotidie in manibus habeas: ita, ſi res ferat, in iſto tuo ampliſſimo apud Decemvirale Conſilium munere gerendo imiteris, ut plane exprimas: literatos autem homines ita omni ſtudio atque officio complectaris, ut cuncti propterea magnum ſuorum ſtudiorum præſidium in tua potiſſimum opera collocarint. Neque mehercule injuria. nam cum tu virtute, integritate, ac quotidiana officii aſſiduitate, præterea prudentia ac fide, (quibus rebus excellis,) effeceris ut apud principes in hac rep. viros auctoritate plurimum poſſis: idem etiam humanitate atque officio aſſequutus es, ut te non minus poſſe quam velle ſibi prodeſſe homines intelligerent. Epiſtolas igitur familiares, in ſuum quamque annum, ut a me fieri potuit, relatas, ac brevi, cur ita faciendum ſit, commentario illuſtratas, in tuo, ut dixi, nomine edo: ut eas, ſi probaveris, adverſus obtrectatores tua auctoritate defendas: ſin minus, eas tamen perpetuum meæ erga te ſingularis obſervantia teſtimonium habeas. Vale. Venetiis, prid. Idus Quinctil.*

HIERO.

HIERONYMI RAGAZONII

IN

EPISTOLAS CICERONIS

FAMILIARES COMMENTARIUS:

In quo breviſſime, quo quaeque earum ordine ſcripta ſit, ex ipſa potiſſimum hiſtoria demonſtratur.

Numerorum marginalium prior ad tomum, poſterior ad paginas remittit.

M. TVLLIO CICERONE.
C. ANTONIO COSS.
Anno ab Urbe condita DCXC.

Nullæ neque hoc anno, neque ante hunc annum, a Cicerone ſcriptæ extant epiſtolæ, de quibus affirmari pro certo poſſit.

D. IVNIO SILANO.
M. LICINIO MVRENA COSS.
Anno ab Urbe cond. DCXCI.

I. M. Tullius M. F. Cicero
242 S. D. CN. Pompejo CN. F. Magno Imp.

Si tu exercituſque valetis, bene eſt. Ex literis tuis] Hæc epiſtola ſcripta eſt Silano & Murena coss. anno poſtquam Cicero conſul fuit. erat autem in Aſia Pompejus, Mithridatico bello confecto. Itaque voluptatem ſe accepiſſe ait Cicero ex illa victoria: graviter autem tuliſſe, quod Pompejus de rebus a ſe in conſulatu, pulſo ex urbe Catilina, geſtis, ſibi non fuerit gratulatus. Res hæ a Cicerone conſule extremo conſulatus ſui menſe geſtæ erant. Pompejus autem, Piſone & Meſſalla coss. id eſt ſequenti anno, ex Aſia Romam rediit, & triumphavit, Plinio, cæteriſque, auctoribus. Cicero quidem etiam libro primo ad Att. in epiſtola, quam Kal. Jan. ſcripſit, Piſone & Meſſalla coss. prodromos Pompejanos de adventu Pompeji nunciare ſcribit. qua de re nihil in hac epiſtola ait: ut omnino ante K. Jan. quibus conſulatum Piſo & Meſſalla inierunt, ſcripta eſſe videatur.

Q. Metellus Q. F. Celer Procos. S. D. M. T. Ciceroni. I. 225

Si vales, bene eſt. Exiſtimaram] Hic Metellus prætor priore anno, conſule Cicerone, fuit: hoc autem anno Galliam proconſule adminiſtravit, quam Cicero conſul in concione depoſuerat. Auctores, Salluſtius, Dio, & alii. Queritur Q. Metellum Nepotem fratrem a Cicerone in Senatu, ſe abſente, fuiſſe oppugnatum. Hanc epiſtolam hoc anno ſcriptam eſſe, ſequens Ciceronis reſponſio demonſtrabit. Eandem autem ex provincia miſſam eſſe hæc verba indicant, *qui provinciæ exercituique præſum.*

M. T. Cicero Q. Metello Q. F. Celeri Procos. S. D. I. 226

Si tu exercituſque valetis, bene eſt. Scribis ad me] Reſpondet Cicero ſuperiori

periori Q. Metelli Celeris proconſulis epiſtolæ. Hanc hoc anno ſcriptam eſſe, hinc intelligi poteſt, quod in hac agitur de rebus recens actis a Q. Metello Celeris fratre, tribuno plebis, qui fuit (Plutarcho, Appiano, Dione, & ipſo etiam Cicerone auctoribus,) Silano & Murena coss. Id eſt, de iis rebus, quas ille tribunus contra ſe egit, prid. K. Jan. K. Jan. III. Non. Jan. quo tempore Celer ipſe Roma abfuiſſe videtur. Quibus de rebus agit etiam Dio in conſulatu Silani & Murenæ.

I. M. T. Cicero S. D.
237 C. Antonio M. F. Imp.

Etſi ſtatueram] Hic eſt C. Antonius, qui priore anno collega Ciceronis conſulis fuit, & hoc anno provinciam Macedoniam, quam in conſulatu obtinuerat, proconſule regebat: Dione, & aliis auctoribus. Hanc epiſtolam hoc anno ſcriptam eſſe, apparet ex eo quod in hac commendat ei T. Pomponium Atticum in Græciam proficiſcentem, qui ante K. Jan. Piſone & Meſſalla coss. profectus Roma fuiſſe videtur: cum ad eundem lib. primo ad Attic. ſcribat epiſtolam K. Jan. his conſulibus. Itaque in utraque epiſtola eadem fere continentur. nam quod in hac ait, *ne id dicam quod ajunt falſo in me ſolere conferri abs te*, ad Att. eſt, *Antonium in cogendo pecuniam dictitare, partem mihi quæri, & a me cuſtodem communis quæſtus libertum eſſe miſſum.* Item quod in hac ait, *Sed reliqua multo majus meum ſtudium deſiderant*, id eſt quod ad Att. ſcribit, *prodromi Pompejani nunciant aperte Pompejum acturum Antonio ſuccedi oportere.* idem confirmant verba epiſtolæ ad Att. cujus initium eſt, *Accepi tuas*: datæ VI. K. Feb. Meſſalla & Piſone coss. quæ ſunt hæc, *neque id ipſum certum habeo, quando ad Antonium proficiſcare.*

M. VALERIO MESSALLA.
M. PVPIO PISONE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCII.

M. Cicero S. D. P. Sextio I.
L. F. Procos. 239

Quum ad me Decius] Hic P. Sextius quæſtor C. Antonio conſuli ac deinde proconſuli in Macedonia fuit: hoc autem tempore cum eodem in provincia erat. Itaque cum C. Antonio proconſuli ſuccedendum eſſet, P. etiam Sextio quæſtori ejus ſuccedendum erat. De ſucceſſore autem ipſi Antonio mittendo egit in epiſtola ſuperiore, agit etiam in hac, cum ait *Antonium in ſenatu graviſſime defendi.* intelligit enim, ne ei ſuccederetur. poſt autem Cæſare & Bibulo coss. in judicio eum defendit de repetundis jam ex Macedonia reverſum, Dione auctore libro XXXVIII. & Cicerone in oratione pro Cœlio: quo judicio damnatus eſt, quod ſuſpicio erat ne cum Catilina olim conjuraſſet. Hæc autem epiſtola ſcripta eſt Meſſalla & Piſone coss. quia Q. Fufius, de quo hic mentio fit, tribunus pleb. his conſulibus fuit, Dione auctore lib. XXXVIII. Item quod de domo a ſe empta ſcribit, de qua ſcribit etiam ad Att. in epiſtola VI. K. Feb. data, Meſſalla & Piſone coss. Quæ cum ita ſint, puto in titulo epiſtolæ P. Sextium P. F. quæſtorem, aut proquæſtorem eſſe ſcribendum. quod oratio ipſa Ciceronis pro P. Sextio oſtendit, in qua eum Romæ & in Macedonia C. Antonio conſuli & proconſuli quæſtorem ait fuiſſe. de proconſulatu autem nihil.

L. AFRANIO.
Q. METELLO CELERE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCIII.

His conſulibus nullæ extant ſcriptæ epiſtolæ.

C. IVLIO CAESARE.
M. CALPVRNIO BIBVLO COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCIIII.

His conſulibus ne ullæ quidem ſcriptæ extant epiſtolæ.

L. CAL-

L. CALPVRNIO PISONE.
A. GABINIO COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCV.

II. M. Cicero Terentiae, &
355 Tulliolae, & Ciceroni,
Suis, S.P.D.

Ego minus ſæpe] Hoc anno Cicero pulſus eſt a P. Clodio Trib. pleb. menſe Martio (ut puto) extremo. nam ipſe, quemadmodum ſcriptum eſt lib. III. ad Att. cum hoc tempore in Macedoniam tenderet, Naryce Locridis ſcripſit Id. Aprilis: poſt Vibonem venit: inde III. Id. Aprilis, ſcripſit Thurii, & XIIII. K. Maji, Tarenti. inde Brundiſium venit XII. K. Maji. Brundiſii vero fuit. XIII. dies, ut in hac epiſtola ſcriptum eſt. Prid. autem K. Maji hanc epiſtolam Terentiæ ſcripſit Brundiſii, quemadmodum in extrema epiſtola adſcriptum eſt. Quæ cum ita ſint, ſane apparet, eum ait in hac eadem epiſtola, *Brundiſio profecti ſumus a. d. v. K. Majas*, legendum eſſe, a. d. II. K. Majas. alioquin nec XIII. dies Brundiſii fuerit, & dies epiſtolæ datæ repugnabit. Eſt autem intelligendum hanc ab eo epiſtolam ſcriptam eſſe tum cum a Brundiſio proficiſcebatur. quod ſignificat eum ſubjungit, *per Macedoniam Cyzicum petebamus.*

II. M. Cicero Terentiae, &
351 Tulliolae, & Ciceroni,
Suis, S.P.D.

Noli putare] Hanc epiſtolam ſcripſit iiſdem conſulibus, cum adhuc exularet, III. Non. Oct. Theſſalonicæ. Theſſalonicam autem venerat a. d. X. K. Jun. ut ſcribit ad Att. lib. III. 42.

M. Cicero Terentiae, & II.
Tulliolae, & Ciceroni, 349
Suis, S.P.D.

Et literis multorum] Scripta eſt iiſdem conſulibus a. d. VI. K. Decemb. Dyrrhachii. Dyrrhachium autem ſe a Theſſalonica paulo ante recepiſſe videtur, tum ex hac epiſtola, tum ex epiſtola ad Att. lib. III. 50. hoc eodem die Dyrrhachii data.

M. Cicero Terentiae, & II.
Tulliolae, & Ciceroni, 353
Suis, S.P.D.

Accepi ab Ariſtocrito] Iiſdem conſulibus, pridie K. Decemb. Dyrrhachii data: eodemque die ſcripſit epiſtolam ad Att. lib. III. 51.

P. LENTVLO SPINTHERE.
Q. METELLO NEPOTE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCVI.

M. Tullius Cicero S. D. I.
Q. Metello Nepoti Cos. 235

Litera Q. fratris] Hic eſt Q. Metellus Nepos, de quo trib. pleb. ante diximus, qui hoc anno conſul cum P. Lentulo Spinthere fuit. petit ab eo Cicero ut ſe in patriam reſtituat: quod impetravit. nam lib. IV. epiſt. ad Att. ſe prid. Non. Sept. hoc anno in urbem rediiſſe ſcribit. Itaque ante illud tempus hæc epiſtola ſcripta eſt.

CN. LENTVLO MARCELLINO.
L. MARCIO PHILIPPO COSS.
Anno ab urbe cond. DCXCVII.

M. Cicero P. Lentulo I.
Procos. 3

Ego omni officio] P. Lentulus, qui priore anno conſul Ciceronem de exi-

lio reſtituerat, hoc anno, id eſt, Marcellino & Philippo conſulibus, proconſul in Cilicia erat, cupiebatque Ptolemæum regem a ſuis pulſum in regnum reducere. hac de re quid actum ſit Cicero ſcribit Id. Jan. quemadmodum ex epiſtola elicitur. ex quo intelligi poteſt, Lentulum extremo ſuo conſulatu eſſe Roma profectum. quod ex Feneſtella etiam colligitur, auctore Nonio, qui ſic ſcribit, *Ut magiſtratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adoleſcens, nec imparatus ad dicendum, concionibus aſſiduis invidiam & Ptolemaeo ſimul, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo conſuli, paranti jam iter, concitare ſecundo quidem populi rumore cœpit.* C. autem Catonem hoc anno tribunatum plebis geſſiſſe, apparebit ex ſequentibus etiam ad Lentulum epiſtolis. Tribunos vero plebis IIII. Id. Decemb. inire ſolitos eſſe, ſatis ex Livio Dionyſioque perſpicuum eſt.

I. 8 M. Cicero P. Lentulo S. D.

Id. Jan. in ſenatu] Eidem Lentulo proconſuli narrat, quid de Ptolemæo reducendo ſit actum ab Id. Jan. uſque ad XVI. K. Feb. quo die hæc epiſtola data eſt, in qua meminit Lentuli Marcellini conſulis, & Lucilii tribuni pleb. qui fuerunt hoc anno.

I. 13 M. Cicero P. Lentulo S. D.

A. Trebonio] Eidem Lentulo proconſuli commendat negocia Trebonii, quæ multa in provincia Cilicia habebat. Hanc epiſtolam ſubſequi ſuperiorem ex eo intelligi poteſt, quod in quibuſdam libris manuſcriptis conjunctæ reperiuntur.

I. 14 M. Cicero P. Lentulo S. D.

A. d. XVI. K. Feb.] Eidem Lentulo narrat quæ acta ſint poſt diem XVI K. Feb. de re Ptolemæi. ſcripta tamen eſt ante K. Feb. quod inde intelligi poteſt, cum ait *Senatus haberi ante K. Feb. per legem Pupiam non poteſt.* Et quoniam iiſdem de rebus ſcripſit ad Q. Fratrem lib. II. XIIII. K. Feb. ſuſpicari quis poſſet, eodem die hanc etiam ſcriptam eſſe, aut non ita multo poſt.

M. Cicero P. Lentulo S. D. I. 16

Tametſi nihil] Eundem Lentulum de eadem re quid actum ſit certiorem facit. Haud ita multo poſt VIII. Id. Feb. ſcripta eſt, cujus diei in hac epiſtola meminit, & rerum quæ illo die actæ ſunt. cum, ſi poſt eum diem multis diebus ſcripta fuiſſet, pluribus aliis de rebus actis eum certiorem facere potuerit, de quibus agit in epiſtola ad Q. Fratrem XV. K. ſcripta.

M. Cicero P. Lentulo S. D. I. 19

Qua geruntur] Cum eodem agit de eadem re Alexandrina. procul dubio hoc anno ſcripta eſt, præſertim cum eadem impedimenta, de quibus paulo ante ſcripſit, commemoret.

Q. Metellus Nepos S. D. M. Ciceroni. I. 234

Hominis importuniſſimi] Q. Metellus, qui priore anno conſul Ciceronem reſtituit, hoc anno proconſul cum imperio in Hiſpania erat, Plutarcho in Cæſare, & Dione, auctoribus. Itaque idem in hac epiſtola ait, *Ad Lollium perſcripſi de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret, & commonefaceret.* Agit cum Cicerone de rebus a Clodio fratre hoc anno contra ſemetipſum & Ciceronem actis. Has res fuiſſe puto, de quibus agitur in oratione de Aruſpicum reſponſis, quæ hoc anno dicta eſt,

eſt, teſte ipſo Cicerone, qui in oratione ipſa Philippi & Lentuli conſulum meminit.

I. 254 M. Cicero S. D. L. Luccejo Q. F.

Coram me tecum] Lucejus Romanam hiſtoriam ſcribebat. petit igitur ab eo Cicero, ut de conſulatu deque reſtitutione ſua in patriam ſeparatim ſcribat. Hanc epiſtolam Marcellino & Philippo conſulibus eſſe ſcriptam, epiſtola quædam ad Att. indicat, his conſulibus data: in qua hæc verba ſunt, *Epiſtolam Luceio quam miſi, qua res meas ut ſcribat rogo, fac ut ab eo ſumas, valde bella eſt. eumque ut approperet adhorteris, & quod mihi ſe ita facturum reſcripſit, gratias agas.*

CN. POMPEIO MAGNO II.
M. LICINIO CRASSO II. COSS.
Anno ab urbe condita DCXCVIII.

I. 21 M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

Legi tuas literas] Initio ſecundi conſulatus Pompeji & Craſſi, qui hoc anno ex interregno conſules facti ſunt, (App. & Dione auctoribus) ſcripta eſt hæc epiſtola. quod inde intelligi poteſt, cum inquit, *ſtipendium Caſaris datum, & ne ſuccederetur.* hoc enim initio conſulatus ſui ſecundi Pompejum egiſſe ſcribit App. & Dio. Scripta autem videtur ante menſem Aprilis, quia lib. IV. ad Att. ſcribit Aprili menſe rumorem fuiſſe Puteolis, Ptolemæum eſſe in regno. in hac autem epiſtola reductionem ejus Lentulum habere poſſe ait. Reductum autem eſſe Pompejo & Craſſo coss. tradit Dio lib. XXXIX. Præterea quod ait in hac epiſtola, *quod mihi de filia & de Craſſipede gratularis*, ad Q. Fratrem lib. II. ſcribit. prid. Non. Aprilis, Marcellino & Philippo coss. Tulliam Craſſipedi deſponſatam.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D. I. 29

De omnibus rebus] Hæc etiam ſcripta eſt Craſſo, & Pompejo coss. hos enim notat, cum ait, *res omnes ſunt in amicorum noſtrorum poteſtate.* item, *otium nobis exoptandum eſt, quod ii qui potiuntur rebus, praſtaturi videntur.* item, *Pompejum tibi amicum eſſe cognovi, & eo tu conſule, quantum ego perſpicio, qua voles obtinebis*, adhuc non reductum regem ſignificat: quem tamen hoc eodem anno reductum eſſe a Gabinio Procos. Syriæ ſcribit (ut dixi) Dio.

M. Cicero M. Mario S. D. I. 361

Si te dolor] Marius in agris erat, Cicero Romæ. minuit ei voluptatem ludorum, quos Pompejus Conſul II. id eſt hoc anno, edidit, quibus Marius non affuit. de quibus ludis latius ſcribit Dio lib. XXXVIII. in ſecundo conſulatu Pompeji.

M. Cicero C. Sextilio Rufo Proquaeſtori S. D. II. 318

Omnes tibi commendo Cyprios] Hic C. Sextilius primus Cyprum pro quæſtore rexit, ut hac epiſtola ſcribit Cicero. Cum autem M. Cato, Dione auctore, ſuperiore anno, Philippo & Marcellino coss. ex Cypro redierit, in quam Gabinio & Piſone coss. profectus erat, eamque interim in provinciæ formam redegerat: profecto apparet, hunc Sextilium hoc anno in Cypro fuiſſe: præſertim vero, cum mentionem faciat legis P. Lentuli, qui biennio ante conſul fuit. huic ergo commendat Cicero omnes Cyprios, ſed maxime Paphios. Neque vero pro certo rem affirmamus.

L. DOMITIO AHENOBARBO,
AP. CLAVDIO PVLCHRO COSS.
Anno ab urbe condita DCXCIX.

I. M. Tullius Cicero M. Li-
244 cinio P. F. Craſſo S. D.

Quantum meum ſtudium] M. Craſſus prætore anno conſul Syriam provinciam adeptus, in eam eodem anno invitis & obnunciantibus tribunis plebis profectus erat, auctore Dione, & Plutarcho. Cicero autem hujus anni initio pro eo egit in Senatu, cum conſulibus Ap. Claudio & L. Domitio. quid autem egerit, ad Craſſum hac epiſtola in provinciam ſcribit. De eadem etiam contentione & defenſione Craſſi loquitur in epiſtola longa ad Lentulum, (quæ extremo hoc anno, ut oſtendam, ſcripta eſt) ita, *Craſſi cauſam, magna illius commendatione ſuſceptam, defendi in Senatu.*

I. M.Tullius Cicero C. Cæ-
373 ſari Imp. S. D.

Vide, quam mihi perſuaſerim] C. Cæſar jam quintum annum proconſule bellum gerebat in Gallia, cum ad eum cum his literis C. Trebatium miſit Cicero. Miſſum autem eſſe Domitio & Claudio coss. hinc intelligi poteſt, quod cum hanc epiſtolam ſcripſit, Balbus erat Romæ. quod ſignificat, cum ait, *ſuſtulimus manus & ego & Balbus.* Idem autem Balbus erat Romæ his conſulibus, Id. Januariis: quemadmodum ex epiſtola ad Q. fratrem lib. II. intelligi poteſt, cujus initium eſt, *Gaudeo tibi jucundas eſſe.* At Trebatius iiſdem conſulibus eſt in Gallia, menſe Majo: ut elicitur ex epiſt. ad Q. fratrem, quæ incipit, *A. d. III. Non. Jun.* ubi hæc verba ſunt, *Cæſar, Trebatium quod ad ſe miſerim, perſalſe, & humaniter etiam mihi gratias egit.* profectus eſt autem iiſdem conſulibus Q. frater ad Cæſarem poſt Trebatium, ante menſem Junium. quod indicat epiſtola ad eum proficiſcentem ſcripta, cujus initium eſt, *Duas adhuc.* In qua extrema hæc verba ſunt, *Trebatium ut valde amet, te valde rogo.*

M. Cicero Trebatio S. D. I. 377

In omnibus meis epiſtolis] Cum hæc epiſtola ſcripta eſt, Trebatius erat in Gallia cum Cæſare, itemque Balbus, quia ait, *in omnibus meis epiſtolis, quas ad Cæſarem aut ad Balbum mitto.* Hortatur eum ut deſiderium urbis deponat, monetque ne in Britannia ſe decipi patiatur. Bis autem in Britanniam trajecit Cæſar: primum priore anno Pompejo & Craſſo coss. Dione auctore lib. XXXIX. iterum hoc anno, Domitio & Claudio coss. Dione auctore lib. XL. Itaque cum ſuſpicaretur Trebatium cum Cæſare in Britanniam trajecturum, hæc ſcribit. ſiquidem in epiſtola quadam ad Att. lib. IV. his coss. data, ait, *ex Q. fratris litteris jam ſuſpicor Cæſarem eſſe in Britannia.*

M. Cicero Trebatio S. D. I. 379

Ego te commendare non deſiſto] Trebatium item de Britannia monet, ut ſi utile ſit in eam trajicere, trajiciat: ſin minus, in Gallia maneat. Meminit item literarum, quas a Q. fratre multas accipit: de quibus ante diximus.

Cicero Trebatio S. D. I. 380

Scripſit ad me Cæſar] Scribit ſe accepiſſe literas a Cæſare, quibus eum ſibi familiarem futurum affirmat. has autem epiſtolas ſe accepiſſe ait a. d. III. Non. Jan. ad Q. fratrem ſcribens, his verbis, *Cæſar, Trebatium quod ad ſe miſerim, perſalſe & humaniter etiam mihi gratias egit.* Videtur ſuſpicari, eum aut profectum jam, aut profecturum in Britanniam. quia ait, *ego veſtras Britannicas literas exſpecto.*

Cicero Trebatio S. D. I. 396

Ex tuis literis] Hæc epiſtola ſuperiorem ſequitur: quia in illa ſuſpicari videbatur eum profecturum eſſe in Bri-

Britanniam: in hac vero profectum eum non eſſe, videtur ſcire, cum ait, *in Britanniam te non eſſe profectum gaudeo. ubi ſis hiematurus, ſcribas ad me velim.* Cæſarem porro a.d.VI.K.Oct. exercitum Britannia reportaſſe ſcribit Cicero ad Att. lib. IV.

I. 381

Cicero Trebatio S.D.

Jamdiu ignoro quid agas] Quærit item ab eo ubi ſit hiematurus.

I. 383

Cicero Trebatio S.D.

Legi tuas litteras] Extremo hoc eodem anno videtur ſcripta hæc epiſtola: quia ait, *metue ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum cenſeo.* In Britanniam item eum non eſſe profectum, ſe ſcire ſignificat, cum ait, *quod ſi in Britanniam quoque profectus eſſes, nemo te in illa tanta inſula peritior fuiſſet.*

I. 394

Cicero Trebatio S.D.

In equo Trojano] Hæc item prope anni finem ſcripta videtur: quia ait, *nunc vero in hibernis injectus mihi videris.* item, *ecquid in Italiam venturi ſitis hac hieme, fac plane ſciam.* Item non tranſiſſe eum in Britanniam, ſe ſcire ſignificat, cum inquit, *In Britannia non nimis φιλοθέωρον te præbuiſti.*

I. 34

M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S.P.D.

Perjucunda] P. Lentulus proconſule adhuc Ciliciam regebat. Ap. Claudio conſule ſcripta eſt: ex his verbis, *Appius dixit, ſeſe, ſi licitum eſſet, legem Curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega provinciam: ſi curiata lex non eſſet, comparaturum cum collega, tibique ſucceſſurum. Legem curiatam conſuli ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe.* Hæc eadem de te ſcribit etiam ad Q. fratrem v. Id. Oct. his coss. ut omnino extremo hoc anno hæc epiſtola ſcripta eſſe videatur. Exponit quærenti Lentulo, cur Vatinium, Craſſumque inimicos ante ſuos, defenderit.

M.T. Cicero S.D. L. Valerio Juriſconſulto. I. 64

Cur enim tibi hoc non gratificer neſcio] Commendat Lentulo proconſuli Ciliciæ Valerium, qui in Cilicia erat. Credo autem commendaſſe eum in extremo conſulatu ejus: nam eundem commendat etiam Ap. Claudio proconſuli, ſucceſſori Lentuli, in prima ad eum epiſtola.

INTERREGNUM SEX MENSIUM ANTE CN. DOMITIUM CALVINUM, M. VALERIUM MESSALLAM COSS.
Anno ab urbe condita DCC.

Cicero Trebatio S.D. I. 385

Niſi ante Roma] Trebatius item in Gallia erat. hoc autem anno per ſex menſes interregnum fuit ſine conſulibus, ut ait Dio lib. XL. Inde in reliquum anni creati ſunt conſules, CN. DOMITIUS CALVINUS, & M. VALERIUS MESSALLA. Hanc autem epiſtolam per interregnum illud ſcriptam eſſe, ex his verbis intelligi poteſt, *quis enim tot interregnis juriſconſultum deſiderat?*

M. T. Cicero C. Curioni S.P.D. I. 67

Quanquam me nomine] C. Curio in Aſia erat, ut ex ea epiſtola apparet, cujus initium eſt, *Nondum erat auditum.* cum ait, *& te jam ex Aſia Romam verſus profectum eſſe conſtaret.* Fuiſſe autem in Aſia cum poteſtate, declarant verba illius epiſtolæ quæ incipit, *Hac negotia:* quæ ſunt, *Vel quod excelſo & illuſtri loco ſit laus tua, in plurimorum & ſociorum & civium conſpectu.* Veriſimile autem eſt quæſtorem fuiſſe, quia paucis poſt annis fuit Tribunus plebis: ante tribunatum autem capiebatur quæſtura. Quantopere autem & ſocios, & cives Romanos publicanos, qui in Aſia nego-

ciabantur, juvare & vexare poſſent quæſtores, apparet ex P. Rutilio, quæſtore Q. Mucii Scævolæ: quem icirco equites Romani damnarunt, quod Aſianos a publicanorum injuriis defenderat. Priores hæ epiſtolæ, quo anno ſcriptæ ſint, ex earum verbis non liquet. illud tantum conſtat, epiſtolam illam, *Nondum erat auditum*, ſcriptam eſſe hoc anno, Calvino & Meſſalla coss. quia in ea commendat Curioni ex Aſia Romam decedenti Milonem, conſulatus candidatum hoc anno: Dione, Appiano, & Pædiano, auctoribus. Cum autem in omnibus epiſtolis ante illam agat de reditu ejus, eodem forte anno omnes ſcriptæ eſſe videri poterunt, antequam Curio ex Aſia decederet. ſiquidem in hac ait, *ego te abfuiſſe tamdiu a nobis gaudeo.* Hæc certe præcedit reliquas, quod in ea Curionem a ſe requiſiviſſe literas ſcribit.

I. 70 M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

Gravi teſte] Agit cum Curione abſente de obitu patris ejus.

I. 71 M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

Rupa ſtudium] Hujus epiſtolæ cum ſuperioris conjunctum fere argumentum eſt. agit enim de ludis funebribus in honorem patris Curionis edendis, eoſque in adventum ejus differendos ſuadet. Ludorum ſpectandorum ſatietate omnes defeſſos ait, propter magnificentiſſimos (ut puto) ludos, quos Pompejus in ſecundo ſuo conſulatu paulo ante dedit.

I. 387 M. Cicero Trebatio S. D.

Mirabar quid eſſet] Epicureum factum eſſe Trebatium ſe audiſſe ait a Panſa. Rogat item ut ad ſe ſcribat quid agat: ut in ſuperiore ad eundem Trebatium.

M. Cicero Trebatio S. D. I. 389

Adeone me injuſtum] Hæc epiſtola his certe conſulibus ſcripta eſt. nam monet Trebatium ut vitet Treviros, quibuſcum bellavit Cæſar hoc anno, Dione auctore. Scripta eſt autem a. d. III. Non. Mart. ergo per interregnum.

Cicero Trebatio S. D. I. 393

Quam ſint moroſi] Ante, ſe moleſte tuliſſe ait quod Trebatius in Gallia invitus eſſet: nunc, dolere quod illic ſit libenter. Invitum autem fuiſſe ibi Trebatium, intelligitur fere ex omnibus ſuperioribus epiſtolis.

Cicero Trebatio S. D. I. 399

Accepi a te aliquot epiſtolas] In hac item ſignificat, ſe cognoviſſe quam forti animo militiam ferat, contra quam ille antea fecerat. Data eſt VI. Id. Ap. de Pontino.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D. I. 73

Epiſtolarum genera] Hortatur Curionem ad laudem, & maximam eſſe ejus expectationem ait. Remp. afflictam eſſe innuit: forte quod ſine conſulibus eſſet, nec comitia conſularia haberi civili contentione poſſent. Scripta eſt certe poſt ſuperiores: quia inquit, *utar ea clauſula qua ſoleo, teque ad ſtudium ſumma laudis cohortabor.* hac autem clauſula uſus eſt prima & tertia ante epiſtola.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D. I. 74

Hæc negotia] Admirabilem expectationem ejus reditus eſſe ait. de Rep. afflicta eadem repetit.

M. Ci-

I. M. Cicero S. P. D. P.
274 Sextio P. F.

Non oblivione] Hæc epiſtola ſine dubio ſcripta eſt poſt reditum Ciceronis ab exilio: quia ait, *Et proxime, recenti adventu meo, cum rem aliter inſtitutam offendiſſem ac mihi placuiſſet, ſi affuiſſem, tamen nulla re ſaluti tuæ defui: cumque eo tempore invidia annonæ inimici non ſolum mei, verum etiam amicorum tuorum, plus valuiſſet, &c.* Nam invidiam annonæ, quæ gravior facta erat poſt reditum Ciceronis, fecit Claudius & Ciceroni & amicis ejus. Eſt autem intelligendum, tria judicia commemorari in hac epiſtola a Cicerone: unum, quo, cum eſſet Sextius Quæſtor C. Antonii proconſulis Macedoniæ, accuſabatur una cum proconſule ſuo de repetundis: ut ſupra dictum eſt: alterum, de ambitu: tertium, de vi: ut ſcribit ad Q. fratrem, Marcellino & Philippo coſſ. In primo judicio ait ſe defendiſſe eum: cum inquit, *& primis illis temporibus, quibus in invidiam abſens & in crimen vocabare, defendi.* Judicio de vi eſt abſolutus, defendente Cicerone: quia ſcribit ad Q. fratrem, epiſtola ſcripta Lentulo & Philippo coss. ita. *Sextius noſter abſolutus eſt* III. *Id. Martias.* Tertio judicio de ambitu eſt condemnatus, de quo eum conſolatur in hac epiſtola: cum ait, *iniquitas totius judicii, multaque alia reip. vitia, plus quam cauſa ipſa veritaſque, valuiſſent.* Cum ergo damnatus illo judicio exularet Sextius, ad eum ſcripſit hanc epiſtolam Cicero conſolandi cauſa. Quia vero ait, *non oblivione amicitiæ noſtræ, neque intermiſſione conſuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas miſi.* Et paulo poſt, *cum vero & intervallum jam ſatis longum fuiſſet,* ſignificat aliquot tempora interceſſiſſe poſt ejus exilium, quibus non ſcripſerat. Item quia ait, *illud utinam ne vere ſcriberem, ea te rep. carere, in qua neminem prudentem res ulla delectet:* propterea in eam opinionem adducor ut credam, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam biennio poſt quam Sextius damnatus fuerat: cum propter ſeditiones civiles conſules creari non poſſent, ſed interregna alia ex aliis inirentur. quod hoc tempore factum eſt. Quamobrem hic ponendam eſſe hanc epiſtolam, nihil tamen affirmantes, duximus.

CN. DOMITIO CALVINO,
M. VALERIO MESSALLA, COSS.
in reliquum anni.

Cicero Trebatio S. D. I.

Chryſippus Vettius] Adventante æſtate ſcripta eſt, Calvino & Meſſalla coss. quia ait, *ſin æſtivus timor te debilitat, aliquid excogita, ut feciſti de Britannia.* in quam ſcilicet trajicere cum Cæſare anno ſuperiore noluit. 392

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D. I. 7

Nondum erat auditum] Superioribus proximis ad Curionem litteris magnam eſſe reditus ejus expectationem ſignificavit: in hac autem eum ipſum Romam adventare ait. Itaque huic adventanti Milonem commendat, qui in annum ſequentem conſulatum petebat, Dione, Appiano, Pædiano, auctoribus.

CN. POMPEIO MAGNO III. COS.
SINE COLLEGA.
Anno ab urbe condita DCCI.

M. Cicero M. Mario I.
S. D. 368

Mandatum tuum] Hoc anno cum civili contentione conſularia comitia haberi non potuiſſent, quibus Milo, Hypſæus & Scipio petebant, interregnum fuit uſque ad V. K. Martias: quo die Cn. Pompejus Magnus conſul creatus ſtatim iniit, auctore Pædiano in Milonianam. Hæc igitur epiſtola Pompejo III. cos. ſcripta eſt, quia de nece Clodii agit, hoc anno per inter-

terregnum commiſſa, & de novis legibus, quas tulit Pompejus, III. conſul: ut ait Pædianus his verbis, *Pompejus ſtatim conſulatum iniit, deinde ante diem tertium de legibus novis ferendis retulit.* Eadem & de legibus & de judiciis App. lib. II. & Dio lib. XL. quæ nunc Cicero. Præterea de T. Munatio Planco Burſa damnato agit: de quo etiam Dio in tertio conſulatu Pompeji. Damnatus eſt autem quod curiam incenderat in funere Claudii, teſte Dione.

I. 278 M. Cicero S. D. T. Fabio.

Etſi egomet] Quanquam non admodum certa eſt hujus epiſtolæ ſedes, tamen ante bellum civile Cæſaris ſcripta eſſe videtur. quod ex his verbis intelligi poteſt, *Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur eſſe, qui quam leviſſima pœna ab hac rep. diſceſſerit.* Conſulatut autem Fabium de repulſa lata: quam repulſam ipſe videtur tuliſſe Pompejo III. Conſule, remp. extraordinaria cum poteſtate adminiſtrante quod videtur his verbis ſignificari, *& cum unum ſit judicium ex tam multis quod reprehendatur, ut quod una ſententia eaque dubia potentia alicujus condonatum exiſtimetur, omnibus his de cauſis debes iſtam moleſtiam quam leniſſime ferre.*

II. 343 M. T. Cicero T. Titio, T. F. Legato S.

Etſi non dubito quin] T. Titius legatus erat rei frumentariæ curandæ. commendat ei C. Avianum, ut commodet ei de loco quo deportet frumentum: ut puto in Sicilia. nam &, *C. Avianus in Sicilia eſt*, charta 232. & Sicilia horreum populi R. ſolet eſſe. Sedes hæc videtur eſſe hujus epiſtolæ, quod ait ſe hoc idem obtinuiſſe per triennium, dum Pompejus ei negotio præfuit. Pompejus autem, Lentulo & Metello coss. rem frumentariam in quinquennium eſt adeptus, Dione auctore: quo expleto, facile hoc anno alius ſucceſſit cum hoc Titio legato. conjectura tamen eſt.

SER. SULPICIO RUFO,
M. CLAUDIO MARCELLO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCII.

M. T. Cicero Ap. Pulchro Imp. S. P. D. I. 121

Si ipſa reſp.] Ap. Claudius proconſul erat in Cilicia, ſucceſſeratque ante biennium Lentulo: Cicero Romæ erat. Hujus autem epiſtolæ quanquam incerta ſedes eſt, tamen illud affirmari poſſe videtur, non initio proconſulatus Appii miſſam eſſe, cum Imperator, non proconſul, in titulo epiſtolæ nominetur. Scripta eſt certe antequam Ciceroni obtigiſſet ut Appio in provincia ſuccederet. Succeſſit enim his iiſdem conſulibus, ut infra apparebit. De reconciliata gratia agit, quæ P. Clodii fratris ejus cauſa fuerat interrupta. Redierat autem in gratiam cum eo tum cum conſul eſſet. ut eodem anno in epiſtola longa ſcripſit ad Lentulum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D. I. 123

Quum & contra] Nunciat Ap. Claudio proconſuli Ciliciæ, ſibi obtigiſſe ut ei in provincia ſuccederet. Rogat eum ut ſibi provinciam quam expeditiſſimam tradere velit. Romæ adhuc erat Cicero, ut in ſequenti ait. Non videtur autem proconſul eſſe nominandus, niſi poſteaquam aut in provinciam pervenit, aut certe imperium ad urbem accepit.

M. T. Cicero Procos. Ap. Claudio Pulchro Imp. S. D. P. I. 124

A. d. XI. K. Jun.] Scripta eſt tum cum in Ciliciam proficiſcebatur ſucceſſurus Appio, menſe Majo: quemadmo-

admodum ex epiſtolarum ad Att. l. v. intelligi poteſt. Fuit autem in Tuſculano cum Attico Non. Maji. Inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompejano, Trebulano peragratis, Beneventum venit a. d. v. Id. Maji, Tarentum autem, a. d. xv. K. Jun. At vero Brundiſium, a. d. xi. K. Jun. quemadmodum in hac epiſtola ſcribit. ergo poſt xi. K. Juu. Scripta eſt tamen ante K. Jun. ſiquidem ait, ſe C. Pontinium legatum expectare Brundiſii, eumque ante K. Juu. venturum arbitrari. de quo ſic ſcribit etiam ad Att. lib. v. *De Pontinio recte ſcribis. eſt enim ita, ut ſi ante K. Jun. Brundiſii futurus ſit, minus urgendi fuerint M. Annius & Tullius.*

I. 440 M. Coelius M. Ciceroni S. D.

Quod tibi decedenti] Cœlius Ciceronem proconſulem in provinciam proficiſcentem certiorem facit de rebus urbanis, quemadmodum ei decedenti pollicitus erat ſe facturum. Scripta eſt poſt ix. K. Jun. ſed tamen ante K. Jun. quia ait, *te a. d. ix. K. Jun. ſubroſtrani diſſiparant periiſſe.* item, *Marcellus conſul provinciarum relationem in K. Jun. distulit.*

I. 127 M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

Prid. Non. Jun.] Scripta eſt poſt diem prid. Non. Jun. quo die ſe fuiſſe etiam Brundiſii ſignificat in epiſtola ipſa.

II. 263 M. Cicero C. Memmio S. D.

Etſi non ſatis] C. Memmius Pompejo III. cos. de ambitu condemnatus, Athenis nunc exulabat. Quo Cicero venerat a. d. vi. K. Quint. ut eſt in epiſtolis ad Att. Ibi eum videre Memmium exulantem non potuiſſet, (quod ſe prid. quam Athenas venerat Cicero, Mitylenas contuliſſet) ſcribit ad eum, doletque ſe non potuiſſe eum Athenis videre: petit autem ab eo ut Patroni cuidam commodet. qua de re ſic ad Att. l. v. *Commodius viſum eſt & Xenoni, & poſt ipſi Patroni, me ad Memmium ſcribere, (qui prid. quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat) ut is ad ſuos ſcriberet, poſſe id ſua voluntate fieri.*

M. Cicero C. Memmio. II. 266

C. Aviano Euandro] Ad eundem Memmium ſcribit, atque ei commendat Avianum ſtatuarium, ut ei de habitatione accommodet. Scripta eſt ante K. Quint. quia inquit Aviano ſubitum eſſe remigrare K. Quint.

M. T. Cicero procos. M. Coelio S. P. D. I. 82

Quid? ut me hoc tibi] Cicero Athenis profectus eſt prid. Non. Quint. cum ibi decem dies ipſos fuiſſet. ad Att. eo die Athenis proficiſcens hanc epiſtolam ſcripſit, ut ex ipſa epiſtola apparet. Reſpondet epiſtolæ Cœlii ſuperiori, cujus initium eſt, *Quod tibi.*

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 446

Certe inquam] Certiorem facit Ciceronem abſentem de rebus urbanis. id eſt, Meſſallam abſolutum, Marcelli impetus reſediſſe, Hirrum ſecum ædilitatem petere. Mandat ut, ſi ædilis creatus fuerit, ſibi curet pantheras: & ſyngrapham Sitianam ei commendat.

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 448

Eſt ne? vici] Nunciat item ſe in ædilitate competitorem habere Hirrum.

periori Q. Metelli Celeris proconſulis epiſtolæ. Hanc hoc anno ſcriptam eſſe, hinc intelligi poteſt, quod in hac agitur de rebus recens actis a Q. Metello Celeris fratre, tribuno plebis, qui fuit (Plutarcho, Appiano, Dione, & ipſo etiam Cicerone auctoribus,) Silano & Murena coſs. Id eſt, de iis rebus, quas ille tribunus contra ſe egit, prid. K. Jan. K. Jan. III. Non. Jan. quo tempore Celer ipſe Roma abfuiſſe videtur. Quibus de rebus agit etiam Dio in conſulatu Silani & Murenæ.

I. M. T. Cicero S. D.
237 C. Antonio M. F. Imp.

Etſi ſtatueram] Hic eſt C. Antonius, qui priore anno collega Ciceronis conſulis fuit, & hoc anno provinciam Macedoniam, quam in conſulatu obtinuerat, proconſule regebat. Dione, & aliis auctoribus. Hanc epiſtolam hoc anno ſcriptam eſſe, apparet ex eo quod in hac commendat ei T. Pomponium Atticum in Græciam proficiſcentem, qui ante K. Jan. Piſone & Meſſalla coſs. profectus Roma fuiſſe videtur: cum ad eundem lib. primo ad Attic. ſcribat epiſtolam K. Jan. his conſulibus. Itaque in utraque epiſtola eadem fere continentur. nam quod in hac ait, *ne id dicam quod ajunt falſo in me ſolere conferri abs te*, ad Att. eſt, *Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & a me cuſtodem communis quæſtus libertum eſſe miſſum.* Item quod in hac ait, *Sed reliqua multo majus meum ſtudium deſiderant*, id eſt quod ad Att. ſcribit, *prodromi Pompejani nunciant aperte Pompejum acturum Antonio ſuccedi oportere.* idem confirmant verba epiſtolæ ad Att. cujus initium eſt, *Accepi tuas:* datæ VI. K. Feb. Meſſalla & Piſone coſs. quæ ſunt hæc, *neque id ipſum certum habeo, quando ad Antonium proficiſcare.*

M. VALERIO MESSALLA.
M. PVPIO PISONE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCII.

M. Cicero S. D. P. Sextio I.
L. F. Procos. 239

Quum ad me Decius] Hic P. Sextius quæſtor C. Antonio conſuli ac deinde proconſuli in Macedonia fuit: hoc autem tempore cum eodem in provincia erat. Itaque cum C. Antonio proconſuli ſuccedendum eſſet, P. etiam Sextio quæſtori ejus ſuccedendum erat. De ſucceſſore autem ipſi Antonio mittendo egit in epiſtola ſuperiore, agit etiam in hac, cum ait *Antonium in ſenatu graviſſime defendi.* intelligit enim, ne ei ſuccederetur. poſt autem Cæſare & Bibulo coſs. in judicio eum defendit de repetundis jam ex Macedonia reverſum, Dione auctore libro XXXVIII. & Cicerone in oratione pro Cœlio: quo judicio damnatus eſt, quod ſuſpicio erat ne cum Catilina olim conjuraſſet. Hæc autem epiſtola ſcripta eſt Meſſalla & Piſone coſs. quia Q. Fufius, de quo hic mentio fit, tribunus pleb. his conſulibus fuit, Dione auctore lib. XXXVIII. Item quod de domo a ſe empta ſcribit, de qua ſcribit etiam ad Att. in epiſtola VI. K. Feb. data, Meſſalla & Piſone coſs. Quæ cum ita ſint, puto in titulo epiſtolæ P. Sextium P. F. quæſtorem, aut proquæſtorem eſſe ſcribendum. quod oratio ipſa Ciceronis pro P. Sextio oſtendit, in qua eum Romæ & in Macedonia C. Antonio conſuli & proconſuli quæſtorem ait fuiſſe. de proconſulatu autem nihil.

L. AFRANIO.
Q. METELLO CELERE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCIII.

His conſulibus nullæ extant ſcriptæ epiſtolæ.

C. IVLIO CAESARE.
M. CALPVRNIO BIBVLO COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCIIII.

His conſulibus ne ullæ quidem ſcriptæ extant epiſtolæ.

L. CAL-

L. CALPVRNIO PISONE.
A. GABINIO COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCV.

II. M. Cicero Terentiae, &
355 Tulliolae, & Ciceroni,
Suis, S.P.D.

Ego minus ſæpe] Hoc anno Cicero pulſus eſt a P. Clodio Trib. pleb. menſe Martio (ut puto) extremo. nam ipſe, quemadmodum ſcriptum eſt lib. III. ad Att. cum hoc tempore in Macedoniam tenderet, Naryce Locridis ſcripſit Id. Aprilis: poſt Vibonem venit. inde III. Id. Aprilis, ſcripſit Thurii, & XIIII. K. Maji, Tarenti. inde Brundiſium venit XIII. K. Maji. Brundiſii vero fuit. XIII. dies, ut in hac epiſtola ſcriptum eſt. Prid. autem K. Maji hanc epiſtolam Terentiæ ſcripſit Brundiſii, quemadmodum in extrema epiſtola adſcriptum eſt. Quæ cum ita ſint, ſane apparet, cum ait in hac eadem epiſtola, *Brundiſio profecti ſumus a. d. v. K. Majas*, legendum eſſe, a. d. II. K. Majas. alioquin nec XIII. dies Brundiſii fuerit, & dies epiſtolæ datæ repugnabit. Eſt autem intelligendum hanc ab eo epiſtolam ſcriptam eſſe tum cum a Brundiſio proficiſcebatur. quod ſignificat cum ſubjungit, *per Macedoniam Cyzicum petebamus.*

II. M. Cicero Terentiae, &
351 Tulliolae, & Ciceroni,
Suis, S.P.D.

Noli putare] Hanc epiſtolam ſcripſit iiſdem conſulibus, cum adhuc exularet, III. Non. Oct. Theſſalonicæ. Theſſalonicam autem venerat a. d. X. K. Jun. ut ſcribit ad Att. lib. III. 42.

M. Cicero Terentiae, & II.
Tulliolae, & Ciceroni, 349
Suis, S.P.D.

Et literis multorum] Scripta eſt iiſdem conſulibus a. d. VI. K. Decemb. Dyrrhachii. Dyrrhachium autem ſe a Theſſalonica paulo ante recepiſſe videtur, tum ex hac epiſtola, tum ex epiſtola ad Att. lib. III. 50. hoc eodem die Dyrrhachii data.

M. Cicero Terentiae, & II.
Tulliolae, & Ciceroni, 353
Suis, S.P.D.

Accepi ab Ariſtocrito] Iiſdem conſulibus, pridie K. Decemb. Dyrrhachii data: eodemque die ſcripſit epiſtolam ad Att. lib. III. 51.

P. LENTVLO SPINTHERE.
Q. METELLO NEPOTE COSS.
Anno ab urbe condita, DCXCVI.

M. Tullius Cicero S. D. I.
Q. Metello Nepoti Cos. 235

Litera Q. fratris] Hic eſt Q. Metellus Nepos, de quo trib. pleb. ante diximus, qui hoc anno conſul cum P. Lentulo Spinthere fuit. petit ab eo Cicero ut ſe in patriam reſtituat: quod impetravit. nam lib. IV. epiſt. ad Att. ſe prid. Non. Sept. hoc anno in urbem rediiſſe ſcribit. Itaque ante illud tempus hæc epiſtola ſcripta eſt.

CN. LENTVLO MARCELLINO.
L. MARCIO PHILIPPO COSS.
Anno ab urbe cond. DCXCVII.

M. Cicero P. Lentulo I.
Procos. 3

Ego omni officio] P. Lentulus, qui priore anno conſul Ciceronem de exi-

lio reſtituerat, hoc anno, id eſt, Marcellino & Philippo conſulibus, proconſul in Cilicia erat, cupiebatque Ptolemæum regem a ſuis pulſum in regnum reducere. hac de re quid actum ſit Cicero ſcribit Id. Jan. quemadmodum ex epiſtola elicitur. ex quo intelligi poteſt, Lentulum extremo ſuo conſulatu eſſe Roma profectum. quod ex Feneſtella etiam colligitur, auctore Nonio, qui ſic ſcribit, *Ut magiſtratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adoleſcens, nec imparatus ad dicendum, concionibus aſſiduis invidiam & Ptolemaeo ſimul, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo conſuli, paranti jam iter, concitare ſecundo quidem populi rumore cœpit.* C. autem Catonem hoc anno tribunatum plebis geſſiſſe, apparebit ex ſequentibus etiam ad Lentulum epiſtolis. Tribunos vero plebis IIII. Id. Decemb. inire ſolitos eſſe, ſatis ex Livio Dionyſioque perſpicuum eſt.

I. 8 M. Cicero P. Lentulo S. D.

Id. Jan. in ſenatu] Eidem Lentulo proconſuli narrat, quid de Ptolemæo reducendo ſit actum ab Id. Jan. uſque ad XVI. K. Feb. quo die hæc epiſtola data eſt, in qua meminit Lentuli Marcellini conſulis, & Lucilii tribuni pleb. qui fuerunt hoc anno.

I. 13 M. Cicero P. Lentulo S. D.

A. Trebonio] Eidem Lentulo proconſuli commendat negocia Trebonii, quæ multa in provincia Cilicia habebat. Hanc epiſtolam ſubſequi ſuperiorem ex eo intelligi poteſt, quod in quibuſdam libris manuſcriptis conjunctæ reperiuntur.

I. 14 M. Cicero P. Lentulo S. D.

A. d. XVI. K. Feb.] Eidem Lentulo narrat quæ acta ſint poſt diem XVI K. Feb. de re Ptolemæi. ſcripta tamen eſt ante K. Feb. quod inde intelligi poteſt, cum ait *Senatus haberi ante K. Feb. per legem Pupiam non poteſt.* Et quoniam iiſdem de rebus ſcripſit ad Q. Fratrem lib. II. XIIII. K. Feb. ſuſpicari quis poſſet, eodem die hanc etiam ſcriptam eſſe, aut non ita multo poſt.

M. Cicero P. Lentulo S. D. I. 16

Tametſi nihil] Eundem Lentulum de eadem re quid actum ſit certiorem facit. Haud ita multo poſt VIII. Id. Feb. ſcripta eſt, cujus diei in hac epiſtola meminit, & rerum quæ illo die actæ ſunt. cum, ſi poſt eum diem multis diebus ſcripta fuiſſet, pluribus aliis de rebus actis eum certiorem facere potuerit, de quibus agit in epiſtola ad Q. Fratrem XV. K. ſcripta.

M. Cicero P. Lentulo S. D. I. 19

Quæ gerantur] Cum eodem agit de eadem re Alexandrina. procul dubio hoc anno ſcripta eſt, præſertim cum eadem impedimenta, de quibus paulo ante ſcripſit, commemoret.

Q. Metellus Nepos S. D. M. Ciceroni. I. 234

Hominis importuniſſimi] Q. Metellus, qui priore anno conſul Ciceronem reſtituit, hoc anno proconſul cum imperio in Hiſpania erat, Plutarcho in Cæſare, & Dione, auctoribus. Itaque idem in hac epiſtola ait, *Ad Lollium perſcripſi de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret, & commonefaceret.* Agit cum Cicerone de rebus a Clodio fratre hoc anno contra ſemetipſum & Ciceronem actis. Has res fuiſſe puto, de quibus agitur in oratione de Aruſpicum reſponſis, quæ hoc anno dicta eſt,

eſt, teſte ipſo Cicerone, qui in oratione ipſa Philippi & Lentuli conſulum meminit.

I. 254 M. Cicero S.D.L. Luccejo Q.F.

Coram me tecum] Lucejus Romanam hiſtoriam ſcribebat. petit igitur ab eo Cicero, ut de conſulatu deque reſtitutione ſua in patriam ſeparatim ſcribat. Hanc epiſtolam Marcellino & Philippo conſulibus eſſe ſcriptam, epiſtola quædam ad Att. indicat, his conſulibus data: in qua hæc verba ſunt, *Epiſtolam Luccejo quam miſi, qua res meas ut ſcribat rogo, fac ut ab eo ſumas, valde bella eſt. eumque ut approperet adhorteris, & quod mihi ſe ita facturum reſcripſit, gratias agas.*

CN. POMPEIO MAGNO II.
M. LICINIO CRASSO II. COSS.
Anno ab urbe condita DCXCVIII.

I. 21 M. Cicero P. Lentulo Procos. S.D.

Legi tuas literas] Initio ſecundi conſulatus Pompeji & Craſſi, qui hoc anno ex interregno conſules facti ſunt, (App. & Dione auctoribus) ſcripta eſt hæc epiſtola. quod inde intelligi poteſt, cum inquit, *ſtipendium Cæſari datum, & ne ſuccederetur.* hoc enim initio conſulatus ſui ſecundi Pompejum egiſſe ſcribit App. & Dio. Scripta autem videtur ante menſem Aprilis, quia lib. IV. ad Att. ſcribit Aprili menſe rumorem fuiſſe Puteolis, Ptolemæum eſſe in regno. in hac autem epiſtola reductionem ejus Lentulum habere poſſe ait. Reductum autem eſſe Pompejo & Craſſo coss. tradit Dio lib. XXXIX. Præterea quod ait in hac epiſtola, *quod mihi de filia & de Craſſipede gratularis*, ad Q. Fratrem lib. II. ſcribit. prid. Non. Aprilis, Marcellino & Philippo coss. Tulliam Craſſipedi deſponſatam.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S.D. I. 29

De omnibus rebus] Hæc etiam ſcripta eſt Craſſo, & Pompejo coss. hos enim notat, cum ait, *res omnes ſunt in amicorum noſtrorum poteſtate.* item, *otium nobis exoptandum eſt, quod ii qui potiuntur rebus, præſtaturi videntur.* item, *Pompejum tibi amicum eſſe cognovi. & eo tu conſule, quantum ego perſpicio, quæ voles obtinebis*, adhuc non reductum regem ſignificat: quem tamen hoc eodem anno reductum eſſe a Gabinio Procos. Syriæ ſcribit (ut dixi) Dio.

M. Cicero M. Mario S. D. I. 361

Si te dolor] Marius in agris erat, Cicero Romæ. minuit ei voluptatem ludorum, quos Pompejus Conſul II. id eſt hoc anno, edidit, quibus Marius non affuit. de quibus ludis latius ſcribit Dio lib. XXXVIII. in ſecundo conſulatu Pompeji.

M. Cicero C. Sextilio Rufo Proquaeſtori S.D. II. 318

Omnes tibi commendo Cyprios] Hic C. Sextilius primus Cyprum pro quæſtore rexit, ut hac epiſtola ſcribit Cicero. Cum autem M. Cato, Dione auctore, ſuperiore anno, Philippo & Marcellino coss. ex Cypro redierit, in quam Gabinio & Piſone coss. profectus erat, eamque interim in provinciæ formam redegerat: profecto apparet, hunc Sextilium hoc anno in Cypro fuiſſe: præſertim vero, cum mentionem faciat legis P. Lentuli, qui biennio ante conſul fuit. huic ergo commendat Cicero omnes Cyprios, ſed maxime Paphios. Neque vero pro certo rem affirmamus.

L. DOMITIO AHENOBARBO,
AP. CLAUDIO PULCHRO COSS.
Anno ab urbe condita DCXCIX.

I. M. Tullius Cicero M. Licinio P. F. Craſſo S. D. 344

Quantum meum ſtudium] M. Craſſus priore anno conſul Syriam provinciam adeptus, in eam eodem anno invitis & obnunciantibus tribunis plebis profectus erat, auctore Dione, & Plutarcho. Cicero autem hujus anni initio pro eo egit in Senatu, cum conſulibus Ap. Claudio & L. Domitio. quid autem egerit, ad Craſſum hac epiſtola in provinciam ſcribit. De eadem etiam contentione & defenſione Craſſi loquitur in epiſtola longa ad Lentulum, (quæ extremo hoc anno, ut oſtendam, ſcripta eſt) ita, *Craſſi cauſam, magna illius commendatione ſuſceptam, defendi in Senatu.*

I. M. Tullius Cicero C. Cæſari Imp. S. D. 373

Vide, quam mihi perſuaſerim] C. Cæſar jam quintum annum proconſule bellum gerebat in Gallia, cum ad eum cum his literis C. Trebatium miſit Cicero. Miſſum autem eſſe Domitio & Claudio coss. hinc intelligi poteſt, quod cum hanc epiſtolam ſcripſit, Balbus erat Romæ. quod ſignificat, eum ait, *ſuſtulemus manus & ego & Balbus.* Idem autem Balbus erat Romæ his conſulibus, Id. Januariis: quemadmodum ex epiſtola ad Q. fratrem lib. II. intelligi poteſt, cujus initium eſt, *Gaudeo tibi jucundas eſſe.* At Trebatius iiſdem conſulibus eſt in Gallia, menſe Majo: ut elicitur ex epiſt. ad Q. fratrem, quæ incipit, *A. d. III. Non. Jun.* ubi hæc verba ſunt, *Cæſar, Trebatium quod ad ſe miſerim, perſalſe, & humaniter etiam mihi gratias egit.* profectus eſt autem iiſdem conſulibus Q. frater ad Cæſarem poſt Trebatium, ante menſem Junium. quod indicat epiſtola ad eum proficiſcentem ſcripta, cujus initium eſt, *Duas adhuc.* In qua extrema hæc verba ſunt, *Trebatium ut valde ames, te valde rogo.*

M. Cicero Trebatio S. D. I. 377

In omnibus meis epiſtolis] Cum hæc epiſtola ſcripta eſt, Trebatius erat in Gallia cum Cæſare, itemque Balbus, quia ait, *in omnibus meis epiſtolis, quas ad Cæſarem aut ad Balbum mitto.* Hortatur eum ut deſiderium urbis deponat, monetque ne in Britannia ſe decipi patiatur. Bis autem in Britanniam trajecit Cæſar: primum priore anno Pompejo & Craſſo coss. Dione auctore lib. XXXIX. iterum hoc anno, Domitio & Claudio coss. Dione auctore lib. XL. Itaque cum ſuſpicaretur Trebatium cum Cæſare in Britanniam trajecturum, hæc ſcribit. ſiquidem in epiſtola quadam ad Att. lib. IV. his coss. data, ait, *ex Q. fratris litteris jam ſuſpicor Cæſarem eſſe in Britannia.*

M. Cicero Trebatio S. D. I. 379

Ego te commendare non deſiſto] Trebatium item de Britannia monet, ut ſi utile ſit in eam trajicere, trajiciat: ſin minus, in Gallia maneat. Meminit item literarum, quas a Q. fratre multas accipit: de quibus ante diximus.

Cicero Trebatio S. D. I. 380

Scripſit ad me Cæſar] Scribit ſe accepiſſe literas a Cæſare, quibus eum ſibi familiarem futurum affirmat. has autem epiſtolas ſe accepiſſe ait a. d. III. Non. Jan. ad Q. fratrem ſcribens, his verbis, *Cæſar, Trebatium quod ad ſe miſerim, perſalſe & humaniter etiam mihi gratias egit.* Videtur ſuſpicari, eum aut profectum jam, aut profecturum in Britanniam. quia ait, *ego veſtras Britannicas literas expecto.*

Cicero Trebatio S. D. I. 396

Ex tuis literis] Hæc epiſtola ſuperiorem ſequitur: quia in illa ſuſpicari videbatur eum profecturum eſſe in

Britanniam: in hac vero profectum eum non eſſe, videtur ſcire, cum ait, *in Britanniam te non eſſe profectum gaudeo. ubi ſis hiematurus, ſcribas ad me velim.* Cæſarem porro a.d.VI.K.Oct. exercitum Britannia reportaſſe ſcribit Cicero ad Att. lib. IV.

I. 381 Cicero Trebatio S.D.

Jamdiu ignoro quid agas] Quærit item ab eo ubi ſit hiematurus.

I. 383 Cicero Trebatio S.D.

Legi tuas litteras] Extremo hoc eodem anno videtur ſcripta hæc epiſtola: quia ait, *metuo ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum cenſeo.* In Britanniam item eum non eſſe profectum, ſe ſcire ſignificat, cum ait, *quod ſi in Britanniam quoque profectus eſſes, nemo te in illa tanta inſula peritior fuiſſet.*

I. 394 Cicero Trebatio S.D.

In equo Trojano] Hæc item prope anni finem ſcripta videtur: quia ait, *nunc vero in hibernis injectus mihi videris.* item, *ecquid in Italiam venturi ſitis hac hieme, fac plane ſciam.* Item non tranſiſſe eum in Britanniam, ſe ſcire ſignificat, cum inquit, *In Britannia non nimis φιλοθέωρον te præbuiſti.*

I. 34 M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S.P.D.

Perjucunda] P. Lentulus proconſule adhuc Ciliciam regebat. Ap. Claudio conſule ſcripta eſt: ex his verbis, *Appius dixit, ſeſe, ſi licitum eſſet, legem Curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega provinciam: ſi curiata lex non eſſet, comparaturum cum collega, tibique ſucceſſurum. Legem curiatam conſuli ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe.* Hac eadem de re ſcribit etiam ad Q. fratrem v. Id. Oct. his coss. ut omnino extremo hoc anno hæc epiſtola ſcripta eſſe videatur. Exponit quærenti Lentulo, cur Vatinium, Craſſumque inimicos ante ſuos, defenderit.

M.T. Cicero S.D. L. Valerio Juriſconſulto. I. 64

Cur enim tibi hoc non gratificer neſcio] Commendat Lentulo proconſuli Ciliciæ Valerium, qui in Cilicia erat. Credo autem commendaſſe eum in extremo conſulatu ejus: nam eundem commendat etiam Ap. Claudio proconſuli, ſucceſſori Lentuli, in prima ad eum epiſtola.

INTERREGNUM SEX MENSIUM ANTE CN. DOMITIUM CALVINUM, M. VALERIUM MESSALLAM COSS.
Anno ab urbe condita DCC.

Cicero Trebatio S.D. I. 385

Niſi ante Roma] Trebatius item in Gallia erat. hoc autem anno per ſex menſes interregnum fuit ſine conſulibus, ut ait Dio lib. XL. Inde in reliquum anni creati ſunt conſules, CN. DOMITIUS CALVINUS, & M. VALERIUS MESSALLA. Hanc autem epiſtolam per interregnum illud ſcriptam eſſe, ex his verbis intelligi poteſt, *quis enim tot interregnis juriſconſultum deſiderat?*

M. T. Cicero C. Curioni S.P.D. I. 67

Quanquam me nomine] C. Curio in Aſia erat, ut ex ea epiſtola apparet, cujus initium eſt, *Nondum erat auditum.* cum ait, *& te jam ex Aſia Romam verſus profectum eſſe conſtaret.* Fuiſſe autem in Aſia cum poteſtate, declarant verba illius epiſtolæ quæ incipit, *Hæc negotia:* quæ ſunt, *Vel quod excelſo & illuſtri loco ſit laus tua, in plurimorum & ſociorum & civium conſpectu.* Veriſimile autem eſt quæſtorem fuiſſe, quia paucis poſt annis fuit Tribunus plebis: ante tribunatum autem capiebatur quæſtura. Quantopere autem & ſocios, & cives Romanos publicanos, qui in Aſia nego-

ciabantur, juvare & vexare poſſent quæſtores, apparet ex P. Rutilio, quæſtore Q. Mucii Scævolæ: quem iccirco equites Romani damnarunt, quod Aſianos a publicanorum injuriis defenderat. Priores hæ epiſtolæ, quo anno ſcriptæ ſint, ex earum verbis non liquet. illud tantum conſtat, epiſtolam illam, *Nondum erat auditum*, ſcriptam eſſe hoc anno, Calvino & Meſſalla coss. quia in ea commendat Curioni ex Aſia Romam decedenti Milonem, conſulatus candidatum hoc anno: Dione, Appiano, & Pædiano, auctoribus. Cum autem in omnibus epiſtolis ante illam agat de reditu ejus, eodem forte anno omnes ſcriptæ eſſe videri poterunt, antequam Curio ex Aſia decederet. ſiquidem in hac ait, *ego te abfuiſſe tamdiu a nobis gaudeo.* Hæc certe præcedit reliquas, quod in ea Curionem a ſe requiſiviſſe literas ſcribit.

I. M. T. Cicero C. Curioni
70 S. P. D.

Gravi teſte] Agit cum Curione abſente de obitu patris ejus.

I. M. T. Cicero C. Curioni
71 S. P. D.

Rupa ſtudium] Hujus epiſtolæ cum ſuperioris conjunctum fere argumentum eſt. agit enim de ludis funebribus in honorem patris Curionis edendis, eoſque in adventum ejus differendos ſuadet. Ludorum ſpectandorum ſatietate omnes defeſſos ait, propter magnificentiſſimos (ut puto) ludos, quos Pompejus in ſecundo ſuo conſulatu paulo ante dedit.

I. M. Cicero Trebatio
387 S. D.

Mirabar quid eſſet] Epicureum factum eſſe Trebatium ſe audiſſe ait a Panſa. Rogat item ut ad ſe ſcribat quid agat: ut in ſuperiore ad eundem Trebatium.

M. Cicero Trebatio I.
S. D. 389

Adeone me injuſtum] Hæc epiſtola hiſce certe conſulibus ſcripta eſt. nam monet Trebatium ut vitet Treviros, quibuſcum bellavit Cæſar hoc anno, Dione auctore. Scripta eſt autem a. d. III. Non. Mart. ergo per interregnum.

Cicero Trebatio S. D. I.

393 *Quam ſint moroſi*] Ante, ſe moleſte tuliſſe ait quod Trebatius in Gallia invitus eſſet: nunc, dolere quod illic ſit libenter. Invitum autem fuiſſe ibi Trebatium, intelligitur fere ex omnibus ſuperioribus epiſtolis.

Cicero Trebatio S. D. I.

399 *Accepi a te aliquot epiſtolas*] In hac item ſignificat, ſe cognoviſſe quam forti animo militiam ferat, contra quam ille antea fecerat. Data eſt VI. Id. Ap. de Pontino.

M. T. Cicero C. Curioni I.
S. P. D. 73

Epiſtolarum genera] Hortatur Curionem ad laudem, & maximam eſſe ejus expectationem ait. Remp. afflictam eſſe innuit: forte quod ſine conſulibus eſſet, nec comitia conſularia haberi civili contentione poſſent. Scripta eſt certe poſt ſuperiores: quia inquit, *utar ea clauſula qua ſoleo, teque ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor.* hac autem clauſula uſus eſt prima & tertia ante epiſtola.

M. T. Cicero C. Curioni I.
S. P. D. 74

Hæc negotia] Admirabilem expectationem ejus reditus eſſe ait. de Rep. afflicta eadem repetit.

M. Ci-

I. 274 M. Cicero S. P. D. P. Sextio P. F.

Non oblivione] Hæc epiſtola ſine dubio ſcripta eſt poſt reditum Ciceronis ab exilio: quia ait, *Et proxime, recenti adventu meo, cum rem aliter inſtitutam offendiſſem ac mihi placuiſſet, ſi affuiſſem, tamen nulla re ſaluti tuæ defui: cumque eo tempore invidia annonæ inimici non ſolum mei, verum etiam amicorum tuorum, plus valuiſſet, &c.* Nam invidiam annonæ, quæ gravior facta erat poſt reditum Ciceronis, fecit Claudius & Ciceroni & amicis ejus. Eſt autem intelligendum, tria judicia commemorari in hac epiſtola a Cicerone: unum, quo, cum eſſet Sextius Quæſtor C. Antonii proconſulis Macedoniæ, accuſabatur una cum proconſule ſuo de repetundis: ut ſupra dictum eſt: alterum, de ambitu: tertium, de vi: ut ſcribit ad Q. fratrem, Marcellino & Philippo coſſ. In primo judicio ait ſe defendiſſe eum: cum inquit, *& primis illis temporibus, quibus in invidiam abſens & in crimen vocabare, defendi.* Judicio de vi eſt abſolutus, defendente Cicerone: quia ſcribit ad Q. fratrem, epiſtola ſcripta Lentulo & Philippo coss. ita, *Sextius noſter abſolutus eſt III. Id. Martias.* Tertio judicio de ambitu eſt condemnatus, de quo eum conſolatur in hac epiſtola: cum ait, *iniquitas totius judicii, multaque alia reip. vitia, plus quam cauſa ipſa veritaſque, valuiſſent.* Cum ergo damnatus illo judicio exularet Sextius, ad eum ſcripſit hanc epiſtolam Cicero conſolandi cauſa. Quia vero ait, *non oblivione amicitiæ noſtræ, neque intermiſſione conſuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas literas miſi.* Et paulo poſt, *cum vero & intervallum jam ſatis longum fuiſſet,* ſignificat aliquot tempora interceſſiſſe poſt ejus exilium, quibus non ſcripſerat. Item quia ait, *illud utinam ne vere ſcriberem, ea te reip. carere, in qua neminem prudentem res ulla delectet:* propterea in eam opinionem adducor ut credam, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam biennio poſt quam Sextius damnatus fuerat: cum propter ſeditiones civiles conſules creari non poſſent, ſed interregna alia ex aliis inirentur. quod hoc tempore factum eſt. Quamobrem hic ponendam eſſe hanc epiſtolam, nihil tamen affirmantes, duximus.

CN. DOMITIO CALVINO,
M. VALERIO MESSALLA, COSS.
in reliquum anni.

Cicero Trebatio S. D. I. 392

Chryſippus Vettius] Adventante æſtate ſcripta eſt, Calvino & Meſſalla coss. quia ait, *ſin aſtivus timor te debilitat, aliquid excogita, ut feciſti de Britannia.* in quam ſcilicet trajicere cum Cæſare anno ſuperiore noluit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D. I. 7

Nondum erat auditum] Superioribus proximis ad Curionem litteris magnam eſſe reditus ejus expectationem ſignificavit: in hac autem eum ipſum Romam adventare ait. Itaque huic adventanti Milonem commendat, qui in annum ſequentem conſulatum petebat, Dione, Appiano, Pædiano, auctoribus.

CN. POMPEIO MAGNO III. COS.
SINE COLLEGA.
Anno ab urbe condita DCCI.

M. Cicero M. Mario S. D. I. 368

Mandatum tuum] Hoc anno cum civili contentione conſularia comitia haberi non potuiſſent, quibus Milo, Hypſæus & Scipio petebant, interregnum fuit uſque ad V. K. Martias: quo die Cn. Pompejus Magnus conſul creatus ſtatim iniit, auctore Pædiano in Milonianam. Hæc igitur epiſtola Pompejo III. cos. ſcripta eſt, quia de nece Clodii agit, hoc anno per inter-

terregnum commiſſa, & de novis legibus, quas tulit Pompejus, III. conſul: ut ait Pædianus his verbis, *Pompejus ſtatim conſulatum init, deinde ante diem tertium de legibus novis ferendis retulit.* Eadem & de legibus & de judiciis App. lib. II. & Dio lib. XL. quæ nunc Cicero. Præterea de T. Munatio Planco Burſa damnato agit: de quo etiam Dio in tertio conſulatu Pompeji. Damnatus eſt autem quod curiam incenderat in funere Claudii, teſte Dione.

I. 278 M. Cicero S. D. T. Fabio.

Etſi egomet] Quanquam non admodum certa eſt hujus epiſtolæ ſedes, tamen ante bellum civile Cæſaris ſcripta eſſe videtur. quod ex his verbis intelligi poteſt, *Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur eſſe, qui quam leviſſima pœna ab hac rep. diſceſſerit.* Conſulatur autem Fabium de repulſa lata: quam repulſam ipſe videtur tuliſſe Pompejo III. Conſule, temp. extraordinaria cum poteſtate adminiſtrante quod videtur his verbis ſignificari, *& cum unum ſit judicium ex tam multis quod reprehendatur, ut quod una ſententia eaque dubia potentia alicujus condonatum exiſtimetur, omnibus his de cauſis debes iſtam moleſtiam quam leniſſime ferre.*

II. 343 M. T. Cicero T. Titio, T. F. Legato S.

Etſi non dubito quin] T. Titius legatus erat rei frumentariæ curandæ. commendat ei C. Avianum, ut commodet ei de loco quo deportet frumentum: ut puto in Sicilia. nam &, *C. Avianus in Sicilia eſt*, charta 232. & Sicilia horreum populi R. ſolet eſſe. Sedes hæc videtur eſſe hujus epiſtolæ, quod ait ſe hoc idem obtinuiſſe per triennium, dum Pompejus ei negotio præfuit. Pompejus autem, Lentulo & Metello coss. rem frumentariam in quinquennium eſt adeptus, Dione auctore: quo expleto, facile hoc anno alius ſucceſſit cum hoc Titio legato. conjectura tamen eſt.

SER. SULPICIO RUFO,
M. CLAUDIO MARCELLO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCII.

M. T. Cicero Ap. Pulchro Imp. S. P. D. I. 121

Si ipſa reſp.] Ap. Claudius proconſul erat in Cilicia, ſucceſſeratque ante biennium Lentulo: Cicero Romæ erat. Hujus autem epiſtolæ quanquam incerta ſedes eſt, tamen illud affirmari poſſe videtur, non initio proconſulatus Appii miſſam eſſe, cum Imperator, non proconſul, in titulo epiſtolæ nominetur. Scripta eſt certe antequam Ciceroni obtigiſſet ut Appio in provincia ſuccederet. Succeſſit enim his iiſdem conſulibus, ut infra apparebit. De reconciliata gratia agit, quæ P. Clodii fratris ejus cauſa fuerat interrupta. Redierat autem in gratiam cum eo tum cum conſul eſſet. ut eodem anno in epiſtola longa ſcripſit ad Lentulum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D. I. 123

Quum & contra] Nunciat Ap. Claudio proconſuli Ciliciæ, ſibi obtigiſſe ut ei in provincia ſuccederet. Rogat eum ut ſibi provinciam quam expeditiſſimam tradere velit. Romæ adhuc erat Cicero, ut in ſequenti ait. Non videtur autem proconſul eſſe nominandus, niſi poſteaquam aut in provinciam pervenit, aut certe imperium ad urbem accepit.

M. T. Cicero Procos. Ap. Claudio Pulchro Imp. S. D. P. I. 124

A. d. XI. K. Jun.] Scripta eſt tum cum in Ciliciam proficiſcebatur ſucceſſurus Appio, menſe Majo: quemadmo-

admodum ex epiſtolarum ad Att. l. v. intelligi poteſt. Fuit autem in Tuſculano cum Attico Non. Maji. Inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompejano, Trebulano peragratis, Beneventum venit a. d. v. Id. Maji, Tarentum autem, a. d. xv. K. Jun. At vero Brundiſium, a. d. xi. K. Jun. quemadmodum in hac epiſtola ſcribit. ergo poſt xi. K. Juu. Scripta eſt tamen ante K. Jun. ſiquidem ait, ſe C. Pontinium legatum expectare Brundiſii, eumque ante K. Juu. venturum arbitrari. de quo ſic ſcribit etiam ad Att. lib. v. *De Pontinio recte ſcribn. eſt enim ita, ut ſi ante K. Jun. Brundiſii futurus ſit, minus urgendi fuerint M. Annius & Tullius.*

I. 440 M. Coelius M. Ciceroni S. D.

Quod tibi decedenti] Cœlius Ciceronem proconſulem in provinciam proficiſcentem certiorem facit de rebus urbanis, quemadmodum ei decedenti pollicitus erat ſe facturum. Scripta eſt poſt ix. K. Jun. ſed tamen ante K. Jun. quia ait, *te a. d. ix. K. Jun. ſubroſtrani diſſiparant periiſſe.* item, *Marcellus conſul provinciarum relationem in K. Jun. diſtulit.*

I. 127 M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

Prid. Non. Jun.] Scripta eſt poſt diem prid. Non. Jun. quo die ſe fuiſſe etiam Brundiſii ſignificat in epiſtola ipſa.

II. 163 M. Cicero C. Memmio S. D.

Etſi non ſatu] C. Memmius Pompejo iii. cos. de ambitu condemnatus. Athenis nunc exulabat. Quo Cicero venerat a. d. vi. K. Quint. ut eſt in epiſtolis ad Att. Ibi cum videre Memmium exulantem non potuiſſet, (quod ſe prid. quam Athenas venerat Cicero, Mitylenas contuliſſet) ſcribit ad eum, doletque ſe non potuiſſe cum Athenis videre: petit autem ab eo ut Patroni cuidam commodet. qua de re ſic ad Att. l. v. *Commodius viſum eſt & Xenoni, & poſt ipſi Patroni, me ad Memmium ſcribere, (qui prid. quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat) ut is ad ſuos ſcriberet, poſſe id ſua voluntate fieri.*

M. Cicero C. Memmio. II. 266

C. Aviano Euandro] Ad eundem Memmium ſcribit, atque ei commendat Avianum ſtatuarium, ut ei de habitatione accommodet. Scripta eſt ante K. Quint. quia inquit Aviano ſubitum eſſe remigrare K. Quint.

M. T. Cicero procos. M. Coelio S. P. D. I. 82

Quid? ut me hoc tibi] Cicero Athenis profectus eſt prid. Non. Quint. cum ibi decem dies ipſos fuiſſet. ad Att. eo die Athenis proficiſcens hanc epiſtolam ſcripſit, ut ex ipſa epiſtola apparet. Reſpondet epiſtolæ Cœlii ſuperiori, cujus initium eſt, *Quod tibi.*

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 446

Certe inquam] Certiorem facit Ciceronem abſentem de rebus urbanis. id eſt, Meſſallam abſolutum, Marcelli impetus reſediſſe, Hirrum ſecum ædilitatem petere. Mandat ut, ſi ædilis creatus fuerit, ſibi curet pantheras: & ſyngrapham Sitianam ei commendat.

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 448

Eſt ne? vici] Nunciat item ſe in ædilitate competitorem habere Hirrum.

I. M. T. Cicero Procos. Ap.
129 Pulchro Imp. S. P. D.

Tralles veni] Cicero proficiſcens in Ciliciam, Epheſum venit, XI. K. Sext. Att. Tralles, VI. K. Sext. ex hac epiſtola. Laodiceam in provinciam prid. K. Sext. Att. Fam. Hanc ſcripſit poſt VI. K. Sext. ante prid. K. Sext. quia ait ſe putare illo die futurum Laodiceæ. De conveniendo in provincia Appio agit.

I. M. Coelius M. Ciceroni
451 S. D.

Invideo tibi] Scripta eſt K. Sext. ut adſcriptum eſt in extrema epiſtola. Nunciat de rebus urbanis: ut C. Marcellum conſulem deſignatum eſſe, Curionem petere tribunatum plebis: comitia ædilitia, quibus ipſe petebat, nondum eſſe habita. Pantheras & ſyngrapham Sitianam ei commendat.

I. M. Coelius M. Ciceroni
456 S. D.

Qua tu cura ſis] Timere ſe ait de copiis Ciceronis, ſi Parthi moveant. Optat ei tantum belli, quo triumphum conſequi poſſit. Curionem deſignatum Trib. pleb. nunciat. Nihil de ſuis comitiis ædilitiis ait: nondum autem habita fuiſſe videntur.

I. M. Coelius M. Ciceroni
476 S. D.

Sic tu inquis] Nunciat ſe viciſſe competitorem Hirrum, & ædilem ſe factum. Rogat item eum de pantheris: ſeque a. d. IV. Non. Sep. hanc dediſſe ait.

II. M. Cicero Procos. S. D.
402 M. Marcello Cos.

Te & pietatis] Cum accepiſſet a Cœlio comitiis conſularibus C. Marcellum conſulem factum, gratulatur M. Marcello conſuli de C. Marcello fratre ejus patruele in inſequentem annum conſule deſignato. Quia vero de Parthis nuntiari aliquid ait, neque ſe pûblice adhuc ea de re ſcribere velle, propterea hæc epiſtola videtur præcedere eam quam publicè miſit, in qua de Parthis nunciat.

M. Cicero Procos. C. Mar- II.
cello Cos. Deſ. S. D. 400

Maxima ſum lætitia] Gratulatur ei quod conſul deſignatus ſit.

M. Cicero Procos. C. Mar- II.
cello Collegae S. D. 401

Marcellum tuum] Gratulatur C. Marcello collegæ in auguratu de C. Marcello filio conſule deſignato.

M. Cicero Imp. L. Paullo II.
Cos. Deſ. S. D. 405

Etſi mihi nunquam] Gratulatur L. Paullo cos. deſ. de conſulatu. Hæ quatuor epiſtolæ gratulationis eodem (ut puto) die ſcriptæ ſunt. non videtur autem in titulo epiſtolæ Imperator appellandus, quod nondum in Amano rem geſſerit.

M. T. M. F. Cicero Procos. II.
S. D. Coss. Praet. Trib. 379
Pl. S. P. Q. R.

Si vos bene valetis, bene eſt: ego quidem valeo. Cum prid. K. Sext.] Quod negarat paulo ante, cum ſcriberet ad M. Marcellum conſulem, ſe adhuc de Parthico metu publice ſcribere velle, id nunc facit. nunciat enim Senatui, ut venerit in provinciam prid. K. Sext. ut accepto nuncio de bello a Parthis in Syriam illato, iter in Ciliciam per Cappadociam facere cœperit. Cum autem hæc ſcripſit, in Ciliciam per Cappadociam tendebat.

M. T.

I. 134 M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

Cum meum factum] Eodem tempore ſcripta eſt atque ſuperior: quia ait, ſe prid. K. Sext. in provinciam veniſſe, prid. K. Sept. ab Iconio caſtra moviſſe, iter in Ciliciam per Cappadociam facere. Agit cum Appio de ratione conveniendi eum in provincia.

II. 385 Cicero Imp. S. D. M. Catoni.

Quum ad me legati] Nunciat quemadmodum legati ab Antiocho Commageno ad ſe venerint in caſtra ad Iconium a. d. III. K. Sept. & nunciarint regis Parthorum filium cum magnis Parthorum copiis ad Euphratem veniſſe: ſe tamen de hac re nihil publice ſcribere. Non videtur autem Imperator eſſe appellandus in titulo epiſtolæ, ſed Proconſul, ob cauſam quam ante diximus. Præterea vero mendoſe eſt in epiſtola, ſe in caſtris ad Iconium conventum eſſe a legatis, a. d. III. Non. Sept. Siquidem ad Att. ſcribit ſe luſtraſſe exercitum apud Iconium III. K. Sept. & ad Appium, caſtra moviſſe ab Iconio prid. K. Sept.

II. 375 M. T. M. F. Cicero Procos. S. P. D. Coss. Praet. Trib. Pl. S. P. Q. R.

Si vos bene valetis, bene eſt: ego quidem valeo. Etſi non dubie] Ter ante Romam ſcripſit de metu Parthico: primo ad M. Marcellum conſulem obſcuriſſime: qua in epiſtola negavit ſe ad eum de ea re ſcribere velle, ne publice, cum ad conſulem ſcriberet, ſcribere videretur: deinde eadem illa ad Senatum, id eſt, quemadmodum de bello a Parthis in Syriam illato quotidie & nuncii & literæ afferrentur. Qua in epiſtola ait, ſe eum exercitu, per Cappadociæ partem eam quæ cum Cilicia continens eſt, iter feciſſe, caſtraque ad Cybiſtra, quod oppidum eſt ad montem Taurum, locaſſe. Tertio in epiſtola ad Catonem, qua ait, ſe in caſtris ad Iconium a. d. III. K. Sept. accepiſſe a legatis Antiochi Commageni regis Parthorum filium Euphratem tranſire cœpiſſe: ea tamen de re nihil publice ſcripſiſſe. Quarto nunc ad Senatum ſcribit, aitque ſe non ſolum a legatis Commageni regis, Parthos Euphratem tranſire cœpiſſe, audiſſe, ſed etiam a. d. XIII. K. Oct. cum exercitum in Ciliciam duceret, a Tarcondimoto accepiſſe Parthos item Euphratem tranſiſſe. Ergo quæ negarat Catoni ſe publice ſcripſiſſe, nunc quia certiora habet, ſcribit. Se ad Taurum inſtituiſſe ducere ait. Hanc epiſtolam de Parthico tumultu recitatam in Senatu Non. Oct. ſcribit ad Att.

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 465

Etſi de rep.] Narrat S. C. facta prid. K. Oct. ut C. Marcellus, L. Paullus coss. deſ. ad K. Martias (quæ futuræ eſſent in ſuo conſulatu) de provinciis Galliis referrent ad Senatum.

M. T. Cicero Procos. M. Coelio Rufo Aedili Cur. Deſ. S. P. D. I. 84

Plurimum tibi] Reſpondet epiſtolæ Cœlii, cujus initium eſt, *Sic tu, inquit, Hirrum tractaſti?* Gratulatur ei quod ædilis factus ſit: & ſerius ſe hoc facere ait, quia ſero audierit. in iis enim & locis eſſe, quo & propter longinquitatem & propter latrocinia tardiſſime omnia perferantur. Erat autem fortaſſe ad montem Taurum, de quo ſuperiore epiſtola.

M. T. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro. I. 143

Etſi quantum] Cicero Tarſum venit, Ciliciæ urbem, III. Non. Oct. Att. Tarſo Amanum verſus profectus eſt

eſt Non. Oct. ex hac epiſtola. Poſtridie ejus diei hanc epiſtolam ſcripſit, ut in hac ait. Querelis quibuſdam Appii reſpondet. De Parthis quod falſo nunciatum erat Romæ, ita quærenti Appio reſpondet, *de Parthis quod quæris, fuiſſe nullos puto. Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertiſſe. Hoſtem eſſe in Syria negant ullum.*

I. M. T. Cicero Imp. M. Coe-
87 lio Rufo Aedili Cur.
Deſ. S. P. D.

Tu vide] Cicero a. d. III. Id. Oct. in Amanum montem venit: in eo rem bene geſſit, apud Iſſum Imperator appellatus eſt. Fam. Att. Cum hanc epiſtolam ſcripſit, in eo quintum & vigeſimum jam diem Pindeniſſum oppidum oppugnabat, id eſt XVI. K. Decemb. nam Pindeniſſum captum eſt Saturnalibus, ut ſcribit ad Att. id eſt XIV. K. Jan. cum per ſeptem & quinquaginta dies illud oppugnaſſet, ut ait in epiſtola ad Catonem. Nullas ſe a Cœlio accepiſſe literas ait, poſtea quam ædilis factus eſt. Neque enim dum accepiſſe videtur eas, quarum initium eſt, *Etſi de republica.*

I. M. Coelius M. Ciceroni
480 S. D.

Sane quam] Hæc epiſtola ſcripta eſt a. d. XIV. K. Decemb. ut ex ipſa apparet, in qua agit de falſo metu Parthico a Caſſio nunciato, qui Arabas ornatu Parthico in provinciam immiſiſſe credebatur. Qua de re ſcripſit ſuperiore etiam epiſtola ad Appium, poſtr. Non. Oct.

I. M. T. Cicero Procos.
80 C. Curioni Trib. Pl.
S. P. D.

Sera gratulatio] Gratulatur Curioni de tribunatu plebis, ſerius, ut ait, quia longius abeſt. Scripta eſt hæc epiſtola poſt captum Pindeniſſum, id eſt, poſt XIV. K. Jan. Quod intelligi poteſt ex his verbis, *Paucis diebus eram miſſurus domeſticos tabellarios, ut quoniam ſane feliciter & ex mea ſententia remp. geſſimus, unis literis totius æſtatis res geſtas ad Senatum perſcriberem.*

M. Cicero Volumnio I.
S. D. 434

Quod ſine prænomine] Hæc epiſtola ſcripta eſſe videtur Decembri menſe: quia meminit Curionis Trib. pleb. cum ait, *Cupio noſtrum illum amicum in Tribunatu quamplurimum habere gravitatis.* Dolet, poſt diſceſſum ſuum omnia omnium dicta in ſe conferri.

M. Cicero Q. Thermo II.
Proprӕt. S. 322

L. Genucilio Curvo] Q. Thermus proprætor erat Aſiæ tum cum Cicero proconſul erat Ciliciæ, quemadmodum ex ſequentibus epiſtolis aperte apparebit. Commendat ei hac epiſtola L. Genucilium. Quo autem menſe eam ſcripſerit, ex verbis ejus non liquet.

Cicero Thermo Pro- II.
prӕt. S. 325

Cluvius Puteolanus] Incertum eſt an hæc epiſtola ſcripta ſit ante rem geſtam a Cicerone in Amano, an vero poſteaquam geſſit. Illud non dubium eſt, ſcriptam eſſe poſtquam Epheſo profectus eſt. Epheſum autem venit XI. K. Sext. Att. ſiquidem ait, *Dixerat mihi Euthydemus cum Epheſi eſſem.*

Cicero Thermo Pro- II.
prӕt. S. 324

Etſi mihi videor] M. Annejus legatus Ciceronis rei ſuæ cauſa profectus erat ad Thermum proprætorem Aſiæ, quem-

quemadmodum apparet ex epiſtola ad Thermum, cujus initium eſt, *Quo magis.* Profectus autem videtur eſſe poſt rem a Cicerone in Amano monte geſtam: quia ait, *Tum vero poſteaquam mecum in bello ac in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam.* Hunc ergo commendat Thermo.

II. 330 M. Cic. P. Silio Propraet. S. D.

T. Pinnio] Illud ſatis conſtare videtur, hunc Silium in provincia eodem tempore fuiſſe, atque Ciceronem: quia ait ipſe Cicero ad Silium, *magnum theatrum habet iſta provincia, non ut hac noſtra.* Item videtur eodem tempore fuiſſe in provincia quo Cicero & Thermus in Cilicia & Aſia, & Bibulus in Syria, erant: quia ſcribit ad Att. *Thermum, Silium vero audio laudari. valde ſe honeſte gerunt. adde M. Nonium, Bibulum, me, ſi voles.* Quanquam eo in loco mendoſe legitur *Silvium*, meo quidem judicio. Provincia vero in qua erat Silius, videtur fuiſſe Bithynia, in qua ſunt Nicænſes, quorum in hac epiſtola meminit. Itaque hæ omnes epiſtolæ ſcriptæ ad Silium proprætorem, ſcriptæ ſunt a Cicerone ex provincia: quibus vero menſibus, non liquet.

II. 330 M. Cicero P. Silio Propraet. S. D.

Et in Atilii negotio] Gratias agit Silio de Atilio, & commendat Q. fratrem. Oſtendit autem ſe in provincia eſſe, cum ait, *cum enim ſere veniſſem.*

II. 331 M. Cicero P. Silio Propraet. S. D.

Non putavi] Commendat ei C. Lenium. Oſtendit ſe eſſe in provincia, cum ait, *Ego cum a me invitiſſimus dimiſi, quod conſilio ejus fideli ac bene libenter utebar.* Rogat eum ut ad ſe confectis ejus negotiis quam primum remittat.

M. Cicero P. Silio Propraet. S. D. II. 332

Nero meus] Commendat Silio Neronem, & quoſdam ejus familiares.

M. Cicero Craſſipedi S. P. D. II. 276

Quanquam tibi praſens] Difficile eſt de vera hujus epiſtolæ ſede aliquid affirmare: ſed tamen duplici conjectura ducor ut credam hoc tempore ſcriptam eſſe: altera, quod is Craſſipes, quæſtor Bithyniæ fuiſſe videtur, cum ait, *cujus rei quantam poteſtatem Quaeſtor habeat, non ſum ignarus.* ut Quæſtor eſſe C. Silii proprætoris Bithyniæ videatur. Altera eſt, quod utrique commendat ſocios Bithynicos, familiares ſuos: in primis autem Craſſipedi P. Rupilium, magiſtrum in ea ſocietate: C vero Silio P. Terentium Hyſponem, qui operas in ſcriptura pro magiſtro daret, ut in ſequenti epiſtola. Ex quibus intelligi poteſt id quod initio diximus, cum hoc tempore quo Silius proprætor erat in Bithynia, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, tum vero Craſſipedem Silii in Bithynia fuiſſe quæſtorem.

M. Cicero P. Silio Propraet. S. D. II. 333

Cum P. Terentio Hyſpone] Commendat P. Terentium Hyſponem, qui in Bithynica ſocietate operas in ſcriptura pro magiſtro daret. De cujus negotio ſe egiſſe ait cum Epheſiis tum cum fuit Epheſi in Ciliciam veniens.

Cicero Silio S. P. D. II. 318

Quid ego tibi commendem eum] Commendat ei Egnatium. Quanquam non eſt adſcriptum *Proprætori*, tamen idem Silius videtur eſſe. Videturque hæc epiſtola ſubſequi ſuperiores, quia ait, *ſed hac ceram.*

L. AEMILIO PAVLO,
C. CLAVDIO MARCELLO, COSS.
Anno ab Urbe condita DCCIII.

II. M. Cicero Imp. C. Catoni S. D.

387

Summa tua auctoritas] Jam Cicero æſtivis confectis Q. fratrem legatum hibernis & Ciliciæ præfecerat. Inde in Aſiam Tarſo Non. Jan. reverſus erat, Att. Tum igitur hanc epiſtolam ſcripſit, in qua omnes res a ſe geſtas in Amano monte exponit. Se Pindeniſſum cepiſſe nunciat, exercitum in hiberna dimiſiſſe, Q. fratrem provinciæ præfeciſſe. Supplicationem propterea ut ſibi Cato decernat petit.

II. M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

403

Quando id accidit] Petit item a conſule ut de ſupplicatione ſibi de rebus a ſe in provincia geſtis decernenda referat.

II. M. Cicero Imp. L. Paullo Cos. S. D.

406

Maxime mihi fuit] Petit idem a Paullo conſule quod petiit ſupra a collega Marcello. Miſit etiam hoc eodem tempore de eadem re literas ad Senatum, quæ interciderunt: de quibus loquitur in ſuperiore epiſtola ad Marcellum, cum ait, *Peto a te ut quam honorificentiſſimum S. C. literis meis recitatis, faciendum cures.* Non ſcripſiſſe autem ſe ſtatim poſt res geſtas, indicat in epiſtola ad Appium, cum ait, *idque a me recte factum puto, quod non ſtatim ut imperator appellatus ſim, ſed aliis rebus additis, æſtivisque confectis, literas miſerim.* Atque hæ tres epiſtolæ eodem fere die ſcriptæ eſſe videntur.

I. M. Coelius M. Ciceroni S. D.

460

Non dubito] Hæc epiſtola ſcripta videtur principio hujus anni, quia ait, *conſules adhuc S. C. nullum niſi de feriis Latinis facere potuerunt.* Nam ejuſmodi S. C. primis anni menſibus fiebant. Item, *Curionis noſtro tribunatus conglaciat.* Et poſt, *pro Cæſare loqui cœpit.* Inierat autem IV. Id. Decemb. qui dies ſolennis erat.

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I.

464

Quam cito] Hæc epiſtola ſcripta videtur poſtridie quam ſuperior. nam ait, *tuo liberto pluribus verbis ſcriptas pridie dederam.* Item audiſſe videtur rem a Cicerone bene geſtam: quia ait, *quæ adhuc felicius rem geſſiſti.*

M. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro. I.

138

Pluribus verbis] Hæc epiſtola ſcripta eſt dum Cicero eſſet Laodiceæ. ubi moratus eſt a III. Id. Feb. uſque ad Non. Maji, Att. & Fam. inquit enim in hac epiſtola, *Hæc ſcripſi ſubito cum Bruti pueri Laodiceæ me convenissent, & ſe Romam properare dixiſſent.* Item ſcripta eſt poſt brumam quia ait, *tametſi id quidem fecerunt ridicule: quas enim literas afferebant, ut opus æſtate facere poſſent, eas mihi poſt brumam reddiderunt.* Ex quo intelligi poteſt, imperatorem, non proconſulem, in titulo epiſtolæ eſſe appellandum: cum priore anno imperator ſit appellatus. Querelis item quibuſdam Appii reſpondet.

M. Cic. C. Caſſio Proquæſ. S. D. II.

407

M. Fabium] C. Caſſius proquæſtor erat Syriæ: eum hortatur ut Romam properans, curet ne quid ſibi temporis in provincia prorogetur. Se de M. Fabio ſtudioſe facturum quæ rogavit ait.

M. T. C.

I. M. T. C. Imp. M. Coelio
100 Aedili Cur. S. P. D.

M. Fabio] Commendat Cœlio rem M. Fabii. Scripta videtur per hiemem, quia ait, *Jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil ne vi ad nos afferebatur.* Hoc feciſſe C. Caſſii rogatu videtur, ex ſuperiore ad eum epiſtola.

II. M. Cicero C. Curtio Pe-
328 duceano Praet. S. P. D.

M. Fabium] Commendat item huic rem M. Fabii. Oſtendit etiam ſe in provincia eſſe, cum ait, *etiam cum procul abſim.*

II. M. Cicero C. Titio L. F.
328 Rufo Praet. Vrb. S.

L. Cuſtidius] Commendat huic L. Cuſtidium. Oſtendit etiam ſe in provincia eſſe, cum ait, *etiam cum longiſſime abſim.*

I. M. T. C. Imp. Ap. Pulchro
153 S. D.

Vix tandem] Literas ab Appio jam placato, poſtquam ad urbem acceſſerit, ſe accepiſſe ait: rogat eum ut ſe adjuvet in ſupplicatione decernenda. Hæc aliquanto poſt ſuperiores de ſupplicatione videtur ſcripta: quia ait, *Omnino ſerius miſi literas quam vellem. in quo cum difficultas navigandi fuit odioſa, tum in ipſum diſceſſum ſenatus incidiſſe credo meas literas.*

I. M. T. C. Imp. Coelio Aed.
91 Cur. S. P. D.

Putareſne unquam] Reſpondet de pantheris. Se ſolicitum eſſe quid de provinciis decernatur, & Romam redire cupere ait. Scripta eſt Megalenſibus. id eſt, Non. Apr. ex epiſtola.

Cicero Thermo Pro- II.
praet. S. 323

Cum mihi multa] Commendat Thermo M. Marcilium. Scripta eſt hoc tempore, quia ait Marcilium ad ſe veniſſe Laodiceam, ubi hoc tempore erat Cicero, ut oſtendimus.

Cicero Thermo Pro- II.
praet. S. 327

Quo magis] Ante K. Majas ſcripta eſt. quia ait, *Ego in Ciliciam proficiſci cogito circiter K. Majas. ante eum diem redeat Annejus legatus oportet.* Erat autem Annejus ad Thermum profectus rei ſuæ cauſa, ut diximus. quæ cum ita ſint, & ſuperiori & huic epiſtolæ in titulo addendum eſt IMP.

M. T. C. Imp. M. Coelio I.
Aedili Cur. S. P. D. 96

Raras tuas quidem] Scripta eſt ante Non. Maji, quia ait, *Proficiſci in Ciliciam cogitabam Non. Majs, &c. cum primum æſtiva attigiſſem, militaremque rem collocaſſem, decedere.* Reſpondet epiſtolæ Cœlii, cujus initium eſt, *Non dubito.*

M. T. Cicero Imp. Q. Ther- I.
mo Propraet. S. P. D. 115

Officium meum] Scripta eſt tum cum in Ciliciam revertebar ex Aſia: quia ait, *quod in Ciliciam proficiſcebar.* Monet ut provinciæ quæſtorem nobilem potius quam legatos præficiat.

M. T. Cicero Imp. Ap. I.
Pulchro S. P. D. 156

Cum eſt ad nos allatum] Appius accuſatus a Dolabella, opem Ciceronis per literas implorarat. Pollicetur ei opem Cicero, cum ait, *Promitto me pro tua dignitate in hac provincia, cui tu*

Præfuiſti, rogando, deprecatoris: laborando, propinquus: auctoritate, cari hominis (ut ſpero) apud civitates: gravitate, imperatoris ſuſcepturum officia atque partes. Intelligit autem, ut legatos ex Cilicia mittendos ſuadeat periculi Appii deprecatores. Scripta videtur, vel cum Laodiceæ erat, vel poſtquam in Ciliciam reverſus eſt: quia ait, *Pontinus conſcendens jam navem Epheſo Laodiceam revertit.* Sperat eum propediem Cenſorem auditurum. Petit ne quid ſibi temporis addatur in provincia.

II. M. T. Cicero Imp. Papirio
66 Paeto S. D.

Summum me ducem] Hæc epiſtola ſcripta videtur poſtquam Laodicea diſceſſit: quia ait, *Is cum ad me Laodiceam veniſſet.* Commendat Papirio item rem M. Fabii: quam ſupra commendavit etiam Cœlio.

I. M. T. Cicero Imp. C. Coe-
117 lio L. F. Quaeſt. Deſ.
S. P. D.

Cum optatiſſimum] Scripta eſt poſt K. Quint. quia ait, *Accepi a te miſſas literas in Cilicia, cum eſſem in caſtris, a. d. x. K. Quint.* Item quod ait, *Gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me in Ciliciam quamprimum veneris.*

I. M. T. Cicero Imp. Coelio
93 Rufo Aedili Cur. Deſ.
S. P. D.

Solicitus equid[illegible] De deceſſione cogitat: quod ait, [illegible]*e etſi cum hac leges, ego jam annuum munus confecero: tamen obviam mihi velim ſint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni reip. ne hoſpes plano veniam.* Eum videre ædilem ſe cupere ait.

I. M. T. Cicero Imp. Ap. Pul-
166 chro, ut ſpero, Cenſori
S. P. D.

Cum eſſem in caſtris] Adhuc in Cilicia eſt Cicero: quod inde intelligitur, cum ait, *Cum eſſem in caſtris ad fluvium Pyramum, redditæ mihi ſunt uno tempore a te epiſtolæ duæ.* Fuit autem in caſtris a. d. x. K. Quint. ut ſupra diximus. Item cum ait, *fiet a me cum per Aſiam decedam.* Gratulatur eum abſolutum eſſe de majeſtate, cenſorem jam illum eſſe ſperat.

M. Cato M. Ciceroni II.
Imp. S. 396

Quod & reſp.] Reſpondet Cato epiſtolæ Ciceronis, cujus initium eſt, *Summa tua auctoritas.* in qua ſupplicationem petierat.

M. Coelius M. Ciceroni I.
S. D. 483

Non diu] De ſupplicatione ejus quid egerit Curio Trib. pleb. Paullus, & Marcellus, coss. Cato, Favonius, Furnius, Lentulus, Balbus, nunciat. Item, ut Pompejus cum ſenatu incubuerit ut Cæſar ante Id. Novemb. decedat e provincia.

M. T. Cicero Imp. Caninio I.
Saluſtio Proquaeſt. 111
S. P. D.

Literas a te mihi ſtator] Saluſtius erat proquæſtor Bibuli proconſulis Sy[illegible] Scripta eſt poſt xvi. K. Sext. quia ait, *literas a te mihi ſtator tuus reddidit Tarſi, a. d. xvi. K. Sext.* Se prid. K. Sext. deceſſurum putat: quia ait, *quin ad diem decedam nulla cauſa eſt, præſertim ſublato metu Parthico.*

M. Coelius M Ciceroni I.
S. D. 490

Gratulor tibi affinitate] Gratulatur Ciceroni filiam Dolabellæ nu[illegible]ſiſſe. Nunciat ei mortem Q. Hortenſii, cum ait, *Q. Hortenſius, cum has literas ſcripſi, animam agebat.* Videtur ſcripta hæc epiſtola quo tempore Cicero

e Ci-

e Cilicia deceſſit: quia ſcribit in Bruto, *cum e Cilicia decedens Rhodum veniſſem, & eo mihi de Q. Hortenſii morte eſſet allatum.*

I. 169 M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

Gratulabor tibi prius] Gratulatur Appio, quod abſolutus ſit de ambitu: excuſat ſe quod Tulliam Dolabellæ accuſatori ejus collocaverit. Scripta eſt paulo poſt quam diſceſſit: quia ait, *Decedenti mihi, & jam imperio annuo terminato a. d. III. Non. Sext. cum ad Sidam navi accederem, literæ a meis ſunt redditæ.*

II. 398 M. T. Cicero M. Catoni S. D.

Lætus ſum] Agit gratias Catoni de ſupplicatione. Iam autem propius acceſſiſſe videtur: quia ait, *ego, ut ſpero, propediem te videbo.*

II. 404 M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

Quanta tibi cura] Agit gratias de ſupplicatione. Eodem tempore quo ſuperior, ſcripta videtur: quia ait, *ego, ſi me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipſos Eteſias, propediem te, ut ſpero, videbo.*

I. 173 M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. D.

Quaſi divinarem] Agit gratias de ſupplicatione: cum jam ſperat Cenſorem.

I. 101 M. T. Cicero Imp. M. Coelio Aedili Cur. S. P. D.

Non potuit accuratius agi] Agit gratias de ſupplicatione, & quod ſibi gratulatus ſit de matrimonio Tulliæ.

Reſpondet epiſtolis ſuperioribus Cœlii, *Quam cito*, &, *Gratulor tibi affinitate.*

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 487

Pudet me] Queritur de injuriis Appii, jam Cenſoris: & ſe Ciceronem expectare ait, atque eum quamprimum videre cupere.

M. Coelius M. Ciceroni S. D. I. 492

Tanti non fuit] In hac etiam de Appio Cenſore agit, rogatque Ciceronem ut quamprimum veniat. Ad arma rem ſpectare ait, propter contentionem Cæſaris & Pompeji de exercitibus dimittendis. Item ait, *ſcis Appium Cenſorem hic oſtenta facere? de ſignis, de tabulis, &c.* At ad Att. ſcribit Id. Oct. ita, *ſcribe de cenſoribus, maximeque de ſignis, tabulis, quid fiat.* Ergo hæc ante Id. Oct. ſcripta.

M. Cicero Terentiae, & Tul. Suis, S. D. II. 359

Si tu, & Tullia lux noſtra] Cicero Epheſo diſceſſit K. Oct. Att. Athenas venit prid. Id. Oct. ex hac epiſtola, quæ ſcripta eſt XV. K. Novemb. Se ad arma rem ſpectare audiſſe ait.

Tullius, & Cicero meus, & Frater, & Fr. F. Tironi Suo S. D. II. 429

Paulo facilius] Cicero diſcedens Patris ægrotum ibi Tironem reliquerat. ad eum igitur de valetudine ſcribit, III. Non. Novemb.

Tullius Tironi Suo S. II. 430

Non queo ad te] Scripta eſt Non. Novemb. Alyzia. De valetudine item Tironis agit.

O 3 Tul-

II. Tullius, & Cicero Tironi
430 Suo S. D. & Q. Frater & Filius.

Nos apud Alyziam] Scripta eſt VIII. Id. Novemb. quia ait, *nos apud Alyziam diem unum commorati ſumus. is dies fuit Non. Novemb. Inde ante lucem proficiſcentes a. d. VIII. Id. Novemb. has litteras dedimus.* De valetudine Tironis item agit.

II. Tullius Tironi ſuo S.P.D.
431 & Cicero, & Q. Frater, & Q. F.

Varie ſum affectus] Data eſt VII. Id. Novemb. Leucade. De valetudine Tironis item agit.

II. Tullius, & Cicero F. &
433 Q. Q. Tironi Humaniſs. & Optimo S. P. D.

Vide quanta in te ſit] Scripſit hanc epiſtolam Leucade proficiſcens, VII. Id. Novemb. De valetudine Tironis agit.

II. Tullius, & Cicero, & Q. Q.
434 Tironi S. P. D.

Tertiam ad te] Scripta Actio veſperi, VII. Id. Novemb.

II. Tullius, & Cicero, S. D.
435 Tironi ſuo.

Septimum jam diem] Data XV. K. Decemb. Corcyræ. Mendoſe autem legitur XV. K. Novemb. quia ait in epiſtola ſequenti, *Corcyræ fuimus uſque ad XVI. K. Decemb. tempeſtatibus retenti. a. d. XV. K. a portu Corcyræorum ad Caſſiopen ſtadia* CXX. *proceſſimus.* De ægritudine agit.

Tullius & Cicero Tironi II.
ſuo S. P. D. 436

Nos a te] Corcyra ad Caſſiopen ſe proceſſiſſe ait a. d. XV. K. Decemb. ibi fuiſſe uſque ad IX. K. Poſtridie in Italiam ad Hydruntem perveniſſe. VII. autem K. Decemb. Brundiſium veniſſe, & ſecum in oppidum Terentiam introiſſe, a. d. V. K. Decemb. Brundiſii Tironis literas accepiſſe, quibus cognovit Tironem convaluiſſe. Rogat igitur eum ne temere naviget: videturque Brundiſio diſceſſiſſe: quia ait, *equum & mulum Brundiſii tibi reliqui.*

C. CLAVDIO MARCELLO,
L. CORNELIO LENTVLO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCIV.

Tullius & Cicero, Teren- II.
tia, Tullia, Q. Q. Tironi 440
S. P. D.

Etſi opportunitatem] Cicero a. d. VIII. Id. Decemb. in Trebulanum venit: Att. De Formiano vero Tarracinam venit prid. K. Jan. Inde in Albanum Pompeji. Ita a. d. III. Non. Jan. ad urbem cogitabat, Att. Hanc autem epiſtolam Tironi ſcripſit prid. Id. Ian. qua certiorem Tironem facit (qui adhuc ægrotus erat Patris) quemadmodum ad urbem acceſſerit prid. Non. Ian. Item quemadmodum Cæſar ad ſenatum minaciter ſcripſerit, & ut ſenatus conſulibus, prætoribus, tribunis plebis, & ſibi proconſuli remp. commendarit. Italiæ regiones, quas quiſque tueretur, deſcriptas eſſe: ſe Capuam ſumpſiſſe. Hoc autem S. C. factum eſſe VII. Id. Ian. ſcribit Cæſar lib. primo De bello civili.

Cicero Rufo S. I.
282

Quoquo modo potuiſſem] Videtur hæc epiſtola ſcripta tum cum Cicero ad urbem erat: primum quia ait, ſe tribu-

tribunos militum, contubernales & præfectos, detuliſſe: (quæ delatio non niſi ad urbem fiebat) deinde quia addit, *cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te.* Agit cum quæſtore ſuo Ruſo de relatis provinciæ rationibus.

II. Tullius Terentiae, & Pater
367 Tulliolae, duabus animis ſuis: & Cicero Matri optimae, ſuaviſſimae Sorori S. P. D.

Si vos valetis, nos valemus] Data eſt VIII. K. Feb. Minturnis: nam mendoſe legitur VIII. K. Quint. fuit enim Minturnis hoc die, ut ſcribit ad Att. Accedit quod agit cum uxore, & filia, an debeant Roma cedere adventu Cæſaris: an ibi tuto eſſe per Dolabellam poſſint. qua de re agit etiam in ſequenti epiſtola, VII. K. Feb. data Formiis.

II. Tullius Terentiae, & Pa-
370 ter ſuaviſſimae Filiae: Cicero Matri & Sorori S. P. D.

Conſiderandum] Data eſt VII. K. Feb. Formiis. Agit de eadem re atque in ſuperiore egit.

II. M. Tullius S. D. Tironi
442 ſuo.

Quo in diſcrimine] Cicero VI. K. Feb. venit Capuam, Att. Hanc ſcripſit IV. K. Feb. Capua. Tiro adhuc erat Patris: ſe adhuc præeſſe oræ maritimæ a Formiis ait. Cæſarem Ariminum, Piſaurum, Anconam, Aretium occupaſſe ait, urbem a ſe relictam eſſe. Hortatur Tironem ne aut æger aut hieme naviget.

II. Q. Cicero Tironi S. D.
435 *Magna nobis*] Q. Cicero rogat Tironem ne ſe tam longæ navigationi committat, & vix per hiemem, niſi bene firmus ſit. quod ab eo petiit etiam ſuperiore epiſtola M. Cicero.

M. Coelius Ciceroni S. D. I.

Ecquando] Cicero Capua profectus eſt Formias III. K. Feb. Inde a conſulibus juſſus rediit prid. Non. Att. 496
Capua vero diſceſſit VII. Id. Att. Pompejus X. K. Mart. Canuſii erat, Att. Canuſio profectus eſt VIII. K. Att. V. K. Mart. Brundiſium veniſſe poterat. expeditus enim anteceſſerat legiones Luceria. Att. Cæſar. K. Arpis fuit. VII. Id. Brundiſium venit, perſequens Pompejum. Att. Pompejus Brundiſio conſcendit Id. Mart. Att. vel a. d. XVI. K. Apr. Att. Hoc autem tempore hæc epiſtola ſcripta videtur, quia ait, *Cæſar me, cum expulisset ex Italia Pompejum, conſtituit ad urbem vocare. id quod jam exiſtimo confectum: niſi maluit Pompejum Brundiſii circumſedere.*

Tullius Tironi S. II.

Omnia a te data] Data eſt IV. Id. 445
Apr. Monet ut convaleſcat.

Tullius Tironi S. D. II.

Andricus] Data III. Id. Apr. De 446
ægritudine agit.

Tullius Tironi S. II.

Ægypta] Data eſt poſt prid. Id. 447
Apr. quia ait, *Ægypta ad me venit prid. Id. Apr.* Se accepiſſe ab eo epiſtolam vacillantibus literulis ait: ex quo apparet jam Tironem convaleſcere: præſertim cum addat ſibi nunciatum, eum febri carere, & belle habere.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio I.
S. D. 175

C. Trebatius] Cæſar, pulſo ex Italia Pompejo, poſt Id. Mart. Romam redierat, ad ſenatum de rep. retule-

rer, ærarium diripuerat. Itaque hac epiſtola rationem affert Cicero cur rogante Cæſare non venerit in ſenatum. Poſt fugam Pompeji ſcriptam eſſe, hæc verba indicant, *Vides orbem terrarum imperiis distributis ardere bello, urbem ſine legibus, ſine judiciis, ſine jure, ſine lege, ſine fide, relictam direptioni & incendiis.* Scripta tamen eſt ante diem illum qui dicitur III. K. Majas, ex ſequenti ad eundem epiſtola. Agit cum eo de conveniendo illo, ſeque cogitare ait ab urbe longius diſcedere.

I. 499 M. Coelius M. Ciceroni S.D.

Exanimatus] Rogat Ciceronem Cœlius ne ſe ad Pompejum Italia pulſum conferat, ne Cæſarem offendat. Itaque ait, *Cæſar iratus Senatui exiit.* Intelligit autem extra urbem, ut in Hiſpaniam contra Afranium & Petrejum, legatos Pompeji, eat. Et poſt addit, *Quod ſi totum tibi perſuadere non poſſum, ſaltem, dum quid de Hiſpaniis agamus, ſcitur, expecta, quas tibi nuncio adventu Cæſaris fore noſtras. quam iſti ſpem habeant amiſſis Hiſpaniis, neſcio.* Non videtur autem adhuc diſceſſiſſe Italia Cæſar: quod ait, *me ſecum in Hiſpaniam ducit. nam niſi ita faceret, priuſquam ad urbem acceſſiſſem, ubicunque eſſes, ad te percurriſſem.* Meminit harum literarum Cœlii, in epiſt. ad Att. in qua ait ſe in Cumano Sulpicium expectare.

I. 179 M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

A. d. III. K. Majas] Agit cum eodem de conveniendo, & de conſilio profectionis ad Pompejum, qui in Epiro erat cum conſulibus. Scripta eſt poſt III. K. Majas, ut ex epiſtolæ primis verbis apparet. Ad Att. etiam ait ſe Servium expectare ad Non. quod in Cumano ſe facturum eſſe, in hac epiſtola ſcribit.

M. T. Cicero Imp. M. Coelio Aedili Cur. S. P. D. I. 105

Magno dolore] Reſpondet epiſtolæ Cœlii, qua ſe deterruerat ne Pompejum Italia pulſum ſequeretur.

M. Cicero Rufo S. I. 2[illegible]0

Etſi mihi] Scripta eſt paulo ante quam iret ad Pompejum: quia ait, *mihi conſilium captum eſt jamdiu.* Item, *quare ſi ſimul placebit, ſtatim ad me venias.* Intelligit autem profectionem ad Pompejum, ut aperte apparet ex epiſtola.

M. Cicero Terentiae ſuae S. P. D. II. 361

Omnes moleſtias] Cæſare in Hiſpaniam profecto Cicero ſe ad Pompejum in Græciam contulit, auctore Plutarcho in Cicerone. Ex itinere autem hanc epiſtolam ſcripſit. quod intelligitur, cum ait, *Navim ſpero nos valde bonam habere. in eam ſimulatque conſcendi, hæc ſcripſi. deinde conſcribam ad noſtros familiares multas epiſtolas, quibus te & Tulliam noſtram diligentiſſime commendabo. Tu velim in villis utare qua longiſſime abſint a militibus.* Data eſt VII. Id. Iun.

Cæſar hoc eodem anno, Hiſpaniis victis, Placentina militum ſeditione compreſſa, Romam iterum reverſus eſt: & Dictator creatus comitia habuit, quibus ſe & Iſauricum conſules in inſequentem annum creavit, atque intra undecim dies Dictatura abdicavit. Auctor App. & Cæſar lib. III. De bello civili.

C. IULIO CAESARE II.
P. SERVILIO ISAURICO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCV.

Cæſar hoc anno prid. K. Ian. trajecit in Epirum, adverſus Pompejum, eumque per quatuor fere menſes obſedit. Auctores, Suetonius in Cæſare, & Cæſar lib. III. De bello civili.

M. Cœ.

I. M. Coelius M. Ciceroni
503 S. D.

Ergo me potius] Quo tempore Pompejus ad Dyrrhachium in Epiro, & Cæſar ad flumen Tapſum caſtra habebant, Cœlius Romæ Prætor hanc epiſtolam ſcripſit. Cæſar De bello civili lib. III. Hoc indicare etiam Cœlius in epiſtola videtur, cum ait, *Quid iſtic facitis? prælium expectatis, quod firmiſſimum eſt.*

II. Dolabella Ciceroni
21 S. D.

Si vales, gaudeo] Scripta eſt cum Pompejus ad Dyrrhachium obſeſſus eſt a Cæſare: quia ait, *Pulſo Italia Pompejo, amiſſis Hiſpaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique.* Hortatur eum ut Pompejum tanquam victum relinquat. Terentiam minus belle habuiſſe nunciat, ſed eam jam convaluiſſe.

II. M. Cicero Terentiae ſuae
363 S. P. D.

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Valetudinem tuam] Cicero cum Pompejo erat. in caſtris ſibi nunciatum ait, Terentiam in febrim ſubito incidiſſe. Data IV. Non. Jun.

II. Tullius Terentiae ſuae
373 S. D.

Si vales, bene eſt: ego valeo. Da operam] Monet eam ut det operam ut convaleſcat.

II. M. Cicero Terentiae ſuae
360 S. P. D.

Nec ſæpe eſt] De prædio vendendo agit. Data Id. Quint.

Pompejus hoc anno in Pharſalia, media æſtate (ut ait Plut. in Bruto) ſummo prælio cum Cæſare decertavit. ex qua victus in Ægyptum ſe recepit, atque ibi interfectus eſt, eodem die quo de Mithridate triumphaverat, Dione auctore: id eſt, prid. K. Oct. Plinio & Capitolinis lapidibus teſtibus. Itaque Cicero IV. K. Decemb. ſcribit ad Att. de exitu Pompeji.

M. Cicero Terentiae II.
ſuae S. P. D. 365

Quod nos in Italiam] Data eſt prid. Non. Novemb. Brundiſio. Nunciat ſe rediiſſe in Italiam, & a bello receſſiſſe ſignificat, cum ait, *perturbati dolore animi magniſque injuriis, metuo ne id conſilii ceperimus quod non facile explicare poſſimus.* Qua de re etiam ad Att. Hoc eſt autem tempus illud quo Cicero Brundiſii per multos menſes moratus eſt. Cæſarem autem poſt prælium Pharſalicum in Ægyptum ſe contuliſſe, atque ibi per novem menſes fuiſſe, tradit Appianus. De quo tempore ſic Cicero in Oratione pro Q. Ligario, *Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam vidit, reip. reddidit; qui ad me ex Ægypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem: qui, cum ipſe imperator in toto imperio populi R. unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: a quo, hoc ipſo C. Panſa nuncium perferente, conceſſos mihi faſces laureatos tenui, quoad tenendos putavi. qui mihi tum denique ſe ſalutem putavit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet.*

Tullius Terentiae ſuae II.
S. D. 371

In maximis] Agit de valetudine Tulliæ, de qua agit etiam in epiſt. ad Att. quæ data eſt IV. K. Decemb. De convenienda illa loquitur his verbis, *Quod me propius vultis accedere, video ita eſſe faciendum. etiam ante feciſſem, ſed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita ſunt.* Qua de re agit etiam in epiſtola ad Atticum, de qua dixi.

II. M. Cicero Terentiae ſuae
364 S. P. D.

Ad cateras] Agit de valetudine Dolabellæ, & item Tulliæ, ut ante.

II. Tullius Terentiae ſuae
370 S. D.

Si quid haberem] Agit item de valetudine Tulliæ.

C. IVLIO CAESARE DICTATORE II. Anno ab urbe condita DCCVI.

Hoc anno Cæſar in Ægypto alteram dictaturam iniit, ſine conſulibus, magiſtro equitum M. Antonio. Auctore Dione.

II. Tullius Terentiae ſuae
369 S. D.

Si vales, bene eſt: ego valeo. Etſi ejuſmodi tempora] Data eſt prid. Non. Jan. Videtur ſcripta poſteaquam reliquit Pompejum: ex his verbis, *Quanquam alia ſunt quæ magis curemus, magiſque doleamus: quæ me ita conficiunt ut iі voluerunt qui me de mea ſententia detruſerunt.* Quod videtur de iis dictum qui illum invitum coegerunt partes Pompejanas relinquere.

II. M. Cicero Terentiae ſuae
365 S. P. D.

Si vales, bene eſt: ego valeo. Tullia noſtra] Data eſt XVII. K. Quint. Cogitabat Ciceronem filium obviam Cæſari mittere: quem deceſſiſſe Ægypto fama erat, ut ait ad Att. Tulliam ad ſe veniſſe prid. Id. Jun. ait. itemque ad Att.

II. Tullius Terentiae ſuae
368 S. D.

Si vales, bene eſt: ego valeo. conſtitueramus] Data eſt XII. K. Quint. Ait ſe mutaſſe conſilium de mittendo Cicerone Cæſari obviam: ſecum adhuc habere Tulliam.

Tullius Terentiae ſuae II.
S. P. D. 364

Quid fieri placeret] Data VII. Id. Quint.

M. Cicero Terentiae ſuae II.
S. P. D. 366

Quod ſcripſi ad te] Data VI. Id. Quint.

Tullius Terentiae ſuae II.
S. D. 374

Si vales, bene eſt: ego valeo. Nos neque] Data IV. Id. Sext. Se nihil habere certi de Cæſaris adventu ait.

Tullius Terentiae ſuae II.
S. D. 374

Si vales, bene eſt: ego valeo. Reddita mihi] Data prid. Id. Sext. Redditas ſibi jam tandem a Cæſare literas ſatis liberales ait. Intelligit autem illas de quibus ait in oratione pro Q. Ligario, hoc modo, *qui ad me ex Ægypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem.* Incertum ſe eſſe ait an Cæſari venienti obviam procedat, an ibi ubi eſt, eum expectet; id eſt, Brundiſii.

Tullius Terentiae ſuae II.
S. D. 373

Si vales, bene eſt: ego valeo. Nos quotidie] Data K. Sept. Se ex literis Terentiæ capturum conſilium ait quid ſit agendum. id eſt, an Cæſari obviam eundum, an eum Brundiſii expectandum: an propius Romam accedendum.

Tul-

II. Tullius Terentiae ſuae
372 S. D.

In Tuſculanum] Iam Cicero acceptis a Cæſare litteris, de quibus ſupra dictum eſt, Romam propius acceſſerat. ſiquidem ſcripſit hanc epiſtolam v. K. Oct. de Venuſino: in qua, ſe venturum in Tuſculanum ait Non. aut poſtridie.

II. M. Cicero Trebonio
425 S. P. D.

Et epiſtolam tuam] C. Trebonius in Hiſpaniam miſſus fuerat a Cæſare poſt prælium Pharſalicum, ut Longino ſuccederet, auctore Dione, & Cicerone in hac epiſtola. Quæ ſcripta ad eum videtur in Hiſpaniam hoc tempore, id eſt ante bellum Africanum, quod initio ſequentis anni geri cœptum eſt: quia legiones Trebonii cum ab eo ad Scipionem, qui in Africa erat, defeciſſent, eumque mortuum bello Africano audiſſent, Scapula & Aponio ducibus lectis Trebonium ex Hiſpania exegerunt: Dione auctore. ex quo apparet hanc epiſtolam ſcriptam eſſe ante defectionem legionum paulo poſt factam. Hic autem C. Trebonius priore anno prætor urbanus fuerat, Servilio conſule. Cæſar lib. III. De bello civili.

Q. FUFIO CALENO,
P. VATINIO, COSS.

Cæſar, qui ſine conſulibus alteram Dictaturam hoc anno geſſit, Romam tertium ſ. ex Ægypto & Ponto reverſus, ſibi in ternos noviſſimos menſes Q. Fufium Calenum, P. Vatinium, conſules ſubrogavit. Dio, Suetonius.

C. IULIO CAESARE III,
M. AEMILIO LEPIDO, COSS.
Anno ab urbe condita DCCVII.

Cæſar cum extremo ſuperiore anno XIV. K. Ian. Lilybæum ab urbe perveniſſet, atque a Lilybæo in Africam VI. K. Ian. conſcendiſſet, hujus demum anni initio bellum Africanum aggreſſus eſt cum Scipione, Catone, & Iuba rege.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio. I. 221

Binas a te accepi] Iam Cicero in urbem reverterat, in gratiam cum Cæſare redierat: quanquam illum in Italiam venientem non viderat, ut ipſe ſcribit ad Caſſium, Terentiam uxorem repudiarat, Publiliam alteram duxerat. Reſpondet hac epiſtola Plancio Corcyræ exulanti, qui gratulatus erat Ciceroni, & quod Cæſar ei veniam dediſſet, & quod alteram uxorem duxiſſet. Scripta videtur dum Africanum bellum gerebatur; quia ait, *ut ea quæ partim jam adſunt, partim impendent, moderate feramus. quod eſt difficile in hujuſmodi bello, cujus exitus ex altera parte cædem oſtentat, ex altera ſervitutem.*

M. Cicero M. Terentio Varroni S. D. II. 3

Ex iis literis] Varro videtur Roma abfuiſſe aliquandiu: cum autem adventus ejus appropinquare diceretur, Cicero ſcripſit ad eum hanc epiſtolam, poſtquam venit in urbem. quia ait, *me ſcito, poſteaquam in urbem venerim.* Item per bellum Africanum: quod intelligitur, cum ait, *videor ſperare debere, ſi te viderim, & ea quæ premant, & ea quæ impendeant, me facile tranſiturum.* Cupit cum eo congredi, ſive in Tuſculano, ſive in Cumano, ſive Romæ.

M. Cicero S. D. C. Caſſio. II. 410

Etſi uterque noſtrum] C. Caſſius Brundiſii morabatur, ut ſcribit paulo poſt. Se reliquiſſe arma ait, & in gemitu Italiæ, & in urbis miſerrimis querelis verſari. Properaſſe, ut Cæſarem in Italia videret, nec potuiſſe.

Scripta

Scripta eſt per bellum Africanum: quia ait, *utrunque autem poſitum eſſe arbitrabar in celeritate victoris. qua ſi fuiſſet, eandem clementiam experta eſſet Africa, quam cognovit Aſia, quam etiam Achaja.* id eſt, priore anno, Cæſare e Ponto per Aſiam & Græciam decedente, & veniam omnibus dante.

I. Cicero Domitio S. D.

357 *Non ea res me deterruit*] Conſolatur Domitium Cicero de everſa repub. pollicetur que ei operam ſuam, quacunque in re ei prodeſſe poſſit. De bello, quod gerebatur, neſcio quid intelligere videtur, cum ait, *Hac quanquam nihilo meliora ſunt, nunc etiam atque etiam multo deſperatiora.* Videtur item Romæ eſſe, ex epiſtola.

I. M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

223 *Accepi perbreves*] Conſolatur iterum Plancium de exilio. Scripta eſt multo poſt alteram ad eundem Plancium, quia ait, *ſed tamen etſi antea ſcripſi qua exiſtimavi ſcribi oportere.*

II. M. Cicero L. Planco S. P. D.

303 *Non dubito*] Satis conſtat hanc epiſtolam ſcriptam eſſe poſt bellum Alexandrinum a Cæſare ſuperiore anno confectum. Videtur autem Plancus eſſe cum Cæſare in bello, Africanone, an Hiſpanienſi? Africano certe, in quo, auctore Oppio, fuit, cum Romæ per bellum Hiſpanienſe fuerit, ex Philippica 2. ubi ait M. Antonium ex itinere Romam reverſiſſe, ne L. Plancus prædes ſuos venderet. Commendat ei hereditatem Capitonis apud Cæſarem.

I. M. Cicero S. D. A. Torquato.

300 *Etſi ea perturbatio*] A. Manlius Torquatus cum pro Pompejo contra Cæſarem ſteriſſet, hoc tempore exulabat Athenis. cum igitur Cicero conſolatur. Scripta eſt hæc epiſtola quo tempore bellum Africanum gerebatur: quia ait, *cumque omnium bellorum incerti exitus ſint, ab altera victoria tibi periculum nullum eſſe perſpicio, quod quidem ſejunctum ſit ab omnium interitu: ab altera te ipſum nunquam timuiſſe certe ſcio.* item, *Hoc vero tempus quo exanimati omnes & ſuſpenſi ſumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod & in ea urbe es, ubi nata & alta eſt ratio ac moderatio vitæ.* item, *& habes Ser. Sulpicium, quem ſemper unice dilexiſti:* qui Sulpicius tunc Achajæ præerat, cum bellum in Africa gerebatur. De Cæſare ita ait, *nec enim is, qui adhuc in te injuſtior, quam tua dignitas poſtulabat, fuit, non magna ſigna dedit animi erga te mitigati.*

Cicero Allieno Procos. S. D. II.

345 *Democritus*] Allienus prætor erat in Sicilia, ut apparet ex epiſtola ſequenti, atque dum bellum Africanum gerebatur, ut ſcribit Oppius de bello Africo, his verbis, *deinde Allieno prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo.*

Cicero Allieno Procos. S. D. II.

346 *Et te ſcire arbitror*] Eodem tempore ſcripta videtur quo ſuperior: quia ait, *C. Avianus in Sicilia eſt.*

M. Cicero S. D. A. Torquato. I.

307 *Superioribus literis*] Et hæc etiam Africani belli tempore ſcripta: quia ait, *quotidie aliquid audimus rerum earum.* item, *quem exitum acies habitura ſit divinare nemo poteſt.* item, *nihilo te nunc majore in diſcrimine eſſe, quam quemvis aut eorum qui diſceſſerint, aut eorum qui remanſerint. alteri dimicant, alteri victorem timent.*

Supe-

Superiores literas intelligit eas, quarum initium eſt, *Etſi ea perturbatio.* quibus ſe eum conſolatum eſſe ait. Cicero adhuc Romæ eſt, Torquatus Athenis.

I. 295 M. Cicero S. D. L. Meſſinio.

Grata mihi] Romæ ſcripta eſt belli Africani tempore: quia ait, *me nulla res alia Romæ tenet, niſi expectatio rerum Africanarum. videtur enim mihi res in propinquum adducta diſcrimen.*

I. 356 Cicero Thoranio S. D.

Etſi cum hæc ad te] Extremo hoc bello ſcripta videtur: quia ait, *appropinquare exitus hujus calamitoſiſſimi belli, aut aliquid actum & confectum, cum hæc ſcriberem, videbatur.* quanquam de Hiſpanienſi bello poteſt etiam intelligi. Conſolatur eum de exilio.

I. 353 Cicero Thoranio S. D.

Dederam] Scripta eſt triduo poſt ſuperiorem, in qua illum ſe tum conſolatum eſſe ait. adventum Cæſaris innuit, cum ait, *non eſt quod te advenientibus offerre geſtias*, item, *quod ſi recipiet ille ſe, ad tempus aderis.*

I. 310 M. Cicero S. D. A. Torquato.

Novi, quod ad te] Hoc eodem tempore ſcripta eſt, quia ait, *cum hæc ſcribebam, aliquid jam actum putabam, non quod ego certo ſcirem, ſed quod non difficilis erat conjectura.* item, *equidem quod nos Romæ ſumus, miſerrimum duco.* De Cæſare autem ſcribit hoc modo, *ejus enim qui tardior in te levando fuit, non eſt mihi dubia de tua ſalute ſententia.* Torquatus autem adhuc erat Athenis: quia ait, *reliquum eſt quod te angat, quod abſis tamdiu a tuis.* item, *Servium diſceſſiſſe Athenis moleſte tuli.*

Cicero Varroni S. D. II. 5

Caninius, idem tuus] Agit cum Varrone, quemadmodum convenire poſſint. Rationem affert cur Romæ ſit, non autem abſit, ut ille. Extremo Africano bello ſcripta eſt: quia ait, *cenſeo latendum tantiſper ibidem, dum defervescat iſta gratulatio, & ſimul dum audiamus quemadmodum negotium confectum ſit. confectum enim eſſe exiſtimo.* Cæſar a. d. XI. K. Apr. in acie contra Scipionem conſtitit. Oppius lib. V.

Cicero Varroni S. D. II. 9

Etſi quid ſcriberem] Agit de conveniendo illo. videtur autem eſſe adhuc in urbe, quia ait, *ſcribam, quod te velle puto, me ad te cito eſſe venturum. etſi vide quæſo ſatis ne rectum ſit, nos hoc tanto incendio civitatis in iſtis locis eſſe.*

Cicero Varroni S. D. II. 10

Περὶ δυνατῶν] De conveniendo illo item agit: quia ait, *tu ſi minus ad nos, nos accurremus ad te.*

Cicero Varroni S. D. II. 12

Mihi vero ad Non.] De conveniendo illo etiam agit: quia ait, *mihi ſi ſpatium fuerit in Tuſculano ante Non. veniendi, iſtic te videbo: ſin minus, perſequar in Cumanum.*

Cicero Varroni. II. 13

Caninius noſter] Scripta eſt quo tempore Cæſar, confecto bello Africano, Romam redibat; quia ait, *nec qua venturus ſit ſciri.* Hirtium familiarem Cæſaris ſecum Romæ eſſe ſignificat.

Cicero Varroni S. D. II. 17

Cœnabam apud Seium] Agit item de adventu Cæſaris: quia ait, *quando, qua, quo, nihil adhuc ſcimus.* item, *adventat Dolabella: eum puto magiſtrum fore.*

ſore. Fuit autem in Africa Dolabella cum Cæſare, auctore Plutarcho, Cicerone in ſecunda Philippica. Præceſſit autem Cæſarem. Itaque ad Att. ait, *Ego miſi Tironem Dolabellæ obviam.* Quod autem ait, *nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat,* idem eſt apud Hirtium, qui ait Cæſarem Romam per Sardiniam veniſſe. Item, *non deſino apud iſtos qui nunc dominantur cœnitare.* Agit de conveniendo eo.

II. 37 M. Cicero Papirio Pæto S. D.

Delectaverunt] Nondum Cæſar rediiſſe Romam videtur. quod intelligitur ex his verbis, *Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur. ita enim ipſe mandavit.* Item in urbe ipſum eſſe apparet, quod ait, *Hirtium & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros. puto enim te audiſſe, illos apud me declamitare, me apud illos cœnitare.*

I. 437 M. Cicero Volumnio S. D.

Quod declamationibus] Eodem tempore ſcripta eſt, cum adhuc eſſet in urbe. meminit enim declamationum, meminit item Hirtii, Dolabellæ, Caſſii, diſcipulorum. Inquit præterea, *quanquam venies, ut ipſe intelligo, in maximum quaſi concurſum occupationum, quas ſi, ut volumus, exceperimus, ego vero multam ſalutem & foro dicam & curiæ.*

II. 47 M. Cicero Papirio Pæto S. D.

Cum eſſem otioſus] Cicero jam Roma exierat. quod ſe facturum indicaverat ſuperioribus epiſtolis. erat autem in Tuſculano apud Hirtium, quia ait, *cum eſſem in Tuſculano.* item, *ego me hic Hirtiano jure delecto,* cœnas ſignificans Hirtianas. Scripta eſt quo tempore Cæſar redibat ex Africa: quia ait ſe miſiſſe diſcipulos obviam Cæſari venienti. Diu autem in expectatione fuit adventus Cæſaris: nam qui Id. Jun. Uticæ conſcendit, nonniſi VII. K. Sext. Romam pervenit. Oppius lib. V.

M. Cicero S. D. A. Torquato. I. 305

Peto a te] Eodem tempore ſcripta eſt quo ſuperior, quod & ab urbe abſit, & de recreata valetudine, ut in ſuperiore, agat. ſic enim ſupra, *ipſe melior fio, primum valetudine, quam intermiſſis exercitationibus amiſeram.* hic autem, *peto a te ne me putes, oblivione tui, rarius ad te ſcribere quam ſolebam, ſed aut gravitate valetudinis (qua tamen jam paululum videor levari) aut quod abſim ab urbe, ut qui ad te proficiſcantur, ſcire non poſſim.* Videtur propius acceſſiſſe Torquatus: quia ait, *fac ſciam quid agas, & ubi futurus ſis: ut quo veniam ſcire poſſim.* Et videtur ei Cæſar ignoviſſe: quia ait, *nec eos a quibus receptus, vereri debes, nec eos quos adjuviſti.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D. II. 49

Tamen a malitia] Jam Cæſar quartum Romam reverterat, id eſt ex Africa. Narrat quemadmodum Balbus, qui cum Cæſare inde venerat, recta a porta domum ſuam venerit. videturque Cicero in urbem rediſſe, credo propter Cæſaris adventum, cum ex verbis his, tum ex iis quæ ſequuntur, *ſed ſi me expedivero, ut in iſta loca venire poſſim, non committam ut te ſero a me certiorem factum putes.*

M. Cicero M. Mario S. D. I 368

Perſæpe] Reddit rationem cur ante ad Pompejum venerit, poſtea eum reliquerit. Scripta videtur confecto bello Africano: quia ait, *diſceſſi ab eo bello in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas inſidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tan-*

tanquam exilio locus, aut conſciſcenda more voluntaria. Innuit autem Catonem, qui hoc bello ſibi mortem conſciverat. Videtur eodem tempore in urbe ſcripta quo ſuperior, quia ait, *Ego ſi qua volo expediero, brevi tempore te, ut ſpero, videbo.*

II. 45 M. Cicero Papirio Paeto S. D.

Non tu homo] Reſpondet quid de agris futurum ſperet, quos diviſurum militibus ſuis Cæſarem fama erat. Itaque ait, *Vejentem quidem agrum & Capenatem metiuntur. hic non longe abeſt a Tuſculano: nihil tamen timeo.* In urbe autem eſſe videtur cum Cæſare: quia ait, *Hoc tamen ſcito, non modo me, qui conſiliis non interſum, ſed ne ipſum quidem principem ſcire quid futurum ſit.* Apparet præterea hoc anno ſcriptam eſſe: quia ait, *de lucro prope quadriennium vivimus.* ſiquidem hic erat quartus belli civilis annus.

II. 50 M. Cicero S. D. Papirio Paeto.

Dupliciter] Romæ ſe eſſe ſignificat, cum ait, *mane ſalutamus domi & bonos viros multos, ſed triſtes, & hos lætos victores.* Hircio cœnam dediſſe ſine pavone ait. item ſe non potuiſſe venire ad Papirium, ut conſtituerat: venturum tamen, & cum eo cœnaturum.

II. 63 M. Cicero Papirio Paeto S. D.

Heri veni in Cumanum] Agit de conveniendo Papirio, & cœnando cum eo, ut ſupra. Se vero veniſſe in Cumanum nunciat.

I. 372 M. Cicero M. Mario S. D.

A. d. VIIII. K.] In Cumanum ſe veniſſe ait, quod etiam ſcripſit in ſuperiore epiſtola ad Papirium. Monet Marium ut ſe biduo aut triduo expectet, quia in epiſtola ad eundem, cujus initium eſt, *Perſæpe*, dixerat, *ego, ſi qua volo expediero, brevi tempore te, ut ſpero, videbo.* Hoc eodem tempore fingit ſe cum Varrone in Cumano ſermonem illum habuiſſe, quem ſcripſit lib. IV. Academicorum ad Varronem.

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D. I. 182

Vehementer] Ser. Sulpicius Achajam proconſule regebat præfectus a Cæſare, antequam in Africam iret: quemadmodum ſcribit ad Cæcinam, *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.* & ad Torquatum exulantem Athenis, *& habes Ser. Sulpicium, quem ſemper unice dilexiſti.* Item, *Servium diſceſſiſſe Athenis moleſte tuli.* Conſolatur eum de communibus miſeriis. Scripta videtur hoc tempore cum Cicero Romæ cum Cæſare eſſet: quia ait. *Cæſar ipſe ita de te judicat, & omnes cives ſic exiſtimant, quaſi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere ſanctitatem, prudentiam, & dignitatem tuam.* Illa autem indicant Servium abeſſe, quæ ſequuntur, *quod autem a tuis abes, id eo levius ferendum eſt, quod eodem tempore a multis ac magnis moleſtiis abes.*

M. Cicero P. Servilio Iſaurico Procos. Collegae S. D. II. 336

Grata mihi vehementer] P. Servilius Iſauricus, qui biennio ante conſul fuit, Aſiam proconſule regebat. Hoc tempore hæc epiſtola ſcripta videtur: quia Ciceronem cum Cæſare Romæ fuiſſe apparet, qui nunquam cum eodem per bellum civile antea fuerat: ex his verbis, *Ego ad te de resp. ſumma quid ſentiam non ſæpe ſcribam, propter periculum ejuſmodi literarum. quid agatur autem ſcribam ſæpius. Sperare tamen videor, Cæſari collegæ noſtro fore curæ, & eſſe, ut habeamus aliquam remp. cujus conſiliis*

magni

magni referebat te intereſſi: ſed ſi tibi utilius eſt, id eſt glorioſius, Aſia præeſſe, & iſtam partem reip. male affectam tueri, &c.

I. M. Cicero P. Nigidio Fi-
217 gulo S. D.

Quanti] Idem dico de hac epiſtola ac de ſuperioribus proximis: quod ex his verbis intelligitur, *nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæſar detulerit.* Item, *obtinemus ipſius Cæſaris ſummam erga nos humanitatem.* Item, *ego, quod intelligere, & ſentire, quia ſum Romæ, & quia curo attendoque, poſſum, id tibi affirmo, te in iſtis moleſtiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum.* Item ſcripta videtur antequam Marcellus reſtitueretur: quia ait, *ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo.* Neque enim niſi poſt Marcelli reſtitutionem Cicero in rep. loqui cœpit, ex oratione pro Marcello. Conſolatur Nigidium de exilio.

I. T. Cicero Trebatio S. D.

333 *Antea miſiſſem*] Exulabat pariter Trebatius, atque Torquatus, & Nigidius. Hinc igitur conſolatur, eique operam ſuam pollicetur, ut illis. Quoniam autem eaſdem ſententias ponit in his duabus epiſtolis ad Trebatium, quas uſurpavit in iis fere quæ ſcriptæ ſunt ad Torquatum & Nigidium, propterea eo adducti ſumus ut putaverimus eas eodem tempore ſcriptas eſſe. Sententiæ autem potiſſimum ſunt hæ, *& ipſe qui plurimum poteſt, quotidie mihi delabi ad æquitatem & ad rerum naturam videtur, &c.* Item, *Neque ipſe Cæſar (ut multis rebus intelligere poſſu) eſt alienus a nobis: & omnes fere familiariſſimi ejus caſu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter obſervant & colunt. Itaque ſi quis mihi erit aditus, de tuis fortunis, id eſt de tua incolumitate, agam per me ipſe, & moliar.* itemque alia ejuſmodi. Præcedit autem hæc inferiorem: quia in hac ſignificat, ſe nunquam antea ad illum ſcripſiſſe: cum ait, *antea miſiſſem ad te literas.* Hic autem non eſt Trebatius ille, ad quem Cicero ſcripſit lib. VII. quoniam ille Cæſari amicus fuit, hic inimicus.

M. T. Cicero S. D. I.
M. Marcello. 200

Etſi eo te adhuc conſilio] M. Marcellus, quia in conſulatu ſuo Cæſari inimiciſſimus fuerat, & partes Pompejanas ſecutus erat, nec Cæſari victori ſupplex ire voluerat, Mitylenis morabatur. hortatur eum Cicero ut Romam veniat, & ſe Cæſari ſummittat. neque enim adhuc ei Cæſar ignoverat: ex his verbis, *ſic enim intellexi, nihil aliud eſſe quod dubitationem afferret ei penes quem eſt poteſtas, niſi quod vereretur ne tu illud beneficium omnino non putares.*

M. Cicero Q. Ligario I.
S. D. 341

Etſi tali tuo tempore] Docet Ligarium quid de ſalute ejus a Cæſare petenda ſperet. nam & ipſe, quod contra Cæſarem ſtetiſſet in Africa, exulabat. ſe eum Cæſare Romæ eſſe ſatis aperte in ipſa epiſtola oſtendit.

M. Cicero Trebatio S. D. I.

Ego quanti te faciam] De hac epiſto- 331
la ſupra dictum eſt.

M. Cicero S. D. M. Mar- I.
cello. 204

Neque monere] Iterum hortatur Marcellum ut ſe Cæſari ſummittat, ſui ipſius exemplo: cum ait, *ut quod ego facio, tu quoque in animum inducas.* item, *is etiam qui omnia tenet, favet ingeniis, nobilitatem vero, & dignitatem hominum, quantum ei res & ipſius cauſa concedit, amplectitur.* quæ verba oſtendunt nondum Cæſarem ignoviſſe Marcello.

I. 424 M. Cicero Gallo S. D.

Miror] Scripta videtur dominante Cæſare: quia ait, *& ais fere ut te Cæſar reſtituat.* quia vero ſubjungit, *negas me audere quod ſentiam dicere*, hoc anno ſcripta videtur, antequam loqui in rep. cœpiſſet. Cujus rei initium fecit cum pro Marcello in ſenatu dixit: ex oratione ipſa.

I. 185 M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

Accipio excuſationem] Adhuc Ser. Sulpicius Achajæ præerat. nunciat ei Cicero ut Cæſar in Senatu dixerit, ſe M. Marcello redeundi poteſtatem facere: atque ut ipſe Cæſari propterea pluribus verbis gratias egerit, cum ſilere in perpetuum ſtatuiſſet.

I. 206 M. Cicero S. D. M. Marcello.

Etſi perpaucis] Hortatur Marcellum ut domum redeat. Scripta eſt poſtquam Cæſar Marcello ignovit: quia ait, *denique ſi fuit magni animi non eſſe ſupplicem victori, vide ne ſit ſuperbi, aſpernari ejuſdem liberalitatem.* Oſtendit præterea, ſe paucis ante diebus ad eum literas dediſſe, quibus doceret quid ei faciendum eſſet. Fuerunt autem illæ, quibus nunciavit Cæſarem in ſenatu peperciſſe: quæ non extant.

I. 336 M. Cicero Ampio Balbo S. D.

Gratulor tibi mi Balbe] Gratulatur Balbo quod a Cæſare reſtitutus ſit. Erat in urbe Cicero cum Cæſare: quia ait, *omnia promiſſa, confirmata, certa & rata ſunt, quæ ad reditum & ſalutem tuam pertinent. vidi, cognovi, interfui.*

M. Cicero Trebatio S. D. I. 335

Dolabellam] Gratulatur Trebatio quod a Cæſare per Dolabellam reſtitutus ſit.

M. Cicero A. Caecinae S. D. I. 316

Vereor] Cæcina ſcripſerat librum contra Cæſarem, & ea de re exulabat. nunciat ſe brevi gratulaturum eſſe quod ei Cæſar ignoverit, polliceturque ea in re operam ſuam. Scripta eſt poſteaquam Cæſar Marcello pepercit: quia ait, *Marcellum, cui maxime ſuccenſebat, cum maxima illius dignitate reſtituit.* Oſtendit præterea ſe Romæ cum Cæſare eſſe, cum ait, *me amiciſſime quotidie magis Cæſar amplectitur.*

M. Marcellus M. Ciceroni S. I. 212

Plurimum] Reſpondet Marcellus literis Ciceronis, quæ interciderunt: quibus Cicero gratulatus erat quod ei Cæſar ignoviſſet, & ſuaſerat ei ut Romam rediret. quod ex his verbis colligitur, *Res quemadmodum acta ſit, veſtræ literæ declarant.* Item, *gratulatio tua, &c.*

M. Cicero Curio S. D. I. 425

Memini] Curius hoc tempore morabatur Patris, urbe Achajæ, quemadmodum ex epiſtola, cujus initium eſt, *M. Curius*, intelligi poteſt: in qua M. Curium Ser. Sulpicio Achajæ hoc tempore procos. commendat. Laudat eum quod abſit ab urbe, everſa rep. De Cæſare autem, & de ſe, qui Romæ una eſſe videntur, ita ait, *nec vero nunc culpa in eo eſt, in cujus poteſtate omnia ſunt.* Item, *cum ſalutationi nos dedimus amicorum (quæ fit hoc etiam frequentius quam ſolebat, quod quaſi avem albam videntur bene ſentientem civem videre) abdo me in bibliothecam.*

II. Cicero Papirio Paeto S.D.

33 *Duobus*] Scripta eſt antequam Cæſar in Hiſpaniam proficiſceretur (profectus eſt autem extremo hoc anno) item, cum idem præfectus eſſet moribus (profectus eſt autem poſtquam ex Africa rediit, auctore Dione.) Hæc autem ex his verbis intelliguntur, *quamdiu hic erit noſter hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cum vero aberit, ad fungos me tuos conferam.*

II. M. Cicero Papirio Paeto
68 S.D.

Accubueram] Eodem tempore ſcripta videtur quo ſuperior: quia ait ſe ad eum venturum, & cum eo cœnaturum, ut in ſuperiore: cum inquit, *nihil eſt quod adventum noſtrum extimeſcas. non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci.* Item in utraque legis ſumptuariæ meminit. ſupra enim, *domum ſi habebo, in denos dies ſingulos legis ſumptuariæ conferam.* hic vero, *epulamur una non modo contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto.*

I. M. Cicero Q. Ligario S.D.

343 *Me ſcito*] Nunciat ſe pro eo ſupplicaſſe domi Cæſari. Extremo autem anno ſcripta eſt, quia ait, *Ego idem tamen cum ad II. K. intercalares priores rogatu fratrum tuorum veniſſem mane ad Cæſarem.* Intelligit autem II. K. intercalares priores, ultimum diem prioris menſis, ex duobus illis quos interpoſuit Cæſar, ſe & Lepido coſs. inter Novembrem & Decembrem menſes, ut annum confuſum ordinaret: auctore Macrobio lib. primo Saturnalium.

I. M. Cicero A. Caecinae
328 S.D.

Cum eſſet] Quia K. Jan. præfinitæ erant a Cæſare Cæcinæ, quibus ille eſſe in Sicilia poſſet, idque ex Largo Cæcinæ amico Cicero audierat, propterea, profecto in Hiſpaniam Cæſare, a Balbo & Oppio, qui Romæ remanſerant, impetrarat, ut ultra K. Jan. eſſe poſſet. qua de re Cæcinam hac epiſtola certiorem facit. Monet præterea ne ad reliquias Aſiaticæ negotiationis proficiſcatur: datque ei literas commendatitias, quas Furfano proconſuli in Siciliam profecturo reddat: quæ ſequuntur.

M. Cicero T. Furfano S.D. I. 330

Cum A. Cæcina] Hæ literæ cum ſuperioribus conjunguntur.

A. Caccina M. Ciceroni S.D. I. 329

Quod tibi non tam cito] Excuſat filium quod librum non tam cito Ciceroni reddiderit. De Aſiatica negotiatione ita reſpondet, *De Aſiatico itinere, quanquam ſumma neceſſitas premebat, ut imperaſti, feci.* Oratoris Ciceronis meminit quem ſcripſit ad M. Brutum hoc anno in Galliam, abſoluto Catone: ex Oratore.

M. Cicero A. Caecinae S.D. I. 314

Quotieſcunque] Reſpondet ſe legiſſe librum, eumque, ut ille ſuperiore epiſtola præceperat, diligentiſſime cuſtodire. Conſolatur de exilio.

Huic loco ſubjungere placuit epiſtolas quaſdam commendatitias ad Ser. Sulpicium, M. Brutum, P. Servilium, L. Acilium, qui in provinciis erant hoc anno. Quod fecimus hoc conſilio, ne, cum difficilis earum diſpoſitio eſſet (quia nihil præter commendationem continerent) reliquarum ſuperiorum hiſtoriam impedirent.

Quæ ad Ser. Sulpicium in Achajam ſcripta ſunt.

M. Ci-

II. 289 M. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

M. Curius] Ser. Sulpicium hoc anno Achajæ præfuiſſe, ſatis ante demonſtravimus: huic commendat M. Curium, qui Patris negotiabatur.

II. 290 M. Cicero Ser. Sulpicio S.

Non concedam] Commendat res Attici Epiroticas.

II. 291 M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

Cum Lyſone Patrenſi] Commendat Lyſonem Patrenſem.

II. 292 M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

Aſclapone Patrenſi.] Commendat Aſclaponem Patrenſem.

II. 293 M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

M. Æmilius] Commendat domum Aviani, & rem familiarem, quæ eſt Sicyone.

II. 294 M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

T. Manlium] Commendat Manlium, qui negotiatur Theſpiis.

II. 295 M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

L. Coſſinio] Commendat libertum L. Coſſinii.

II. 296 M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

Cum antea] Rurſus commendat Lyſonem Patrenſem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D. II. 297

Hageſaretus] Commendat Hageſaretum Lariſſæum.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D. II. 297

L. Meſcinius] Commendat negotia L. Meſcinii, quæ erant in Achaia. Scriptam autem eſſe hoc anno hanc epiſtolam quo conſul fuit M. Lepidus, apparet ex eo quod ait, *quod quo minore dubitatione facere poſſis, literas ad te a M. Lepido conſule, &c.*

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D. II. 299

Licet eodem exemplo] Commendat rurſus rem Aviani, & meminit Ser. Sulpicii filii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D. II. 301

Etſi libenter] Commendat rurſus rem Meſcinii.

Quæ ad M. Brutum in Galliam ſcripta ſunt.

*M. Cicero Bruto S. P. D. II. 278

Cum ad te tuus Quæſtor] M. Brutus præfectus fuerat a Cæſare Galliæ citeriori, eo tempore quo in Africam profectus eſt, teſte App. & Plutarcho in Bruto. Itaque ſcribit Cic. ad Cæcinam lib. VI. *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.* Apparet etiam ex Oratore Ciceronis M. Brutum præfuiſſe Galliæ, poſt bellum Africanum. quia in eo ait, ſe Catone abſoluto aggreſſum eſſe ſcribere Oratorem ad M. Brutum, qui tum erat in Gallia. Addit præterea, *Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipſe te, cum in Italia luce cognoſceris.* Succeſſit au-

P 2 tem

tem Bruto hoc anno 111. K. Jan. Panſa. Fam. Huic Cicero commendat Varronem quæſtorem, tum cum Galliæ præerat.

II. M. Cicero Bruto S. P. D.

250 *Quia ſemper*] Commendat Arpinates.

II. M. Cicero Bruto S. D.

282 *Alia epiſtola*] Commendat Q. Suffidium Arpinatum legatum.

II. M. Cicero Bruto S. D.

263 *L. Caſtronius*] Commendat L. Caſtronium.

II. M. Cicero Bruto S. D.

283 *L. Titio*] Commendat Strabonem.

Quæ ad T. Servilium Iſauricum ſcripta ſunt.

II. M. Cicero P. Servilio
334 S. D.

A. Cæcinam] P. Servilium Iſauricum in Aſia proconſule fuiſſe ante demonſtratum eſt. ei commendat A. Cæcinam.

II. M. Cicero P. Servilio S. D.

335 *Ex provincia*] Commendat Andronem Laodicenſem.

II. M. Cicero P. Servilio
337 Collegae S.

C. Curtius] Commendat rem C. Curtii, quam habet cum quodam Colophonio.

II. M. Cicero P. Servilio
339 Collegae S.

Quis non eſt obſcura] Commendat T. Ampium Menandrum.

M. Cicero P. Servilio II.
Collegae S. D. 339

Multos tibi commendem] Commendat T. Agusium.

M. Cicero P. Servilio II.
Collegae S. D. 340

Cerellia] Commendat poſſeſſiones Aſiaticas Cerelliæ.

Quæ ad Acilium proconſulem Siciliæ ſcripta ſunt.

M. Cicero Acilio Procos. II.
S. 305

L. Manlius] Acilius hic proconſul erat in Sicilia, quemadmodum ex epiſtolis ſequentibus omnibus apparet: erat autem quo tempore Cæſar dominabatur: quia in una harum epiſtola, cujus initium eſt, *cum Demetrio Mega*, ait, *et Dolabella rogatu meo civitatem a Cæſare impetravit, qua in re ego interfui.* Ex his verbis intelligi poteſt, & Cæſarem obtinere hoc tempore remp. & Ciceronem cum illo fuiſſe in gratia. quod fieri non potuit niſi poſtquam bellum Africanum confectum eſt, & Cæſar Romam rediit. nam niſi poſt bellum Africanum Cæſarem Cicero non vidit. Huic Acilio forte ſucceſſit Furfanus, de quo in epiſtola ad Cæcinam. Acilius autem forte is eſt qui ſequenti anno Ser. Sulpicio in Græciam ſucceſſit. Commendat ei L. Manlium.

Cicero Acilio Procos. S. D. II.

C. Flavio] Commendat Flavium. 307

Cicero Acilio Procos. S. II.

In Aleſina] Commendat M. & C. 308
Clodios ex Aleſina civitate, quæ eſt in Sicilia.

Cice-

II. Cicero Acilio Procos. S.

309 *Cn. Otacilio*] Commendat negotia Naſonis, quæ habet in Sicilia.

II. Cicero Acilio Procos. S.

309 *Avitum*] Commendat Lyſonem Lilybætanum. Lilybæum autem in Sicilia eſt.

II. Cicero Acilio Procos. S.

310 *C. Avianus*] Commendat negotia Aviani.

II. Cicero Acilio Procos. S.

310 *Cum Demetrio Mega*] Commendat Demetrii Siculi negotia.

II. Cicero Acilio Procos. S.

311 *Hippiam*] Commendat Hippiam Calatinum. Calate autem in Sicilia eſt.

II. Cicero Acilio Procos. S.

312 *L. Brutius*] Commendat L. Brutium, amicum ſuum jam inde a quæſtura ſua Siciliensi.

II. Cicero Acilio Procos. S.

312 *Cum familia Titurnia*] Commendat M. Titurnium.

CAESARE DICTATORE III. DES. IIII. ET COS. IIII. SINE COLLEGA. Anno ab urbe condita DCCVIII.

I. M. Cicero Leptae S. D.

347 *Simul accepi*] Cæſar hoc anno cum Pompeji liberis pugnavit in Hiſpania, cum eo extremo ſuperiore anno Romæ xxvII. diebus perveniſſet (Appiano auctore) & in caſtris tertiam Dictaturam iniiſſet, auctore Dione. Hoc igitur tempore ſcripſiſſe videtur hanc epiſtolam Cicero: quia ait, *de Hiſpaniis novi nihil. magnum tamen exercitum Pompejum habere conſtat. nam Cæſar ipſe ad nos miſit exemplum Pacieci literarum, in quo erat, illi XI. eſſe legiones.* Præterea meminit Oratoris ſui, ita, *Oratorem meum tantopere a te probari vehementer gaudeo.* Se Romæ eſſe ſignificat, cum ait, *me Romæ tenuit omnino Tullia mea partus: ſed cum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam penſionem.*

M. Cicero C. Caſſio S. P. D. II. 418

Longior epiſtola] Scripta eſt initio belli Hiſpanienſis: quia ait, *de Hiſpania nihil adhuc certi, nihil omnino novi.*

M. Cicero S. D. C. Caſſio. II. 416

Præpoſteros] Scripta eſt eodem tempore quo ſuperior: quia ait, *de Hiſpania novi nihil: ſed expectatio valde magna, rumores triſtiores. Panſa noſter paludatus a. d. III. K. Jan. profectus eſt.* id eſt, in Galliam Ciſalpinam, ut M. Bruto ſuccederet: ex epiſtola ad Att. Nunciat P. Sullam mortuum. Hanc ſecundam eſſe ad Caſſium epiſtolam indicat, cum ait, *alteras habebis has breves.*

Cicero P. Dolabellae S. D. II. 23

Non ſum auſus] Dolabella erat in Hiſpania cum Cæſare, ex Philip. ſecunda. Scripta hæc eſt eodem tempore quo ſuperior: quia ait, *te ſcire volo, vehementer populum ſolicitum fuiſſe de P. Sullæ morte.* cujus meminit in ſuperiore.

M. Cicero C. Caſſio S. P. D. II. 412

Puto te jam ſuppudere] Hanc tertiam epiſtolam vocat: ſeque eam ſcripſiſſe ait antequam ab illo ne ſchedulam quidem acceperit. ex quo intelligi

 poteſt,

poteſt, non multo poſt ſecundam eſſe ſcriptam. De ſpectris Catiænis agit.

II. 420 C. Caſſius S. D. M. Ciceroni.

Non mehercule] Reſpondet ſuperioribus epiſtolis, quibus Cicero nunciarat de Panſa, & de ſpectris Catianis egerat. Eodem tempore ſcripta eſt: quia ait, *in Hiſpania quid geratur reſcribe. ſi Cæſar vincit, celeriter me expecta.*

II. Cicero Dolabellae S. D.

28 *C. Suberinus*] Commendat Dolabellæ (qui in Hiſpania erat cum Cæſare) C. Suberinum, quem repentino bello oppreſſum eſſe ait in Hiſpania: in qua poſt Afranium ſuperatum, nemo bellum fore putarat.

II. Cicero C. Caeſari Imp. S.

284 *Præcilium*] Cæſar in bello erat, ut puto, Hiſpanienſi, cum Præcilium hac epiſtola ei Cicero commendavit. Quoniam autem in titulo eſt *Imp.* videtur ſcripta poſt XI. K. Mart. nam eo die Cæſar Imp. appellatus eſt, Ategua in Hiſpania capta, auctore Oppio.

II. 287 M. Cicero C. Caeſari Imp. S.

P. Craſſum] Commendat Cæſari P. Craſſum. eundem eſſe in Hiſpania, hinc intelligitur, quod ait, *in Hiſpaniam ad te maximo ille quidem ſuo conſilio, ſed etiam me auctore, eſt profectus.*

II. 26 Cicero Dolabellae ſuo S. D.

Vel meo] Cicero hoc anno, menſe (ut puto) Januario, filiam amiſit, quæ ex partu periit, ut ait Pædianus in Piſonianam. Itaque Cæſar ſcripſit literas conſolatorias ex Hiſpania ad Ciceronem, prid. K. Maji datas, ut ait ad Att. Cum autem ejus rei ignarus Dolabella deſideraret literas Ciceronis, ipſe ei hac epiſtola ita reſpondet, *Vel meo ipſius interitu mallem literas meas deſiderares, quam eo caſu quo ſum graviſſime afflictus: quem ferrem certe moderatius, ſi te haberem.* Non ſcribit autem aperte de obitu Tulliæ, quia fama jam accepiſſe eam putat, quemadmodum Cæſar acceperat. Quod autem addit, *ſed quoniam brevi tempore, ut opinio noſtra fert, te ſum viſurus:* item, *celeriter una futuros nos arbitror.* id ait, quia finem belli Hiſpanienſis adeſſe intelligebat. Sic enim ſcribit ad Att. *Hirtius literas dedit Narbona XIII. K. Maji. in quibus ſcriptum erat Sex. Pompejum Corduba exiiſſe, & fugiſſe in Hiſpaniam citeriorem, Cneum fugiſſe neſcio quo: nihil præterea novi.* Hirtius autem lib. V. tradit, Cn. Pompejum interfectum eſſe a Cæſare prid. Id. Apr. at Dio ſcribit victoriam Cæſaris Hiſpanienſem Romæ nunciatam eſſe pridie Parilia, id eſt X. K. Maji.

Ser. Sulpicius M. Ciceroni S. I. 190

Poſteaquam] Ser. Sulpicius ex Græcia conſolatur Ciceronem de obitu filiæ. Certiorem ſe eſſe facturum eum de provincia ait, ubi tranquilliore eum eſſe animo cognoverit.

M. Cicero S. D. L. Luccejo Q. F. I. 262

Quanquam] Lucejus (ut cæteri) conſolatus erat literis Ciceronem de obitu filiæ. quæ literæ interciderunt. his reſpondet Cicero, cum ait, *ergo & domeſtica feremus, ut cenſes, & publica paulo etiam fortius fortaſſe quam tu ipſe, qui præcipis.* item, *ut mones, quantum potero, me ab omnibus moleſtiis & angoribus abducam.* Sic ad Att. de morte filiæ, *vellem tam domeſtica ferre poſſem, quam iſta contemnere.*

Tul-

II. 459 Tullius Tironi S.

Spero ex tuis literis] Tiro hoc tempore iterum ægrotaverat. quantum autem intelligi poteſt ex XII. epiſtolarum ad Att. menſe Majo convaluerat. inquit enim, *Ego hic vel ſine Sica, (Tironi enim melius eſt) facillime poſſem eſſe, ut in malis.* In hac autem inquit, *ſpero ex tuis literis tibi melius eſſe.* item, *Ego hic ceſſo. quia ipſe nihil ſcribo.* In agris Cicero erat, Tiro Romæ.

II. 449 Tullius Tironi S.

Video] Nondum firmus erat Tito: quia ait, *valetudo tua me valde ſolicitat, ſed inſervi, & fac omnia: tum te meum eſſe, tum mihi cumulatiſſime ſatis facere putato.* Idem autem ſcripſit in ſuperiore, cum inquit, *mecum es, ſi te curas.* Docet eum, non recte dici, *Fideliter inſervire valetudini.*

II. 454 Tullius Tironi S.

Solicitat] Sperat Tironem cito firmum fore, ſi diligentiam adhibuerit. Item ait, *tu peteis K. ſpectare gladiatores, poſtridie redito: & ita cenſeo.*

II. 453 Tullius Tironi S.

Expecto] Se ait expectare literas Tironis, Tironem magis. In hac, ut in ſuperiore, meminit Demetrii.

II. 439 Tullius Tironi S.

Ego vero cupio] Jam firmior eſſe videtur Tiro: quia ait, *ego vero cupio te ad me venire: ſed viam timeo: graviſſime ægrotaſti.* Item, *jam ad id biduum quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III. K. eſſe volo: ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.* Scripta eſt poſt epiſtolam, cujus initium eſt, *Video.* quia ait, *docui te, fides ἔτυμον quod haberet.* Quod autem ait, *Pompejus erat apud me cum hæc ſcribebam*, videtur legendum *Pomponius.* Data eſt XIIII. K. ut puto, Junias.

Tullius Ciceroni S. II. 450

Quid igitur] Iam Tiro videtur in Tuſculanum veniſſe: quia ait, *ſi vero etiam Tuſculanum tibi profuerit, dii boni, quanto illud mihi erit amabilius.* Item, *fac bellus revertare: non modo te, ſed etiam Tuſculanum noſtrum plus amem.* Item, *te quando expectemus, fac ut ſciam.*

M. T. Cicero S. D. Ser. Sulpicio. I. 197

Ego vero] Reſpondet epiſtolæ qua Sulpicius ſe conſolatus eſt de morte filiæ. Iam Sulpicius decedere cogitabat e Græcia: quia ait, *ſperabam tuum adventum (ſic enim audiebam) appropinquare.* Quod idem ſignificat etiam Sulpicius in epiſtola, cujus initium eſt, *Etſi ſcio*, prid. K. Iun. Athenis data. In agris eſſe ſe oſtendit, cum ait, *Itaque & domo abſum & foro.*

M. Cicero M. Marcello S. I. 211

Etſi nihil novi] Iam Cicero expectabat Marcellum, qui ſe illius conſilio uſurum eſſe reſcripſerat. quod intelligitur ex his verbis, *magiſque tuas literas expectare incipiebam, vel te potius ipſum.* Veretur autem ne, quanquam Marcellus redire decreverat, tamen tardius decedat: ſiquidem ait, *venit mihi in mentem ſubvereri interdum ne te delectet tarda deceſſio.* Scripta eſt autem multo poſt ſuperiorem illam, *Etſi perpaucis*: quia ambas has literas ait ſe dediſſe Theophilo liberto ejus ad eum proficiſcenti. Oportet enim Theophilum poſt ſuperiores illas literas in Græciam allatas Romam rediſſe, nunc autem ad Marcellum iterum in Græciam proficiſci.

Ser. Sulpicius Ciceroni S. I. 213

Etſi ſcio] Has literas dedit Sulpicius prid. K. Iun. Athenis, quibus cer-

tiorem facit Ciceronem, M. Marcellum Italiam verſus navigaturum, antequam conſcenderet, a P. Chilone eſſe interfectum.

I. L. Lucejus Q. F. S. D.
265 M. T. Ciceroni M. F.

Si vales, bene eſt: ego valeo, ſicut ſoleo] Cicero in ſolitudine erat, menſe Iunio, ut eſt ad Att. Ut autem Brutus conſolatus eſt Ciceronem de morte filiæ, tum cum in ſolitudine erat, (ut eſt ad Att.) ſic Lucejus eodem tempore eundem iterum conſolatus eſt, ut apparet ex epiſtola.

II. M. Cicero L. Luccejo Q. F.
267 S. D.

Omnis amor tuus] Reſpondet ſuperiori epiſtolæ, qua ſe conſolatus eſt Lucejus.

I. P. Vatinius Imp. M. Ciceroni
248 ſuo S. D.

Si vales, bene eſt, ego valeo. Si tuam conſuetudinem] P. Vatinius hoc anno cum imperio a Cæſare miſſus eſt in Illyricum, hac occaſione, (auctore Appiano in Illyrico) cum Q. Cornificius quæſtor Cæſaris pro prætore in Illyrico a M. Octavio Pompeji duce, qui ſe ex fuga Pharſalici prælii magna claſſe in illum ſinum contulerat, premeretur, Gabiniuſque mandato Cæſaris in Illyricum cum legionibus novis profectus, ibi mortuus animum Octavio addidiſſet, tum Vatinius Brundiſio cum aliquot navibus adverſum Octavium miſſus eſt: qui victo demum fugatoque Octavio, & provincia recepta, ac Cornificio reddita, victor cum toto exercitu & claſſe Brundiſium ſe recepit, ut tradit Oppius lib. IV. Has deinde Illyriorum, qui cum Octavio ſteterant, injurias cum Cæſarem ulturum eſſe, confectis omnibus bellis, Illyrii timerent, ad Cæſarem legatos miſerunt, qui ſe ut in amicitiam fidemque reciperet peterent. Quibus Cæſar reſpondit, ſe, ſi tributa penderent, obſideſque darent, veniam illis eſſe daturum. Utrunque autem pollicentibus ipſis, Vatinium cum legionibus & magno equitatu ad eum miſit. Hoc autem factum eſt, quantum ex Appiano & ex his epiſtolis intelligi poteſt, hoc anno, victis quidem Hiſpaniis, verum nondum Cæſare Romam reverſo. Qua in provincia, oblata belli gerendi occaſione, cum Vatinius bene rem geſſiſſet, atque imperator appellatus fuiſſet, de rebus geſtis ad Senatum miſit literas, petiitque per has etiam literas a Cicerone ut ſupplicationem ea de cauſa ſibi decerneret. Epiſtola data eſt III. Id. Quint. Naronæ. Ergo ante reditum Cæſaris. Nunciat præterea ſe audiſſe, ſervum ejus fugitivum eſſe cum Vardæis, de quo nihil Cicero ſibi mandarit: ſe illum inventurum, niſi in Dalmatiam aufugerit. ex quo apparet eum nunc in Illyrico eſſe.

Cicero Varroni S. D. II.
20

Etſi munus] Mittit ad Varronem quatuor libros Academicos. Apparet hanc epiſtolam ſcriptam eſſe hoc anno circa Id. Quint. ex epiſt. ad Att.

M. Cicero Sulpicio II.
Imp. S. 344

Cum his temporibus] Plerique exiſtimant in titulo hujus epiſtolæ ſcribendum eſſe VATINIO pro SULPICIO, atque his literis Ciceronem Vatinii ſuperiori epiſtolæ reſpondere, quod ſe ei lubenter ſupplicationem decreviſſe dicat. Quibus & ipſe aſſentirem, niſi hæc verba ſubſequerentur, *præterea a te peto majorem in modum pro noſtra amicitia, & pro tuo perpetuo in me ſtudio, ut hac etiam in re elabores. Dionyſius ſervus meus, qui meam bibliothecam multorum numorum tractavit, cum multos libros ſumpſiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit. is eſt in provincia tua. eum & M. Bolanus & multi alii Narona viderunt. ego ſi homi-*

nem per te recuperavero, ſumme me a te beneficio affectum arbitrabor. Neque enim intelligi poteſt cur Cicero ad Vatinium ita ſcripſiſſet, cum ille in ſuis literis ita nunciaſſet, *dicitur mihi ſervus tuus anagnoſtes fugitivus cum Vardaeis eſſe, &c.* Accedit, quod ſi ad Vatinium ſcripſiſſet, non videtur veriſimile ita loquuturum fuiſſe, *Non exiſtimavi me ſalvo jure noſtra veteris amicitiae, multorumque inter nos officiorum, facere poſſe ut honori tuo deeſſem,* cum quo inimicitiae fuerunt. Itaque vereor ne hic P. Sulpicius alter, proconſul Illyrici ſit, pari cum Vatinio imperio a Caeſare miſſus. quandoquidem Vatinius in re geſta contra Octavium collegam habuit etiam Sulpicium. Quod intelligitur ex his verbis Oppii l. v. *Caeſar cum cohortibus ſeptem, quae ex veteranis legionibus in claſſe cum Sulpicio & Vatinio rem geſſerant, ex oppido Ruſpina egreſſus, proficiſcitur ad portum.* Quod ſi ita eſt, ergo ut Vatinius, ſic Sulpicius ob rem bene geſtam de ſupplicatione a Cicerone petierat. Ut autem Vatinii literae extant, ſic Sulpicii exciderunt: ut ad Vatinium reſponſio deſideratur, ſic ad Sulpicium habetur: ut Vatinius ſe ſine literis Ciceronis de ſervo ejus curaturum ſcripſerat, ſic Sulpicius de eodem ſervo inveſtigando rogatur.

I. Cicero Leptae S. 350

Maculam] Scripta eſt dum expectabatur Caeſar ex Hiſpania: quia ait, *Ego me Aſtura diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* meminit etiam Oppii & Balbi, qui Romae remanſerant, Caeſare in Hiſpaniam profecto. Balbum autem aegrum fuiſſe, & in hac epiſtola ait, & ad Att. in epiſtola hoc tempore ſcripta.

I. M. Cicero M. Fabio Gallo S. D. 414

Amoris quidem tui] Judicium P. Sextii, de quo fit in hac epiſtola mentio, oſtendit eam hoc tempore ſcriptam eſſe, quia eadem de re ſcribit ad Att. menſe Sextili, antequam Caeſar Romam veniret.

Cicero M. Fabio Gallo S. D. I. 418

Quod epiſtolam] Apparet ſcriptam eſſe adventante Caeſare ex Hiſpania: quia ait, *Magiſter adeſt citius quam putaramus.* Magiſtrum autem dictatorem Caeſarem intelligit. Sic in epiſt. ad Att. ſcripta menſe Sextili ait, *Caeſar adeſt.*

Q. FABIO MAXIMO,
C. TREBONIO COSS.

Hoc anno Caeſar poſtquam ex Hiſpania rediit, Conſules ſibi ſuffecit in reliquum anni Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium. auctore Dione.

M. Cicero Q. Cornificio Collegae S. II. 238

Grata mihi vehementer] Jam Caeſar quintum & ultimum a bello Romam reverterat, id eſt, ex Hiſpaniis. revertit autem Octobri menſe, auctore Vellejo, lib. 2. Q. Cornificium in provincia Syriae finitima eſſe apparet: quod ait, *Ex Syria tumultuoſiora quaedam nobis nunciata ſunt: quae quia tibi ſunt propiora quam nobis, tua me cauſa magis movent quam mea.* Scripta videtur epiſtola, cum, reverſo ex Hiſpania Caeſare, populus R. variis ſpectaculis operam dabat: quia ait, *Romae ſummum otium eſt, ſed ita ut malis ſalubre aliquod & honeſtum negocium: quod ſpero fore, quia video id curae eſſe Caeſari.* Significat autem bellum Parthicum, quod parabat Caeſar antequam interficeretur. Meminit etiam Oratoris ſui, cum ait, *me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem quandam & licentiam nactum, ſcribere audacius: & caetera quidem fortaſſe, quae etiam tu concederes: ſed proxime ſcripſi de optimo genere dicendi.* Hanc autem epiſtolam primam eſſe ex iis quas ad Cornifi-

cium ſcripſit in provinciam, ex his verbis colligitur, *grata mihi vehementer eſt memoria noſtri tua, quam ſignificaſti literis, &c.*

II. 267 M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcae Legato Propraet. S. D.

Cum municipibus] Q. Valerius præpoſitus erat a Cæſare agris dividendis, credo poſtquam ex Hiſpania rediit, quia Cicero in epiſtola, qua commendat ei C. Curtium, ait ita, *Hec autem tempore eum Caſar in ſenatum legit.* Senatum autem ſuppleviſſe Cæſarem, poſtquam rediit ex Hiſpania, ſcribit Dio. Hac epiſtola commendat municipes Volaterranos, quorum agris dividendis Valerius præfectus erat.

II. 269 M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcae Legato Propraet. S. P. D.

Non moleſte fero] Commendat Valerio C. Curtium, qui poſſeſſionem habebat in agro Volaterrano.

II. 273 M. Cicero C. Cluvio S. P. D.

Cum in Galliam] Cluvius item videtur, ut Valerius, præpoſitus fuiſſe a Cæſare dividendis agris: quia ait, *Etſi non ſum neſcius, & quæ temporum ratio & quæ tua poteſtas ſit, tibique negocium datum eſſe a C. Cæſare, non judicium.* Commendat ei agrum vectigalem municipii Atteliani.

II. 275 M. Cicero M. Rutilio S. P. D.

Cum & mihi] Item M. Rutilius præpoſitus erat agris dividendis a Cæſare, ut ex ipſa epiſtola apertiſſime apparet. Commendat ei prædia Laberii.

Cicero Cornificio Collegae S. D. II. 239

Quod extremum] Loquitur de tumultu in Syria excitato (ut in ſuperiore ad eundem) cum ait, *quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commiſſurum eſſe temere, nec antequam ſciſſes quo iſte neſcio quis Cacilius Baſſus erumperet, &c.* Hic enim Baſſus tumultuatus eſt in Syria, Dione auctore. Loquitur etiam de ludis Cæſaris, cum ait, *equidem ſic jam obdurui, ut ludis Caſaris noſtri æquiſſimo animo viderem T. Plancum, &c.* de quibus ludis ſupra diximus.

M. Cicero P. Vatinio Imp. S. D. I. 253

Grata tibi] Cicero ut Sulpicio ſupplicationem decreverat, ſic etiam Vatinio. Ut autem deſiderantur literæ quibus Cicero decretam ei a ſe ſupplicationem eſſe nunciaverat, ſic etiam Vatinianæ, quibus Ciceroni gratias agebat. Hæc enim epiſtola reſcripta eſt ad literas Vatinii, quibus ille gratias egerat, & Pompejam uxorem ei commendaverat. Quod autem ait, *Dalmatis dii maleſaciant, qui tibi moleſti ſunt: ſed tamen, ut ſcribis, brevi capientur, & illuſtrabunt res tuas geſtas*, oſtendit, Vatinium ex Illyrico jam tum, cum eas literas ſcripſit, in Dalmatiam profectum eſſe, quod a Dalmatis laceſſeretur: ſperatque res Dalmaticas acceſſionem futuras Illyricæ victoriæ, ob quam ei ſupplicatio decreta fuerat. Monet de Dionyſio.

M. Curius M. Ciceroni ſuo S. D. I. 427

Si vales, bene eſt. ſum enim] Data eſt a. d. IIII. K. Novemb. a M. Curio, qui Patris erat. Rogat Ciceronem ut Sulpicii ſucceſſori ſe commendet, qui menſe Iunio ex Achaja deceſſit. Huic epiſtolæ reſpondet Cicero initio ſequentis anni.

I. P. Vatinius Imp. M. Cic.
250 ſuo S. D.

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. De Dionyſio] Data eſt Non. Dec. Naronæ. P. Vatinius, cum in Dalmatiam profectus bellum gerere cœpiſſet, inde recedere propter frigora coactus fuerat. Petierat tamen a Cæſare ob res Dalmaticas geſtas ſupplicationem. de ea vero adhuc non retuliſſe Cæſarem moleſte fert. Petit a Cicerone ut apud Cæſarem cauſam ſuam agat. ſic enim ait, *Cæſar adhuc mihi injuriam facit. de meis ſupplicationibus, & rebus geſtis Dalmaticis adhuc non refert. quaſi vero non juſtiſſimi triumphi in Dalmatia res geſſerim, &c.* Quod autem addit, *Ego poſt ſupplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus ſum*, intelligitur poſt ſupplicationes de rebus Illyricis. De Dionyſio ſe nihil adhuc extricare reſpondet. In Illyricum vero receſſiſſe oſtendit, cum ait, *quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit.* Item, *indigneque oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere ſum coactus.*

II. Cicero Dolabellae
27 S. D.

Gratulor Bajis noſtris] Dolabella ad Bajas erat, ac orationem pro Dejotaro a Cicerone requiſierat, quam dixit Cicero domi apud Cæſarem ex Hiſpania reverſum. quod ex his verbis orationis intelligitur, *Non dubito quin Dejotarus tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone dediſti, ſe magis etiam erexerit.* Eſt enim Tarraco urbs Hiſpaniæ. Ad eum orationem hanc ſe mittere ait. Et ipſe Cicero ruſticari videtur, cum ait, *Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram.* Cæſarem porro enm Dolabella ad Bajas fuiſſe hoc anno, poſt tertia Saturnalia, id eſt, XII. K. Ian. intelligitur ex epiſtola ultima l. XIII. ad Att.

C. IVLIO CAESARE V.
M. ANTONIO COSS.
Anno ab urbe condita DCCIX.

Cicero Curio S. D. I.

Ego vero jam te nec hortor] Scripta 430
eſt hæc epiſtola initio anni hujus, ex his verbis, *In campo certe non fuiſti, cum hora ſecunda comitiis quæſtoriis inſtitutis, ſella Q. Maximi, quem illi conſulem eſſe dicebant, poſita eſſet. quo mortuo nunciato, ſella ſublata eſt. Ille autem, qui comitiis tributis eſſet auſpicatus, centuriata habuit, conſulem hora VII. renunciavit, qui uſque ad K. Jan. eſſet, quæ erant futura mane poſtridie.* Hic autem fuit C. Caninius Rebilus, qui in locum Q. Maximi ſuffectus eſt. Dio, Macrob. Reſpondet epiſtolæ Curii ſuperiori.

M. Cicero Ariſto Procos. II.
S. D. 320

Sumpſi hoc mihi] Petierat Curius a Cicerone ut ſe commendaret ſucceſſori Sulpicii: qui videtur fuiſſe Acilius. Itaque in ſuperiore ad Curium epiſtola ita reſpondet, *Acilio, qui in Græciam profectus eſt cum legionibus, de te ſcripſi, eamque epiſtolam cum hac conjunxi.* Hæc autem epiſtola videtur eſſe quæ ad Ariſtum ſcripta eſt, cui commendat M. Curium. fortaſſe enim appellatus eſt Acilius Ariſtus.

M. Cicero Cornificio S. II.

Libentiſſime] Ex ſuperioribus ad 241
Cornificium epiſtolis apparet eum fuiſſe cum imperio non longe a Syria provincia, & bellum Parthicum ſuſpectum fuiſſe. Ex hac autem conſtat eum Syriam & bellum Parthicum a Cæſare obtinuiſſe, quod Cæſar parabat hoc anno antequam interficeretur. Hanc rem ei hac epiſtola gratulatur.

Cicero Curio S. D. I.

Facile perſpexi] Hæc epiſtola multo 433
poſt ſuperiorem ad Curium ſcripta eſt:

eſt: quia ait, *Acilio non fuiſſe neceſſe meas dari literas, facile patior.* Hunc Acilium ſucceſſorem fuiſſe Sulpicii intelligi poteſt, cum addit, *Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuiſſe.*

M. ANTONIO,
P. DOLABELLA COSS.

Cæſar coſ. v. Id. Mart. interfectus eſt, cum quinque menſes Romæ poſt reditum ex Hiſpania fuiſſet, (auctore Vellejo) in cujus locum ſuffectus eſt P. Dolabella.

II. 153 D. Brutus M. Bruto, & C. Caſſio S.D.

Quo in ſtatu ſimus, cognoſcite] M. Brutus & C. Caſſius, prætores urbani, poſt necem Cæſaris armis Antonii coſ. diffidentes Roma aberant. D. Brutus ſocius ejuſdem conjurationis Romæ erat. quod ex his verbis intelligitur, *Heri veſperi apud me Hirtius fuit: qua mente eſſet Antonius demonſtravit. peſſima ſcilicet. nam neque provinciam mihi dare poſſe ajebat, neque tuto quenquam noſtrum in urbe eſſe.* Quæ verba indicant non multo poſt necem Cæſaris hanc epiſtolam eſſe ſcriptam. Ad Att. certe ſcribit, M. Brutum viſum eſſe ſub Lanuvio, poſt prid. Id. Apr.

II. 463 Tullius Tironi S. D.

Etſi mane] Cicero ruſticabatur eo tempore quo Octavius ex Apollonia ad cernendam hereditatem Cæſaris Romam venit. Mandat Tironi, (quem a ſe, ut ait, Romam dimiſerat) ut ſibi pecuniam curet: & ut omnia certa ſibi reſcribat, quid Antonius, quid Octavius, quæ hominum opinio, quid futurum putet. Addit præterea, vix teneri quin accurrat. Item Aquini fuiſſe Hirtium, qui tum Romæ erat cum ſuperior epiſtola ſcripta eſt. Scripta autem hæc videtur poſt XIII. K. Majas: quia Octavius ex Apollonia Romam venit illo die, ad Att.

M. Cicero Bithynico S. I. 346

Cum cæterarum] Non eſt dubium quin hæc epiſtola extremis iis bellis civilibus quibus Cicero interfuit, ſcripta ſit: cum ita ſcribat, *cum cæterarum rerum cauſa cupio eſſe aliquando remp. conſtitutam.* Item quod ait, *eos qui temporibus valuerunt, aut valeant, &c.* nam *qui valuerunt*, referre videtur ad Cæſarianos: *qui valeant*, ad Antonianos & Octavianos. Præterea ſcribit ad Tironem in ſequenti epiſtola, *ad Bithynicum ſcripſi.* quod tamen an de hac epiſtola & de hoc Bithynico dictum ſit, affirmare non auſim.

Tullius Tironi S. II. 461

Tu vero confice] Mandat item ut pecuniam curet. Scripta eſt hoc tempore: quia ait, *Balbus ad me ſcripſit, tanta ſe epiphora oppreſſum, ut loqui non poſſit, Antonius de lege quid egerit.* legem autem intelligit, quam fixerat Antonius poſt mortem Cæſaris, qua Siculi cives Romani facti ſunt. ad Att. Adhuc etiam ruſticabatur, cum ait, *liceat modo ruſticari.* Neque dum amicitiam cum Antonio diremerat: quia ait, *ego Antonii inveteratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere ſane volo: ſcribamque ad eum.*

Cicero Dolabellae Cos. S. D. II. 30

Etſi contentus eram] Gratulatur Cicero Dolabellæ Conſuli de rebus ab eo præclare geſtis. Intelligit autem columnam in foro Cæſari mortuo erectam, quam ipſe proſtraverat. Scripta videtur VIII. Id. Majas ex epiſt. ad Att. ubi ait, *epiſtola ad Dolabellam exemplum tibi miſi. Ego ad Dolabellam VIII. Id. dederam literas.*

C. Tre-

II. 236 C. Trebonius M. Ciceroni S.

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Athenas] C. Trebonius in Aſiam proficiſcebatur provinciam, cum has literas dedit VIII. K. Iun. Athenis. Narrat Ciceroni ut viderit Athenis filium ejus literis operam dantem. ſe item audiſſe turbulenta quædam de tep., quæ cupit eſſe falſa.

II. 423 M. Cicero C. Trebonio S. D.

Oratorem meum] Eodem tempore quo Trebonius ad Ciceronem ſcripſit epiſtolam ſuperiorem, Cicero hanc ad illum. Mittit ad eum Oratorem ſuum, petit ut ad ſe crebro ſcribat, in primiſque ut doceat cujuſmodi iter ſuum fuerit: ubi Brutum viderit, quandiu ſimul fuerit. M. autem Brutum intelligit, qui per hæc tempora in agro Antiati erat.

II. 192 M. Cicero C. Matio S. D.

Nondum ſatis conſtitui] Agit cum Matio de ludis Octavii ab eo curatis in honorem Cæſaris mortui. Scripta vero hoc tempore videtur: quia ad Att. in epiſtola data poſt XV. K. Iun. ita ait, *de ludorum apparatu Matius mihi diſplicet.* item, quia in hac epiſtola ait, *cum in Tuſculanum veſperi veniſſem.* nam ad Att. ſcribit in Tuſculanum ſe venturum VI. K. Iun.

II. 155 M. Brutus, & C. Caſſius Praet. M. Antonio Cos. S. P. D.

De tua fide] Brutus, & Caſſius prætores (ut dixi) urbani cum Roma abeſſent, petunt ab Antonio an Romæ K. Iun. tuto eſſe poſſint in magna veteranorum frequentia, quæ conventura erat. Ex quo apparet hanc epiſtolam ante K. Iun. ſcriptam eſſe.

M. T. Cicero C. Caſſio S. P. D. II. 202

Finem nullum facio] Hoc tempore ſcripta eſt: quia ait, *rep. a Dolabella meo præclariſſime geſta. manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi & otio diffiderem urbano.* Intelligit autem columnam everſam a Dolabella, de qua ſupra. Addit præterea, *tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maxima deſcribuntur, exules reducuntur, S. C. falſa referuntur.* item, *cujus ara refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus.* quæ verba indicant hanc epiſtolam ſcriptam eſſe poſt K. Iun. quia ſcribit in prima Philippica, poſt illum diem hæc acta eſſe ab Antonio. Caſſius adhuc non longe ab urbe aberat: quia ait, *verum hæc propediem, & multa alia coram.*

C. Matius M. Ciceroni S. P. D. II. 195

Magnam voluptatem] Reſpondet Matius epiſtolæ ſuperiori, cujus initium eſt, *Nondum ſatis conſtitui.* Rationem affert cur Cæſaris ludos curarit, cum ait, *At ludos quos Cæſaris victoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curavi. at id ad privatum officium & ad honeſtatem reip. pertinebat.* Addit præterea ſæpe ſe veniſſe domum Antonii conſulis.

M. Cicero M. Oppio S. II. 199

Dubitanti mihi] Scripta eſt cum Cicero proficiſceretur in Græciam: quia ait, *Dubitanti mihi de hoc toto conſilio profectionis, quod in utranque partem in mentem multa veniebant: magnum pondus acceſſit ad tollendam dubitationem, judicium & conſilium tuum.* Item quia ait, *graviſſimum judicium de mea fide feciſti, cum poſt mortem Cæſaris te ad meam amicitiam contuliſti.* Profectus eſt autem in Græciam menſe Quintili, ut infra apparebit.

I. Cicero Trebatio S. D.

405 *Amalthior mihi Velia*] Data XIII. K. Sext. Velia, cum in Græciam proficiſceretur. quod & ex hac epiſtola & ex proœmio Topicorum apparet.

I. Cicero Trebatio S. D.

403 *Vide quanti*] Data eſt V. K. Sext. Rhegio. Ait ſe, ut primum Velia navigare cœperit, inſtituiſſe Topica Ariſtotelica conſcribere, eumque librum Rhegio ad eum mittere.

II. Brutus & Caſſius Praet.

157 Antonio Cos. S. D.

Literas tuas legimus] Data eſt prid. Non. Sext. a M. Bruto, & C. Caſſio, prætoribus urbanis, qui Roma aberant, ſed tamen in Italia. Conqueruntur de minis Antonii, & de edicto quodam, quo Antonius minabatur idem ſupplicium optimis civibus, quod Cicero ſumpſerat de ſceleratiſſimis. Philip. III.

II. M. T. Cicero L. Planco

73 Imp. Cos. Deſ. S. D.

Et abſui] Scripta eſt poſtquam rediit e Græcia: quia ait, *Et abſui proficiſcens in Græciam, & poſteaquam de medio curſu reip. ſum voce revocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui.* Reverſus eſt autem in urbem prid. K. Sept. quod ex prima Philippica intelligitur.

I. M. T. Cicero S. D. Titio.

271 *Etſi unus*] Conſolatur Titium de morte filii. Difficile eſt autem intellectu, an impendente civili bello Cæſariano an Antoniano hanc epiſtolam ſcripſerit, cum ſcribat ita, *neque tantum ha proficere videntur debere, quantum ſtatus ipſe noſtræ civitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatiſſimi ſint qui liberos non ſuſceperunt, minus autem miſeri qui his temporibus amiſerunt, quam ſi eoſdem bona, aut denique aliqua rep. perdidiſſent.* Item, *hoc tamen non dubitans confirmare poſſum, ea miſceri, parari, impendere reip. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi deceptus eſſe videatur.* Item, *non mehercule quenquam audivi hoc graviſſimo & peſtilentiſſimo anno adoleſcentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus ereptus ex his miſeriis videretur.*

D. Brutus Imp. M. Cice- II.

roni S. 159

Si de tua in me voluntate] D. Brutus Galliæ citeriori a Cæſare (auctore Appiano) præfectus, in eam provinciam aliquanto poſt necem Cæſaris profectus erat: atque in ea nunc bellum gerebat. Cum autem rem præclare geſſiſſet, literas ad Senatum ſcripſerat, fortaſſe de ſupplicatione. Petit a Cicerone ut ſuam cauſam in Senatu defendat. inquit autem, *progreſſus ſum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus ſatisfacere, firmoſque eos ad tuendas noſtras res efficere.* Item, *cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi, multa caſtella cepi, multa vaſtavi. non ſine cauſa ad ſenatum literas miſi. adjuva nos tua ſententia.* Itaque Philip. VI. ait, *Annon D. Brutus potuit legiones Antonio & provinciam tradere? domum redire? triumphare?*

M. Cicero D. Bruto Imp. II.

S. D. 178

Permagni intereſt] Jam Brutus Imp. appellatus erat, ex ſuperiore epiſtola. Commendat duabus epiſtolis Bruto L. Lamiam, præturam petentem: credo, veritus ne altera earum intercepta periret. Hoc autem anno petiit præturam Lamia, quia ædilis fuit ſub victoriam Cæſaris Africanam. Inter ædilitatem autem & præturam biennium intercedebat. Petit autem Cicero a Bruto, ut ad Lupum Romam mittat, ut equitum ſibi centurias, in quibus ille regnat, conficiat.

II. 180 M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

Lamia] Eodem tempore ſcripta eſt quo ſuperior, ut ibi dictum eſt. Commendat iterum ei præturam Lamiæ.

II. 205 M. Cicero C. Caſſio S. P. D.

Vehementer lætor] Scripta eſt poſt XIII. K. Oct. poſtquam Philippicam ſecundam in Antonium dixerat. Se tuto in Senatum venire non poſſe ait. cædem enim eum quærere, ejuſque initium a. d. XIII. K. Oct. a ſe facturum putaſſe. Caſſius adhuc cum M. Bruto abeſſe ab urbe in Italia videtur: quia ait, *Quare ſpes eſt in vobis: qui ſi iccirco abeſtis ut ſitis in tuto, ne in vobis quidem: ſin aliquid dignum veſtra gloria cogitatis, velim ſalvis nobis. ſin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus ſuum recuperabit.*

II. 75 M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Deſ. S. D.

Meum ſtudium] L. Plancus petierat a Cicerone ut cauſam ſuam ageret in Senatu. reſpondet Cicero, ſe id facturum fuiſſe, ſi aut tuto in Senatum aut honeſte venire potuiſſet. Ex quo intelligi poteſt, hanc epiſtolam eodem tempore ſcriptam eſſe quo ſuperior eſt.

II. 209 M. T. Cicero C. Caſſio S. P. D.

Auget tuus amicus] Nondum videtur Caſſius in Syriam provinciam profectus, quod ſe, quid conſilii ei det, non habere Cic. dicat. Scripta eſt poſt VI. N. Oct. quia ait, *itaque a. d. VI. Non. Oct. productus in concionem a Cannutio, turpiſſime ille quidem diſceſſit, ſed tamen ea dixit de conſervatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus.*

M. T. Cicero Cornificio S. D. II. 245

Omnem conditionem] Cornificius Africæ hoc tempore prætor erat, quod ſequentes epiſtolæ indicant. Scripta hæc eſt poſt VII. Id. Oct. quia ait, *A. d. VII. Id. Oct. Antonius Brundiſium venerat, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas ſibi conciliare pecunia cogitabat, eaſque ad urbem adducere, & in cervicibus noſtris collocare.*

M. Cicero Cornificio S. II. 242

C. Anicius] Extant epiſtolæ quædam ad Cornificium ſcriptæ, tum cum in Africa erat: quarum quia ſedes incerta eſt, earum aliquot huic epiſtolæ ſubjiciemus. Hac ei commendat C. Anicium, legatum in Africa legatione libera.

M. T. Cicero Cornifi-cio S. II. 252

Q. Turius, qui in Africa negotiatus eſt] Commendat Q. Turium, qui in Africa negotiatus erat.

M. Cicero Cornificio. II. 253

Sex. Aufidius] Commendat Aufidii negotia, quæ erant in Africa.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. II. 160

Lupus, familiaris noſter] Scripta eſt poſt V. Id. Decemb. quia ait, *Romam veni a. d. V. Id. Decemb.* Nondum videtur Antonius provinciam Galliam a populo obtinuiſſe: quia ait, *ſi iſtam provinciam nactus erit, ſpem reliquam nullam video ſalutis.* Hortatur præterea ut Antonio reſiſtat, & libertatem recuperet.

M. Ci-

II. M. Cicero D. Bruto
163 Imp. S.

Cum adhibuiſſet] M. Antonius edixerat ut adeſſet Senatus frequens a. d. VIII. K. Decemb. eo die ipſe non affuit, in a. d. IIII. K. Decemb. diſtulit: adeſſe in Capitolio juſſit: quod in templum ipſe neſcio qua per Gallorum cuniculum aſcendit. Cum de rep. relaturus fuiſſet, allato nuncio de legione quarta, mente concidit: effugere feſtinans, S. C. de ſupplicatione per diſceſſionem fecit: inde paludatus urbe fœde ac miſere fugit, cum veſperi illo ipſo die S. C. de provinciis feciſſet. Cum igitur Antonius in Galliam, quam a populo obtinuerat, D. Bruti provinciam, irrupturus cum exercitu videretur, hortatur Brutum Cicero ne in ſalute & libertate populi R. conſervanda auctoritatem Senatus expectet, nondum liberi. Meminit Cæſaris adoleſcentis, qui exercitum privato conſilio contra Antonium paraverat, item legionis Martiæ & quartæ, quæ Antonium Cos. reliquerant.

II. M. Cicero D. Bruto
161 Imp. S.

Lupus noſter] Scripta eſt poſt XIII. K. Jan. quia ait, *Cum Tribuni pl. edixiſſent, ſenatus adeſſet a. d.* XIII. *K. Jan. haberentque in animo de præſidio coſ. deſ. referre, quamquam ſtatueram in Senatum ante K. Jan. non venire, tamen cum eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi, aut ita haberi ſenatum, ut de tuis divinis in remp. meritis ſileretur (quod factum eſſet, niſi ego veniſſem) aut etiam, ſi quid honorifice de te diceretur, me non adeſſe. Itaque in Senatum veni mane, &c.* Eo autem die in Senatu dixit tertiam Philippicam, & ad populum quartam: in quibus D. Brutum laudavit, quod edictum fecit quo ſe Galliam in S. P. Q. R. poteſtate retenturum pollicebatur.

M. Cicero S. P. D. II.
Cornificio. 243

Nos hic cum homine] Scripta & hæc eſt poſt XIII. K Jan. quia ait, *a. d. XIII. K. Jan. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus de provinciis ab iis qui obtinerent retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex S. C. ſucceſſiſſet.* Quod idem Cornificii cauſa ſuaſiſſe ait, ne ſcilicet C. Calviſio, cui Antonius Africam tradiderat, provincia cederet. Suaſit autem hoc Cicero in tertia Philippica, his verbis, *cenſeo ſenatum ad ſummam reip. pertinere arbitrari, ab iis qui provincias obtinent obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum ſucceſſum ſit.*

Q. Cicero Tironi ſuo II.
S. D. 467

Mirificam mihi verberationem] Scripta videtur hoc anno: quia reprehendit conſules deſ. Hirtium & Panſam.

Cicero F. Tironi ſuo II.
dulciſſ. S. D. 454

Cum vehementer] Cicero F. erat Athenis cum M. Bruto & Caſſio, ſequenti autem anno cum Bruto proficiſcitur in Macedoniam. Erat autem hoc tempore Athenis, ut in epiſt. Trebonii. Hoc vero tempore epiſtolam hanc ſcriptam eſſe apparet, quia nunquam amplius fuerit Brutus Athenis quam nunc. eo enim Macedoniam proficiſcens profectus eſt.

Cicero F. Tironi ſuo S. II.

465 *Etſi juſta*] Scripta videtur cum eſſet Cicero F. Athenis, ut ſuperior.

Bithynicus Ciceroni S. D. I.

346 *Si mihi tecum*] Bithynicus (ut ait Appianus) poſt mortem Cæſaris in Sicilia prætor erat. petit igitur a Cicerone

cerone tunc in Senatu potente, ut ſe abſentem defendat.

A. HIRTIO,
C. VIBIO PANSA, COSS.
Anno ab urbe condita DCCX.

II. M. Cicero Cornificio.

246

Ego nullum] M. Antonius a. d. IV. K. Decemb. cum de legione quarta nuncium in Senatu accepiſſet, ex urbe fugit paludatus: in provinciam Galliam cum exercitu irrupit, D. Brutum reſiſtentem Mutinæ obſedit: Cicero Philip. III. & V. Ad Antonium deinde legatos de pace Senatus miſit prid. Non. Jan. Cicero Philip. VI. Antequam legati reverterentur hæc epiſtola ſcripta eſt: quia ait, *cum hac ſcribebam, in expectatione erant omnia. nondum legati redierant, quos Senatus non ad pacem deprecandam, ſed ad bellum denunciandum miſerat, niſi legatorum nuncio paruiſſet.*

II. M. Cicero D. Bruto Imp. S.

164

Eo tempore Polla] Eodem tempore ſcripta eſt quo ſuperior: quia ait, *omnia erant ſuſpenſa propter exſpectationem legatorum, qui quid egiſſent nihil dum nunciabatur.* Jam Hirtius & Cæſar exercitum contra Antonium ducebant: itaque ait, *De reliquis rebus jam a te literas expectare debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Cæſar meus: quos ſpero brevi tempore ſocietate victoriæ tecum copulatos fore.*

II. M. Cicero L. Planco. Imp. Cos. Deſ. S. D.

76

Cum ipſum Furnium] Hortatur L. Plancum ad remp. & libertatem populi R. defendendam. Scriptam autem menſe Januario eſſe declarat reſponſio Planci, quæ ſequetur.

C. Cicero C. Caſſio S. P. D.

II. 210

Vellem Id. Mart.] Jam C. Caſſius in Syriam procos. venerat. Scripta eſt poſtquam legati ab Antonio redierant: quia ait, *nihil fœdius Philippo & Piſone legatis, nihil flagitioſius: qui cum eſſent miſſi ut Antonio ex ſenatus ſententia certas res nunciarent, cum ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt.* Dolabellam vituperari ait, quod Caſſio, qui vix triginta dies in Syria fuiſſet, ſuccederet.

M. T. Cicero C. Trebonio S. D.

II. 129

Quam vellem] Trebonius in Aſia procos. erat. Scripta eſt poſt mortem Ser. Sulpicii, qui in legatione ad Antonium obierat, ex IX. Philippica. quod ex his verbis colligitur, *magnum damnum factum eſt in Servio. L. Cæſar optime ſentit: conſules egregii, præclarus D. Brutus, egregius puer Cæſar.*

M. Cicero C. Caſſio S. P. D.

II. 211

Hiemem credo prohibuiſſe] Scripta eſt poſt mortem Ser. Sulpicii, dum adhuc Brutus obſideretur: ex his hujus epiſtolæ verbis, *Res ſic ſe habebat, ut totius belli omne diſcrimen in D. Bruto poſitum videretur: qui ſi, ut ſperabamus, erupiſſet Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur. parvis omnino jam copiis obſidebatur, quod magno præſidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noſter Hirtius, ad forum Cornelium Cæſar, uterque cum firmo exercitu: magnaſque Romæ Panſa copias ex delectu Italiæ compararat. hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil niſi conſiderate (ut mihi crebris literis ſignificat) acturus videbatur. præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus. erat firmiſſimus*

mus ſenatus, exceptis conſularibus: ex quibus unus L. Cæſar firmus eſt & rectus: Ser. Sulpicii morte magnum præſidium amiſimus.

II. Plancus Ciceroni S. D.
78

Gratiſſimæ mihi tuæ literæ fuerunt] Reſpondet epiſtolæ Ciceronis, cujus initium eſt, *Cum ipſum Furnium.* Scripta videtur Februario menſe: quia ait, *Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Januario menſe geratur, ut ſciam.* Optimo ſe in remp. animo eſſe ait.

II. M. Cicero Papirio Pæto S. D.
64

Ruſum iſtum] Hæc epiſtola extrema hieme ſcripta eſt: quia ait, *te ad cœnas itare deſiſſe moleſte fero. Spurina magnum periculum ſummæ reip. demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem, tum cum Favonius flaret, reverti ſſet. hoc tempore ferri poſſe, ſi forte tu frigus ferre non poſſes.* Addit prætereà, quod hanc epiſtolam Antonianis temporibus ſcriptam eſſe probare poteſt, *cave exiſtimes me, quod jocoſius ſcribam, abjeciſſe curam reip. ſic tibi perſuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei cives ſalvi liberique ſint. nullum locum prætermitto monendi, &c.*

II. M. Cicero C. Caſſio S. P. D.
214

Quanto ſtudio] Nunciat ſe dignitatem ejus defendiſſe in ſenatu. hoc autem (ut arbitror) fecit in undecima Philippica, cum bellum contra Dolabellam Caſſio mandandum cenſuit: idem ſe ad populum etiam egiſſe ait. quæ tamen oratio non extat.

II. C. Caſſius Procos. M. Ciceroni S.
218

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. In Syriam] Data eſt Non. Mart. ex caſtris Taricheis. Nunciat ſe accepiſſe exercitum a L. Murco & Q. Criſpo Imperatoribus, & legionem, quam Q. Cæcilius Baſſus habuit, quatuorque legiones, quas A. Allienus ex Ægypto duxit, poſteaquam illi audiverunt quæ Romæ gererentur. Intelligit autem S. C. factum in ſententiam Ciceronis undecima Philippica.

C. Aſinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D. II.
135

Minime mirum] C. Aſinius Hiſpaniæ præerat cum exercitu: quid ſibi agendum ſit Ciceronem conſulit. Data eſt XVII. K. Apr. Cordubæ.

Cicero Planco Imp. Coſ. Deſ. S. P. D. II.
79

Binas a te accepi literas] Reſpondet epiſtolæ Planci, cujus initium eſt, *Gratiſſimam mihi.* & gratulatur, eum optimo eſſe in remp. animo: hortaturque ut perſiſtat.

Liberalibus, i. XVI. K. Apr. nec poſtero die fuit ſenatus. Quinquatribus, i. XIV. K. Apr. frequens fuit, decrevitque ut Minerva Ciceronia, cuſtos urbis, quam turbo dejecerat, reſtitueretur. Panſa literas Cornificii recitavit. ſumma approbatio conſecuta eſt, cum offenſione Calviſii, qui Africam petebat, ut ait Cicero in Philip. III. Factum de Cornificio S. C. honorificum, ex epiſt.

Cicero Planco Imp. Coſ. Deſ. S. D. II.
81

Qua locutus eſt Furnius] Data eſt XIII. K. Apr. Hortatur Plancum, ut D. Brutum collegam ſuum ab Antonio Mutinæ obſeſſum exercitu juvet, neque pacis auctor ſit, quæ poſitis armis ab Antonio petenda ſit.

T. Ci-

II. T. Cicero M. Lepido
128 S. P. D.

Quod mihi pro mea ſumma] Monet Lepidum, qui decreta ſibi Hiſpania adhuc in Gallia ulteriori morabatur cum exercitu (auctore Vellejo) ne ſe interponat in pacificationem Antonii & ſenatus, de qua hoc tempore agebatur, auctore Dione. quod idem etiam ſuaſit in ſuperiori epiſtola Planco.

II. L. Plancus Imp. Coſ. Deſ.
84 S. D. Coſ. Praet. Trib. Pl. S. P. Pl. Q. R.

Si cui forte] Rationem affert cur non adhuc arma contra Antonium pro rep. ceperit: ſe paratum eſſe vel provinciam tueri, vel ire quo reſp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque. C. Furnium, legatum cum mandatis ad Senatum ante miſiſſe ait. cujus rei meminit Cicero in epiſtola cui initium eſt, *Qua locutus eſt Furnius.* Cum autem hanc epiſtolam ſcripſit, Brutus adhuc obſidebatur. quod inde intelligi poteſt, cum ait, *quod prematura denunciatio boni civis imperati quam periculoſa eſſet, ex caſu collega videbam.*

II. Planc. Imp. Coſ. Deſ. Ci-
83 ceroni S. D.

Plura tibi] Hæc epiſtola cum ſuperiore conjuncta eſt, quia ait ſe breviorem eſſe, quod publicis literis omnia perſecutus ſit.

II. Cicero Planco Imp. Coſ.
89 Deſ. S. D.

Etſi ſatis ex Furnio] Reſpondet ſuperiori epiſtolæ Planci, cujus initium eſt, *Plura tibi.* Gratas literas ejus ſenatui fuiſſe ait: hortatur ut in ſuſcepta ſententia perſiſtat. Data eſt IV. K. Apr. antequam prælium ad Mutinam fieret. quod ex his verbis cognoſcitur, *quamobrem quanquam une in prælio omnis fortuna reip. diſceptat: quod quidem, cum hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore, &c.*

M. Cicero Planco Imp. II.
Coſ. Deſ. S. 93

Etſi reip. cauſa] Data eſt III. Id. Apr. Reſpondet literis quibuſdam Planci, quæ interierunt: alias item literas Planci ad Senatum, quæ non extant, recitatas fuiſſe ait. Se pro Planco VII. VI. V. Id. Aprilis in Senatu cum Servilio & Titio Tribunis pleb., qui S. C. interceſſerant, contendiſſe ait.

M. Cicero Cornificio. II. 254

Aſſentior tibi] Scripta eſt hoc tempore, cum ambo conſules ad Mutinam erant: quia ait, *ſenatus ſæpius pro dignitate tua appellaretur, ſi abſentibus conſulibus unquam niſi ad rem novam cogeretur.* Hoc autem idem ſcripſit etiam in ſuperiore ad Plancum epiſtola, cum Senatum abſentibus conſulibus a prætore urbano Comuto habitum eſſe dixit.

M. Cicero Cornificio. II. 255

Non modo te] Commendat res L. Lamiæ. Scripta hoc anno videtur: quia ait, *quanquam erat nobis dictum, te exiſtimare alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, ſcribendo Lamiam affuiſſe, qui omnino conſulibus illis nunquam affuit ſcribendo: deinde omnia tum falſa S. C. deferebantur. Intelligit autem conſules Antonium & Dolabellam.*

M. Cicero C. Caſſio II.
S. P. D. 213

Qui ſtatus rerum fuerit] Scripta eſt paulo ante quam ad Mutinam pugnaretur: quia ait, *res, cum hæc ſcribebam, erat in extremum adducta diſcrimen.*

men. Brutus enim Mutina vix jam ſuſtinebat.

II. Ser. Galba M. Ciceroni S.

132 xvi. *K. Maji*] Data eſt a. d. xii. Maji, ex caſtris. Nunciat rem bene geſtam cum Antonio.

II. Plancus Imp. Cos. Deſ.

88 Ciceroni S. P. D.

Nihil me tibi temere] Poſt vi. K. Majas ſcripta eſt, tum cum Plancus properaret in Galliam citeriorem, ut ſubveniret Decimo Mutinæ obſeſſo, ait enim, *exercitum a d. vi. K. Majas Rhodanum trajeci: ipſe, ſi a Lepido non impediar, celeritate ſatiſfaciam: ſin autem in itinere meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam. copias adduco & genere & numero & fidelitate firmiſſimas.* In hanc ſententiam in epiſtola etiam cujus initium eſt, *Immortales*, ſcripſit, *Cum Rhodanum copias trajeciſſem, ipſoque iter Mutinam dirigerem, de prælio facto, Brutoque & Mutina obſidione liberata audivi.*

II. D. Brutus M. Ciceroni

165 S. D.

Panſa amiſſo] Data eſt iv. K. Maji ex caſtris Regii. D. Brutus obſidione liberatus mortuos conſules nunciat: pollicetur ſe daturum operam ne Antonius in Italia commoretur: rogat ut Lepidum, Aſinium, Plancum confirmet, de quorum voluntate erga remp. dubitabat.

II. M. Cicero Cornificio.

247 *Liberalibus*] Scripta eſt poſt conſules ad Mutinam interfectos: quia ait, *Hirtium quidem & Panſam, collegas noſtros, homines in conſulatu reip. ſalutares, alieno ſane tempore amiſimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, ſed nondum omnino explicata.*

D. Brutus M. Ciceroni II.

S. D. 166

Non mihi remp.] Data eſt iii. Non. Maji ex caſtris, Dertone. Nunciat ut Antonius omne genus hominum arripiendo, ſatis magnum numerum effecerit, ut cum eo Ventidius ad Vada ſe conjunxerit. Antonium aut ad Lepidum ſe collaturum, aut Appennino Alpibuſque retenturum, aut rurſus ſe in Etruriam recepturum.

D. Brutus Imp. Cos. Deſ. II.

M. Ciceroni S. D. 178

Eodem exemplo] Data eſt prid. Non. Maji ex caſtris, finibus Statiellenſium. *In itinere eſt* (inquit) *Antonius, ad Lepidum proficiſcitur. ne de Planco quidem adhuc ſpem abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. in quibus, quod ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat.*

C. Caſſius Procos. M. Ci- II.

ceroni S. D. 219

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Legi tuas literas] Rogat ut ſe & Murcum & Criſpum imperatores, qui ſibi exercitum tradiderunt, militeſque ipſos ſua auctoritate defendat atque ornet. Se audiſſe ait, Dolabellam, qui nefarie Trebonio occiſo Aſiam occupavit, in Ciliciam veniſſe cum ſuis copiis. Itaque ſe item in Ciliciam profectu[r]um. Data eſt Non. Maji, ex caſtris.

Plancus Ciceroni S. P. D. II.

91

Immortales ago tibi gratias] Reſpondere videtur epiſtolæ Ciceronis, cujus initium eſt, *Etſi reip. cauſa.* qua Cicero ſcripſerat, quantam contentionem pro ejus dignitate ſuſcepiſſet. Nunciat ſe, audito Mutinenſi prælio, in Allobrogibus conſtitiſſe: audiviſſe autem vi. K. Majas, ſupra diximus.

Se

Se paratum eſſe ait, ut quoquo modo poſſit reſiſtat Antonio, ſi in Galliam ſe contulerit.

II. Cic. Planco Imp. Cos. Deſ.
99 S. D.

O gratam famam] Data eſt III. Id. Maji. Reſpondet epiſtolæ ſuperiori Planci, cujus initium eſt, *Nihil me tibi temere*. hortatur eum ut fuſum Antonium perſequatur.

II. M. Cicero D. Bruto Imp.
187 S. D.

Cum Ap. Claudio] Commendat Bruto Ap. Claudium, qui ſe cum Antonio conjunxerat, rogatque ut eum ſua auctoritate ſervet incolumem.

II. Plancus Imp. Ciceroni
100 S. D.

His literis ſcriptis] Nunciat ſe, in Iſara flumine, quod eſt in finibus Allobrogum, ponte uno die facto exercitum a. d. IV. Id. Maji traduxiſſe, fratrem cum equitum quatuor millibus prid. Id. Maji L. Antonio præmiſſo cum equitibus ad forum Julium obviam miſiſſe: ipſum maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu, ſubſequuturum.

II. Plancus Imp. Ciceroni
105 S. D.

Antonius Id. Maji] Nunciat Id. Maji Antonium ad forum Julium veniſſe, Ventidium bidui ſpatio ab eo abeſſe, Lepidum ad forum Voconii caſtra habere: ibi ſe expectare conſtituiſſe.

II. Cicero Planco S. D.

101 *Nihil poſt hominum memoriam*] Literas quaſdam Planci in Senatu recitatas eſſe, eaſque gratiſſimas ſenatui fuiſſe, deque his S. C. factum eſſe in ſententiam ſuam ait. Suadet præterea ut in rebus agendis conſilium ſenatus non petat, ſed ipſe ſibi ſit ſenatus. Nondum videtur Antonius ſe conjunxiſſe cum Lepido.

M. T. Cicero S. P. D. II.
Cornificio. 257

Itane] Scripta eſt hoc tempore: quia ait, *orbem ſenatus conſulibus amiſſis*. item, *cum Panſa mortem ignorares, ſcripſiſti quæ per nos ab eo conſequi te poſſe arbitrarere*. item, *ſic vehementius nos laboramus, quia profligato bello, ac pene ſublato, renovatum bellum gerere conamur.*

M. Cicero D. Bruto Imp. II.
S. D. 181

Etſi ex mandatis] Data eſt XIII. K. Jun. De bello renovato Antonii agit, his verbis, *etenim cum te incluſo ſpem maximam omnes haberemus in tua virtute, florente Antonio: quis erat qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec vero Lepidum timebamus. quis enim eſſet qui illum tam furioſum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem velle ſe dixiſſet, is in optatiſſima pace bellum reip. indiceret?* Item paulo poſt, *quare velim equidem (id quod ſpero) ut plane abjectus & fractus ſit Antonius. ſin aliquid virium forte collegerit, ſentiet, nec ſenatui conſilium nec populo R. virtutem deeſſe, nec reip. te vivo, imperatorem.*

D. Brutus M. Ciceroni II.
S. D. 182

Ad ſenatum] Data eſt XII. K. Jun. Vercellis. Dolet, ſe cum tironibus egentiſſimis eſſe: rogat ut quas ad ſenatum miſit literas, perlegat, & ſi qua videbuntur, commutet.

II. M. Lepidus Imp. I I. Pont.
149 Max. M. T. Ciceroni
S. P. D.

Si vales, bene eſt: ego quoque valeo. Cum audiſſem] Data eſt XII. K. Jun. ex caſtris, ex Ponte Argenteo. Nunciat ſe veniſſe ad forum Voconium contra L. Antonium: Silanum & Culeonem ab eo diſceſſiſſe: ſe neque Senatui, neque reip. in hoc bello defuturum.

II. M. T. Cicero C. Furnio
124 S. P. D.

Si intereſt] Deterret Furnium legatum Planci a petenda prætura hortatur autem ut reliquias belli conficiat. id eſt, ut Antonium perſequatur, poſt fugam Mutinenſem bellum renovantem.

II. Plancus Ciceroni S.

105 *Quid in animo habuerim*] Se acceſſitum eſſe nunciat a Lepido. itaque a. d. XII. K. Jun. ab Iſara caſtra moviſſe: pontem tamen reliquiſſe, & præſidia firma ibi poſuiſſe, ut advenienti Bruto exercituique ejus ſine mora tranſitus eſſet paratus: ipſum ſe diebus octo cum Lepidi exercitu conjuncturum.

II. Plancus Ciceroni S.

111 *Puderet me*] Scripta eſt biduo poſt ſuperiorem: quia ait, *Scripſi tibi biduo ante, me confidere bene Lepido eſſe uſurum, communique conſilio bellum adminiſtraturum. credidi chirographis ejus, affirmationi præſentis Laterenſis, qui tum apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem orabat.* De hac autem re ſie in epiſtola ſuperiori, *itaque poſt diſceſſum legatorum, cum binis continuis literis & Lepidus me ut venirem rogaret, & Laterenſis multo etiam magis prope implorans obteſtaretur, &c.* Se, cum ad Lepidum iret, juſſu ejus conſtitiſſe, ac propterea ſuſpectam ejus fidem habere ait.

Cicero Planco S. D. II.
115

In te, & in collega] Scripta eſt antequam Lepidus Antonium reciperet: quia ait, *concordia veſtra, quæ ſenatui declarata eſt.* Intelligit autem conſenſum Planci & Bruti ad perſequendum Antonium. Scribit autem Appianus, eum hoc tempore, antequam Antonius reciperetur a Lepido, D. Bruti exercitus laboraret morbo, Plancum cum exercitu propius acceſſiſſe.

M. Cicero D. Bruto Imp. II.
S. D. 178

Etſi mihi tuæ literæ] Eadem ſententia, qua utitur, oſtendit eodem tempore hanc epiſtolam ſcriptam eſſe, quo ſuperior eſt: quæ eſt hæc, *conjunctio tua cum collega, concordiaque veſtra, quæ literis communibus declarata eſt, S. P. Q. R. gratiſſima accidit.*

Cicero Planco Imp. Cos. II.
Deſ. S. P. D. 98

Ut primum] Nunciat S. C. factum eſſe in ſuam ſententiam, in laudem Planci. hortatur ut Antonium opprimat: cum ait, *qui M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit,*

Cicero Planco Imp. S. D. II.
109

Quanquam gratiarum actionem] Idem agit atque in ſuperiore, cum ait, *Incumbe ut belli extrema perficias. qui M. Antonium oppreſſerit, is hoc teterrimum bellum periculoſiſſimumque confecerit.*

M. Cicero D. Bruto Imp. II.
Cos. Deſ. S. D. 172

Tres uno die] Reſpondet literis Bruti, quarum initium eſt, *Non mihi temp.* & eodem exemplo hortatur

ad

ad perſequendum Antonium, cum ait, *is bellum confecerit qui Antonium oppreſſerit.* addit præterea, *itaque homines alii fracti ſunt: nonnulli etiam queruntur quod perſecuti non ſitis: opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant.*

II. 144 C. Aſinius Pollio M.T.Ciceroni S.P.D.

Quo tardius] Hoc tempore ſcripta videtur: quia ait Antonium habere equitatum, ac legiones ſub ſignis armatas tres: Ventidium cum eo ſe conjunxiſſe. ſi nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema. Parmam direptam, L. Antonium Alpes occupaſſe; anni tempus majorem ſibi libertatem dare, propterea quod frumenta aut in agris aut in villis ſint: ſe deeſſe reip. nolle.

II. 126 M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

Lectis tuis literis] Suadet hac etiam epiſtola Furnio ut præturæ petitionem in alterum annum differat: nunc autem in bellum incumbat. quod de Planci & Bruti concordia ſcribat, in eo ſe vel maximam ſpem ponere victoriæ.

II. 176 M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

Mirabiliter mi Brute lætor] Reſpondet literis quibuſdam, quas Brutus Id. Maji dederat, his verbis, *Scripſiſti autem ad me iis quas Id. Maji dediſti, modo te accepiſſe a Planco literas, non recipi a Lepido Antonium. id ſi ita eſt, omnia faciliora: ſin aliter, magnum negotium: cujus exitum ne extimeſcam, tuæ partes ſunt.*

II. 183 D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

Quod pro me non facio] Labeonem ait ſibi nunciaſſe, Cæſarem de Cicerone queſtum, quod diceret, cum dixiſſe, Cæſarem ornandum & tollendum eſſe: non commiſſurum ut tolli poſſit. Se, niſi valde neceſſe fuerit, ex Italia non exceſſurum ait. legiones armare, parare, ſperare ſe non peſſimum exercitum habiturum ad omnes caſus, & impetus hominum. Data VIII. K. Jún. Eporædia. Mendoſe enim vulgo legitur VII. K. Jun. ex manuſcripto libro.

D. Brutus M. Ciceroni S. D. II. 188

Nos hic valemus recte] Scripta videtur eodem die quo ſuperior. Itaque ait, *quæ tibi ſuperioribus literis mea manu ſcripſi, terrendi tui cauſa homines loquuntur.* Lepidum commode de ſe videri ſentire ait, ſeque, dum a Cicerone literas accipiat, in Italia moraturum.

Cicero Planco S. D. II. 109

Ita erant omnia] Data eſt IV. K. Jun. Se accepiſſe a Bruto literas ait datas Id. Maji, in quibus erat, Plancum ad ſe ſcripſiſſe, a Lepido non recipi Antonium. Præterea ait, *qui reliquias hujus belli oppreſſerit, eum totius belli confectorem fore.*

Lentulus Ciceroni ſuo S. D. II. 226

Cum Brutum] Quæſtor erat Aſiæ Lentulus. De Caſſio & de Dolabella nunciat. Data IV. Jun. Pergæ.

P.Lentulus P.F. Proquaeſt. Propraet. S. D. Coss. Praett. Tribb. Pl. Sen. P.Q.R. II. 231

Si valetis, liberique veſtri valent, bene eſt] Nunciat eadem de Dolabella, & de Caſſio, quæ in ſuperiori

epiſtola nunciaverat Ciceroni. Data eſt IV. Non. Iun. Pergæ. niſi malimus legere IV. K. Iun. ut ſit eadem die ſcripta qua ſuperior.

II. D. Brutus Imp. Cos. Deſ.
173 M. Ciceroni S. D.

Jam non ago tibi gratias] Reſpondet epiſtolæ ſuperiori Ciceronis, cujus initium eſt, *Tres uno die*. Rationem affert cur non ſtatim perſequutus ſit Antonium. Pollicetur, ſi quo caſu Italiam trajecerit, reip. non defuturum. Addit præterea, *vos magnum animum, optimamque ſpem de ſumma reip. habere volumus, cum & nos & exercitus noſtros ſingulari concordia conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos.*

II. M. Lepidus Imp. II. Pont.
151 Max. S. P. Pl. Q. R.

Si vos liberique veſtri] Data eſt III. K. Iun. Excuſat ſe quod Antonium receperit. recepit autem a. d. IV. K. Iun.

II. D. Brutus Imp. M. Cice-
191 roni S. D.

In maximo meo dolore] Data eſt III. Non. Iun. ex caſtris. Lepidus Antonium recepit a. d. IV. Iun. ex epiſtola Planci, cujus initium eſt, *Nunquam mehercule*. hoc autem ſignificare videtur Brutus in hac epiſtola, cum ait, *hoc ſolatio utor, quod intelligunt homines me timuiſſe iſta quæ acciderunt*. & paulo poſt, *ad ſenatum literas miſi*.

II. M. Cicero D. Bruto
186 Imp. S.

Diviſiſti Segulio] Reſpondet epiſtolæ Bruti, cujus initium eſt, *Quod pro me non facio*. Data eſt prid. Non. Jun.

M. Cicero D. Bruto S. D. II. 189

Narro tibi] Data eſt VIII. Id. Iun. Reſpondet epiſtolæ Bruti, cujus initium eſt, *Nos hic valemus recte*. Suadet ut in Galliam contra Antonium trajiciat. neque enim adhuc audierat Antonium eſſe receptum a Lepido.

Plancus Ciceroni S. II. 116

Nunquam mehercule] Data eſt VIII. Id. Iun. Civarone, ex finibus Allobrogum. Nunciat a. d. IV. K. Iun. Antonium ſe conjunxiſſe cum Lepido, vix ſe e manibus eorum eſſe elapſum.

C. Aſinius Pollio M. Ci- II.
ceroni S. 139

Balbus quæſtor] Data eſt VI. Id. Iun. Cordubæ. Narrat quæ Balbus quæſtor geſſerit: petitque ut quid ſibi agendum ſit, ad ſe ſcribat.

M. Cicero C. Caſſio II.
S. P. D. 215

Scelus affinis tui Lepidi] Scripta eſt poſt conjunctionem Lepidi & Antonii. quod ex his verbis intelligitur, *Scelus affinis tui Lepidi, ſummamque levitatem & inconſtantiam, ex actis quæ ad te mitti certo ſcio, cognoſſe te arbitror*. Addit præterea nunciata quædam fuiſſe de oppreſſo Dolabella.

M. Cicero C. Caſſio II.
S. P. D. 216

Brevitas tuarum literarum] Scripta eſt eodem tempore quo ſuperior: quia ait, *tanquam clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppreſſo Dolabella*. & paulo poſt, *nos confectum cum putaremus, repente a Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus*.

C. Caſ-

II. 221 C. Caſſius S.D. M. Ciceroni.

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Cum reip.] Data eſt Id. Jun. Cypro, Acromani lacride. Nunciat ſe perſequutum eſſe Dolabellam.

II. 190 M. Cicero D. Bruto S.D.

Expectanti mihi] Data eſt xiv. K. Quint. Se vocare quotidie M. Brutum in Italiam ait.

II. 216 M. Cicero C. Caſſio S.P.D.

Lepidus affinis tuus] Scripta eſt poſt prid. K. Quint quia ait, *Lepidus affinis tuus prid. K. Quint. ſententiis omnibus hoſtis a ſenatu judicatus eſt, caterique qui una cum illo a rep. defecerunt. quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante K. Sept. poteſtas facta eſt.* & paulo poſt, *Nos de Dolabella qua voluimus: ſed adhuc ſine capite.* Nondum autem ſuperiores Caſſii de Dolabella literas acceperat.

II. 131 C. Cicero Ampio S.D.

De meo ſtudio] Data eſt prid. Non. Quint. Videtur ſcripta hoc tempore, quo plurimum poterat in rep. Cicero: quia ait: *illi mihi neceſſe eſt concedant, ut tibi plus quam ipſi, hoc tempore prodeſſe poſſim.* item, *fundamenta jeci ſalutis tua.*

II. 120 Plancus Imp. Cos. Deſ. Ciceroni S.D.

Facere non poſſum] Data eſt v. K. Sext. ex caſtris. Hoc tempore petebat Octavius conſulatum in locum conſulum occiſorum. quod in hac etiam epiſtola ſignificat Plancus, cum ait, *quod vivit Antonius, quod Lepidus una eſt, quod exercitus habet non contemnendos, id omne Caſari acceptum refero. qua mens enim a tanta gloria avocarit, & ad cogitationem conſulatus bimeſtris transtulerit, exputare non poſſum.*

Hoc anno C. Cæſar Octavianus prid. quam xx. annos impleret x. K. Oct. cum Q. Pedio conſulatum iniit in locum A. Hirtii, & C. Panſæ, qui in prælio Mutinenſi ceciderant. atque haud ita multo poſt Cicero, inito inter Cæſarem, Antonium, & Lepidum, triumviratu, juſſu Antonii interfectus eſt.

EPISTOLAE ALIQUOT, QUIBUS HAUD ITA CERTA SEDES INVENITUR.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D. I. 410

Tantum ex Arpinati veneram] Hæc epiſtola eodem tempore ſcripta videtur, quo epiſtolæ quædam in primo lib. ad Att. quia cum utroque de ſignis ſibi curandis agit. nam in epiſtola, cujus initium eſt, *Quanto dolore*, ita ait, *qua tibi mandavi, & qua tu intelliges convenire noſtro Tuſculano, velim, ut ſcribis, cures. nam nos ex omnibus moleſtiis & laboribus uno illo in loco conquieſcimus, quo fratrem quotidie expectamus.* & in ea quæ incipit, *Non committam*, ſcribit, *Q. frater cum uxore nunc in Arpinati pradio erat. tu velim, ſi ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, qua loci ſint ejus, quem non ignoras, ne pratermittas. Nos Tuſculano ita delectamur, ut nobiſmet ipſis tunc denique cum illo venimus, placeamus.* Et in ea, cujus initium eſt, *Apud te eſt, ut volumus*, ſcribit, *Herma tui Pentelici, de quibus ad me ſcripſiſti, jam nunc admodum delectant. quare velim & eos, & ſigna, & catera, qua tibi & ejus loci, & noſtri ſtudii, & tua elegantia eſſe videbuntur, quamplurima quamprimumque mittas, & maxime, qua tibi gymnaſii xyſtique videbuntur eſſe.* & in ea, cujus initium eſt, *Cum eſſem in Tuſculano*, legimus, *ſigna noſtra, & Hermeraclas, ut ſcribis, cum commodiſſime poteris, velim imponas. & quod aliud οἰκεῖον ejus loci, quem non*

ignoras, reperies, & maxime quæ tibi palæſtræ gymnaſiique videbuntur eſſe. & in ea, cujus initium eſt, *Crebras expectationes*, ſcribit, *quod mihi de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt, ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, Minerva ſingulare eſt ejus gymnaſii.* In his ergo locis meminit Cicero Tuſculani, quod exornare cupiebat, & quo fratrem expectabat: Arpinatis, ubi frater erat. Signa præterea ſibi curari cupit ea quæ gymnaſio, palæſtræ, & xyſto, & cuidam alii loco quem ille ſcit, congruant, ut Mercurium, & Minervam. Eadem autem fere in hac epiſtola ſcribit ad Fabium. meminit enim Arpinatis, unde forte in Tuſculanum redierat, cum ibi Q. fratrem reliquiſſet: meminit Tuſculani, ubi tunc erat. ſigna præterea ſe cupere ait, quæ gymnaſium & palæſtram exornent: cum inquit, *ea ſigna emere ſoleo, quæ ad ſimilitudinem gymnaſiorum exornent mihi in palæſtra locum.* meminit etiam xyſti, & alterius illius loci: cum ait, *exedria nova mihi quadam ſunt inſtituta in porticula Tuſculani: ea volebam tabellis ornare.* xyſtum enim porticulam, locum illum exedria intelligit. Baccharum præterea & Martis ſigna loco illi convenire negat, Mercurium probat. cum ergo tanta ſit argumenti ſimilitudo, jure eodem tempore hæc ſcripta eſſe videri poterit, atque illæ ad Att. quæ ante conſulatum Ciceronis, auctore Paulo Manutio viro erudititiſſimo, ſcriptæ ſunt. Hoc tamen opinantes dicimus.

I. 421
Cicero Gallo S. D.

Cum decimum] Meminit cœnæ auguralis apud Lentulum. P. autem Lentulus Spinter filium in conſulatu ſuo, Dione auctore, in adoptionem Manlio Torquato dedit, ut Augur fieri poſſet, ſalva lege, quæ duos ex eadem gente fieri Augures prohibebat. Erat autem Augur Cornelius Fauſtus Sullæ F. ex quo apparet hanc epiſtolam ſcriptam eſſe poſt conſulatum Lentuli.

M. Cicero C. Munatio C. F. S. D. II. 329

L. Livinejus] Scripta videtur poſt exilium Ciceronis: quia ait, *ſumma enim ejus erga me officia extiterunt in noſtris temporibus, quibus facillime bonam benevolentiam hominum & fidem perſpicere potui.*

M. Cicero L. Culleolo S. D. II. 313

Quæ feciſti] Videtur Culleolus procos. in Illyrico eſſe: quia meminit in ſequenti Bylionum populorum Illyrici. Scripta eſt vivente Pompejo: quia ait, *tum Pompejus quotieſcunque me videt (videt autem ſæpiſſime) gratias tibi agit ſingulares.* Id ſi ita eſt, profecto ante primum conſulatum Cæſaris ſcripta eſt. nam Cæſar primum conſul Illyricum ac Gallias a populo obtinuit in quinquennium: ac deinde prorogandum ſibi imperium curavit in ſecundo conſulatu Pompeji.

M. Cicero L. Culleolo Procos. S. II. 314

L. Lucejus] Meminit in hac etiam Pompeji: cum ait, *ſeſe Luceje Pompeji arbitratu ſatisfacturos.*

M. Cicero Q. Philippo Procos. S. II. 342

Etſi non dubito pro] Q. Philippus proconſule Aſiam regebat. in hac enim epiſtola fit mentio L. Oppii, & L. Egnatii, qui negotia habuerunt Philomeli, urbe Aſiæ, ut apparet ex epiſtolis ſequentibus ad Gallium. Commendat ergo ei abſenti L. Oppium, & L. Egnatium, quos etiam præſentes oſtendit ſe commendaſſe tum cum Philippus diſcederet in provinciam.

M. Ci-

II. M. Cicero Q. Gallio
315 S. D.

Etſi plurimis rebus] Puto Gallium fuiſſe legatum Q. Philippi proconſulis in Aſia. Commendat ei L. Oppium, & L. Egnatium, qui negotia habebant Philomeli. Non videtur autem adhuc Gallius in provinciam perveniſſe: quia ait, *velim memoria tua cauſa des aliquid literarum, quæ tibi in provincia reddantur.*

II. M. Cicero Q. Gallio
316 S. D.

Etſi ex tuis] Commendat iterum Gallio L. Oppium.

II. M. Cicero Appulejo Pro-
317 quæſt. S. P. D.

L. Egnatio] Appulejus videtur Quæſtor fuiſſe Q. Philippi proconſulis in Aſia. Commendat ei negotia ejuſdem Egnatii, de quo ante.

II. M. Cicero Appulejo Pro-
317 quæſt. S. P. D.

L. Noſtius] Eidem Appulejo proquæſtori commendat L. Noſtium.

II. M. Cicero Q. Philippo
341 Procos. S.

Gratulor tibi] Q. Philippus procos. ex provincia Aſia Romam redierat. gratulatur ei Cicero quod ſalvum ſe Romam receperit.

II. M. Cicero C. Memmio.
266

A. Fuſium] Commendat A. Fuſium. Hanc epiſtolam inter eas quæ ad Memmium ſcriptæ ſunt, non collocavimus: quia ait, *ut mihi coram recepiſti.* quæ vero ad Memmium ſcriptæ ſunt, oſtendunt Ciceronem nuſquam cum Memmio loquutum eſſe, cum Athenis exulabat.

M. Cicero Cornificio II.
Collegae S. 242

Grata mihi tua litera] Hæc epiſtola ſeparata eſt a reliquis, quas Cicero ad Cornificium ſcripſit. nam cum reliquas ſcripſit, in provincia eſſe videtur Cornificius: cum hanc autem dedit, ruſticari videtur. quod quando fecerit, non liquet.

M. Cicero Papirio Paeto II.
S. D. 54

Ain' tandem] Hæc epiſtola nihil ex ſe ſuppeditat, ex quo in ſuſpicionem venire poſſimus, quo præcipue anno ſcripta ſit. multas etiam alias ad Pætum ſcripſit epiſtolas, ſed non omnes uno anno, ut oſtendimus.

M. Cicero Papirio Paeto II.
S. D. 57

Ame verecundiam] Quod dixi de priore epiſtola, idem de hac judicandum eſt.

Cicero Trebatio S. D. I.
409

Illuſeras heri inter ſcyphos] Incerta omnino ſedes eſt hujus epiſtolæ.

Cicero Trebatio S. D. I.
407

Silii cauſam] Item hujus.

M. Cicero Q. Valerio II.
Q. F. Orcae S. 270

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Crede] Reliquæ epiſtolæ ad Valerium Orcam ſcriptæ ſunt, cum eſſet præfectus a Cæſare dividendis agris. hæc autem ſcripta eſt cum eſſet in provincia: in qua quo tempore fuerit, obſcurum eſt.

Ci-

I. Cicero Baſilio S.D.

345 *Tibi gratulor, mihi gaudeo*] Incertiſſimum tempus eſt hujus epiſtolæ.

II. Quintus M. Fratri S.D.

448 *De Tirone*] Laudat fratrem Quintus quod Tironem in libertatem vindicaverit.

II. Q. Cicero Tironi ſuo S. D.

466 *Verberavi*] Incertum epiſtolæ tempus, ut etiam ſequentium.

II. M. Cicero Q. Anchario Q.F. Procos. S.D.

313 *L. & C. Aurelios*]

M. Cicero Quattuorviris & Decurionibus S. D. II. 343

Tanta mihi]

Cicero Regi S. II. 321

A. Licinius Ariſtoteles]

M. Cicero P. Caeſio S. D.. II. 321

P. Meſſienum]

Cicero Curio Procos. S. D. II. 319

Q. Pompejus]

EPI-

EPISTOLARUM
VETUS ET VULGATUS ORDO,

Cum numeris, quibus unaquæque carum in hoc volumine indicatur: ut ſi quis aliquam epiſtolam in noſtro libro velit invenire, hoc indice utatur.

Ex Primo Lib.

EGo omni officio.	197. b
Id. Jan.	198. a
A. Trebonio.	ibid.
A. d. XVI *K. Feb.*	ibid.
Tametſi nihil.	ibid. b
Quæ gerantur.	ibid.
Legi tuas literas.	199. a
De omnibus rebus.	ibid. b
Perjucundæ.	201. a
Cur enim tibi hoc non gr.	ibid. b

Ex Secundo.

Quanquam me nomine negligentiæ.	201. b
Gravi teſte.	202. a
Rupæ ſtudium.	ibid.
Epiſtolarum genera.	ibid. b
Hæc negotia.	ibid.
Nondum erat auditum.	203 b
Sera gratulatio.	208 a
Quid? tu me hoc tibi.	205. b
Plurimum tibi.	207. b
Tu vide.	208. a
Putareſne unquam.	211. a
Solicitus equidem.	212. a
Raras tuas quidem.	211. b
M. Fabio.	210 b
Non potuit accuratius agi.	2 3. a
Magno dolore.	216. b
Literas a te mihi ſtator tuus.	212. b
Officium meum erga Rhod.	211. b
Cum optatiſſimum.	212. a

Ex Tertio.

Si ipſa reſp.	204. b
Quum & contra voluntatem.	ibid.
A d. XI. *K. Jun.*	ibid.
Prid. Non. Jun.	205. a
Tralleis veni a. d. VI. *K. Sext.*	206. a
Cum meum factum cum tuo comp.	207. a
Pluribus verbis ad te ſcribam.	210. b
Etſi, quantum.	207. b
Vix tandem.	211. a
Cum eſt ad nos allatum.	ibid. b
Cum eſſem in caſtris.	212. a
Gratulabor tibi prius.	ibid. b
Quaſi divinarem.	213. a

Ex quarto.

C. Trebatius.	215. b
A. d. III. *K. Majas.*	216. a
Vehementer te eſſe ſolicitum.	223. b
Accipio excuſationem tuam.	225. a
Poſteaquam.	230. b
Ego vero, Servi, vellem.	231. b
Etſi eo te adhuc conſilio.	224. b
Neque monere te audeo.	ibid.
Etſi perpaucis ante diebus.	225. a
Etſi nihil novi.	231. b
Plurimum valuiſſe apud me.	225. b
Etſi ſcio non jucundiſ.	231. b
Quærenti mihi jamdiu.	224. a
Binas a te accepi literas.	219. b
Accepi perbreves tuas literas.	220. a

Ex Quinto.

Si vales, bene eſt. Exiſtimaram. 195. b
Si tu exer. val. bene eſt. Scribis ad me. ibid.
Hominis importuniſſimi. 198. b
Literæ Q. fratris. 197. b
Etſi ſtatueram. 196. a
Cum ad me Decius. ibid b
Si tu exer. val. bene eſt. Ex literis tuis. 195. a
Quantum meum ſtudium. 200. a
Si vales, bene eſt: ego valeo. Si tuam con. 232. a
Si vales, bene eſt: ego quidem valeo De Dionyſio. 235 a
Grata tibi eſſe officia mea. 234. b
Coram me tecum. 199 a
Quanquam ipſa conſolatio. 230. b
Si vales, bene eſt: ego valeo ſicut ſoleo. 232. a
Omnis amor tuus. ibid.
Etſi unus ex omnibus. 238. a
Non oblivione amicitiæ noſtræ. 203. a
Etſi egomet qui te conſ 204. a
Etſi mihi nunquam dubium fuit. 216. b
Quoquo modo potuiſſem. 214 b
Gratæ mihi tuæ literæ fuerunt. 221. a

Ex Sexto.

Etſi ea perturbatio. 220. a
Peto a te ne me putes. 222. b
Superioribus literis. 220 b
Novi, quod ad te ſcriberem. 221 a
Quotieſcunque fil tuum video. 226. b
Vereor ne deſideres. 225. b
Quod tibi non tam celeriter. 226 b
Cum eſſet mecum Largus. ibid. a
Cum A. Cæcina. ibid. b
Ego, quanti te faciam. 224 b
Antea miſiſſem. 224 a
Dolabellam antea. 225. b
Gratulor tibi, mi Balbe. 225. a
Etſi tali tuo tempore. 224. b
Me ſcito omnem meum laborem. 226. a
Tibi gratulor, mihi gaudeo. 252. a
Si mihi tecum. 240. b
Cum cæterarum rerum cauſa. 236. b
Simul accepi a Seleuco. 229. a
Maculam officio functum eſſe. 233. a
Dederam triduo ante. 221. a
Etſi cum hæc ad te ſcriberem. ibid.
Non ea res me deterruit. 220. a

Ex Septimo.

Si te dolor aliquis corporis. 199. b
Mandatum tuum. 203. a
Perſæpe mihi cogitanti. 222. b
A. d. VIII. *K. in Cumanum.* 223. a
Vide quam mihi perſuaſerim. 200. a
In omnibus meis epiſtolis. 200. b
Ego te commendare non deſiſto. ibid.
Scripſit ad me Cæſar. ibid.
Jamdiu ignoro quid agas. 201. a
Legi tuas literas. ibid.
Niſi ante Roma. ibid. b
Mirabar quid eſſet. 202. a
Adeone me injuſtum. ibid. b
Chryſippus Vectius. 203. b
Quam ſint moroſi. 202 b
In equo Trojano. 201. a
Ex tuis literis. 200. b
Accepi a te aliquot epiſtolas. 202. b
Vide quanti apud me ſis. 238. a
Amabilior mihi Velia fuit. ibid.
Sibi cauſam te docui. 251. b
Illuſeras heri inter ſcyphos. ibid.
Tantum ex Arpinati veneram. 249. b
Amoris quidem tui. 233. a
Quod epiſtolam conſciſſam doles. ibid. b
Cum decimum jam diem. 250 a
Miror cur me accuſes. 225. a
Memini cum mihi deſipere videbare. ibid. b
Si vales, bene eſt: ſum enim χρήσει μ̃ *tuus.* 234. b
Ego vero jam te nec hortor. 235. b

Faci-

Facile perſpexi. 235.b
Quod ſine prænomine. 208.b
Quod declamationibus. 222.a

Ex Octavo.

Quod tibi decedenti. 205.a
Certe inquam abſolutus eſt. ibid. b
Eſne? vici. ibid.
Invideo tibi. 206.a
Qua tu cura ſis. ibid.
Non dubito quin perlatum. 210.a
Quam cito. ibid.b
Etſi de rep. 207 b
Sic tu, inquis. 206.a
Sane quam. 208.a
Non diu, ſed acriter. 212.b
Pudet me tibi confiteri. 213.b
Gratulor tibi affinitate. 212.b
Tanti non ſuit. 213.b
Ecquando. 215.b
Exanimatus. 216.a
Ergo me potius. 217.a

Ex Nono.

Ex iis literis. 219.b
Caninius, idem tuus. 221.b
Etſi, quid ſcriberem. ibid.
Περὶ δυνατῶν. ibid.
Mihi vero ad Nonas. ibid.
Caninius noſter. ibid
Cœnabam apud Sejum. ibid.
Etſi munus flagitare. 232.b
Si vales, gaudeo: & ipſe valeo, & Tullia. 217.a
Non ſum auſus. 229.b
Vel meo ipſius interitu. 230.a
Gratulor Bajis. 235.a
C. Suberinus Calenus. 230.a
Etſi contentus eram. 236.b
Duabus tuis epiſtolis. 226 a
Delectaverunt me literæ. 222.a
Non tu homo ridiculus es. 223 a
Cum eſſem otioſus. 222.a
Tamen a malitia. 222.b
Dupliciter. 223.a
Ain' tandem? 251 b
Amo verecundiam. ibid.
Heri veni in Cumanum. 223.a
Ruſum iſtum. 242.a
Summum me ducem. 212.a
Accubueram hora nona. 226.a

Ex Decimo.

Et abſui. 238 a
Meum ſtudium. 239.a
Cum ipſum Furnium. 241.a
Gratiſſimæ mihi tuæ literæ. 242.a
Binas a te accepi literas. ibid.b
Quæ loquutus eſt Furnius. ibid.
Plura tibi. 243.a
Si cui forte. ibid.
Nihil me tibi temere. 244.a
Etſi ſatis ex Furnio. 243.a
Immortales. 244.b
Etſi reip. cauſa. 243.b
Ut primum. 246.b
O gratam famam. 245.a
His literis ſcriptis. ibid.
Nihil poſt hominum memoriam. ibid.
Antonius. ibid.
Quid in animo habuerit. 246 a
Quanquam gratiarum. ibid.b
Ita erant omnia. 247.b
Puderet me. 246.a
In te, & in collega. ibid.b
Nunquam mehercule. 248.b
Facere non poſſum. 249.a
Si intereſt. 246.a
Lectis tuis literis. 247.a
Quod mihi. 243.a
Quam vellem. 241.b
De meo ſtudio. 249.a
XVII. K. Maji. 244.a
Minime mirum. 242.b
Balbus Quæſtor. 248.b
Quo tardius. 247.a

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Cum audiſſem. 246. a

Si vos, liberique veſtri valetis, bene eſt: ego quoque valeo. 248. a

EX UNDECIMO.

Quo in ſtatu. 236. a

De tua fide. 237. a

Literas tuas legimus. 238. a

Si de tua in me voluntate. ibid. b

Lupus familiaris noſter. 239. b

Lupus noſter. 240. a

Cum adhibuiſſet. ibid. a

Eo tempore Polla. 241. a

Panſa amiſſo. 244. a

Non mihi remp. ibid. b

Eodem exemplo. ibid

Treis uno die. 246. b

Jam non ago. 248. a

Mirabiliter. 247. a

Etſi mihi tuæ literæ. 246. b

Permagni intereſt. 238. b

Lamia uno omnium. 239. a

Etſi ex mandatis. 245. b

Ad Senatum. ibid.

Quod pro me non facio. 247. a

Dii iſti Segulio. 248 a

Cum Ap. Claudio. 245. a

Nos hic valemus recte. 247. b

Narro tibi. 248. a

Expectanti mihi. 249. a

In maximo meo dolore. 248. a

Nondum ſatis conſtitui. 237. a

Magnam voluptatem. ibid. b

Dubitanti mihi. ibid.

EX DVODECIMO.

Finem nullum facio. 237. b

Vhementer lætor. 239. a

Anget tuus amicus. ibid.

Vellem Id Mart. 241. b

Hiemem credo. ibid.

Qui ſtatus rerum. 243. b

Quanto ſtudio. 241. a

Scelus affinis tui. 248. b

Brevitas tuarum literarum. ibid.

Lepidus tuus affinis. 249. a

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. In Syriam. 242. a

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Legi tuas literas. 244. b

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Cum reip. 249. a

Quum Brutum. 247. b

Si valetis, liberique veſtri valent. ibid.

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Athenas. 237. a

Grata mihi vehementer. 233. b

Quod extremum fuit. 234. b

Libentiſſime. 235. b

Gratæ mihi tuæ literæ. 251. b

C. Anitius. 239. b

Nos hic cum homine. 240. b

Omnem conditionem. 239. b

Ego nullum locum. 241. a

Liberalibus. 244 a

Q. Turius, qui in Africa negotiatus eſt. 239. b

Sex Aufidius. ibid.

Aſſentior tibi. 243. b

Non modo te. ibid.

Itane? præter. 245. b

EX DECIMO ET TERTIO.

Etſi non ſatis. 205. a

C. Aviano. ibid. b

A. Fufium. 251. a

Cum municipibus Volateranis. 234. a

Non moleſte fero. ibid.

Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Credo. 251. b

Quum in Galliam. 234. a

Quum & mihi. ibid.

Quanquam tibi præſens. 209 b

Quum ad te tuus Quæſtor. 227. b

Quia ſemper. 228. a

Alia

Alia epiſtola. 228. a
L. Caſtronius. ibid.
L. Titio. ibid.
Præcilium. 230 a
P. Craſſum. ibid.
M. Curius. 227. a
Non concedam. ibid.
Cum Lyſone Patrenſi. ibid.
Aſclapone. ibid.
M. Æmilius. ibid.
T. Manlium. ibid.
L. Coſſinio. ibid.
Quam antea capiebam. ibid.
Hageſaretus Lariſſæus. ibid. b
L. Meſcinius. ibid.
Licet eodem exemplo. ibid.
Etſi libenter. ibid.
Non dubito quin ſcias. 220. a
L. Manlius. 228. b
C. Flavio. ibid.
In Aleſina civitate. ibid.
Cn. Otacilio Naſone. 249. a
Avitum mihi hoſpitium. ibid.
C. Avianus. ibid.
Cum Demetrio Mega. ibid.
Hippiam. ibid.
L. Brutius. ibid.
Cum familia Titurnia. ibid.
L. & C. Aurelios. 252. a
Quæ feciſti L. Luceji. 250. b
L. Lucejus. ibid.
Etſi plurimis rebus. 251. a
Etſi ex tuis, & L. Oppii. ibid.
L. Egnatio. ibid.
L. Noſtius. ibid.
Quid ego tibi commendem eum. 209. b
Omnes tibi commendo Cyprios. 199. b
Q. Pompejus. 252. b
Sumpſi hoc mihi. 235. b
P. Meſſienum. 252. b
A. Licinius Ariſtoteles. ibid.
L. Genucilio Curvo. 208. b
Cum mihi multa. 211. b
Etſi mihi videor. 208. b
Cluvius Puteolanus. ibid.
Quo magis quotidie. 211. b
L. Cuſtidius. 211. a
M. Fabium. ibid.
T. Lavinejus. 250. b
T. Pinnio. 209. a
Et in Atilii. ibid.
Non putavi fieri poſſe. ibid.
Nero meus. ibid. b
Cum P. Terentio. ibid.
A. Cæcinam. 228. a
Ex provincia mea Cilicienſi. ibid.
Gratæ mihi vehementer. 223. b
C Curtius. 228. a
Quia non eſt obſcura. ibid.
Multos tibi commendem. ibid. b
Cerelliæ. ibid.
Gratulor tibi quod ex provincia. 251. a
Etſi non dubito, pro. 250. b
Etſi non dubito quin. 204. a
Tantæ mihi. 252. b
Cum his temporibus. 232. b
Democritus. 220. b
Et te ſcire arbitror. ibid.

EX DECIMO ET QUARTO.

Et literis multorum. 197. a
Noli putare. ibid.
Accepi ab Ariſtocrito. ibid. b
Ego minus ſæpe. ibid. a
Si tu, & Tullia lux noſtra. 213. b
Nec ſæpe eſt. 217 a
Omnes moleſtias. 216 b
Si vales, bene eſt: ego quidem valeo. Valetudinem. 217. a
Ad cæteras meas miſerias. 218. a
Quid fieri placeret. ibid. b
Si vales, bene eſt: ego valeo. Tullia noſtra. ibid. a
Quod nos in Italiam. 217. b
Quod ſcripſi ad te. 218. b
Si vos valetis, nos valemus. 215. a
Si vales, bene eſt: ego valeo. Conſtitueramus. 218. a

Si vales, bene eſt: ego valeo. Etſi ejuſmodi 218. a
Si quid haberem. ibid.
Conſiderandum. 215. a
In maximis. 217. b
In Tuſculanum. 219. a
Si vales, bene eſt: ego valeo. Da operam. 217 a
Si vales, bene eſt: ego valeo. Nos quotidie. 218. b
Si vales, bene eſt: ego valeo. Nos neque. ibid.
Si vales, bene eſt: ego valeo. Redditæ mihi. ibid.

EX DECIMO ET QUINTO.

Si vos bene valetis, bene eſt: ego quidem valeo. Etſi. 207. a
Si vos bene valetis, bene eſt: ego quidem valeo. Cum pr. 206. b
Quum ad me legati. 207. a
Summa tua auctoritas. 210. a
Quod & reſp. me. 212. b
Lætus ſum. 213. a
Te & pietatis. 206. a
Maxima ſum lætitia affectus. ibid. b
Marcellum tuum. ibid.
Quando id accidit. 210. a
Quantæ tibi curæ. 213. a
Etſi mihi nunquam fuit dubium. 206. b
Maxime mihi fuit optatum. 210. a
M. Fabium. ibid. b
Etſi uterque noſtrum. 219. b
Puto te jam ſuppudere. 229. b
Præpoſteros. ibid.
Longior epiſtola fuiſſet. ibid.
Non mehercule. 230. a
Oratorem meum. 237. a
Et epiſtolam. 229. a

EX DECIMO ET SEXTO.

Vide quanta in te ſit ſuavitas. 214. a
Septimum jam diem. ibid.
Paulo facilius. 213. b
Non queo ad te. ibid.
Nos apud Alyziam. 214. a
Varie ſum affectus. ibid.
Tertiam ad te hanc epiſtolam. ibid.
Magnæ nobis eſt ſollicitudini. 215. a
Nos a te, ut ſcis, diſceſſimus. 214. b
Etſi opportunitatem. ibid.
Quo in diſcrimine. 215. a
Ego vero cupio. 231. a
Ægypta. 215. b
Andricus. ibid.
Omnia a te data. ibid.
De Tirone. 252. a
Video quid agas. 231. a
Quid igitur. ibid. b
Expecto tuas literas. ibid. a
Solicitat, ita vivam. ibid.
Cum vehementer. 240. b
Spero ex tuis literis. 231. a
Tu vero confice. 236. b
Etſi mane. ibid. a
Etſi juſta. 240. b
Verberavi. 252. a
Mirificam verberationem. 240. b

JOAN.

JOAN. FRID. GRONOVII
NOTAE
IN
EPISTOLAS
M. TVLLII CICERONIS.

TOMVS II.

JOAN. FRID. GRONOVII
NOTAE
IN
EPISTOLAS
M. TVLLII CICERONIS.

LIBER IX.

EPISTOLA I.

Pag. 4. ME *in res turbulentiſſimas demiſiſſem*] Quum ſuſcepiſſem Rempub. undique conquaſſatam fulciendam, fretus ſubſidio eorum, qui me turpiter prodiderunt.

EPISTOLA II.

Pag. 8. N*Avare remp.*] Efficere aliquid Reip. utile, juvare. VI, I: *navare aliquid & efficere.*

EPISTOLA V.

Pag. 12. U*T lavatio parata ſit*] Inſtrumentum balneare. Phædrus *lavationem argenteam*, Fab. LXIII.

EPISTOLA VI.

Pag. 16. A*T in perturbata republica vivimus*] Objectio: Vivimus ubi viris vivere indignum eſt republica in tyrannidem prolapſa.

Quis negat? ſed hæc viderint] Fateor. Sed hæc objectio tantum valet adverſus eos, qui ſe non inſtruxere ad utramque fortunam tolerandam.

Hos Tuſculanenſes dies tuos] Sic agere, quemadmodum tu hos proximos dies in Tuſculano tuo egiſti inter libros, quos vel legis vel facis, eam demum ego veram vitam puto.

Pag. 17. *Patria non poſſit uti*] Quia nemini patebant honores aut procurationes publicæ, præterquam ex profeſſo Cæſareanis.

Cur non abutamur] In bonam partem. ita tamen, ut plus ſit, quam utamur. lib. X, 15: *obſequioque meo, ſi ita faceret, ad omnes res abuteretur.* Pro Milone 2: *quanquam in hac cauſſa T. Annii tribunatu, rebuſque omnibus pro ſalute Reip. geſtis, ad hujus defenſionem non abutemur.*

EPISTOLA VII.

I*Ndicabo malitiam meam*] Fatebor tibi, quod aſtute cogitaram. VIII ad Att. ep. 25: *Mihi impoſuiſſet aliquid, niſi tua malitia affuiſſet.*

Pag. 19. *Illud enim adhuc prædium tuum*] De Cæſare domino Reip. loquitur, ut de domino privatarum poſſeſſionum, & de provinciis, tanquam prædiis ejus. Sic Juvenalis præfectum Urbi vocat *villicum* Sat. IV, 77:

Pegaſus attonitæ poſitus modo villicus urbi.

Quaſi urbs ſit villa Cæſaris. Sic interpretabantur illud ex Attellana de Galba: *Venit Io, ſimus a villa*, Sueton. Galb. 13.

Galb. 13. per villam intelligentes Hiſpaniam, ut hic Cicero Sardiniam per prædium.

Eum puto magiſtrum fore] Is docebit, qua ratione amiſſam Cæſaris gratiam recuperem, quum ego eum in arte oratoria docere ſim ſolitus. Sic Manutius. Sed ſuſpicor Ciceronem reſpicere etiam ad Magiſtros auctionum, de quibus I Att. 1. & Theoph. 3. Inſtit. 12: & ſignificare, Dolabellam præſtiturum Cæſari operam, qualem præſtitit P. Sulla & propinquo ſuo & Cæſari, quem ait vibraſſe illam cruentam haſtam, II Off. 8: hoc eſt præfuturum auctionibus confiſcatorum, & ſubhaſtatorum bonorum, quæ inimicorum Cæſaris fuiſſent.

Πολλοὶ μαθηταὶ] Reſponſio ad tacitam objectionem. At Cæſar ipſe magiſter eſt atque auctor, ut omnis hujus mali, ſic & proſcriptionum; Dolabella Cæſaris diſcipulus. At (reſpondet) multi diſcipuli potiores magiſtris.

EPISTOLA VIII.

Pag. 21. S*Uperiorum temporum fortuna*] Quod adhuc ceſſavimus, condonetur Reip., quæ nos alio [illegible] puit.

Hanc ipſi præſtare debemus] Sc. cauſſam, vel horum temporum cauſſam. nunc ſublatus eſt iſte Reip. obtentus: & ſi peccemus, non poſſumus delegare culpam, ſed ipſi ea tenemur.

EPISTOLA X.

Pag. 23. A*Lter duobus verſiculis*] Vidius a Nicia petit nummos quos eum ſibi debere dicit, quos in Calendario ſuo, vel tabulis expenſi ei credidiſſe ſcriptum profert. *Expenſum ferre alicui* eſt imputare alicui, erogatum alicui teſtari, ſcribere, dicere. *Duobus verſiculis* eſt duobus titulis vel nominibus.

Pag. 24. *Inventium culinarum*] Ms. *cularum*. lege, *ſquillarum*. Plin. 11, ep. 17: *Mare non ſane pretioſis piſcibus abundat, ſoleas tamen & ſquillas optimas egerit.* Martial. XIII, 83.

Cæruleus nos Liris amat, quem ſilva Marica
Protegit: hinc ſquillæ maxima turba ſumus.

Juv. V, 82:

Quæ fertur Domino ſquilla.

Cum Sepia Septimia] F. *Cum ſepia.* Plaut. Caſin. II, 8, 59:

Emito ſepiolas, lepadas, lolligiunculas.

Plin. IX, 29.

Συμβιώτην] Convictorem noſtrum non ſinam jacturam facere: ſignificat, ſi pronunciaturus ſit, debere videri, ſe pro eo pecuniam numeraturum. Suet. Oct. 4.

Nec committam] Nec dabo tibi occaſionem, ſi damnatus fuerit, per Cæſarem eum reſtituendi in integrum. Tacite reprehendit multa judicia a Cæſare reſciſſa & reſtitutos exſules.

Ne Plancus Burſa] Ne ille tuo hoc beneficio devinctus Planco veſtro Burſæ ſe dedere compellatur, & illum barbarum literarum elementis imbuere. Nam & hic fuerat inimicus Ciceronis, & quum melioribus temporibus damnatus eſſet, a Cæſare civitatem receperat.

EPISTOLA XII.

Pag. 27. G*Ratulor Bajis noſtris*] Meæ villæ in Bajeno.

Salubres repente] Ludit in vocabulo *ſalubris*, id enim nonnunquam adverſum habet, non conducens ſanitati: & ſic Bajæ ſemper ſalubres. Sed nonnunquam *ſalubre* opponitur *luxurioſo*, ut *ſalubrem Principem* dicit Suetonius Oct. 42. & ita hic accipit Cicero.

EPISTOLA XV.

Pag. 34. P*Rimum oblitas Latio*] Deſiiſſe Latium noſtrum, & ſuavitate prævalere. Sup. VII, 31: *Exaruiſſe jam veterem urbanitatem.*

Pag. 36. *Quum in mentem venerit ponor ad ſcribendum*] Ubi lubuit, ubi fert animus, præſcribitur SC. meum nomen, quaſi ſcribendo adfuerim, etiamſi haudquaquam præſto fuerim.

EPISTOLA XVI.

Pag. 43. Q*Uaſticulis te faciebam attentiorem.*] F. *patiebar*, vel *ferebam*, non exigebam, quas mihi debes cœnas, quod ferrem te quæſtui ſervire, ac minus effundere in convivia. II de Div.

Div. 15: *quæ ex cogitatione natura convenire poteſt, aut fiſſum jecoris cum meo lucello, aut meus quaſticulus cum cælo, terra, rerumque natura.* Horat. *Aſper & attentus quæſitis.*

Pag. 44. *Cum tam æquo animo bona perdas*] Per legem Cæſaris, qui decrevit, ut creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quiſque ante civile bellum comparaſſent: deducto ſummæ æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Sueton. Jul. 42: *cum tam facile amittas, quod ab aliis tibi debetur, nec ægre ferre debes, ſi quid in me impendas.*

Pag. 45. *Salsum enim ſatis eſt*] Alludit ad nomen villæ: & ſimul ſignificat, ſatis eſſe materiæ ſalibus ſeu dictis facetis dicendis in Cæſareanos; ſed parum eſſe Sannionum ſeu deriſorum, quod propter potentiam eorum & violentiam nemo libere jocari audeat. *Sanna* eſt deriſio cum aliquo geſtu, ut ſi quis digitis alicui cornua faciat. Unde *Sannio*, deriſor.

EPISTOLA XVII.

NÆ *tu homo ridiculus es*] Ita ſcribendum invitis omnibus libris. VII, 1: *Nā tu haud paullo plus delectationis habuiſti.* Profecto tu ridicule & lepide mecum agis.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 47. ME *quam maxime conciliarent*] Molliſſimum mihi aditum ad Cæſarem pararent, qui eos habet familiares.

Syracuſis expulſus eſſet] A Timoleonte.

Pag. 48. *Tu iſtic te Ateriano jure delectato*] Ludit in voce *jus*, quod & liquidum cibi & leges ſignificat. Videtur Aterium IC. penes ſe habuiſſe Pætus.

Pag. 49. *Ollam*] Qualis eſt Euclionis in Aulularia Plauti.

Denariorum] Nummis ex venditione redactis. ut apud Plautum in Merc. *implere foros elogiorum.*

Cruditate] Laute cœnando & nimiis cibis, ex quibus exiſtit cruditas.

Spero idem iſthic familiares tuos] Paſſos, parem jacturam feciſſe.

Actum igitur de te eſt] Quum nec res tibi ſuperſit, nec familiaris, qui egeſtati tuæ ſuccurrere poſſent.

Sella tibi erit in ludo] Quem me aperuiſſe dixeram.

EPISTOLA XIX.

QVum reges] Illi qui omnia poſſunt, inter quos Balbus, tam parca & frugali cœna excipi non graventur.

EPISTOLA XX.

Pag. 50. UT *ſcurram velitem malis*] Ludit in voce *mala*, quæ & poma ſignificat & maledicta. Pætus Ciceroni miſerat multa poma: ideo ait ſe ab eo malis oneratum. Sed quum addit, *ut ſcurram velitem oneratum malis* videtur accepiſſe, ut Plautus, cum ait *onerare maledictis*: & *ingerere multa mala*. *Veles* eſt levis armaturæ miles. *Veles ſcurra*, qui ad alios laceſſendos promtus eſt, & qualia dicit, audire cogitur. Male Man.

Pag. 51. *Integram famem ad ovum affero*] Quaſi nihil guſtaſſem in promulſide juxta jejunus & eſuriens aggredior caput cœnæ.

Ad aſſum vitulinum opera perducitur] Nec minus ſtrenue ad carnes aſſas accedo.

Commendationem cauſſarum] Meditationem litium forenſium, quæ omnia ſcilicet antehac me parci cibi faciebant.

Pag. 52. *Dediſcenda tibi ſunt*] Alii cibi apponendi ſunt, quam quos in ſportulis apponere ſoles, artolaganos, panes mellitos, placentarum inſtar.

Nos jam ex areis] Hortis in areolas diſtributis tantum delicatorum oluſculorum.

EPISTOLA XXI.

Pag. 56. TRedecim fuerunt ſella curules] Sc. uſi, qui Magiſtratus Curules geſſerunt.

EPISTOLA XXII.

Pag. 62. C*Olei Lanuvini*] Sacci de corio facti, qui & cullei: qui optime Lanuvii fiebant, & inde portabantur Romam.

Cliternini] Ut in Priapp. 13.

Nos pudere pulſo
Stamus ſub Jove coleis apertis

Cliternum quoque Italiæ oppidum, & incolæ Cliternini. Sed videtur aliquis ſic luſiſſe, reſpiciens ad vocabulum κλειτορὶς, quæ & νύμφη & μύρτος appellatur.

Ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔση] Sapiens proprie & ſimpliciter loqueris. XII, 16: *Si tibi quibuſdam verbis εὐθυῤῥημονέστερος videbor.* Male. Man.

EPISTOLA XXIV.

Pag. 65. S*I tu frigus*] Nocturnum, quod reverrenti a cœna ſubeundum erat. Manutius ait ludere Ciceronem in *ferri* & *ferre*, quod eſt puerile atque ineptum. Immo ludit in *frigus ferre*, quod eſt & quod ſonat, & faſtum pati & inſolentiam dominantium ſatellitum Tyranni poſt Tyrannum occiſum. Suet. Octav.

LIBER X.

EPISTOLA I.

Pag. 75. Q*Uicquid in eum judicii*] Id eſt, beneficii. nam beneficia honoratorum hominum argumentum ſunt, illos bene de rebus judicare.

EPISTOLA IV.

Pag. 78. V*T præter bonam famam*] Ut unicum, quod iis addere poſſum, ſit bona hominum de his exiſtimatio. Tacite ſignificat propter mala tempora, & quod ſerviendum eſſet Cæſari, nondum eum mereri ſe potuiſſe.

EPISTOLA VIII.

Pag. 84. S*Ed optima mentis*] Quum optimum propoſitum nunquam non habuerim, nunc demum id palam præferendi maturum & commodum tempus apparuit.

Pag. 85. *Et multa impenſa opus fuerunt*] Sic Mss. Sed & legendum *magni labores.* Dicimus enim, *hac res opus eſt*, & *hanc rem opus eſt*, & *hac re opus eſt.* Cic. 2. fam. ep. 6: *Dux & auctor nobis opus eſt.* Itaque τὸ *fuerunt* reſpondet propioribus *labores* & *impenſa*, quæ ſunt nominativi plurales.

EPISTOLA XIV.

Pag. 99. T*Ecum & reip. ſatis eſſe facturum*] Exaudiendum τὸ *facturum*, quaſi bis poſitum eſſet hoc modo: *facturum tecum* (id eſt, tuum exemplum & ſectam ſecuturum) & *ſatisfacturum reip.*, talem ſe præſtiturum, ut Reſp. eo ſit contenta.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 106. V*Idebam*] Hoc ſupervacuum eſt verbum, non delendum tamen, valet enim tantum, ac ſi repeririſſet τὸ *ſciebam*, cum verbo *inquam.* Hoc, inquam, ſciebam. Vide quæ notavi ad Senec. de Ira 1, 3.

Magnam affert ſollicitudinem] Ingentem mihi ſubjicit curam, ne ſcilicet Antonius recipiatur ab exercitu Lepidi, quod evenit.

Pag. 108. *Si quid intra cutem ſubeſt vulneris*] Suppuratum, quod ſub ſana cute lateat. Intelligit autem perfidiam Lepidi.

Uno loco metaremur] Sic lege cum Rutilio. Caſtra poſita haberemus.

EPISTOLA XXI.

Pag. 111. N*E mea credulitate Reſp. ſumma fallatur*] Sic leg.

nl

ut lib. 8. epiſt. 14: *ne credulitas mea omnem Remp. in periculum ſummum conjiciat.*

EPISTOLA XXVI.

Pag. 126. *Illud magis timui*] Ut omitteretis Narbonenſes, quod non feciſſe vos lætor.

Pag. 127. *Officio quod pauci ſequuntur*] Honeſtati, quam in omnibus rebus, non niſi emendatiſſimi propoſitam habent.

EPISTOLA XXX.

Pag. 133. *Ad forum Gallorum*] Videtur intelligere forum Lepidi, quod & *Regium Lepidum*, & *Regium Lepidi* appellabant. Vide Cluver. Ital. Antiq.

Pag. 134. *Scuto rejecto*] In humerum, ut ita pectore non munito intelligerent tirones me amicum & ſuarum partium eſſe, & ab illis nihil mali metuere.

EPISTOLA XXXI.

Pag. 136. *Quia utrobique*] Non videtur hæc ratio eſſe commoda, ſed potius contrarium ſuadere, ſive præcedentia, ſive ſubſequentia rejicias. Nam ſi utrobique erant inimici, conſultius utrimque abeſſe. Lego, *qui* ut tantummodo exponat æſtum, in quo fuerit.

Pag. 138. *Quæres, quanti æſtimem?*] Ita diſtinguendum. Mirabere forſan & rogabis: quanti æſtimem illud ambulare & jocari cum Cicerone?

EPISTOLA XXXII.

Pag. 141. *Depreſſus in ludum*] Per vim & fraudem arenæ addictus, gladiator fieri coactus. Vide notas meas ad Sen. 111 de Ira 8.

Auctore ſeſe] Id eſt, auctorante ſeſe (& forte ita ſcripſerat Aſinius) vel auctoramentum promittente.

Pranſus nudis pedibus, &c.] Signa in tanto facinore ſummæ inſolentiæ & ſecuritatis. *Pranſus*, ut de Nerone dicitur, dum inſpiceret corpus matris ſuo juſſu occiſæ, ſiti interim oborta bibiſſe, Suet. 34. *Nudis pedibus*, id eſt, ſine calceis, vel in ſolea, ut in convivio eſſe ſolebant. *Tunica ſoluta*, diſcinctus, quod parum virile. Sen. ep. 92 de Mecœnate: *Altecinctum putes dixiſſe. habuit enim ingenium & grande virile, niſi illud ſecum diſcinxiſſet.* Et 114: *Non oratio ejus æque ſoluta eſt, quam ipſe diſcinctus. Manibus rejectis ad tergum*, converſis retro & complicatis circa ſummos lumbos, ut nunc quoque ſolemus.

Defodit] Parte corporis in terram fixa, ut commovere ſe miſer non poſſet. Vide me ad Sen. de Ira 111, 3.

Pag. 142. *Circulatorem quendam auctionum*] Solitum circumeundo & ab una ad aliam ſe convertendo, neſcio quam operam auctionibus dare.

Pag. 143. *Si quod uſuſtus, feci*] Conjicio: *Quodcunque imperaſſetis facturum fuiſſe, ſicut, quod non juſſiſtis feci*, nempe eo animo erga Remp.

EPISTOLA XXXV.

Pag. 152. *Conſuetudinem ſuam in conſervandis civibus*] Egregia tantæ proditionis excuſatio. Sed alludit, quod refert Suetonius, Julium acie Pharſalica victorem, proclamaſſe, ut civibus parceretur, & cuique ſuorum, quem vellet, unum partis adverſæ ſervare conceſſiſſe, cap. 75.

LIBER XI.

EPISTOLA III.

Pag. 157. E *Dicto poſtulaſſemus*] Licebat enim magiſtratibus de eo, quod ad officium eorum pertinet, edicere. Poſtulaverant autem, quia ultra decem dies eſſent ab urbe abfuturi, ut Conſule ad Senatum referente legibus ſolverentur, quod niſi factum eſſet, ultra decem dies peregre eſſe non poterant. Phil. 11, 13.

EPISTOLA X.

Pag. 166. G *Ratiorem me eſſe*] Videtur excidiſſe particula, *Nec*, ut fuerit: *nec gratiorem*: hoc ſenſu: nec arbitror, me tam gratum poſſe eſſe tibi, quam iſti malevoli ſunt in me perverſi.

Pag. 167. *Exploratum habes (ſint, an hac temporis videantur dici cauſſa) malle me tuum judicium*] Sic videtur legendum. Quæ iſti, qui mihi obtrectant, prætexunt, hæc ſive revera ita ſe habeant, ſive ab eis fingantur temporis cauſſa: Tu dubitare non debes, quin ego placere tibi malim, quam iſtis omnibus.

Pag. 169. *Neque Cæſari imperari poteſt*] Qui jus imperii habeat ipſe, & nullum ſit imperium majus, quia conſules non ſunt.

Nec Cæſar exercitui ſuo] Quia non juſto delectu ſcriptus eſt, ſed tumultuarie collectus & ſine diſciplina.

Homines interpellent] Videntur prohibuiſſe, ne pecunia in ſtipendium militum ex ærario decerneretur. ep. 26.

Ut mea res familiaris ſit liberum quicquam] Ut rationes explicatas habeam, ut ære alieno vacem. Vide lib. 11 de Pecunia Vetere cap. 7.

EPISTOLA XIV.

Pag. 176. D *E decemviris*] Creandis, qui ab Antonio conſulatus geſti rationem repoſcerent.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 180. I *S ambitus inſtare videtur*] Ii homines & tanta contentione petituri videntur, ut nihil ſatis tutum, ſatiſque proviſum putem.

EPISTOLA XXI.

Pag. 186. I *D pro me facere, ut de me timeas aliquid*] Παρεμβεβλημένα cenſeo, *de me*. Sufficit enim: *Te quod pro te ipſo non facias, id pro me facere, ut timeas aliquid*, præſertim quum ſequatur: *Omni te de me metu libero.*

EPISTOLA XXIII.

Pag. 189. P *Ropriis Reip.*] Fidis & certis in defenſione cauſſæ publicæ. Sed opinio eum fefellit: mox enim Octavianus & Plancus acceſſerunt Antonio. *Proprium* eleganter conſtans, perpetuum. Terent. Andr. IV, 3, 1: *Nihilne eſſe proprium cuiquam?* Plaut. Moſtell. 1, 3, 68: *Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.*

Si frenum momorderis] Id eſt, ſi noſtris invidis & malevolis, qui velut freno coërcere te volunt, oſtenderis te reſiſtere & coërceri nolle. Ab equis contumacibus & refractariis deſumta tranſlatio. libertatem experiri. Sall. Jug. 31.

EPISTOLA XXVIII.

Pag. 195. V *T par erat tua ſingulari bonitati & amicitia noſtra*] Ita leg. & diſtinguendum eſt. Sic 2 de Divin.: *Caſum autem pœlii nemo noſtrum erat quin timeret, ſed ita ut conſtantibus hominibus par erat, non aperte.*

Patriam amicitia praponendam eſſe] Sic legendum, *aut certe patria amicitiam poſtponendam eſſe.* Amicum, quem perire interſit patriæ, lugendum non eſſe.

EPI-

EPISTOLA XXIX.

Pag. 200. *Atque ita in magnis periculis eſſem*] Veterer, ne quicquid reliqueram Romæ, militum Cæſareanorum præda eſſet: periclitaret, quicquid reliqueram, perderet.

LIBER XII.

EPISTOLA I.

Pag. 203. *Immunitates dantur*] Homines & populi ſtipendiarii & vectigales tributis liberantur. Phil. v, 4: *decreta falſa vendebat Antonius: regna, civitates, immunitates in aes, accepta pecunia, jubebat incidi: hac ſe ex commentariis Cæſaris, quorum ipſe auctor erat, agere dicebat.*

Pecunia maxima deſcribuntur] Vel indicantur & colliguntur. Juſtin. xvi, 3. vel aſſignantur & ex ærario tribuuntur, ut fere & Manutius, ſed exemplis utitur non convenientibus. Terent. Phorm. v, 8, 30: *Illud mihi argentum jure raptim reſ ibi Phormio.* Ph. *Quodque ego deſcripſi porro illis, quibus debui.*

EPISTOLA II.

Pag. 207. *Nec eſt præterea*] Hoc tamen effecimus, multi ut doleant tam malo exemplo, ſed nihil ultra, quia nemo aliquid audet, & qui maxime potentes fovere veſtram cauſſam deberent, ſilent.

EPISTOLA IV.

Pag. 210. *Certas res denuntiarent*] Ita legendum. juberent eum abſtinere Mutina, dimittere exercitum, &c. ep. 24.

EPISTOLA VIII.

Pag. 215. *Et in meo Bruto*] F. in M. Bruto.

EPISTOLA X.

Pag. 217. *Tamen literis tuis ita perſuaſum*] F. tum literis tuis. Ex tuis literis nemo non ſibi promiſit, jam oportere actum eſſe de Dolabella.

EPISTOLA XIII.

Pag. 222. *Reducendum*] Ut Sen. ep. 110: *etiamſi videatur eorum cura & favore produci.* Forte, ad optimam ſpem patriæ, non minimam tibi ipſi me provehas, tanquam de quo optima quæque patria, & tu quoque non minima ſperare poſſis pietatis officia.

Pag. 223. *Eſſe cupio tibi copiam*] Quos eſſe multos cupio.

Me excipere] Suſcipere in curam tuam, & mihi ſuffragari ad honores, quibus me dignum putabis.

Spem tranſitionis præbendo] Qui ſimulabant identidem ſeſe jam dediturum & ad nos acceſſurum, & tamen, quum audiret me venire, ulterius ſemper recedebat. lege, *recedendo.*

Pag. 224. *Græcorum militum numero*] Sc. coacto tantam multitudinem paravit, ut ſit inſtar juſti exercitus.

Pag. 225. *Poſita Παλτεῖ*] Stephanus Πάλτος πόλις Συρίας· ὁ πολίτης Παλτηνός. Terminatio adverbium loci ſignificat, ut: οἴκοι, μυχαρεῖ, αὐτοῖ.

EPISTOLA XIV.

Pag. 227. *Nos & Remp. quam valde deſperaverint*] Quam inſolentes erga nos fuerint, quod de rep. & bonis partibus actum putarent. Vide me ad Plin. xxii, 25.

EPISTOLA XV.

Pag. 233. *Potentia paucorum*] Sall. Catil. 30: *Hi utrique ad urbem Imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum.* Jugurth. 31: *nam illa quidem piget dicere,*

his annis XV quam ludibrio fueritis ſuperbia paucorum. Sic loquuntur, quum ſignificant pro Ariſtocratia ὀλιγαρχίαν invaſiſſe.

Pag. 234. *Neque veſtra ex parte*] Legendum *veſtro.* ut referatur ad τὸ *periculo.* quod quodammodo ad vos quoque pertinebat.

Neque noſtro præſentium] Cic. pro Planc 10: *Cur nomen meum abſentis honori fuiſſet, et meas præſentes preces non putas profuiſſe.* lib. 11 ad Att. 15: *Solius enim mei peccatum corrigi non poteſt.*

EPISTOLA XXIV.

Pag. 246. N*On modo laudandi tui, ſed ne ornandi quidem*] Quid ſi tranſponas: *Non modo ornandi tui, ſed ne laudandi quidem.* Nam *ornare* eſt per SC. aliquid decernere in honorem ejus: idque plus, quam laudare.

EPISTOLA XXV.

Pag. 248. C*Um offenſione ſumma Minotauri*] Quod valde doluit Calviſio, qui tuam provinciam ſibi deſponderat, & ejus individuo ſodali Statilio Tauro. Sed priuſquam eos nominet, junctim ambos vocat Minotaurum, id eſt portentum, quod Paſiphae Minois uxor edidiſſe ferebatur, & confeciſſe in Labyrintho Theſeus, ſignificans, hos duos non minus malum & portentum eſſe in rep. quam Minotaurus in Creta inſula.

Pag. 249. *Meo juſtiſſimo honeſtiſſimoque convicio*] Ad Att. I, 14: *Cato advolat, convicium Piſoni Conſuli mirificum facit, ſi id eſt convicium, vox plena gravitatis.*

LIBER XIII.

EPISTOLA I.

Pag 264. A*Ntequam Phædrum cognovimus*] Bruto 89. *eodemque tempore quum princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamque veniſſet, totum me ei tradidi.* Manutius Epicureum facit.

EPISTOLA XV.

Pag. 285. H*Ominem peruſtum inani gloria*] Ardentem cupidine famæ. Valer. Flacc. I, 76.

—— *Tu ſola animos mentemque peruris Gloria.*

EPISTOLA XVI.

Pag. 287. E*T ex eo cum ab ineunte*] Forte, *& de eo quum.*

Teſtimonium mei de eo judicii] Ita legendum videtur, non *meum.* Ut infra, *opinionis meæ teſtimonium.* Quid ipſe de illo ſentirem, pro teſtimonio libens ei ſcripſi.

EPISTOLA XXI.

Pag. 293. I*N omni genere officii diligens*] Ita leg. vel *diligentiſſimus*, omnibus officii muneribus ſtudioſe fungens. Pro Cœl. 30. *Caſtiſſimo viro, atque omnis officii diligentiſſimo.*

EPISTOLA XL.

Pag. 313. Q*Uod ſcio multas*] Poteſt legi *quas ſcio*: poteſt & τὸ *plurimum* deleri. poteſt & *quod* accipi ſupervacuum, ut in *quod niſi, quod ſi, quod utinam.* Nam Manutius errat.

EPISTOLA LIX.

Pag. 328. S*Ervabis edictum & inſtitutum tuum*] Nihil facies aliter atque edixiſti, & adhuc ſolitus es. Solebant autem Prætores & in urbe publice proponere, & provinciales, antequam in provinciam venirent, præmittere edictum de ſummis capitibus juriſdictionis. Superius VI, 9. ad Att. V, 21. *Poſſumne contra meum edictum?*

Erat

Erat C. Curtius Peducæanus Prætor peregrinus, quum C. Titius Ruffus Prætor urbanus eſſet.

EPISTOLA LXIII.

Pag. 331. *Rem tibi exponam paucis verbis*] Videtur inſiticium & delendum eſſe τὸ *verbis*.

EPISTOLA LXIV.

Pag. 332. *Magnum theatrum*] Plus ex iſta provincia petit Tiberius, quam ex noſtra, magiſque in illa conſpicietur, quam hic, ubi aſſecutus eſt ſane quæ poteſt adoleſcens. Vel valde conſpectum te facit & illuſtri loco ponit hæc provincia: vel, quam celſus & potens es, quum adoleſcens ſummo genere natus, ingenio florentiſſimo, ſanctis & priſcis moribus in tua provincia peregrinatur, & per te producitur atque oſtentatur, digna ipſo gloria, apud avitos familiæ clientes: ut 12, 29.

Commendationem atque gloriam] Ita lego. 11 de Offic. 13. *Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt.*

EPISTOLA LXVIII.

Pag. 337. *De Reip. ſumma quid ſentiam*] Lego, *de Rep. ſumma*. de univerſo ſtatu imperii Romani, quid mihi videatur.

EPISTOLA LXXVII.

Pag. 344. *P. SULPICIO*] Rutilius & Corradus, *P. Vatinio*, ex lib. v, epiſt. 9, 10, 11. contra quos diſputat Manutius. Placet conjectura Rutilii & Corradi. Vatinium enim tum Illyrico, Sulpicium Achaiæ præfuiſſe, præter adducta loca oſtendunt lib. IV, ep. 5 & 6.

Salvo jure noſtræ veteris amicitiæ] Hoc convenire in Vatinium negat Manutius, ut & *pro tuo perpetuo in me ſtudio*: Sed ſic etiam loquebantur, qui amici olim, dein inimici fuiſſent, poſt reconciliatam gratiam, quaſi medio odiorum tempore memoriæ exemto.

LIBER XIV.

EPISTOLA II.

Pag. 351. *In novis*] Deſignatis in proximum annum.

EPISTOLA IV.

Pag. 357. *Si ad nos pertinerent*] Relinquerentur nobis, nec abriperentur cum ceteris bonis. Poſſet & legi *pertineret* nempe res, ſi reciperemus bona. Item, *ſin ad nos pertinerent, præterquam oppido pauci: nam* τὸ *ſervirent* ſcholion videtur τοῦ *ad nos pertinerent*.

EPISTOLA XIII.

Pag. 366. *De nuncio remittendo*] Divortio faciendo inter Tulliam & Dolabellam, 11 Attic. 20 & 23.

Quæ ſit iſtius vis hoc tempore] Quantum poſſit & valeat cum maxime Dolabella.

Quæ concitatio multitudinis] Quum legem ferret de tabulis novis, & mercedibus ædium. Dio lib. XLII.

Quies tamen] Manutius ait in uno libro inventum, *quieſces*. Forte, *ſi metuendus iratus, quieſces*. Si putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuncium. Dein breviter, *Tamen ab illo fortaſſe naſcetur*. ſcilicet cauſſa divortii. Ipſe luxurioſus & perditus offenſus moribus longe diverſis uxoris nuncium illi remittet.

LIBER XV.

EPISTOLA I.

Pag. 378. N*Oſtram conſuetudinem, integritatemque*] Mei imperii placidum morem & abſtinentiam. x, epiſt. 28. *ad priſtinam virtutem conſuetudinemque revocavi.* II Verr. 66. *videtis igitur conſuetudinem religionemque Græcorum.*

EPISTOLA IV.

Pag. 389. E*T toto iis, qui novari*] Et quod ſummam rem continet, iis, quoque, qui ipſo in regno quærebant mutationem, paratus & ſuccinctus. lib. v Att. 20. *Eſt totum, quid Cal. Martiis futurum ſit.* III ad Q. ep. 1. *Totum in eo eſt tectorium ut continuum ſit. Totum hi, qui aliquid novi*, per appoſitionem, quam dicunt Grammatici.

Pag. 391. *Acriter & diu repugnantibus*] Videtur leg. *repugnantes*, nempe urbes illæ Sipyiam & Commorin. Deinde *Pontinio — illam partem Amani — tenenti.*

EPISTOLA XV.

Pag. 411. E*T, ut opinor, ipſo ligato*] Cæſarem hic legatum fingit Manutius, quod nullo modo procedit. Forte, *Te, ut opinor, ipſo allegato ac deprecatore.* Te apud Cæſarem pro iis interveniente. De verbo *allegare* hoc lib. ep. 4 & 10.

EPISTOLA XVI.

Pag. 412. Q*Vum hac te tertia*] Pronomen *te* non eſt in MSS. lego, *quem hac tertia epiſtola jam ante oppreſſit.* cui ſupervenit, *quam tu ſchedam aut literam* intellige ad me miſeris.

Pag. 414. *Quod velis ipſa curent*] Sic MS. Gruteri editio, *quod vel iis ipſa currunt.* Lego, *quo velis, ipſa currant.* Hæc, inquit, εἴδωλα, vel ſpectra, quamvis oculis ſe poſſent objectare, tamen [moveant licet & curſitent ipſa, quamcunque in partem velitis vos Epicurei] animum noſtrum qui vel qua ratione percurere poſſint, non exputo, nec cogitando reperio.

EPISTOLA XVII.

Pag. 417. Π*ρόσωπον πόλεως*] Specimen civitatis. Videtur laudari, ut apud Senec. *ſpecimen antiquum imperii.* ſed revera ſignificat, vel amiſimus hominem unde ſcire poſſes, quam corrupta civitate utamur; vel ſine ullo ad hunc reſpectu, omnem faciem bene conſtitutæ reip. perdidimus per Cæſareanos.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 419. T*Va in culina, mea in palaſtra*] Ad gravem quæſtionem ne nihil dicat, ridicule reſpondet. *In culina*, quia voluptatem ſequens Epicuri: *in palaſtra*, quia mihi placent, qui virtutem & laborem præferunt.

Pudet enim ſervire] Aliquid agere publice, quia qui partem reip. tractat, is ſe componere ad nutum unius neceſſe habet.

Facio me alias res agere] Fingo me rerum mearum ſatagere, & abſtineo negotiis.

Ne convicium Platonis audiam] Volunt Comici, cujus fragmentum ponunt. Non video, quid ad rem faciat. Videtur potius alludere ad id, quod refert epiſt. 9, l. I. *Atque hanc quidem ille cauſſam ſibi ait non attingendæ reip. fuiſſe, quod quum offendiſſet pop. Athenienſem prope jam deſipientem ſenectute*, &c. Ne Plato me arguat, quod tali tempore attingere velim rempublicam.

EPI-

EPISTOLA XIX.

Pag. 423. F*ilium*] Antonium, quem ſecundum hæredem in teſtamento ſcripſerat, Flor. IV, 4. *Sectorem Pompeianorum bonorum*, II Phil. 26.

EPISTOLA XXI.

Pag. 425. Q*Vam inimicitias mecum communicaſti*] Adverſus inimicos meos ſimultates ſuſcepiſti. vide IV Obſerv. 2.

LIBER XVI.

EPISTOLA I.

Pag. 430. H*Æc pro tuo ingenio conſidera*] Si ſcriberet ad unum alicujus auctoritatis, dixiſſet, pro tua ſapientia. Diligenter expende, ut ſoles. male Manutius.

EPISTOLA IV.

Pag. 432. S*Umtui ne parcas, ulla in re, quod*] Pecuniæ erogandæ. De hac locutione veterum, *re quod*, vid. III Obſerv. 2.

EPISTOLA IX.

Pag. 438. S*Ymphoniam Lyſonis*] Vellem non interfuiſſes convivio Lyſonis, in quo Symphonia cecinit, ut loquitur III Verr. 44. vel Symphoniaci pueri cecinere, V Verr. 31. pro Cœl. 15.

EPISTOLA XI.

Pag. 441. E*T erat adhuc impudens*] Forte, *ad hoc*, i. e. eousque impudens, ut parere Senatui recuſaret jubenti exercitum & provinciam deponere.

Nulla vi expulſi] Sed vim interpretabantur SC. quo removebantur a rep. Cæſar B. Civ. 5.

EPISTOLA XIV.

Pag. 447. Q*Vem etiam repræſentabo*] Non exſpectabo, ſed antevertam. niſi leg. *qua*. ſtatim præſtabo, nec oppetiar diem.

EPISTOLA XVII.

Pag. 449. Q*Ve quidem comitatu ἀνομιλήσας*] Sic videtur legendum. quibus comitibus inſtructus. Α'νομιλεῖν eſt conſuetudine alicujus uti, verſari cum aliquo.

EPISTOLA XVIII.

Pag. 450. Δ*Ιαφόρησιν*] Ventris purgationem, ponunt ad marginem. Medicorum vox, humorum in φλεγμονῇ ſive fervida collectione digeſtio & eductio: unde διαφορητικά, medicamenta diſcuſſoria, & humores ebibentia.

Pag. 452. *Itaque coronis abutor*] Ut ego Mothonem, ſimilem triconem & altum hortum male colentem incitavi; itaque tantum inde florum decerpo, ut abundem coronis & iis non parcam & quodammodo luxuriem.

Pag. 453. *Fac opus appareat*] Exſtet, II Att. 9. in publicum exeat, aut ſaltem videamus. Cato de R. R. 2. *Si ei opus non apparet, dicit villicus ſedulo ſe feciſſe.*

EPISTOLA XXI.

Pag. 457. U*Bi deponenda tibi ſint*] Ubi moleſtias & ineptias, quæ multæ ſunt in urbe ferendæ, quoties earum tædium te ceperit, fugias & abjicias.

EPISTOLA XXII.

Pag. 459. Q*Vam ne ipſe quidem facile legere ſoleo*] In qua, quoties eam relegi, hæſitare & ipſe me ſenſi. male delet τὸ *legere* Manut.

Pag. 461. *Nunc plane Billienus eſt*] Dignus ſuo nomine: vitio laborat ejus, cujus nomen gerit. Videtur enim Gaius homo Demetrius cognomen ſumſiſſe Billieni, quod per Billienum quendam libertatem & civitatem accepiſſet.

Etſi. veruntamen. De illis] Hæc facile ſupplere Tiro potuit, cui notæ erant Patroni cogitationes. Similis brevitas ad Att. XIII, 2. XIV, 8 & 12.

E p i s t o l a XXIII.

Pag. 451. Ut *loqui non poſſit*] Jocus. ut neminem admittat. Hoc tantum reſponderat Balbus per litteras roganti de ea lege Ciceroni. Sed Cicero lepido cavillo hoc interpretatur ita, ut expreſſit.

De Servilio] Iſaurico, quem hoc anno obiiſſe teſtatur Dio lib. XLV. quem felicem videtur ſcripſiſſe Tiro, qui effugerit Antonii minas & gladios. Id ad me, inquit Cicero, non pertinet, qui cædem non timeo, & vitæ obſaturatus ſum, ſed ad te.

E p i s t o l a XXIV.

Pag. 463. S*Ed ſi literas*] Sic Manutiani: unde ille *ſi*, quæ nota ſilentii eſt. Idem colligit Lambinus ex ſcriptis, in quibus: *Sed ſcilicet tuas literas exſpecto.* At hæc vera lectio eſt, ut v, ep. 5. *Ego valde ſuſpenſo animo exſpecto, primum te, ſcilicet, deinde Marionem.*

Pag. 465. *Sed quod egerint*] MSS. *ſeu.* lege, *ſeu quod egerint.* Sive etiam quid aliud, & ſerium egerint, poſterius noſcemus.

E p i s t o l a XXVI.

Pag. 466. V*Ide ut probare poſſit*] Id eſt, vix eſt ut probare poſſit. III de Off. 29. *Videant ne latebra quæratur perjurio*, id eſt, vix eſt ut non quæratur.

F I N I S.

VARIARUM LECTIONUM TOMUS SECUNDUS.

LIBER IX.

EPIST. I.

P. 3. EX his litteris] *al.* ex iis litteris. *Stewech.* ex his litteris tuis.

A te miſſas] *ſic Amſtelod. aliique. al.* ad te miſſas. *quint. Pal.* ad ſe miſſas.

Ex iiſdem] *al.* ex eiſdem. *al.* ex hiſdem.

In ſpem tamen venio] *ſext. Palat.* venit.

Appropinquare tuum adventum] *v. c.* appropinquare adventum tuum.

Ut nullam allevationem] *Pal. ſext.* nullam alleviationem. *ſic & alibi libri* allevio, *pro* allevo *ſcribunt. Palat. prim.* nullam ut allevationem.

P. 4. Te fortaſſe aliqua re] *Stewech.* te fortaſſis aliqua re.

Aliqua re juvare] *ſext. Palat.* aliquid rejuvare.

Rediſſe cum veteribus amicis] *ſic Amſtelod. prim. Pal. multique alii. vulgo,* rediiſſe c. v. a. *Stewech.* rediſſe cum veteribus amicis noſtris

Uſum dimiſeram] *Palat. ſext.* uſum demiſeram.

Iis ſuccenſerem] *Vict. ed.* iis ſuſcenſerem.

Eorum me ſuppudebat] *Hittorp.* ſub pigebat.

Videbar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſiſſem] *Pal. prim.* videbam enim me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſſum. *ſic & duo Gulielmii libri, niſi quod pro* videbam *legunt* videbant. *Amſtelod.* videbar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas infidiſſimis ſociis demiſſum.

Et revocent in conſuetudinem] & *deeſt in ſext. Pal.*

Quod in eo permanſeris] *ſic mſ. vulgati*, quod in ea permanſeris.

Quum placatis his utor] *ſic Victor. Amſtelod. & vulg.* quando placatis his utor. *alii duo mſ.* quoniam p. h. u.

Et ea, quæ impendeant, me facile tranſiturum] *vid. Not.*

Sive in Cumano ad te placebit] *al.* adire te. *al.* ſive in Cumano apud te placebit. *vid. Not.*

Sive quod minime velim] *Stewech.* ſive quod minus velim.

Ut id utrique noſtrum] *Stewech.* ut hic utrique n.

Commodiſſimum] *Stewech.* commodiſſimus.

Eſſe dijudicetur] *vulgo* videatur. *vid. Not. Victor. Manut. & Gebhard.*

EPIST. II.

P. 5. Caninius idem & idem noſter] *Pal. ſex.* Caninius idem & frater cum ad me perveſperi veniſſet. *v. Not.*

Perveſperi] *edd.* nuper veſperi.

Dixi ei, me daturum aliquid mane; ut peteret rogavi] *ſic Pal. prim. Amſtelod. duo Guilielm. ed. Vict. ſed Pal. ſext. ac edit. prim.* dixi ei, me daturum litterarum aliquid: mane ut peteret rogavi. *vulgati*, daturum aliquid mane, & ut peteret rogavi.

Attamen eam ipſam] *Peck.* & tamen eam ipſam.

Eam ipſam tibi epiſtolam miſiſſem] *ſic Amſtelod. Pal. prim. Vict. edd. vulgo*, eam ipſam epiſtolam miſiſſem.

At tibi repente] *ſic Vict. aliique meliores libri. vulgo*, at ibi repente. *Palat. ſext.* at ubi repente.

Venit ad me Caninius mane] *Peck.* venit Caninius ad me mane.

Proficiſci ad te ſtatim] *Peck* proficiſci ſtatim ad te. *Lamb* p. ſe a. t. ſt.

Tantis poſtea novis rebus allatis] *al.* tot & tantis poſtea novis rebus allatis.

Perire meam lucubrationem] *Peck.* perire lucubrationem meam.

Eam ipſam Caninio dedi] ipſam *deeſt in Peck.*

P. 6. Tui amantiſſimo] *ſic Vict. al.* amantiſſimo tui.

Linguas minus facile poſſimus] *ſic Vict. ed Vatic. prim. Pal. aliique mſs. vulgo* poſſumus.

Qui autem victos noſtros moleſte ferunt] *ſic Victor. Vatic. Amſtelod. aliique. vulgo*, qui autem victos eſſe noſtros moleſte ferunt. *Hittorp* qui autem victos nos moleſte ferunt.

Nihil omnino te fefellit] *Peck. ſext. Pal. Amſtelodam.* nihil te omnino fefellit.

Quis eſt tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat] *ſic Palat. Stew. Peck. Amſtelod. Vict. ac prim. edd. al* qui in tantis. *vulgati*, quamvis quis eſt tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat.

Ac mihi quidem] *MS.* at mihi quidem.

Calumniabar ipſe] *MSS.* calumpniabat.

Qui obviam mihi veniſſet] *Pal. ſext.* qui obviam veniſſet.

Me optime noviſſet] *al.* me noviſſet optime.

Habes rationem mei conſilii] *al.* habes rationem conſilii mei.

Tibi igitur hoc cenſeo, latendum] *ſic prim. Pal. Amſtelod. ed. Victor. vulgo*, tibi igitur hæc: cenſeo, latend. *al.* tibi autem hæc cenſeo: latend.

Dum defervеſcit hæc gratulatio] *MSS.* dum effervеſcit hæc gratulatio. *al.* dum deferveſcat hæc gratulatio.

P. 7. Niſi ipſe tumor jam raucus erit] *Pal. ſex.* niſi ipſe jam tumor raucus erit.

In illa loca ploratum potius quam natatum] *Palat. prim.* in illa loca ploratum potius natatum. *ſext. Palat.* ploratum potius natatu. *in ora vero*, natatui.

A quibus antea delectationem modo petebamus, nunc vero etiam ſalutem] *ſic Amſtelod. Vict. ed. aliaque. vulgo*, ex quibus antea delectationem, modo ſolatium petebamus, nunc vero etiam ſalutem. *mſ.* nunc vero ſalutem etiam

P. 8 Si nemo utetur opera] *ſic mſs. prim. & ſex Pal. Amſtelod. vulgo*, ſin nemo utetur opera.

Navare remp.] *ſic duo mſs Medic. Amſtelod* gravare remp. *Maff. cod.* juvaret remp.

EPIST. III.

P. 9. Caninio ad te eunti] *Amſtel. aliique mſs.* amico ad te eunti. *Medic.* animo ad te eunti.

P. 10 Cito me ad te eſſe venturum] *ſext. Pal.* cito eſſe futurum.

Ut medicinæ egeamus] *ſic omnes mſs. Lamb. forte* ut medicina egeamus.

EPIST. IV.

Sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων] *ſic mſs. vulgo*, ſin autem non, τῶν ἀδυνάτων.

P. 11 Eſt te venire] *Peck.* eſt te venturum.

Χρυσιππεία ne an hæc] *Amſtelodam. aliique mſs.* Chryſippeias hæc.

Diodotus non concoquebat] *al* Diodorus non concoquebat. *al.* Diodotus non coquebat.

Hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατόν eſt] *Hittorp.* hoc κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν etiam.

De Coctio] *al.* Coſtio. *al.* Ceſtio. *Amſtelod.* detectio.

P. 12. Tu ſi minus ad nos, accurremus ad te] *ſic Amſtel. aliique. vulgo*, tu ſi minus ad nos, nos accurremus ad te.

Deerit nihil] *al.* nihil deerit.

EPIST. V.

Neque ſolum propter reip. ſed etiam propter anni tempus] *ſic Amſtelodam. prim. Palat. Peck. Vict. ed. vulgo*, neque ſolum propter remp. ſed etiam propter anni tempus. *al.* neque ſolum propter rem, ſed e. p. a. t.

Ean-

Eundem ipſe ſequar] *al.* eantem ipſe ſequar.

Conſilii noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem] *Amſtelod.* conſilii noſtri, nimis eos quidem, qui inſecuti non ſunt, non pœniteret, niſi pœnitendum putarem. *al.* conſilii noſtri, niſi eos quid. *&c. vid. Not.*

Ita verecundiores] *ſic mſſ. vulgo*, itaque verecundiores.

Severitatem otioſorum] *Hittorp.* ſi veritatem ocio ſolus. *Pal. ſext.* ſi veritatem otio ſolvo.

Quo quo modo ſe res haberet] *al.* quo quo m. ſ. r. habeat. *al.* quoquo modo res ſe habeat. *al.* habeant. *Lambin.* quo quo modo ſe res habet.

Magis illos vereor] *al.* magis illos veneror.

Ut lavatio] *MS.* ut lautio.

EPIST. VI.

P. 13. Eſt igitur adventus in exſpectatione] *Amſtelod.* eſt igitur adventus Cæſaris ſcilicet in exſpectatione. *al.* eſt igitur adventus Cæſaris in exſpectatione. *vid. Not.*

Se in Alſienſe venturum] *duo mſſ.* futurum.

P. 14. Oſtiæ videri eum commodius exire poſſe] *ſic Hittorp. aliique mſſ. Amſtelod.* optime videri commodius eum exire poſſe. *al.* Oſtiam videri c. e. e. p. *vulgo*, in Pomptinum videri commodius eum exire poſſe. *Lamb.* in Oſtienſe vid. c. e. e. p.

Homines amantes tui] *duo mſſ.* amantis tui.

Ubi utrique] *vid. Not.*

P. 15. Quid enim ille facturus ſit incertum eſt] ſit *in vulgatis pleriſque deeſt.*

Simul oſtentavi tibi] *ſic Amſtelod. Vat. prim. Palat. Vict. ed. vulgo deeſt* tibi. *Hittorp.* ſimul oſtentatui. *latet hic aliquid.*

Etſi quid non probem ? quid enim jam ſcio præter initia rerum] *ſic & Amſtelod. vid. Not.*

Ergo hæc conſilii fuerunt] *in primo Pal.* hæc *deeſt.*

Aut illos neceſſe eſſe] *ſic Amſtelod. Vatic. Grut. alii*, aut illos neceſſe eſt.

Cum videremus, quam illud ingens malum alterius utrius exercitus & ducum interitu] *Amſtelod. aliique duo mſſ.* cum viderimus. *al. Amſtelod.* alterutrius *retinet. vide Not. al.* quum videremus ill. ing. mal. alterutrius exerc. & duc. interitum.

P. 16. Quam vel emori] *Amſtelod.* velle mori. *vid. Not.*

At aliqua tamen vivere] *Palat. ſext.* aut aliqua.

Sed hoc viderint] *ſic mſſ. & Victor. vulg.* ſed hæc viderint.

Magnum hominem duxi; tum quod his] *Amſtelod. aliique mſſ.* cum enim te ſemper magnum hominem duxerim, quod his.

Inſtar eſſe vitæ puto] *al.* inſtar eſſe victoriæ puto. *al.* i. vict. p.

P. 17. Multi etiam] *Pal. ſext.* multi eam.

Vacationem etiam habent publici muneris] *Vict.* vacationem, eadem habent p. m. *Amſtelod. aliique mſſ.* vacationem, eandem habent p. m.

Iis concedente rep.] *MSS.* his c. rep.

Sed plus facio] *Pork.* ſed facio plus.

Quam ipſe qui narro] *Grut.* quam ego ipſe qui narro.

Quæve audiero] *MSS.* quæ tua audiero. *edd.* quæ tua intereſſe audiero.

EPIST. VII.

Cœnabam apud Seium] *MSS.* Sevium.

Quod antea calumniatus ſum] *MSS.* quod ante a te calumniatus ſum. *al.* quod antea te calumniatus ſum.

P. 18. Volebam prope alicubi eſſe, ſi quid] *ſic mſ. alii mſſ.* eſſet. *Manut.* eſſe te. *al.* aliubi ſiquid.

Quum confecta ſunt omnia] *ſic Victor. vulgo*, quando confecta ſ. o. *al.* quoniam c. ſ. o.

Quin equis viris] *al.* quin æquis viris. *al.* quin equis velis.

De L. Cæſare F.] *nonnulli mſſ.* de L. Cæſaris F.

Non deſino] *nonnulli mſſ.* non deſiſto.

P. 19. Nihil adhuc ſcimus] *Palat. ſext. & Hittorp.* ſoſmus, *unde Gulielm. ὀσμὸς vel σεισμός.*

De Bajis] *al. leg.* de dubiis.

Adventat enim Dolabella] *Stewech.* advenerat ei Dolabella. *Amſtelod.* adventat ei Dol.

Quid tu conſtitueris] *ſic mſſ. vulgo*, quid tum conſtitueris.

Expecto tuas litteras] *ſext. Pal.* expecto litteras tuas.

EPIST. VIII.

P. 20. Quamvis quis oſtenderit, ne populus] *tres mſſ.* quamvis quis oſtenderet, ne populus. *Amſtelod.* quamvis quis oſtenderet, & ne populus.

Miſi autem ad te] *MSS.* miſi enim ad te.

Os ejus adoleſcentioris Academiæ] *vid. Not.*

Cum eſſet una Pomponius] *Amſtelodam. & duo alii*, cum eſſet una Pompeius.

Partes Antiochinas] *ſic mſſ. vid. Not. al.* Antiochenas. *Hittorp.* Antiocenas. *Stewech.* Antiochias. *vulgo* Antiochianas.

P. 21. Nos id locutos eſſe] *al.* id nos locutos eſſe.

Si videtur, & de nobis inter nos] *ſic duo Pall. Vatic. Stewech. Hittorp. Amſtelod. edd. prim. & Vict. vulgo*, ſi videbitur, & de nobis & inter nos.

Aut ſaltem certo] *Hittorp.* aut ſaltim certo.

Sine his cur vivere] *Hittorp. & ſext. Palat.* cur ſine his vivere.

Mihi vero cum his ipſis vix] *ſex. Pal.* mihi vero dum his ipſis vix.

EPIST. IX.

S. V. G. V.] *ſic Vat. prim. Pal. Vict. ed. vulgo*, Si vales, gaudeo: & ipſe valeo. *Amſtelod. & Hittorp.* ſi vales, gaudeo, valeo. *alius mſ.* ſi vales gaudeo, ego valeo.

Minus belle habuit] *Stewech.* minus bene habuit.

P. 22. Rectiſſime ſunt apud te omnia] *duo mſſ.* rectiſſima ſunt apud te omnia.

Etſi nullo tempore] *al.* ſi nullo tempore.

Nobiſcumque conjungeres] *Hittorp.* nobiſcum conjung.

Præcipue nunc jam inclinata victoria] *Hittorp.* præcipue cum jam inclinata ſit victoria.

In qua ſcilicet tibi ſuadere videar] *vid. Not.*

Tacere non poſſum] *Hittorp.* poſſim.

Tu autem mi Cicero] *Hittorp.* tu vero mi Cicero.

Sive probabuntur tibi] tibi *in Stewech. deeſt.*

Neque etiam regum ac nationum] *ſic Vict. ac mſſ. vulg.* nec etiam regum aut nationum.

Quod infimo cuique contigit] *Stewech.* contingit.

Honeſte effugere] *Stewech.* honeſte fugere.

Illud autem te peto] *ſic mſſ. vulgo*, a te peto.

P. 23. Et ei reip.] ei *in nonnullis mſſ. deeſt. al.* & ei patri.

Cum illam veterem ſequamur] *ſic Victor. prim. & ſext. Pal. Amſtelod. vulgo*, dum illam veterem ſequimur.

Mi jucundiſſime Cicero] *ſic prim. & ſext. Palat. Peck. Amſtelodam. Victor. ed. vulgo*, mihi jucundiſſime Cic.

Ut tu te] *Peck.* tu ut te.

Non minimum auctoritatis] *ſext. Pal.* non minimum auctoris.

Erit tuæ quoque fidei] *Hittorp. & ſext. Pal.* erit quoque tuæ fidei.

Mihi litteras referat] *ſext. Pal.* mihi litteras referre.

EPIST. X.

Niſi te a me] *Palat. ſext.* me a te.

Litteræ expectandæ] *al.* expetendæ.

Quod te putem ſcire curare] *Palat. ſext.* ſcire putem cupere. *Stewech.* q. t. p. ſ. oportere.

P. 24. Puto te nunc dicere] *deeſt* te *in Vict. & nonnullis mſſ.* puto nunc dicere.

Ingentium culinarum cum] *al.* ingent. coclearum quas. *vid. Not. Manut.*

Cum

Cum Sophia Septimiæ] *al.* Septimia. *al.* Septimæ.

Tu adeo mihi] *ſic mſſ. & Victor. ed. vulgo*, adeon' tu mihi. *al.* an adeo mihi.

Ne habeat Burſa Plancus] *ſic Palat. prim. & ſext. Amſtelod. Hitterp. Pock. vulgo*, ne habeat Plancus Burſa.

In aliqua majuſcula cura] *Pal. ſext.* aut in aliqua majuſcula cura.

P. Sullæ] *al.* Syllæ, *& alibi.*

P. 25. Certam ſcierit] *Lamb.* certum ſciret.

Ego ceteroqui] *ſic Vat. prim. Palat. Pock. Vict. vulgo*, cetera qui. *al.* ego certe qui. *al.* ego, certa q. *al.* ego inter cetera, quæ.

EPIST. XI.

Sed quum brevi tempore] *ſic Victor. Amſtelodam. & alii libri*, ſed quoniam brevi tempore.

Non quo ita ſim fractus] *al.* non quod ita ſim fractus.

Erepta mihi omnis eſt] *ſic Pall. duo Amſtelod. Vat. Pock. Vict. & prim. edd. vulgo*, erepta nihil omnino eſt.

Si qui mihi obtrectent] *prim. Pal.* ſi qui me obtrectent.

Brevitati litterarum mearum] *ſic Vict. prim. Palat. alii*, brevitati mearum litterarum.

EPIST. XII.

Cœlum etiam & terras] etiam *deeſt in uno mſ.*

Quam velim ſic legas] quam *quidam libri non habent.*

Magno opere dignam] *ſic mſſ. vulgo*, magnopere dignam.

Munuſculum mittere volui] volui *in multis libris deſideratur.*

EPIST. XIII.

P. 28. C. Subernius] *un. mſ.* C. Vberinus. *al.* C. Suberinus.

Vllum fore putarat] *quat. mſſ.* putaret.

P. 29. Qui eſt item ut Calenus] *ſic duo mſſ. vulgo*, qui eſt item Calenus.

Hoſce igitur ambo] *ſic Vatic. Victor. vulgo* ambos.

Majore cura] *duo mſſ.* majori cura.

Sic velim tibi perſuadeas] *al.* ſic velim perſuadeas tibi.

Tum municipio Caleno] *prim. Pal.* cum municipio Caleno.

Quocum mihi magna neceſſitudo] *Amſtelod. Victor. ed. al.* qui cum mihi m. n.

Nihil obeſt dicere] Dicere *deeſt in ſext. Pal. & Hitterp.*

Quum his Cæſar] *ſic Victor. vulgo*, quando his Cæſar.

EPIST. XIV.

P. 30. Convenio autem quotidie plurimos] *Pock.* convenio autem plurimos quotidie.

Valetudinis cauſa veniant] *vid. Not. mſ.* valitudinis.

P. 31. Ne imminuam tuam laudem] *ſic mſſ. & Victor. vulgo*, laudem tuam.

Non alienum dignitate tua] *ſic mſſ. vid. Not.*

Te juvenem] *Hitterp.* te viventem.

Neapolim veniſſem] *Stewech.* Neapolim venirem.

Plane ſalutavit] *duo mſſ.* plane ſalutaverit.

Gratulor tibi eum tantum vales] *ſic Amſtelod. aliique. vulgo*, gratulor tibi quod tantum vales.

Jam ſalvi eſſe poſſemus] jam *deeſt in nonnullis libris. prim. Palat.* tam ſalvi eſſe poſſemus. *al. vet. cod.* tum ſalvi eſſe poſſemus. *ſic & Amſtelod.*

Vere Conſulem dicere] *MS.* vere dicere Conſulem.

A te autem peto] *Palat. ſext.* æſtate autem peto. *correctum erat* ex te autem peto.

P. 32. Hæc enim jocatus ſum] *duo mſſ.* hic enim jocatus ſum.

Ad te transfuderim] *Stewech.* ad te transfunderim. *al.* ad te tranſtulerim.

Tum his tuis factis] *al.* tum tuis his factis.

In amore fuerit ardentius] *vid. Not.*

Nihil pulchrius, nihil amabilius] *MS.* nil pulchrius, nil amabilius.

Vt ſcis] *Stewech. & Amſtelod.* ut tu ſcis.

Locum fuiſſe augendi] fuiſſe *deeſt in Pal. ſext.*

Cumulatum etiam videbatur] *Lambin.* cumulatum eſſe videbatur.

Quod ego te horter] *Palat. ſext.* hortor.

Proponam tibi claros viros] *Amſtelodam. Palat. prim. & ſext. Peck. Hittorp. Stewech.* proponas tibi claros viros.

Te imitere oportet] *Palat. ſext.* te imitari oportet.

Ne licet quidem jam] *ſic Vatic. prim. Pal. Vict. vulgo*, nec licet quidem jam. *Amſtelod. & Stewech.* non licet quidem jam.

Contigit magnitudine cum animi] *Peck.* contingit. *aliud mſ.* magnitudine tum animi.

P. 33. Maturitatem tibi animadvertendi] *al.* auctoritatem tibi animadvertendi.

Omnium conceſſu] *MSS.* omnium ſenſu. *al.* o. conſenſu.

Maximam utilitatem] *MS.* magnam utilitatem.

In te poſitam eſſe rempublicam] *ſic Vict. alii libri, tam mſſ. quam editi*, in te repoſitam eſſe rempublicam.

EPIST. XV.

Duabus tuis epiſtolis reſpondebo] *Hittorp.* duabus epiſtolis tuis reſpondebo.

A Zetho] *Hittorp.* a Letho. *Stewech.* Cetho. *ſext. Palat.* Retho.

Phileros tabellarius] *duo mſſ.* Pileros tabellarius.

Pergratam tibi * perſpectum eſſe gaudeo] *vid. Not.*

P. 34. Non perinde ut eſt reapſe] *vid. Not. al.* ut eſt re, ab iis.

Tamque in omni genere jucundus] *al.* atque in omni genere jucundus.

Exiſtimes licet quod lubet] *MSS. nonnulli* quidlibet.

Maxime noſtratibus] *MS.* maximeve noſtratibus.

Nunc vero etiam bracatis] *ita Pall. Guilielmiani, editio princeps, tum Victorii & Gebh. al.* bracchatis & braccat.

P. 35. Omnes mihi Granios, omnes Lucilios (vere ut dicam) Craſſos quoque &c.] *ita Pal. primus, Vict. ac tres Guilielmiani prima editio & Peckio excerpta*, o. m. gratias. *vulgatum*, o. m. Gracchos, o. L. & (ut v. d.) C. q.

Auctorem moderationis urbanæ] *ita Pal. quatuor Guilielmiani, ed. princeps, Vict. Manut. al.* commorationis.

Intelligo litteris] *Hittorp.* intellego litteris.

Ne mi quidem ipſi] *ſic duo mſſ. vulgo*, ne mihi quidem ipſi.

P. 36. Vix eſt in ſentina locus] eſt *deeſt in mſſ.*

Mentionem ullam de ea re eſſe factam] *Peck.* mentionem ullam de ea re ſciam eſſe factam. *Stewech.* mentionem ullam de ea re eſſe factum. *Amſtelod.* facta.

Hoc nolim me jocari putes] *Stewech.* hoc nolim jocari me putes.

Noſter hic præfectus moribus] hic *deeſt in antiquis libris.*

Parebo auctoritati tuæ] *nonnulli mſſ.* probo auctoritati tuæ.

Cum vero aberit] *MS.* quam vero aberit. *al.* quum vero abierit.

Conferam. Domum ſi habebo, in denos dies] *Palat. ſextus*, conferam domum: ſi habebo. In denos dies.

Singulos ſumtuariæ legis dies conferam] dies *non extat in multis mſſ. & edd.*

Sin autem minus invenero] autem *in nonnullis libris deeſt.*

Me nihil tibi gratius] *al.* me nihil gratius tibi.

Domum Sullanam] *ſic Vict. vulgo*, Syllanam. *al.* Sillanam. *al.* Silianam, *quod probat Corradus.*

Si enim nihil eſt in parietibus] eſt *non extat in Stewech.*

EPIST. XVI.

P. 37. Delectarunt me tuæ litteræ] *ſic Vict. & mſſ. al.* delectaverunt me litteræ tuæ.

De quo & tu mihi antea ſcripſeras] *ſic mſſ. & Vict. vulgo*, de quo etiam tu mihi antea ſcripſeras.

Vt quoquo modo] *quidam mſſ.* ut quomodo.

Sed quum proximis] *al.* ſed quando proximis. *al.* ſed quoniam prox.

Quan-

Quantæ curæ tibi ſit] *MSS.* quantæ tibi curæ ſit.

P. 38. Vereque arbitrer diligi] *ſic mſſ. vulgo*, vereque arbitror diligi.

Quia & noſtra fortuna] *al.* quod & noſtra fortuna.

Cum a jure diſceſſum eſt] *Hittorp.* cum jure diſceſſum eſt.

Nec præſtari quicquam poteſt quale futurum ſit] *Stewech. & Amſtelod.* nec præſciri quicquam p. q. f. ſ. *al.* nec præſtari quicquam poteſt, quale futurum ſit id.

Eſſet in civitate libertas] *Hittorp.* eſſet incitata libertas.

P. 40. Et conſuetudine legendi] *al.* ex c. l.

Volumina jam confecerit ὑπομνημάτων, ſi quod afferatur] *ſic mſſ vid. Not. ed. prim. & Peck pro* afferatur, deferatur. *vulgo pro* ſi quod *ſcribitur* ſi quid.

In ſermone vario] *Stewech.* in ſermones varios.

Potuiſti loco] *ſic mſſ. vulgo*, potuiſti joco.

Accianos] *al.* Attianos. *ſext. Palat.* Actianos.

P. 41. Qua mihi videor dupliciter carere] *al.* qua videor mihi dupliciter carere.

Ne quid temere dicam aut faciam] *ſic Victor. & mſſ. vulgo*, ne quid temere dicam faciamve.

Conſiliorum ſuperiorum] *al.* ſuperiorum conſiliorum.

Levem & imbecillam] *al.* levem & imbecillem.

Quum tu ſecundum OEnomaum] *al* quando tu ſecundum OEnomaum. *prim. Palat.* quomodo te ſecundum OEnomaum.

OEnomaum Accii] *al.* Attii.

Quem tu mihi Popilium] *al.* quem tu mihi Pompilium. *al.* Polypum.

P. 42. Quem denarium narres] *al.* thynnarium. *ſed vide Not.*

P. 43. Quod mihi bonam copiam ejures] *ſic mſſ. etiam Amſtelod. al.* jures *al.* cures.

Cum rem habebas] *al.* augebas.

Quæſticulis te faciebam] *ſic Vatic. excerpta & Medic. alii mſſ. & edd.* quæſtiunculis te faciebam.

P. 44. Æſtimationem aliquam te putes accipere] *ſic mſſ. edd.* exiſtimationem aliquam te p. a.

Etiam hæc levior plaga eſt] *ſic Victor. mſſ. al.* & jam hæc levior plaga eſt.

Memini te mihi Phameæ cœnam narrare] *MSS. quidam*, memini mihi te Phameæ c. n. *al.* Phaniæ.

Temperius fiat] *al.* temperatius f.

Ad matris cœnam revocare] *al.* ad matris cœnam vocare. *vid. Not.*

Polypum] *prim. Pal.* Philippum.

Solebam enim antea delectari] *alii*, debilitari *vid. Not.*

P. 45. Ad tyrotarichum] *Amſtelod.* ad tirotaricum. *Stewech* tirotariodium.

Balneum calfacias] *al.* balneum calefacias.

De villa Seliciana] *al.* de villa Feliciana. *al.* de villa Se--ciliana. *al.* Siliana. *al.* Cæciliana.

Sannionum] *prim. Palat.* Samnonum. *al.* Sannonum. *al.* Samnionum. & Samiorum.

EPIST. XVII.

Non tu homo ridiculus es] *ſic Amſtelod. aliique mſſ. vulgo*, num tu homo ridiculus es?

P. 46. Immo vero ſi me amas] *ſic mſſ. & Victor. ed. alii*, immo, ſi me ames.

Satis igitur nobis eſſe debet, quidquid conceditur] *MSS.* nobis igitur ſatis eſſe debet, quicquid conceditur.

Hoc ſi qui pati non potuit] *ſic mſſ. vulgo*, ſi quis p. n. p.

Hoc non longe abeſt a Tuſculano] *ſic Vatic. Amſtelod. Palat. prim. & ſext. Vict ed. vulgo*, hic non longe abeſt a Tuſculano.

Quando ego, vir fortis] *ſic libri ſeptem veteres. duo* quoniam, *unus* cum.

Vir fortis, idemque philoſophus] *al.* vir fortis, idem quod philoſophus.

Se cum multis colligavit] *MS.* ſe cum multis conligavit.

P. 47. Non modo me, qui] *al.* non modo non me, qui.

Ipſe temporibus] *MSS.* ille temporibus.

Non quo ceſſator eſſe ſolerem] *al.* non quod ceſſator eſſe ſolerem.

EPIST. XVIII.

Quod diſcipulos obviam miſeram] *ſic mſi. & Vict. ed. al.* quod diſcipulos obviam miſeram Cæſari.

Vt iidem me quam maxime concilia-rent] *al.* ut me quam m. c.

Probari tibi meum conſilium] *al.* conſilium meum.

Cum Syracuſis expulſus eſſet] *Vatic. ſext. Pal. Victor. ed.* cum Syracuſis pulſus eſſet.

P. 48. Scipio Afranius] *al.* Scipio Africanus.

Id quod agimus] *MS.* idque agimus.

Pluris jam pavones confeci] *al.* plures jam pavones confeci.

Te Atheriano jure delectato] *al.* Atteriano. *al.* Hateriano. *al.* Athenano.

Ego me hic Hirtiano] *Pal. ſext.* ego mihi Hitiano.

P. 49. Etſi ſis Minervam] *Peck.* etſi ſis Minervam.

Idem iſtuc familiares tuos] *Peck.* idem iſtos familiares tuos.

Quem tibi reliquum dicis eſſe] *Peck.* quem tibi reliquum fuiſſe dicis.

Cantherium] *al.* canterium.

Pulvinus ſequetur] *duo mſi. al.* pulvillus ſequetur.

EPIST. XIX.

Tamen a malitia non diſcedis] *Peck. Amſtelod. & alii quatuor mſſ.* tamen malitia non diſcedis.

Tenuiculo apparatu] *ſic mſi. vulgo,* tenuiſſimo apparatu. *v. c.* tenuculo.

Cum reges tam ſint continentes] *Pal. unus,* cum res geſtæ ſint con.

P. 50. Neſcis me ab illo omnia expiſcatum] omnia *deeſt in mſ.*

Recta enim a porta] *MS.* recta eum a porta.

Quod non ad tuam potius, ſed illud quod non ad ſuam] *prim. & ſext. Pal. & Hittorp. Stewech.* quod non ſuam potius, ſed illud quod non ad ſuam. *al.* quod nec ad ſuam.

Primis tribus verbis] *al.* tribus primis verbis.

Quid noſter Pætus] *Palat. ſext.* quid nunc Pœtus.

Nuſquam ſe umquam libentius] *prim. Palat.* nuſquam ſe eum quam libentius.

Auris ad te afferam] *ſic prim. & ſext. Pal. & Hittorp. al.* aureis ad te afferam.

Elegantes] *Hittorp.* elegantis.

EPIST. XX.

Malis oneratum] *Hittorp.* malis honeratum.

P. 51. Itaque uſque ad aſſum vitulinum opera perducitur] *al.* ita uſque ad aſſum vitellinum o. p. *alii,* vitulinum.

Opera perducitur] *al.* producitur.

Nam omnem noſtram] *in uno mſ. deeſt* nam.

Hanc inſolentiam] *al.* indolentiam.

Quum in ſumtum habebas] *al.* quum mecum ſumptus habebas. *al.* quum in ſumptus habebas.

Etſi nunquam plura prædia habuiſti] *al.* etſi nunquam plura præha habuiſti.

P. 52. Dediſcendæ] *al.* deducendæ.

Sportellæ] *ſext. Pal. & Hittorp.* ſportulæ.

Attolagani] *MSS.* artholagini. *al.* artolagyni. *Mentel.* arthogalani.

Nos autem artis tantum habemus] *vid. Not.*

Vt Verrium tuum & Camillum] *Pal. ſext.* ut Verrum tuum & Camillum. *Amſtelodam.* ut Verum tuum & Camillum. *Mentel.* ut Atorinium tuum habemus & Camillum.

P. 53. Etiam Hirtio cœnam dedi ſine pavone, tamen in ea cœna] *alii,* e. H. c. dedi, ſine pavone tamen. in ea e. *mſi. duo,* Hirtio cœnam dedi ſine pavone. *Stewech.* ſine pavore.

Hæc igitur eſt nunc vita noſtra] *al.* noſtra vita.

Hos lætos victores] *Pal ſext.* hos lætos auctores.

Bona tua comedim] *ſic Medic. & Non. Marcell. vulgo* comedam. *vid. Not.*

EPIST. XXI.

P. 54. Verborum meorum, ut ſcribis, fulmina?] *Amſtelod. Stewech. prim. Pal.* verborum meorum, ut ſcribis, fulminatum?

P. 55. Sed potius ἀπόφθεγμα meum] *ſic mſs. vulgo,* ἀπόφθεγμα. *vid. Not.*

Eas tenuis] *ſic mſ. vulgo,* eas tenues.

Qui tibi venit] *MSS.* quid tibi venit.

P. 56. L. Papirius Mugillanus] *Stewech.* Migillanus.

Cum L. Sempronio Atratino] *Hitterp.* cum L. Simpronio. *al.* cum L. Sempronio Atracino.

Cum antea cenſor] *MSS. quinque,* cum ante. *Pal. ſext.* cum anteceſſor.

Poſt hunc XIII fuerunt] *duo Guilielm. codd.* poſt hunc XIIII fuerunt.

Qui primum Papiſius eſt vocari deſitus] *ſic mſs. al.* qui primus Papiſius eſt vocari deſitus.

Conſul cum C. Duilio] *al.* cum C. Duilio. *al.* cum C. Duillo *ſic Vatic. ſext. & prim. Pal. Vict. & Gebh. edd.*

L. Maſſo] *al.* L. Maſo.

Ædilitius] *MS.* ædilicius.

Quorum quidem tu] *MS.* quorum tu quidem.

Omnium patriciorum imagines habeas] *MS* habeas imagines.

Præter hunc C. Carbonem] *ſic Peck. Vict. prim. & ſext. Palat. vulgo,* præter hunc Cn. Carbonem.

Tres illi fratres fuere C. Cn. M.] *al.* tres illi fratres fuere P. C. M. *Amſtelod.* tres illi fratres fuerunt Gaius, Cn. Marcus.

Flacco accuſante condemnatus, fur magnus ex Sicilia] *vid. Not.*

P. 57. Eſt interfectus] *al.* interfectus eſt.

Sutorio atramento abſolutus] *al.* ſutorio a tormento.

Ad patres] *ſic mſs. vulgo,* ad patricios.

EPIST. XXII.

Atqui hoc Zenoni placuit] *al.* atque hoc Zenoni placuit.

P. 58. In Demiurgo] *Stewech.* Detrivirgo. *al.* in Trinummo.

Ita me deſtituit nudum. Totus eſt ſermo] *vid. Not.*

Re impudentior] *margo vet. edit.* re impudicentior.

P. 59. Uſurpata duplex cubile] *tres mſs.* uſurpat duplex cubile. *alii quinque,* uſurpato duplex cubile.

Quid? hujus Pherei hic cubile inire eſt auſus] *ſic Vatic. aliique mſs. & Vict. ed. vulgo,* quid illud? Pherei hic cubile inire eſt auſus. *Stewech.* hujus ferrei. *al.* hujus Pherai.

Jupiter bone] *quatt. mſs.* Jupiter bene.

Ex quo eſt propter ſimilitudinem penicillus] *Grut.* ex qua eſt ſimilitudine peniculus.

Sed quia multi, factum] *al.* ſed jam multis factum eſt jam obſcœnum.

P. 60 Viden' igitur nihil eſſe] *ſic Vatic. Vict. vulgo,* vides igitur.

Itaque nuſquam eſſe] *Peck. & alii nonnulli mſs.* ita nuſquam eſſe.

Igitur in verbis honeſtis] *al.* ergo in verbis honeſtis.

Non honeſtum verbum eſt diviſio?] *ſic mſs. vulgo,* num honeſtum verbum eſt diviſio? *al.* diviſor. *mſs* diviſior.

At ineſt obſcenum] *Pal. ſext.* aut ineſt obſcenum.

P. 61. Et quidem jam] *Peck* equidem jam.

Jam etiam non obſcena verba] *Victor. ed & Pal. ſext.* jam non etiam obſcena verba.

Depſit multo impudentius] *prim. Pal. & Amſtelod.* dempſit. *ſext.* demſit.

P. 62. Ipſa res modo honeſta, modo turpis] *ſic prim & ſext. Pal. Amſtelod. ed. Vict. vulgo,* ipſa res non modo honeſta, modo turpis.

Suppedit, flagitium eſt] *Amſtelod.* ſuppedet flagitium eſt. *al.* ſuppendet. *al.* ſuſpendet. *al.* ſuſpendit. *al.* ſuſcipitur. *al.* ſuppellere. *al.* ſuppellit.

Habes ſcholam Stoicam] *Pal. ſext.* habes ſtolam Stoicam.

Εὐθυῤῥήμων ἔσῃ] *Hitterp.* εὐθυῤῥημονήσῃ.

P. 63. Honorem igitur Kalendis Mart.] *ſic Vatic. Vict. ed. vulgo,* honor eſt igitur Kal. Mart.

EPISTOLA XXIII.

Etſi M Ceparius] *MS. Hittorp.* ut ſis Ceparius. *ſext. Palat.* ut ſis Cœpanus.

Sed tamen conſtitui] *Stewech. & Amſtelod* ſed tamen inſtitui.

Atthriticum] *al.* athricum.

P 64 Cum minime edacem] *Pech.* tum minime edacem.

EPIST. XXIV.

Rufum iſtum] *Pech.* Rufum iſtum.

Cum te tantopere viderem] *v. c.* cum te magnopere viderem

Fabraterix] *Stewech.* Fabateriæ.

Iſte tuus amicus] *al* i. t. animus.

Apud me non eget commendatione] *ſic Vict. & mſſ. vulgo*, apud me commendatione non eget. *Stewech.* apud me non indiget commend.

P. 65. Magna enim te delectatione] te *deeſt in Hittorp.*

Spurina] *MSS. & Vict. ed.* Spurinna.

Periculum ſummæ reip.] *al.* periculum ſummæ rei.

Hoc tempore ferri poſſe] *ſic mſſ. vulgo*, hoc tempore fieri poſſe. *al.* h. t. ferre te p.

Sed mehercule] *Stewech.* & mehercule.

Nihil eſt aptius vitæ] *Hittorp. & ſext. Pal* nihil aptius vitæ.

Ad communitatem vitæ] *al.* comitatem.

Perſuade, me dies] *Pal. ſext.* perſuade de me, dies

P. 66. Locum prætermitto monendi] *duo mſſ.* movendi.

EPIST. XXV.

Pyrrhi te libros] *Hittorp.* Pirri t. l.

Παιδείας Κύρυ] *al.* Κύρυ παιδείας.

Quam contriveram legendo] *vid. Not.*

Explicavi] *Hittorp.* implicavi.

P. 67. Et, ut ſpero, brevi tempore] *MSS.* & *omittunt*, *vulgati vero* tempore.

Mihi ſummus uſus eſt] *al.* uſus eſt mihi ſummus.

Combibonibus Epicureis] *MSS, quat.* combibonibus epicuris.

Laodiceam] *Hittorp.* Laodiciam.

Mecumque eum ego eſſe vellem] *prim. & ſext. Pal. Vict. ed.* mecamque ego eum eſſe vellem.

Impulſu inimicorum] *Hittorp.* impulſu inimicorum.

Et moleſtia Fabium libera] *ſic mſſ.* & *deeſt in vulgatu.*

Noli pati litigare fratres] *MS.* noli litigare pati fratres.

Matonem] *Vict.* Mahonem.

EPIST. XXVI.

P. 68. Harum exemplum] *MSS. aliquot* litterarum exemplum.

Exhilaratam eſſe ſervitutem noſtram] *al.* ſeveritatem noſtram. *al.* ſenectutem noſtram.

Excruciem ne me?] *Hittorp. & Pal. ſext.* excruciem me?

Aut poſſem vivere] *ſic mſſ. vulgo*, haud poſſem vivere. *al.* aut poſſe me vivere niſi. *al.* a. poſſem metui.

Etſi minimum mihi eſt in cœna] *duo mſſ.* etſi minimum mihi eſſet in cœna.

P. 69. Quem adſpectabant] *MSS. nonnulli*, quem adſpectabam. *al.* exſpectabant.

Sed tamen ne Ariſtippus quidem] ne *deeſt in prim. Pal. vid. Not.*

Cum eſſet objectum] *Lamb.* cum eſſet ei objectum.

Habeo, inquit, non habeor] *vid. Not.*

Ne nunc ſenem] *vid. Not.*

P. 70 Ibi loquor quod in ſolum, ut dicitur] *ſic mſſ. vulgo*, ibi loquor aliquid, quod in ſolum, ut dicitur. *al.* ibi loquor aliquid, quid in ſolum, ut dicitur.

Et gemitum, & in riſus maximos transfero] *vid. Not.*

Qui etiam philoſophum irriſeris] *MSS.* qui etiam in philoſophum irriſeris.

Si quis quicquam quæreret] *ſic mſſ. vulgo*, ſi quis quid quæreret.

Cœnam te quærere a mane] *ſic Pal. ſext. & Vict. ed. ſed Pal. prim. & Amſtelod.* cœnam te quærere a me ne. *al.* cœnam

nam te quærere a me. *Mentel.* cœnam te quærere amœne.

P. 71. Ille baro te putabat quæſiturum] *ſic Amſtelod. aliique. vid. Not.*

Unum cœlum eſſet] *al.* num unum cœlum eſſet.

At hercule cœna numquid ad te?] *Hittorp.* ad te hercule cœna. *Stewech.* at cœna numquid ad te? *Grut.* at cœna non ad te. *Amſtelod. & Mentel.* at hercule cœna non quid ad te.

P. 72. Ibi præſertim] *Amſtelod.* tibi præſertim. *ſic & Mentel. & fere alii omnes.*

Non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci] *MSS. plerique omnes omittunt* ſed.

LIBER X.

EPIST. I.

CICERO PLANCO] *ſic Amſtelod. aliique. vulgo,* M. T. C. Cn. Planco Imp. Conſ. deſig. S. D. *Manut.* Cicero S. D. L. Munatio Planco, imp. Cos. deſ.

Et abſui proficiſcens] *Hittorp.* & afſui proficiſcens. *al.* afui.

De meo curſu] *al.* de medio curſu.

P. 74. Non de mea quidem vita] *Lamb.* non mea quidem vita.

Imprimiſque, mi Plance] *prim. Pal. & Amſtelod.* inprimiſque me Plance.

Hominis impotentiſſimi] *ſic mſs. vulgo,* impudentiſſimi. *al.* impudiciſſimi. *v. c. N. Scalſ.* hominis imperioſiſſimi.

Aut veſtigium civitatis] *MSS.* ac veſtigium civitatis.

P. 75. Magnæ cum diligentiæ eſt] *ſic Amſtelod. Pal. ſext.* cum magnæ diligentiæ eſt. *duo Guilielm.* magnæ tum diligentiæ.

Tum etiam fortunæ] *deſiderantur hæc verba in Amſtelodam.*

Sed & te aliquando ante, ut ſpero, habebimus] *v. c. N. Scalſ.* ſed & te aliquando, ut ſpero, habebimus.

Et præterquam quod reip. conſulere debemus] *non extant in ſexto Palatino.*

Ipſius & humanitas & dignitas] *ſic Victor. & Pal. ſext. vulgo,* ipſius humanitas & dignitas.

Te putem contuliſſe] *Pal. ſext.* reputem contuliſſe.

EPIST. II.

Honori tuo pro neceſſitudine noſtra non defuiſſet] *ſic Victor. Palat. prim. ſext. Amſtelod. vulgo,* honori tuo non defuiſſet pro neceſſitudine noſtra.

Quiſquam libere] *MS. Guilielm.* quiſque libere.

In ſumma impunitate gladiorum] *v. c. N. Scalſ.* in ſumma immunitate gladiatorum.

P. 76. Nullum neque officium, neque ſtudium] *Hittorp.* nullum æque officium neque ſtudium. *al.* nullum eque o. n. ſt.

Unquam deero] *Palat. prim.* nunquam deero.

In iis autem rebus] *duo mſs.* in his autem rebus.

EPIST. III.

Per ſe vidi libentiſſime] *Pal. ſext.* per ſe vidi diligentiſſime.

Mihi non ignotam in conſuetudine] *Palat. ſext. & Hittorp.* mihi non ignaram in conſuetudine.

Ante quam tu natus es] *MS.* ante quam natus es.

Quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem] *unus Guilielm.* quamquam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. *al.* quam mihi tecum ſtatuo ſtudeoque eſſe communem. *vid. Not.*

P. 77. Ex optimo reip. ſtatu acquires] *Hittorp. & Palat. ſext.* ex optimo reip. ſtatu acquire.

Te ſi ea quæ patiebare probare etiam] *vid. Not.*

Te arbitrabar videre] *al.* prudenter te arbitrabar videre.

Nunc alia ratio eſt. omnium rerum tuum judicium eſt, idque liberum] *al.* n. a. r. eſt omnium rerum. tuum judicium eſt, i. l.

Optima ætate] *Hittorp.* optuma ætate.

Rep. devexata] *al.* divexata. *al.* dejecta. *vid. Not.*

Quam quo te arbitrarer monitis & præceptis meis] *al.* q. quod arb. te m.

EPIST.

EPIST. IV.

P. 78. Ex Furnii ſermone te ſcripſiſſe] *Pal. ſext.* ex Furnii te ſermone ſcripſiſſe.

Te profectum audieram] *Pal. ſext.* te profectus audieram.

Rediſſe ſcivi] *ſic mſſ. vulgo*, rediiſſe ſcivi. *Amſtelod.* rediſſe ſcii.

Meæ a pueritia obſervantiæ] *Lambin.* vel meæ in te a pueritia obſervantiæ.

Patriam mihi conſtituerim] *al.* paternam m. c.

Si aut aliter ſentirem] *fort.* aut ſi aliter ſentirem, *Lamb.*

P. 79. Auctoritate movere potuero] *Pal. prim.* auctoritate monere potuero.

Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus] *Hittorp.* non eſt ignotus ſenſus tuus.

Si facultas] *Hittorp.* ſic facultas.

Nec nunc committam] *Palat. ſext.* nec nunc omittam.

Quid in urbe Januario menſe geratur ut ſciam] *MSS.* quid in urbe menſe Januario geratur.

Curamque ſuſtineo] *duo Guilielm.* curamque ſuſtinebo. *Amſtelodam.* curamque ſubſtineo.

Hæ gentes noſtra mala] *prim. Pal.* agentes noſtra mala.

Quod ſi proinde ut ipſe mereor] *ſic Vict. ſext. Pal. Hittorp. Amſtelod.* quod ſi provide ut i. m. *vulgo*, quod ſi perinde u. i. m.

EPIST. V.

Ut ad me mihi expectatiſſimæ litteræ perferrentur] *ſic mſſ. vulgo*, ut ad me tuæ exſpectatiſſimæ literæ perferrentur. *Pal. ſext.* ut ad me t. e. litteræ ferrentur.

P. 80. Animum in remp. pluris] *Hittorp. Stewech. ſext. Pal. prim. ed.* animum repub. pluris. *Amſtelodam.* animum in rep. pluris.

Voluntatiſque conjunctio] *ſic mſſ. vulgo*, voluptatiſque conjunctio.

Commemoratio tua paternæ] *ſic mſſ. vulgo*, commemoratio tuæ paternæ.

Lætitiam attulerunt] *vid. Not.*

Declaratio animi tui] *in Pal. ſext. deeſt* tui.

Erat hæc lætitia] *MS.* erat lætitia hæc.

Te non hortor ſolum mi Plance] *MS.* te non hortor mi Plance ſolum.

Quod feci his litteris] *ſic Vict. ed. & mſſ. vulgo*, quod feci iis litteris.

In rempublicam incumbas] *Hittorp. Stewech. Pal. ſext. Amſtelod.* in rep. incumbas.

Quod tibi majori fructui] *MSS. Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. Stewech. & prima*, quod tibi majoris fructus gloriæque eſſe poſſit. *hanc lectionem in ſuis etiam reperit Corradus, aliique.*

Quod quanquam ſine virtute non potuiſſes] *Hittorp. & ſext. Palat.* quod quanquam ſine virtute fieri non potuiſſet.

Ea, quæ adeptus es] *in Stewech. deeſt* ea.

His temporibus difficillimis] *Pal. ſext.* his fortunis difficillimis.

Id erit totum & proprium tuum] *v. c.* id erit totum proprium & tuum.

P. 81. Ut & pro patria] *ſic Hittorp. aliique mſſ. Amſtelod.* ut pro patria.

EPIST. VI.

CICERO PLANCO IMP. CONS. DES. S. D.] *MSS.* Cicero Planco.

Populoque R. probatiſſima] *vid. Not.*

Quæ autem recitatæ litteræ ſunt in ſenatu] *al.* quæ autem recitatæ ſunt litteræ in ſenatu.

Cum Furnii oratione] *Palat. prim.* Furii oratione.

Poſitis armis] *Pal. ſext.* poſſunt armis.

Pro plurimis noſtris neceſſitudinibus] *Pal. ſext.* neceſſitatibus.

P. 82. Crede igitur mihi, Plance, omnis] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgo*, crede igitur, mi Plance, omnes. *al.* crede igitur mihi, mi Plance, omnes.

Es autem adeptus ampliſſimos] *hæc deſiderantur in Hittorp.*

Niſi te cum libertate populi R.] *Pal. ſext.* niſi tecum libertatem P. R. *in Stewech. deſideratur* R.

Sejunge te, quæſo, aliquando ab his] *MSS.* ab his.

Tem-

Temporum vincla] *ſic prim. Palat. Amſtelod. Voſſer. ed. vulgo*, temporum vincula.

Qui animo exiſtit in temp. Conſularis] *vid. Not.*

Deinde & ſenatui] *vid. Not.*

Non in armis poſitis] *duo mſſ.* non armis poſitis.

Armorum & ſervitutis metu] *Pal. ſext.* armorum, etiam ſervitutis metu.

Hæc ſi & ages] *Hittorp.* hæc ſi ages.

Magnus etiam Conſul & conſulatis] *Pal. ſext.* magnus etiam & Conſul & conſulatis.

Tam in iſtis ampliſſimis] *Pal. ſext. & vulgati nonnulli*, tum in iſtis ampliſſimis, *ſic & legend. conjecit Lambinus.*

Quæ tu in experiendo in ea ratione] *ſic mſſ. vulgo*, quæ tu in experiendo ea ratione. *al.* expendendo.

D. XIII Kal. Aprilis] *ſic mſſ. alii*, d. III K. Apr. *vulgo*, datum XIII Kal. April.

EPIST. VII.

Quæ & tua exhortatione] *Pal. ſext.* quæ & tua & exhortatione.

Ipſum ad te tranſite] *edd.* ad te ipſum tranſire.

Mediocri dolore] *Stewech.* mediocre dolore.

Dum perducerem eo rem] *al.* dum producerem eo rem.

Dignum aliquid & conſulatu meo] *Pal. ſext.* dignum aliquid ex conſulatu meo.

EPIST. VIII.

P. 84. Quidquam ulli pollicendum] *MS.* quidquam illi pollicendum.

Optimæ mentis cogitata] *duo mſſ.* optime mentis cogitata. *al.* optima mentis cogitata. *v. c.* optima mentis excogitata.

Fortuna demiſiſſet] *Hittorp.* fortuna dimiſiſſet.

Magna in ſpe ad proficiendum] *Mentel.* magna in ſpe ad perficiendum.

Si in eo mihi temperaviſſem] *Pal. prim. & ſext.* ſi in eo mihi obtemperaviſſem.

Sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impenſæ opus fuerunt] *vid. Not.*

P. 85. Ut ab republica potius] *Pal. ſext.* ut ab ea republica potius.

Superiore anno] *Palat. ſext.* ſuperiori anno.

Eliciendæ etiam voluntates] *vid. Not.*

Exercitibuſque præfuerunt] *Palat. ſext.* exercitibus præfuerunt.

P. 86. Invitis quibuſdam] *prim. & ſext. Palat. & Mentel.* invictis quibuſdam.

Ita nunquam diffitebor] *ſic mſſ. vulgo*, itaque nunquam diffitebor.

Denuntiatio boni civis imparati] *duo mſſ.* enunciatio boni civis imparati. *unus mſ.* imperati.

Viro forti atque ſtrenuo] *MS.* ſtrennuo.

Curam reip. ſummæ defendendæ] *al.* curam reip. ſumme defendendæ. *al.* curam rei ſummæ defendendæ.

Ab omni re ſumus paratiores] *edd.* ab omni te ſimus paratiores.

Bene ſperare de nobis] *Pal. ſext.* bene de nobis ſperare.

Noſtra liberalitate] *Pal. ſext.* noſtra libertate.

P. 87. Quantas hæ gentes] *MS.* quantas eæ gentes. *Pal. ſext.* quantas hee gentes.

Ipſe ita ſum animo paratus] ita *deeſt in duobus mſſ. pro* ſum *Amſtelodam.* ſunt.

Periculum poſſim morari] *ſic mſſ. al.* periculum morari poſſim.

Hæc ſi jam expeditis omnibus rebus] *MSS.* hoc ſi jam expeditis o. r.

EPIST. IX.

P. 88. Nihil me tibi temere aut te ceteris] *vid. Not.*

Certe hoc majus habes teſtimonium] *Hittorp.* certe hoc magis habes teſtimonium.

Prævidere te ſpero] *vid. Not.*

Ita ab imminentibus malis reſp.] *Palat. ſext.* ita ut ab imminentibus malis reſpublica.

Præmiaque veſtra ſuſpicio] *Hittorp. & Pal. ſext.* præmiaque veſtra ſuſcipio.

P. 89. Contra quod ipſe pugno, & temporis] *ſic prim. Palat. Amſtelodam.*

Men-

Mentel. Vict. ed. vulgo, contraque ipſe pugno, ſed & temporis & rei.

Rhodanum trajeci] *prim. Palat.* Rhodanum trajecti.

Vienna equites mille via breviore] *ſic mſs. & Vict. ed. vulgo*, Viennam equites mille via breviore.

Si a Lepido non impediar] *duo mſs.* ſi ab Lepido non impediar.

Sin autem itineri meo ſe oppoſuerit] *vid. Not.*

Copias adduco & numero, & genere, & fidelitate] *al.* copias adduco & genere, & numero & fidelitate firmiſſimas.

EPIST. X.

P. 89. Etſi ſatis ex Furnio cognoram] *ſic mſs. vulgo*, cognoveram.

Tuis litteris lectis] *ſic mſs. vulgo*, lectis tuis litteris.

P. 90. De tua voluntate percrebruit] *ſic Amſtelod. Hittorp. & edd. ſed Pal. pr. & ſext. Grav. ſec.* percrebuit. *ſext. Pal. in marg.* percrepuit.

Declaratum eſſet a ſenatu] *Hittorp. & Palat. ſext.* claratum eſſet a ſenatu. *mſs. alii*, declaratum eſſet ab ſenatu.

Apparatus tuus] *Stewech.* apperatus tuus.

Cujus rei non modo non præteriit tempus] *Hittorp.* cujus rei modo præteriit tempus.

Ne maturum quidem etiam nunc] *Pall. prim. & ſext. Hittorp. Stewech.* ne maturum quidem etiam ne. *Amſtelod.* ne maturum quidem etiam. Nunc.

Honoribus abundabis] *Pall. ſext. & prim.* honoribus habundabis.

P. 91. Conſpirationem adjuva] *Palat. ſext.* adlua.

III Kl. April.] *ſic Amſtelod. Palat. ſext. Vict. ed. vulgata*, IIII Kl. April.

EPIST. XI.

Immortalis ago tibi gratias] *Stewech.* innumerabiles ago tibi gratias.

Tantis enim tuis officiis] *quidam libri non habent* tuis.

Non videor mi reſpondere poſſe] *ſic prim. Pal. & Vict. ed. alii*, non videor mihi r. p. *in Hittorp. & Pal. ſext. deeſt* mihi.

Ut tu graviſſime diſertiſſimeque] *MSS.* ut tu diſertiſſime graviſſimeque.

Non mediocris adhibenda mihi eſt cura] *ſic mſs. Hittorp. Stewech. Pal. ſext. Amſtelodam. vulgo*, quare non mediocris adhibenda mihi eſt cura. *Stewech. pro* adhibenda *ſcribit* adhibita. *Pal. ſext.* adhibenda eſt mihi cura. *al.* adhibenda mihi cura eſt.

Dignum tuis laudibus] *duo mſs.* dignum meis laudibus.

Si exitu rebuſque cognoſcis] *Stew.* cognoſces.

P. 92. Cum Rhodanum copias trajeciſſem] *duo mſs.* cum Rhodanum copias omnes trajeciſſem.

Duaſque ei ſpes eſſe propoſitas] *MS.* duaſque eſſe ſpes ei. *in Hittorp. deeſt* ſpes.

Unam Lepidi ipſius, alteram exercitus] *vid. Not.*

Alteram exercitus. Quod quædam pars exercitus non minus furioſa eſt quam qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi. Ipſe] *al.* a. exercitus, quod quæd. —— fuerunt. Equitatum revocavi. ipſe. *al.* fuer. ſtatimque eq. r.

In Allobrogibus conſtiti] *al.* in A. iter conſtitui.

Ut proinde ad omnia] *ſic mſs. vulgo*, perinde.

Ac res moneret] *ſic mſs. & Vict. vulgo*, ac res me moneret, *quod tamen in pluribus quoque reperitur membranis.*

Si nudus huc ſe Antonius conferet] *Palat. prim.* ſi nudus hoc ſe Antonius conferet. Hoc *pro* huc *ſæpe ſcribitur in veteribus libris, ut Rivius notavit ad Terentium. alius mſ.* ſi nudus huc Antonius ſe conferet.

Facile mi videor] *ſic mſs. vulgo* mihi: *deeſt in Hittorp.*

Si vero copiarum aliquid ſecum adducet] *in Hittorp. deeſt* ſecum.

Quæ noſtra opera revocata cum reliquis eſt] *Stewech.* quæ veſtra opera r. e. r. e.

Idque me præſtaturum] *ſic mſs. alii*, præſtiturum.

Nec animum, nec diligentiam mihi defuturam] *Stewech.* nec animum nec diligentiam mihi defuturum. *alii*, neque animum, nec diligentiam mihi de-

deſuturam. *al.* neque animum, nec dil. m. d.

Cupio mehercules nullam] *al.* cupio mehercule nullam

P. 93. Pro vobis cedam] *Stewech.* pro nobis cedam. *quidam codices non habent* pro vobis.

EPIST. XII.

Tantum opis attuliſſe] *Hittorp.* adtuliſſe.

P. 94. Ita te victorem complectar] *Hittorp.* amplectar.

Ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas affert] *Hittorp.* ut magnam mihi partem lætitiæ tua dignitas afferat. mihi *deeſt in ſext. Pal.*

Cave enim putes ullas unquam litteras graviores] *ſic mſſ. vulgo*, cave enim putes ullas litteras unquam graviores. *Pal. ſext.* putas.

Quam tuas] *MSS. nonnulli non habent hæc verba.*

P. 95. Quam erant exſpectata] *vid. Not.*

Non quo unquam de tua voluntate dubitaſſet] *ſic mſſ. alii tamen ut & edd.* non quod unquam de tua voluntate dubitaſſet

Sed nec, quantum facere poſſes] *Hittorp* ſed nec quantum poſſes facere.

Nec quo progredi velles] *Victor. & Gebh. edd. ut & Vatic.* nec quoad progredi velles.

Cum a. d. VII Idus Aprilis] *al.* cum ad VIII Idus Aprileis.

Me domo deduceret] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgo*, me de domo deduceret.

Munatius noſter] *Hittorp.* Numatius noſter.

Ut conſuerat: at ego ei litteras tuas] *vid. Not. al.* tuas litteras. *al.* litteras tuas oſtendi.

Et eas quas publice] *vid. Not.*

Placuit nobis] *in libris nonnullis deſideratur* nobis.

Senatus eſt continuo convocatus, frequenſque convenit] *duo Guilielm.* ſenatus continuo convocatus frequens convenit.

P. 96. Itaque res dilata eſt in poſterum] res *non eſt in Pal. ſexto*

Magna mihi fuit pro dignitate tua contentio] fuit *deſideratur in Hittorp. &* Stewech. prim *& ſexto Pall. Amſtelodam. Mentel. Grav. ſec.*

Cum frequenter aſſentiretur ſenatus] *ſic duo Guilielm. prim. & ſext. Pal. Vatic. Vict. ed. alii ut Amſtelod. Mentel. & edd. vulgata*, cum frequens aſſentiretur ſenatus.

Hunc quemadmodum fregerim] *duo mſſ.* hunc quidem quemadmodum fregerim.

Ex aliorum te litteris malo cognoſcere] *Pal. ſext.* ex aliorum te malo litteris cognoſcere.

Senatus gravior] *duo mſſ.* ſenatus gratior.

Perge igitur, ut agis] *Lamb.* ut facis.

Collecta maniſſimis ſplendoris inſignibus] *vid. Not.*

Brevia, fugacia, caduca exiſtima] *vid. Not. nonnulli edd.* brevia, fugacia, & cad. e.

P. 97. Quam quando complexus es & tenes, perfice] *Hittorp.* quam quoniam complexus es & tenes, perfice. *Stewech. Pal. ſext. Amſtelod. Grav. ſec. pluresque alii*, quam, quando complexus es, tene perfice. *vid. Manut. in Palat. ſext. pro* quando, quoniam *ſcribitur. Mentel.* quam quoniam complexus es & tenes, profice.

Ne minus reſp. tibi] *Stewech.* ne minus quidem reſp. tibi.

Id cum reip.] *ſic mſſ. vulgo*, id tum reip.

Quæ mihi vita eſt mea carior] *ſic ſext. Pal. & Victor. Amſtelod. & vulgata*, quæ mihi eſt mea vita carior.

III Id. April.] *ſic Palat. prim. ſext. Amſtelod. & Vict. vulgo*, IV Id. April.

EPIST. XIII.

Augendæ dignitatis tuæ] *duo Guilielm.* augendæ dignitatis tuæ a ſenatoribus.

Quod poſitum eſt aut in præmio virtutis] *ſic Vatic. Pal. prim. Amſtelod. ed. Vict. vulgo*, quod poſitum eſſet aut in præmio virtutis.

Quam ſenatus frequens ſecutus eſt] *deſunt hæc verba in Palatino ſexto.*

Quam inſignibus gloriæ delectari] *Pal. ſext.* lætari.

Con-

Conſiderandum nobis] *in Pal. ſext. deeſt* nobis.

Ulyſſem πτολίπορθον] *Hitterp. & nonnulli alii* πτολιπόρθον. *al.* πολιπόρθον. *Pal. ſext.* phroliporthion.

E p i s t. XIV.

Atque etiam hoſtibus fuſis] *ſic mſſ. vulgo*, atqui etiam hoſtibus fuſis. *mſ.* atquin e. h. f.

Dicuntur notiſſimi] *in Hitterp. deeſt* dicuntur.

Latronum duces] *Amſtelod.* latrones duces.

Expectabam jam tuas litteras] *vid. Not.*

Lepidum reip. temporibus admonitum] *vid. Not.*

Tecum & reip. ſatis eſſe facturum] *Lambin. conjicit*, tecum reip. ſatis eſſe facturum. *Guilielm.* tecum reip. ſatis eſſe acturum. *vid. Not.*

Ne quæ ſcintilla] *ſic Pal. ſext. Vat. Victor. ed. alii & vulgata*, ne qua ſcintilla.

D. III Non. Mai.] *ſic Palat. ſext. Hitterp. Amſtelodam. vulgo*, tertio Idus Maii.

E p i s t. XV.

P. 100. Sedulitas mea] *Palat. ſext.* ſed utilitas mea.

Communi conſilio] *Pal. ſext.* communi concilio.

Se, liberos, urbemque] *ſic mſſ. vulgo* que *deeſt*.

Prohibere provincia ſua] *al.* prohibere ſua provincia.

Copiaſque conjungerem] *duo Guilielm.* copiaſque ut conjungerem.

Ad me tranſierunt] *MSS. nonnulli*, tranſiverant.

Cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum] *vid. Not.*

P. 101. Adjuvandum putavi] *Pal. ſext.* adiuandum putavi.

Et corrigere & coercere] *Hitterp.* & coercere & corrigere.

Præſentia mei exercitus poſſem] *abeſt a codice vetere Lambini* τὸ poſſem.

In Iſara flumine] *Stewech.* in Hyſura fl.

Ad quartum Idus Maii] *Stewech.* ad v Idus. *Hitterp.* ad IIII Idus.

Cum vero mihi nunciatum eſſet] mihi *deeſt in duobus mſſ.*

Ad Forum Julii] *MS.* Junii. *al.* Livii.

A. d. v Idus Mai] *ſic Vatic. Palat. prim. & ſext. Amſtelod. & Victor. vulgo*, ad pridie Idus Mai.

Equitatu ſubſequar] *duo mſſ.* obſequar.

Italiam a vaſtatione defendat] *ſic prim. Pal. Stewech. Amſtelod. Victor. ed. vulgo*, Italiamque a vaſtatione defendat.

E p i s t. XVI.

Ne tempore quidem ipſo opportunius] *in uno mſ. deeſt* ipſo.

P. 102. Non ſine magnis quidem clamoribus] *deeſt* quidem *in Hitterp.*

Tum erant graviſſimis verbis & ſententiis] *vid. Not. al.* tum erant graviſſimæ verbis & ſententiis.

Ille ſe conſiderare velle] *ſic duo P.. duo Guilielm. Amſtelodam. Vict. ed. vulgo*, ille ſe conſiderare ait velle.

Quinque tribuni plebei] *ſic Pal. pr. Amſtelod. vulgo*, quinque tribuni plebis.

P. 103. In rebus tam ſubitis] *duo mſſ.* ſubditis.

Factum aliquod] *Amſtelod.* factum aliquid. *vid. Manut.*

Futurum putarimus] *MS.* putaverimus. *alii duo*, putaremus.

E p i s t. XVII.

Idibus Maii] *Palat. ſext.* ad Idus Maias. *Amſtelod. Stewech.* Idus Maias. *Grav. ſec.* Idibus Maias.

Viginti millia paſſus abeſt] *ſic Vat. Hitterp. Stewech. prim. & ſext. Pal. Grav. ſec. Vict. & Gebh. edd. vulgo*, paſſuum. *vid. Not.*

Fortuna ſervarit] *ſic mſſ. vulgo*, fortuna ſervaverit. *Stewech.* ſervarint.

Concurſationibuſque confectum] que *deeſt in mſ.*

P. 104. Antea tibi ſcripſi] *Pal. ſext. Hitterp.* ante tibi ſcripſi.

Reipublicæ ſe convaluiſſe] *ſic Amſtel.*

ſtelod. Pal. ſext. vulgo, reipublice convaluiſſe ſe.

Non recuſabat] *v. c.* non recuſavit.

Iſto proficiſci] *v. c.* illo proficiſci.

Illa valitudine] *ſic mſi. vulgo*, valetudine.

Quam me juvare poſſet in caſtris] *ſic Palat. ſext. Vict. vid. Not. vulgo*, quam me tueri poſſet in caſtris. *ſic & Amſtelodam. Hitterp.* quam me juvare in caſtris poſſit.

In urbanis officiis] *deeſt* in *in Palat. ſext.*

Quod ſi qui veſtrum non probabit] *ſic Vatic. Hittorp. Pal. ſext. Vict. ed. vulgo*, quod ſi quis veſtrum non probabit. *in Palat. ſext. deeſt* non. Q. V. C. quod ſi quis veſtrum improbabit. *ſic & in margine Palat. ſext.*

Defuiſſe ſciat] *Palat. prim.* defuiſſe ſciam.

Lepidus tamen] *ſic duo Pall. Hitterp. Stewech. Amſtelodam. vulgo*, Lepidus tandem.

Obſide fide illius] *Pal. ſext. & Hitterp.* obſide fidei illius.

Et ſocietatis] *ſic Palat. prim. Vatic. & Stewech. ſed Amſtelod. & vulgata*, fide illius & ſocietate.

Studium ſuum mihi L. Gellius] *ſic Amſtelod. Pal. prim. Vict. ed. aliique mſi. Vatic.* ſtudium mihi L. Gellius. *Palat. ſext.* in ea re ſtudium mihi ſuum L. Gellius de t. fr. eganiano. *vulgo*, ſtudium in ea re ſuum mihi. L. Gellius.

De tribus fratribus Segaviano] *vid. Not. al.* de tribus fratribus Segavianis.

P. 105. Amicum eum reip. cognoſſe videor] *ſic mſi. & Vict. ed. vulgo* cognoſcere.

Libenterque ei ſum teſtimonio] *deeſt in mſi.* ſum.

EPIST. XVIII.

Cum Lævus] *al.* Lernus. *al.* Lerinus. *al.* Leernus.

Quas eis dedi] *Stewech. & Vict. ed.* quas ei dedi. *ſed pro vulgata ſtant Amſtelod. aliique veteres libri & ipſa ratio.*

Non ullam rem aliam extimeſcens] *ſic Vatic. prim. Palat. Hitterp. Amſtelod. Vict. ed. vulgo*, nullam rem aliam extimeſcens.

Quæ mihi quoque facit timorem] *ſic mſi. omnes. vulgata*, quæ mihi nunc quoque f. t.

P. 106. Sciebam enim, & cautius illud erat conſilium, expectare me ad Iſaram, dum Brutus trajiceret exercitum, & cum collega conſentiente, ſicut milites faciunt, hoſtibus obviam ire] *hunc locum ſic refinxit Lambin.* ſciebam enim, etſi cautius illud erat conſilium, expectare me ad Iſaram, dum Brutus trajiceret exercitum, & cum collega conſentiente, exercitu concordi, & bene de rep. ſentiente, hoſtibus obviam ire. *& ſic edidit Manut. vid. Not. Amſtelod.* expectare me ad inſulam. *v. c. N. Scalſ.* dum Brutus trajiceret exercitu concordi, ac bene de rep. ſentiente.

Sicut milites faciunt] *delet ex veteri codice Lambinus hac verba. ſed extant in Pall. Medic. Vatic. Amſtelod. Grav. ſec. Vict. ed.*

Non ſuis contractis] *al. legunt*, in ſuis contractis. *Lambinus ex conjectura*, rationibus ſuis male contractis.

Nullam habebat dubitationem] *al.* nullam habeat, *vel* nullam habet.

Si exercitus Lepidi abſit] *v. c.* ſi exercitus Lepidi abeſſet.

P. 107. Non mehercules horam conſtitiſſet] *ſic Palat. prim. Hitterp. Vict. ed. vulgo*, mehercule. *Amſtelod.* non me hercule horam conſtituiſſet.

Sic perculſas illius copias] *Amſtelod.* ſic perculas illius copias.

P. 108. Niſi uno loco me tenerem] *al.* hærerem. *al.* metaremur.

Quæ ad hanc experientiam excitavit] *ſic Palat. prim. Amſtelod. Grav. ſec. Vict. ed. vulgo*, quæ ad hanc experientiam me excitavit.

A d. XII Kal. Jun.] *ſic mſi. vulgo*, ad XII Kal. Jun. *Hitterp.* ad XV. K. Jun.

Caſtellis duobus ad capita poſitis] duobus *deeſt in Hitterp. Amſtel.* catellis duobus.

Me conjungam. Vale] *deeſt in Medic. Amſtelod.* Vale.

EPIST. XIX.

Sempei equidem] *ſic Palat. prim. & Hitterp. alii mſſ. & edd.* ſemper quidem.

Et maximæ, fortiſſimi animi] *vid. Not.*

Ut belli extrema perficias] *unus Guilielm.* conficias.

Mehercules, in ea conſervanda] *ſic prim. Palat. & Vict. vulgo*, mehercule in ea conſervanda.

Patriæ faveo] *ſic Palat. prim. & Vict. vulgo*, faveo patriæ.

Is hoc bellum teterrimum periculoſiſſimumque confecerit] *ſic mſſ. al.* Is hoc teterrimum bellum p. c.

EPIST. XX.

P. 110. De te tamen fama conſtans] *al.* de te tamen conſtans fama.

Te adſcripſiſſe] *ſic Pal. prim. Amſtelod. & Vict. ed. Mentel. & Grav. ſec.* te ſcripſiſſe. *vulgata*, te ad ſe ſcripſiſſe.

Ut errare id Plance voluiſti] *Amſtelod. & plures alii*, ut errarem id Plance voluiſti. *Mentel.* ut errarem id Plance noluiſti. *vid. Not.*

Quis enim id effugerit] *ſic pr. Pal. & Vict. vulg.* quis enim id effugeret.

Etiam jam erroris cauſſa] *ſic Amſtelod. & Vict. ed. vulgata*, etiam erroris jam cauſſa. *in quibuſdam vet. cod.* jam abeſt.

P. 111. Quibus certe nulla eſſe majora] certe *deeſt in Hitterp.*

EPIST. XXI.

Si non hæc ex aliena levitate penderent] *ſic prim. Palat. Vatic. Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. Vict. ed. vulgo*, ſi non ex aliena l. p.

Omnia ei & petenti recepi] *Vict. ed.* omnia ei petenti recepi.

Cum in Iſara flumine] *al.* cum Iſaram flumen. *vid. Not.*

Effecto ponte] *ſic mſſ. vulgg.* confecto ponte.

P. 112. Se poſſe per ſe conficere] *ſic Vict. ed. mſſ. al.* ſe poſſe conficere per ſe. *al.* ſe conficere poſſe per ſe.

Ad Iſaram exſpectarem] *Amſtel.* ad Yſeram ſpectarem.

Ire decreram] *ſic Vatic. & Vict. vulgata.* ire decreveram.

Nec de laude jejuni hominis delibare quicquam] *ſic Mentel. ſed Amſtelod.* nec laude jejuni hominis deliberarem quicquam. *Grav. ſec. aliique*, nec de laude jejuni hominis deliberare quicquam.

In eiſque deſperans] *al.* meiſque deſperans. *vid. Not.*

De Lepidi fide] *Hitterp.* de fide Lepidi.

P. 113. Titio miſi] *ſic mſſ. al.* dedi.

Et quibus credidi] & *deeſt in Hitterp. Pal. prim.* ex quibus credidi. *Lambin. mallet*, & ea, quibus credidi.

Vt milites ejus] *Hitterp.* qui milites ejus.

Viri boni] *al.* ut viri boni.

Conſulibus ſingularibus] *vid. Not.*

Omnibus judiciis] omnibus *deeſt in Hitterp.*

Huc me venire] *Hitterp. Palat. prim. Amſtelod.* hoc me venire.

Objicere exercitum] *Q. V. C.* objicere exercitum.

Auxilia maxima] *ſic Vict. ed. vulgo*, maxima auxilia.

Remque publicam mecum prodidiſſem] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgo*, remque publicam mecum perdidiſſem.

Miſericordiam quoque defuturam] *ſic Vat. vid. Not.*

P. 114. Vt exercitum locis habeam opportunis] *ſic Hitterp. Victor. omnes alii*, exercitum locis ut habeam opportunis. *Amſtelod. & Pal. prim.* exercitum locis habebo opportunis.

Etiamſi ille exercitus deſcierit] *ſic Vatic. Pal. ſext. Vict. ed. vulgo*, deſciverit. *Amſtelod.* deſierit.

Omniaque integra ſervem] *ſic Palat. ſext. Amſtelod. & Vict. ed. vulgo*, omnia ut integra ſervem. *Q. V. C.* omniaque ut integra ſervem.

Huc ſubmittatis] *nonnulli mſſ.* hoc ſubmittatis.

Rempublicam hic vindicetis] *in pr. Pal. deeſt* hic. *ſext. Palat.* remp. hic vim vindicetis.

Paratior fuit quiſquam] *ſic Pal. pr. & ſext.*

ſext. Vatic. Vict. ed. alii, paratior fuerit quiſquam,

Exercitum huc trajiciendum] *MSS. Georg. Fabric.* hoc trajiciendum.

Excuſem litteris] *ſic Vict. ed. Amſtel. & Mentel. & Stewech.* excuſes. *Hittorp.* excuſa. *vulgati* excuſo.

Ex labore in febriculam incidit] *Stewech.* ex labore febriculam incidit.

Non dubitabit] *Stewech.* dubitabis.

EPIST. XXII.

In te & in collega omnis ſpes eſt] *Palat. ſext.* in te & collega omnis ſpes eſt.

Quod ad me ſcripſeras] *Stewech.* quod ad me ſcribis.

De re agraria] *Amſtel. tres. Guilielm. & nonnullis alii*, de lege agraria.

Honorificentiſſimam de te] *ſic Palat. ſext. & Vict. ed. Amſteled. & vulgg.* de te honorificentiſſimam.

Honorif. de te ſententiam dixiſſet] *Stewech.* dixiſſent.

Quæ conſulebantur] *Pal. ſext.* conſulabantur.

Vt ieo] *Amſteled.* ut eo.

Ne noſtro arbitratu componeretur] *Stewech.* te veſtro ar. c.

In ſenatuſconſulto] *Palat. ſext.* in ſenatuſconſultu.

Talis, qualis maxime opto] *ſic Palat. & Hittorp. aliique nonnulli. vulgo*, tales, quales maxime opto. *& pro* & quidem *unus Guilielm. & Amſtel.* equidem.

EPIST. XXIII.

P. 116. Nunquam mehercules] *ſic mſſ. vulgo*, mehercule.

Me pœnitebit] *Hittorp.* me penitebit.

Imprudentia me lapſum] *Pal. ſext.* me lapſum imprudentia.

Error eſt magis] *MS.* error magis eſt.

Pulchre notam] *MSS.* pulcre notam.

Hunc caſum coegit ſubire] *Palat. pr. & ſext. Hittorp. Amſteled.* hunc caſum cogit ſubire.

Nam ſi uno loco eſſem] *ſic Palat. pr. & ſext. Amſteled. Mentel. Grav. ſecund. vulgg.* nam niſi uno loco eſſemus.

Lepido offenſus] *ſic mſſ. vulg.* Lepido inſenſus. *in Hittorp. deeſt* Lepido.

Mea patientia etiam aleæ bellum] etiam *deeſt in Hittorp.*

In conſpectum Lepidi] *ſic mſſ. vulg.* in adſpectum Lepidi.

Vel ſalutariter recipere me] *v. Not. Manut. & Victor.*

P. 117. Mihi fideliter pateret iter] *vid. Not.*

A. D. IV Kl. Jun.] *vulg.* ad IV K. Jun.

Ad me caſtra moverunt] *in Hittorp. & Pal. ſext. deeſt* ad me.

Nihil fugæ ſimile] *Hittorp.* fugæ nihil ſimile.

Amitteretur] *Palat. ſext.* omitteretur.

Vt ſpatium ad colligendum ſe homines haberent] *ſic mſſ. & Victor. ed. vulg.* ut & ſpatium ad ſe colligendum h. h. *Pal. ſext.* ut & ſpatium & ad ſe colligendum.

Animum ſingularem in temp.] *Hittorp.* animum ſingularem in tep.

P. 118. Et adhuc vivit] *ſic Hittorp. Pall. duo, Amſteled. ed. Vict. vulg.* adhuc vivit.

Magno cum dolore parricidarum elapſus ſum his] *ſic Hittorp. Palat. ſext. Victor. ed. ſed Amſteled. & Manut. ed.* & magno cum dolore parr. elapſus ſum iis. *vulg.* ego magno cum dolore parricidarum elapſus ſum iis. *Pal. ſext.* paricidarum.

Recentis habebant] *ſic Amſteledam. Pal. ſext. Victor. ed. vulgo*; recentes habebam.

Fide Lepidi miſſos ad me] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgo*, fide Lepidi dimiſſos, ad me in conſpectum.

C. Catium Veſtinum] *ſic Hittorp. duo Pall. Vict. vulgo*, quod C. Catinium Veſtinum.

Tribunum militum] *ſic mſſ. Amſtel. tr. mil. vulgo*, tribunum militarem.

Ad me eum litteris] *ſic Amſtelod. & tres Guilielm. ut & Victor. ed. vulgo*, ad eum cum litteris.

Exceperam] *ſic Amſteled. aliique mſſ. vulg.* interceperam.

P. 119. Exercitus mittatur] *ſic Hittorp. Amſtelod. Vict. ed. vulgo*, exercitus ejus mittatur.

Magnum agitur periculum] *ſic Victor. vulg. & mſſ. alii*, magnum periculum agitur.

Non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur] quas habemus *deſunt in Hittorp.*

In dies mehercules habeo cariorem] *ſic mſſ. vulgo*, mehercule h. c.

Ex judicio tuo perdam] *Lambinus conjecit leg. eſſe* deperdam.

Vale. Octavo Idus Jun.] Vale *deeſt in mſſ.*

Cujarone] *ſic Hittorp. Palat. prim. & ſec. Vat. Vict. ed. Med.* Cujuarone. *Amſtelod.* Civarrone. *vulg.* Civarone.

E P I S T. XXIV.

P. 120. Mehercules facio cum pudore] *ſic Pal. prim. ſext. & Hittorp. vulgo* mehercule.

Pro maximis tuis beneficiis] *Palat. ſext.* pro eximiis tuis beneficiis.

Indulgentia, aſſiduitate] *Lamb.* diligentia, aſſiduitate.

Omnes gratas amicitias] *Stevvech. & Pal. prim.* omnes gratias amicitias.

In tua obſervantia] *ſic Hittorp. Stevvech. Amſtelod. Vict. ed. vulgo*, in tui obſervantia.

Quotidie ſit allaturus] *Amſtelod.* alaturus.

Quos ego non potentiæ meæ cauſſa] *deeſt in Stevvech.* ego.

Nihil enim me non ſalutariter cogitare] *duo Guilielm.* nihil enim non ſalubriter cogitare.

Deinde quod ad omnes caſus] *Palat. ſext.* deinde ut ad omnes caſus.

Conjunctiores reip.] *unus Guilielm.* conjunctioris reip.

Quales adhuc fuerunt] *MS.* fuerint.

Subito impetu] *ſic mſſ. vulgo* impetui.

Patricidarum] *Palat. ſext.* paricidarum.

P. 121. Octo tyronum] *duo Guilielm.* octo militum tyronum.

Africanus exercitus] exercitus *deeſt in Hittorp.*

Summam remp. in diſcrimen deduceremus] *ſic Vatic. Hittorp. Palat. ſext. Amſtelod. niſi quod pro* ſummam *ſcribat* ſumma, *& Vict. ed. vulg.* ſummam reip.

P. 122. Si quid forte proficere poſſet] *Stevvech.* poſſit.

Jam tueri eum & diligere fuit mihi neceſſe] *ſic Hittorp. Palat. ſext. Vict. ed. al.* mihi fuit neceſſe.

Hunc filii loco] *Stevvech.* hunc Getanium filii loco.

Non proinde habere] *ſic Vatic. prim. & ſext. Palat. Amſtelod. Vict. ed. vulg.* non perinde habere. *Stevv.* non pium habere.

Turpe mihi videtur] *ſic Pal. ſext. & Amſtelod. al.* mihi turpe videtur.

Quod exercitus habent non contemnendos] *MSS.* complures quod exercitus habent non contemnendos habent.

Omne Cæſari acceptum referre] *ſic prim. & ſext. Pal. duo Guilielm. Amſtelod. vulgo*, id omne acceptum Cæſari referre.

P. 123. Referre poſſunt] *Hittorp.* referre poſſum.

Si venire voluiſſet] *duo mſſ.* ſi voluiſſet.

In adverſiſſimam illi Hiſpaniam] illi *extat in Vatic. Hittorp. Stevvech. Palat. prim. & ſext. Vict. ed. al.* in averſiſſimam illi Hiſpaniam. *al.* in adverſiſſimam illis Hiſpaniam.

Cum detrimento eorum maximo detruſum] *Hittorp. & Palat. ſext.* cum detrimento eorum maximo extruſum. *Amſtelod. Pal. prim. Stevvech.* & rurſus.

A tanta gloria] *in Hittorp. deeſt* a.

Ac ſalutari avocarit] *ſic Vat. Palat. ſext. Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. Vict. ed. vulgo* avocarint.

Conſulatus bimeſtris] *Hittorp.* conſulatus bimenſtris.

Cum efflagitatione transtulerit] *ſic Vat. Pal. ſext. Vict. ed. ſed Amſtel. Mentel. Grav. ſec. cum vulgatis* transtulerint.

Exputare non poſſum] *al.* explicare n. p.

Mihi videntur neceſſarii ejus] *Palat. ſext.* mihi videtur neceſſarii ejus.

P. 124. Præter me] *Q. V. C.* poſt me.

Nun-

Nunquam enim obliviſcar] *ſic mſs. vulg.* nunquam vero obliviſcar.

Plurimum ipſum juvero] *Hittorp.* tueor. *Pal. ſext.* juero.

Duriore conditione] *ſic Victor. ed. vulg.* duriori conditione. *Amſtelodam.* tutiori conditione.

Proprieque tuum] *tres Guilielm.* propriumque tuum.

v Kal. Sextiles ex caſtris] *in Pal. pr. Amſtelodam. nonnulliſque aliis, quos vidit Corradus, ſcribitur* v Kal. ex caſtris.

EPIST. XXV.

Navare operam] *al.* operam navare.

Rebuſque maximis] *Hittorp.* maturis. *& ſic ille liber fere ſemper.*

P. 125. Nihil videris melius] *al.* nihil videris neque melius.

Operam tuam, navitatem, animum] *Amſtelod.* nativitatem, animum. *al.* maturitatem, animum. *al.* tuam navatam, animum.

Celeritati præturæ anteponendam] *ſic mſs. alii* anteponendum.

Idque ipſius Planci teſtimonio] *Palat. ſext.* quod ipſius Planci teſtimonio. *Hittorp.* idque ipſius teſtimonio.

Præterea fama ſcientiaque omnium] *al.* p. f. ſententiaque o.

Id maximo opere cenſeo] *ſic Amſtelod. duo Guilielm. Vict. ed. vulgo*, id maximopere cenſeo perſequendum.

Quid honeſto anteponendum] *v. c. N. Scalſ.* quid honeſto melius anteponendum.

Sin autem ſatisfactum reip. putas] *Hittorp. & Pal. ſext.* ſin autem ſatisfactum officio, reip. ſatisfactum putas.

Quum mature futura ſunt] *ſic Victor. Pall. omnes, omnes Guilielm. & quos Gravius vidit*, quando mature futura ſunt. *al.* quoniam mat. f. ſ.

Tamen ſplendidiorem petitionem tuam] *ſic Hittorp. Stewech. Palat. ſext. Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. vulgata*, tamen ſplendidiorem petitionem tuam fore.

P. 126. Arbitrabar non ita neceſſe] *ſic Stewech. & Vict. ed. al.* non ita neceſſe arbitrabar. *Pal. ſext.* non ita arbitrabar neceſſe.

Domi meæ] *Stewech.* domui meæ.

Et Cæcina] *Pal. ſext. Victor. ed.* & Cecina. *Amſtelod.* & Cecinna.

Omnibus probari videatur] *ſic mſs. & Vict. ed. al.* omnibus videbatur probari.

EPIST. XXVI.

S. D. FURNIO] *ſic mſs. Hittorp. Stewech. Amſtelod. Mentel. vulg.* S. D. C. Furnio.

Quibus declarabas] *Pal ſext.* quibus dictabas.

Aut omittendos Narbonenſes] *Pal. ſext.* aut obmittendos Narbonenſ. *qui ultimus cum Hittorpiano* Narbonenſis. *al.* aut dimittendos Narbonenſes.

Stomachatus ſum in extremo] *Stewech.* in extremis.

Cito te] *ſic Hittorp. & Pal. ſext. deeſt* te.

O mi Furni] o *deeſt in Stewech.*

P. 127. Domi tuæ ſis, ne cum maximo periculo] *vid. Not.*

Non arbitror te ita ſentire] *v. c.* iſta ſentire.

Omnis enim tuos] *ſic Hittorp. vulgo*, omnes e. t.

An proxima] *Hittorp.* an proxuma.

Quum ex his pendes] *in Hittorp. Pal. ſext. ed. Victor. ſed Amſtelod. aliique mſs. cum vulgatis*, quando ex his pendes.

In Januar. menſem protrudimus] *ſic Vatic. Stewech. Amſtelod. Pal. prim. Vict. ed. al.* protendimus. *Hittorp.* producimus. *vid. Not.*

EPISTOLA XXVII.

CICERO LEPIDO SALUTEM] *al.* M. T. C. M. Lepido S. P. D. *Hittorp.* Cicero H. Lepido.

Pro ſumma erga te benevolentia] *ſic Pall. pr. & ſext. Amſtelod. Vict. ed. al.* pro mea ſumma erga te benevolentia.

Cum eſſes ab eo ordine ornatus ſummis honoribus] *duo Guilielm. aliique codd. nonnulli*, cum eſſes quotidie ab eo ordine o. ſ. h.

Inter civis] *ſic Hittorp. & Pal. ſext. vulgg.* cives.

P. 129. Eam ſi a ſervitute ſejungis] *ſic Hittorp. Pal. ſext. Mentel. Victor. ed.*

ſed Amſteled. Grav. ſec. cum vulgg. pacem eam ſ. a. ſ. ſ. *Stewech.* pacem eam ſ. a. ſ. ſejunges.

Reſtitutura eſt] *Pal. prim. & Amſtel.* reſtituere eſt. *Palat. ſext. & Grav. ſec.* reſtitura eſt. *Mentel.* reſtituta eſt.

Hoc animo ſcito omnes ſanos] *ſic Amſteled. Palat. ſext. Mentel. Grav. ſec. & Vict. vulgg.* hoc animo ſcito eſſe omnes ſanos.

Sapientius facies] *Hitterp. & Palat. ſext.* ſapientius faceres.

Non interpones] *Pal. prim. & ſext. Hittorp. Stewech. Amſteled.* non interponeres.

Neque ſenatui, nec populo, neque cuiquam bono] *ſic Amſtelod. Hittorp. Pal. ſext. vulgo*, neque ſenatui, neque populo, neque cuiquam bono. *alii libri vetuſti*, neque ſenatui, neque populo, nec cuiquam bono.

Aut certior fies litteris] *Hitterp.* aut fies certior litteris.

Quid optimum factu ſit videbis] *Hittorp.* quid optimum factu videbis.

EPIST. XXVIII.

CICERO TREBONIO SAL.] *ſic Hittorp. Amſteled. aliique. vulgo*, M. T. C. Trebonio S. D.

Seductus eſt] *deeſt in Stevvech.* eſt.

P. 130. Interdum, quod mihi vix fas eſt] *deeſt in Stevvech.* interdum.

Cum civi acerrimo] *ſic Hittorp. & Vict. ed. al.* cum cive acerrimo.

Totam remp. ſum complexus] *Q. V. C.* ſum complexus totam remp. egique.

Spem primum populo Romano attulit] *Stevvech.* ſpeciem primum populo Romano attulit.

Libertatis recuperandæ] *Q. V. C.* reciperandæ.

Male ſentientes] *MS.* male ſentientis.

In Servis] *Hittorp. & Palat. ſext.* in ſervitio.

Puer egregius Cæſar] *ſic Victor. ed. vulgo*, egregius puer Cæſar.

P. 131. Plura ſcribam ſi plus otii habuero] *ſic Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. Palat. ſext. Vict. ed. vulgg.* plura ſcribam cum plus otii habuero.

EPIST. XXIX.

CICERO APPIO SAL.] *ſic Amſteled. Hittorp. aliique. nonnulli libri & edd.* Cicero S. D. Ampio Balbo. *ſic Manut.*

Credo te cognoſſe] *ſic Hittorp.* (*niſi quod pro te & legat, & Stevvech. at Amſtelod.* te &) *Amſtelod. Pal. prim. & ſext. Vict. ed. vulgo*, credo te cognoſcere. *Stevvech.* te cognoſce.

Certo ſcio] *Stevvech.* certe ſcio.

EPIST. XXX.

GALBA CIC. SAL.] *vid. Not.*

XVII Kal. Maji] *vid. Not.*

In caſtris Hirtii erat futurus] *Vatic.* in caſtris & Hirtii. *Stevvech. & Grav. ſec.* in caſtris & Hirtius. *Mentel.* in caſtris Hirtius. *prim Pal. & Amſtelodam.* in caſtris Hircius.

P. 133. Millia paſſuum centum] *ſic Mentel. & Grav. ſec. pluresque alii. ſed Amſtelod. aliique vetuſtiores libri*, milia paſſus centum.

Quintam trigeſimam] *ſic Hittorp. Stevvech. Palat. ſext. Amſtelodam. Vict. ed. vulgg.* trigeſimam quintam. *mſſ. nonnulli*, quintam triceſimam.

Alteram Silani evocatorum partem] *ſic Pal. prim. & ſext. Hittorp. Amſteled. Mentel. niſi quod hic* Sillani *ſcribat. Stevvech.* alteram S. illam, & evocatorum partem. *Grav. ſec.* alteram Sillam & e. p. *vulgg.* alteram Sillani & evocatorum partem.

Quattuor legiones tironum habere ſolum arbitrabatur] *Stevvech.* quattuor legiones tironum ſolum arbitrabamur. *Amſteled.* quattuor legiones tironum habere ſolum arbitrabamur.

Quo tutius venire in caſtra poſſemus] *Hittorp.* q. t. in caſtra venire poſſemus.

Quum eas retinere non poteramus] *ſic Vict. ed. vulgg. & mſſ. quidam*, quando eas retinere non poteramus. *Hittorp. & Palat. ſext.* quoniam retinere eas non potueramus. *Mentel. quoque* potueramus.

Tantum equitatum & levem armaturam oſtendebat] *Hittorp.* tantum levem arma-

armaturam oſtendebat. *Amſtelod.* tamen equitatum & l. a. o.

P. 134. Repente in aciem Antonius ſuas copias] *ſic Palat. prim. & ſext. Hitterp. Stevvech. Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. Vict. ed. vulgo*, cum repente in aciem Antonius ſuas copias. *Stevvech.* c. r. in acies A. ſ c.

Sine mora concurrit] *al.* ſine mora cucurrit.

Primo ita pugnatum eſt] *Stevvech.* primo itaque pugnatum eſt. *Amſtelod.* prima itaque pugnatum eſt.

Et ſi dexterius cornu] *ſic Vatic. quatuor Guilielm. duo Pall. Amſteled. Mentel. Grav. ſec. Vict. ed. vulgg.* ſed dexterius cornu. *al.* & ſic dexterius cornu.

Amplius paſſus * ultra aciem] *Mentel. & duo Manut. mſſ.* amplius paſſus quingentos ultra aciem. *al.* e. paſſus ducentos. *al.* amplius paſſus centum.

Cornu circuire] *MSS. quid.* cornu circum ire. *hic & paullo poſt* circum ibatur *idem ſcribunt* pro circuibatur.

Quod cito ſum a noſtris cognitus] *Hitterp. Stevvech. Pal. prim. & ſext.* quod ſum cito a noſtris cognitus.

P. 135. Quo vel plurimum valet] *in Stevvech. deeſt* vel.

Copiaſque ejus omnes delevit] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulg.* copiaſque omnes ejus.

Fugavit, eodemque loco] *ſic Vatic. Hitterp. Amſtelod. Victor. ed. Mentel.* fugavit, eo denique loco. *vulgg.* fugavitque eodem loco.

Vbi erat pugnatum ad Forum Gallorum] *Amſtelod.* ubi erat fugatum ad forum Gallorum.

Cohortium prætorianarum] *ſic Vat. Hitterp. Vict. ed. ſed Amſtel. Mentel. cum vulgg.* cohortium prætoriarum.

Signa ſexaginta] *Stevvech.* xl ſigna.

A. D. XII Kal.] *al.* ad XII Kal.

EPIST. XXXI.

Minime mirum tibi debet videri] *Hitterp. & Pal. ſext.* minime tibi mirum debet videri. *al.* minime mirum debet tibi videri.

P. 136. Ne moveare ejus ſermonibus] *ſic Hitterp. Pal. ſext. & prim. Amſtelod. & Vict. vulgg.* ne moveat ejus ſermonibus.

Nequaquam proinde ac dignus eſt] *ſic Vatic. Hitterp. Stevvech. Amſtel. Pall. duo. Vict. ed. vulg.* nequaquam perinde ac dignus eſt.

Adeo eſt enim inviſus mihi] *Hitterp. & Pal. ſext.* adeo enim inviſus eſt mihi.

In quibus plane tutum] *Stevvech.* in quibus tutum.

Ita feci] *in Stevvech. deeſt* ita. *alii*, ita geſſi.

Atque ita feci] *ſic prim. & ſext. Pal. Amſtelod. Victor. ed. Hitterp.* atqui ita feci. *vulgg.* id ita feci.

Injuſtiſſima invidia] *Amſtelod.* inivitiſſima invidia.

P. 137. Aut refugiam aut deprecer] *v. c.* aut fugiam aut deprecer. *al.* defugiam.

Litteris præceperant mihi] *v. c.* litteris ſuis præceperant mihi.

Si cetera tranſiſſem] *Amſtelod.* ſi cetera tranſirem. *non male. Pal. ſext. marg.* ſic etera.

Alpes poteram tranſvolare] *Palat. ſext.* Alpis poteram tranſvolare. *mſt.* travolare.

Præſidio illius tenentur?] *ſic Amſtelod. Pal. ſext. Vict. ed. vulg.* tenerentur.

Nulla conditione potuerunt] *Hitterp.* nulla potuerunt conditione.

Retinentur a Lepido] *Hitterp.* retinentur ab Lepido.

Nemo vocabit in dubium] *Pal. prim. & ſext.* nevocabit in dubium. *Amſtelod. Mentel.* ne vocabit in dub.

Niſi qui a ſenatu] *Hitterp.* ab ſenatu.

Miſſus veniſſet] *Mentel.* veniſſem.

Legione trigeſima] *al.* triceſima.

Habuerim conciones] *al.* contentiones.

P. 138. Quidquam putare] *ved. Nat. vulg.* quidquam putare eſſe.

Quare eum me exiſtima] *ſic mſt. vulgg.* quare me eum exiſtima.

Omnes cives] *Hitterp.* o. civis.

Vindicare in libertatem] *Hitterp. & Stevvech.* v. in libertate.

In tuorum numero habes] *ſex mſt. delent* in.

Quæres quanti exiſtimem] *ſic Vat. Hittorp. Palat. prim. & ſext. ſed Stewech. Amſtelodam. Mentel. Grav. ſec.* quas res quanti æſtimem. *Mentel. & Stewech.* exiſtimem. *Lambin.* quæres, quanti æſtimem.

Abs te diſceſſurus] *Palat. ſext.* abs te receſſurus.

Illud vehementer admiror] *al.* miror.

Manendo in provincia] *ſic Pal. ſext. Stewech. Amſteledam. Mentel. Grav. ſec. Vict. ed. vulgo*, manendo in provinciane. *Lambin. conjicit*, manendone in provincia.

Quas Panſæ miſi] *Stewech.* quas Panſa mihi. *al.* q. Panſa mihi miſit.

Nam tibi earum exemplar] *ſic Stew. Hittorp. aliique cum Vict. ed. vulgg.* nam earum tibi exemplar miſi.

XVII Kal. April.] *Hittorp.* XV Kal. April.

Cordubæ] *al.* Corduba.

EPIST. XXXII.

P. 139. Majore argenti coacto] *Stewech.* majore argento coacto.

In regnum Bogudis] *Stewech.* Bogutis.

Utrum Gadis referatur] *ſic Hittorp. vulgo*, utrum Gades referatur.

Turpiſſime conſilia mutat] *Hittorp.* turpiſſime mutat conſilia.

Anulo aureo] *ſic Pal. prim. & ſext. & Vict. ed. vulgo*, annulo aureo.

In XIIII] *ſic Amſtelodam. Mentel. Pall. duo. Vict. ed. vulgo*, in quartum decimum.

P. 140. Gladiatoribus] *ſic Amſtelod. pluresque alii vett. codd. vulgo* gladiatoriis.

P. 141. Fadium quendam] *Hittorp.* ob Fabium quendam.

Auctore ſe ſe] *ſic Hittorp. Amſtelod. Vict. ed. vulg.* auctorari ſe ſe nolebat.

Collecti enim lapides ſunt in eum] *ſic tres Guilielm. duo Pall. Amſtel. Grav. ſec. vulgg.* conjecti enim ſunt lapides in eum.

Cum arriperetur Fadius] *Hittorp. Stewech. Pal. ſext. & prim. Mentel.* cum abriperetur Fadius. *Amſtelod. & Grav. ſec. ſtant pro vulgata.*

Inambularet] *Stewech.* ambularet.

C. R. natus ſum] *ſic tres Guilielm. ſext. Palat. Amſtelod. Mentel. Grav. ſec. vulg.* civis Romanus ſum.

P. 142. Civis Romanos] *ſic Hittorp. vulg.* cives Rom.

Circulatorem quendam auctionum] *Hittorp. Stewech. & Amſtelod.* circumlatorem quendam auctionum. *Vict. ed. & Grav. ſecund. mſ.* circulatorem actionum. *vid. Not.*

Cum hujuſcemodi portento res mihi fuit] *ſic Hittorp. Stewech. Palat. prim. & ſext. Amſteled. vulgg.* cum hujuſmodi p. r. m. f.

Nunc, quod præſtat] *al.* reſtat. *vid. Not.*

Arceſſiſſet] *ſic mſſ. vulg.* acceſſiſſet. *al.* acceſiſſet.

Quingenos denarios] *MS.* denarios quinquagenos.

Nos hic (tamen ad te ſcribam aliquid) D. Sullam patrem] *ſic Hittorp. Stewech. Vat. & Vict. ed. al.* tamen ad te ſcribam aliquid. Nos hic D. Syllam patrem.

D. Sullam] *al.* P. Syllam.

Alii a latronibus, alii cruditate dicebant] *Q. V. C.* alii a latronibus interfectum, alii.

Alii

Alii cruditate] *Hittorp. & Peck.* alii crudelitate.

Enim eſſe conſtabat] *al.* tamen eſſe conſtabat.

Hoc tu pro ſapientia tua feres] *Q. V. C.* hoc tu pro tua ſapientia feres.

Quanquam πρόσωπον τέλειας amiſimus] *Pal. primus*, quanquam πρόσωπον καλὸν ϗ αὐτὸ αἱρετόν. *al.* πρόσωπον καλὸν ϗ αὐτὸν αἱρετὸν (*faciem pulchram & ipſam optabilem, Corrad.*) *al. legunt*, πρόσωπον καλῦ (*faciem pulchri ſive honeſti, Corr.*)

Ne haſta refrixiſſet] *Hittorp.* ne haſta refrixeret.

A. d. III Kalend. Jan.] *ſic Hittorp. Pal. prim. & ſext. vulgo*, ad III Kalend. Jan.

Si ἀκατάσπονδος fueris] *ſic mſſ. al.* ſi ἀχρεῖος πίλος fueris. *vid. Not.*

EPIST. XVIII.

P. 418. Si φλύαρον aliquem habuiſſet] *al.* φαιδρόν aliquem. *vid. Not. pro* habuiſſet *Lambinus conjicit ſcribendum* habuiſſem.

P. 419. Ubi igitur, inquies, philoſophia tua? quidem in culina mea] *ſic mſſ. vid. Not.*

P. 420. Itaque facio] *al.* itaque ſcito *legunt.*

EPIST. XIX.

Paludatum ex urbe exiſſe] *Pal. pr. Stewech. Vatic. alii*, paludatum exurrexiſſe.

P. 421. Perſuadere hominibus] *ſic mſſ. & Vict. ed. al.* hominibus perſuadere.

Ἡδονὴν vero & ἀταραξίαν] *al.* ἡδονὴν vero & ἀναλγησίας (*voluptatem - - indolentiam, Corr.*) *al.* δι' ἀξίαν (*propter dignitatem, Corr.*) *vid. Not.*

Et verum & probabile eſt] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulg.* & verum & præterea probabile eſt.

P. 422. Omnes Catii & Amafinii] *vid. Not.*

Iis qui a nobis φιλάνδροι] *Hittorp. & Man. ed.* qui a vobis φιλάνδροι.

Φιλόκαλα ϗ] *hæc verba deſiderantur in Hittorp. Pal. ſext. & prim. Vict. ed.*

Non quæſiit] *ſic Vatic. & Victor. ed. al.* non quæſivit.

Omnia bona coëmit] *ſic mſſ. vulgg.* & omnia bona coemit.

Forti mehercules] *ſic mſſ. al.* forti mehercule.

Habet damnatos] *al.* domi natos.

P. 423. Sectorem deſiderabit] *Hittorp.* ſectatorem deſiderabit.

Nunc ut ad rempublicam] *Stewech.* nunc ad remp. redeam.

Ac malo veterem] *Stewech.* aut malo veterem.

EPIST. XX.

P. 424. Quum ad amorem meum aliquantum olim diſcedens addidiſti] *ſic Pal. prim. & ſext. Hittorp. Stew. unus Gulielm. Amſtel. Vict. ed. vulgo*, quando ad amorem meum aliquantulum olim diſcedens addidiſti. *vid. Not. Man.*

Quo tolerabilius] *forte* tolerantius. *Lambin.*

Nunc tu nobis ſcribas oportet] *Peck.* nunc te nobis ſcribere oportet.

Nunc hæc primo cupio cognoſcere] *Hittorp. & Pal. ſext.* nunc hæc prima cupio cognoſcere.

Iter tuum cujuſmodi ſit] *Q. V. C.* tuum iter c. ſ. *Stewech. & nonnulli editi*, iter tuum cujuſmodi ſit ad nos.

Ubi Brutum noſtrum videris] *Hittorp.* utrum Brutum noſtrum videris.

EPIST. XXI.

P. 425. Hunc accepi dolorem] *Lambin.* hunc cepi dolorem.

Quum incendiſſes cupiditatem] *Hitt.* cum accendiſſes cupiditatem meam.

Inimicitias communicaſti] *Pal. pr. & ſext. Hittorp.* inimicitias communicaviſti.

In mea atque in publica cauſſa] *Hittorp.* in m. atque publ. c.

Conſulum partes ſuſcepiſti] *Stevv.* conſilium partes ſuſcepiſti.

Cum ad te curæ] *Pal. ſext.* quam ad te curæ.

P. 426. Quæ mihi tanti æſtimanda ſunt] *Pal. ſext.* quæ mihi tanta æſtimanda ſunt.

Quanti vitam æſtimo] *Palat. ſext.* quantam vitam æſtimo.

Quod aliis fortaſſe non item] *Stevv.*

& Pal. ſext. quod alii fortaſſe non item.

Sive faceta ſunt] *Q. V. C.* ſive faceta ſint.

Sive ſic fiunt] *ſic Pal. ſext. Hittorp. Stevvech. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* ſive ſecus fiunt.

De me tamdiu cogitaſſes] *ſic Hittorp. al.* cogitaviſſes.

Quæ ſcriptura perſecutus es] *Stevv.* quæ ſcripta perſecutus es.

Quod ita judicabam] *al. legunt*, ita judicabam quod.

Quo valebat] *Stevvech.* quod valebat.

Tamen aſſequebatur] *Peck.* tamen exequebatur.

Ad eam igitur adhortabar] *al.* ad eam igitur hortabar.

Quem cohortere] *Hittorp.* quem cohortare.

P. 427. Tuam profectionem] *Peck.* ut tuam profectionem.

Colam, omne deſid.] *al.* c. commune deſiderium.

Multum tecum recordere] *Pal. pr. & ſext.* multum tecum recordare.

Mihi nefas ſit obliviſci] *Q. V. C.* mihi ſit nefas obliviſci.

LIBER XVI.

ORDO EPISTOLARUM.

		Manut. & Pariſ. edit.
1	Paullo facilius.	Vide quanta ſit in te.
2	Non queo ad te.	Septimum jam diem.
3	Nos apud Alyziam.	Paullo facilius.
4	Varie ſum affectus.	Non queo ad te.
5	Vide quanta ſit in te.	Nos apud Alyziam.
6	Tertiam ad te ſane.	Varie ſum affectus.
7	Septimum jam diem.	Tertiam ad te hanc.
8	Magnæ nobis eſt ſollic.	Magnæ n. e. ſ.
9	Nos a te, ut ſcis.	Nos a te, u. ſ.
10	Ego vero cupio.	Etſi opportunit.
11	Etſi opportunitatem.	Quo in diſcrim.
12	Quo in diſcrimine.	Ego vero cupio.
13	Omnia a te data.	Ægypta ad me v.
14	Andricus poſtridie.	Menandrus poſtrid.
15	Ægypta ad me venit.	Omnia a te.
16	De Tirone mi Marce.	De Tir. mi M.
17	Video quid agas.	Video quid a.
18	Quid igitur?	Quid igitur?

EPIST. I.

M. T. C. ET CICERO MEUS] *al.* Tull. & Cic meus. *omiſſis* M. C.

Qui a te diſceſſerim] *Lamb.* qui abs te diſc.

Neque nunc muto] *Palat.* neque nunc mitto.

Sin autem poſtea] *ſic Pal. prim. & ſext. & Vict. ed. vulg.* ſin poſtea.

Videris tibi me poſſe conſequi] *Pal. prim. ſext. Vict. ed.* videris tibi poſſe me conſequi.

Si tu morarere] *Hittorp. Pal. ſext.* ſi tu morareris.

Si autem intelliges opus eſſe] *ſic Pal. ſext. Amſtelod. Victor. ed. vulgg.* ſin intelliges opus eſſe.

Paullum commorari] *Peck.* pullum commorari.

Leucade conſequere] *Q. V. C. ut & Pal. ſext.* Leucade conſequeris.

Hæ litteræ] *Pal. ſext.* hæc litteræ.

Maxime obtemperari] maxime *deeſt in Hittorp. & Pal. ſext.*

EPIST. II.

TIRONI SUO] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgo*, Tironi, *omiſſo* ſuo.

Apud Alyziam] *Pal. ſext.* apud Aliziam. *Peck.* apud Aluciam, *& ſic ſemper.*

EPIST. III.

TULL. ET CIC. TIRONI S. O. S. D. ET Q. PATER, ET Q. FIL.] *al.* Tull. & Cic. & Q. pat. & fil. S. D. Tir. ſuo.

Unum diem commorati ſumus] *Hitt.* ut unum diem commorati ſumus.

Is dies fuit Nonæ Novemb.] *Q. V. C.* is enim dies fuit.

P. 431.

P. 431. Tua cauſſa primum volo] *Beck.* tua cauſſa volo primum.

EPIST. IV.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S.] *al.* Tull. Tironi ſuo S. D. & Cic. & Q. Pat. & Q. F.

Varie ſum affectus] *Pal. ſext.* valde ſum affectus.

Pagina perturbatus] *Pal. ſext.* priore pagina deturbatus.

Quoad plane valeas] *Pal. pr.* quod plane valeas.

Satis te mature videro] *al.* ſatis enim te mature videro.

Cum κακοςόμαχος] *Pal. ſext.* quem κακοςόμαχος. *Pal. prim.* quum κακοςόμαχος.

P. 432. Sed eum tu laudas] *Hittorp. & Pal. ſext.* ſed eum tu laudaſti.

Tu igitur quid faciendum] *Pal. pr. & ſext.* igitur quid faciendum.

Sumtui ne parcas] *Hittorp. Pal. ſext. Vatic.* ſumtu ne parcas.

Qua ad valetudinem] *Palat. prim. ſext. Vict. ed.* quod ad valetudinem. *al.* quæ ad valetudinem.

Quod dixiſſes, daret medico] *Pal. ſext.* quod dixiſſes dare medico. *Lambin. conjicit*, quod dixiſſes daret. medico ipſi.

Aliquid dandum eſſe] *Hittorp. & Pal. ſext.* dandum aliquid eſſe.

Meſcinio] *Pal. ſext.* Meſſinio.

Jam feſtinare volo] *Pal. ſext.* tam te feſtinare volo. *Lambin.* jam te feſtinare volo.

Adhuc, dum mihi nullo loco] *unus Guilielm.* adhuc cum mihi.

Corpori ſervi] *Vat.* corpori ſervite.

Vale, vale, & ſalve] *Pal. ſext.* vale & ſalve.

EPIST. V.

TULL. ET CIC. ET. Q. Q. TIRONI HUM. ET OPT. S. P. D.] *al.* Tull. & Cic. F. & Q. S. D. Tir. hu. & opt. *al.* M. T. C. & Cic. F. Tir. hu. & opt. S. P. D. *al.* M. T. C. & Cic. F. & Q. fr.

Vide quanta ſit in te ſuavitas] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgg.* quanta in te ſit ſuavitas.

Quam ſi vixerit tecum] *Hittorp. & Pal. ſext.* quaſi vixerit tecum. *Q. V. C.* quam vixerit tecum.

Ut te Leucadem deportares] *Venet. Vatic. Pal. prim. & ſext. Victor. ed.* ut te Leucadem deportaret. *Hittorp.* ut te Leucadem adportaret.

Marionem remittere] *Hittorp.* volebam ad te Marionem mittere.

Ad me mitteres] *Hittorp. & Palat. ſext.* ad me remitteres.

Ut quotidie ſit Acaſtus] *Hittorp.* ut quod cottidie ſit Acaſtus.

P. 434. Leucade proficiſcens] *Pal. ſext.* Leucadem proficiſcens.

VII Idus Novemb.] *hæc verba deſunt in Hittorp. & Pal. ſext.*

EPIST. VI.

M. TULL. CIC. PAT. ET FIL. ET Q. Q. TIRONI S. D.] *al.* Tull. & Cic. & Q. Q. S. D. Tir. *al.* Tull. & Cic. & Q. & Q. F. Tir. S. P. D.

Eodem die] *ſic Hittorp. Peck. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* eadem die.

Quam quo haberem quid ſcriberem] *ſic Hittorp. & Victor. ed. al. Guilielm.* quam quo haberem quod ſcriberem. *vulgg.* quam quod haberem, quid ſcriberem.

Quum non contigit] *ſic Pal. ſext. & Victor. ed. vulgg.* quando non contigit.

EPIST. VII.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.] *al.* Tull. & Cic. S. D. Tir. S. *al.* M. T. & Cicero F.

Quinctus autem Pater & filius] *Palat. prim. & ſext. & Victor. ed.* Quinctus autem frater & filius.

Nihil a te litterarum. iis] *al.* n. a te litt. his. *al.* n. a. t. litt. dari. his.

Qui ſi eſſent] *quadam edd.* qui ſi non eſſent.

Qui te non diligat] *Hittorp.* qui te non diligit.

Tiro noſter] *hæc verba deſunt in Hittorpiano.*

xv Kalend. Nov.] *Hittorp.* A. v K. Novemb. *al.* xv Cal. Dec.

Corcyræ] *Hitt. & Pal. ſext.* Corcyra.

EPIST. VIII.

Q. CICERO TIRONI S.] *al.* S.D. *al.* M. T. C. Tironi.

Magnæ nobis eſt ſollicitudini] *Peck.* magnæ eſt nobis ſollicitudini.

P. 436. Ingens ineſt ſollicitudo] *Peck.* ingens eſt ſollicitudo.

Si diutius a nobis afuturus eſt is] *ſic mſt. vulgo*, abſuturus. *Amſtelod. & Peck.* ſi diutius nobis futurus es is. *Hittorp. & Pal. ſext. Peck.* ſi diutius a nobis futurus es is.

Videre te tota cogitatione] *Hittorp.* videre de tota cogitatione.

Cupio] *Pal. prim.* percupio.

Ne te tam longæ navigationi] *Q. V. C.* ne tam longæ navigationi.

Λοιπῷ ἰῷ χερσὶ] *Pal. prim.* λοιπῇ χερσί.

Singula teſtimonia puto] *Q. V. C.* ſingula ejus teſtimonia puto. *ſic & Palat. prim. Peck. Vict. ed.*

Q. F.] *al.* Q. Frater.

Tibi ſalutem dicit] *ſic mſt. & Victor. ed. vulgg.* tibi ſalutem plurimam dicit.

EPIST. IX.

A. d. IIII Non.] *ſic Hitt. vulgg.* ad IIII Non. *& ſic ſemper in hac epiſtola.*

Uſque ad XVI Kal. Decemb.] *Lambin.* uſque ad XV Kal. Decemb.

P. 437. A portu Corcyræorum] *Hitt. Pal. ſext. Amſtel. Mentel. Grav. ſecund. Vict. ed.* in portum Corcyræorum.

Ad Caſſiopen] *al.* ad Caſſiodem. *al.* ad Caſſiopem.

Retenti ventis ſumus] *Palat. prim.* retenti veniſſemus.

Uſque ad IX Kalendas] *Lamb.* uſque ad a. d. IX Kal.

Multi naufragia fecerunt] *Hittorp.* multa naufragia fecerunt.

Nocte illa] *Hittorp.* nocte ex die illa.

Et die poſtero] *Hittorp.* & die poſtera.

Moleſtia valde levarunt] *Hittorp.* moleſtia valde levaverunt.

Plane confirmat] *al.* ſane confirmat.

Nunc quid ego te horter] *vid. Not.*

Scio te omnia facturum] *Q. V. C.* ſcio omnia te facturum.

P. 438. Ne in quartam hebdomadam incideres] *Vict. ed.* hebdomada. *al.* hebdomadem. *Amſtelodam.* ne in quartam edomadam incederes.

Sed quum pudori tuo maluiſti obſequi] *ſic Victor. ed. vulgg.* quando pudori tuo maluiſti obſequi.

Equum & mulum] *Palat. ſext.* metum & mulum. *Hittorp.* medicum & mulum.

Ut te hoc togem] *Hittorp.* ut hoc te togem. *al.* ut te rogem.

P. 439. Incolumem præſtiteris] *Palat. ſext.* incolumem ſteteris. *Peck. & Ven.* incolumem feceris.

Noſter Tiro, vale] *Hittorp.* noſter Tiro ſalve. *Peck.* noſter Tiro vale ſalve.

EPIST. X.

Ex gravibus morbis] *Q. V. C. non habent hac verba.*

Si quæ culpa commiſſa eſt] *ſic Hittorp. Pal. ſext. & Vict. ed. vulgg.* ſi qua culpa commiſſa eſt.

Jam ad id biduum] *Hittorp.* jam ad illud biduum.

Dum in Cumanum veneris] *Palat. prim. & ſext. & Victor. ed.* dum in Cumanum venis.

Para ut operas reddas] *Hittorp. & Pal. ſext.* ut operas noſtras reddas.

Ad diem dictam fient] *Hittorp. Peck. Pal. prim. & ſext.* ad diem dicta fient.

P. 440. Nos adſumus] *al.* ad ſummum.

XIIII Kal.] *al.* XIV Kal. Jan. *al.* IX Kal. Jan. *Pal. ſext.* XIV Kal. Feb.

EPIST. XI.

M. T. ET C. TERENT. ET TULLIA, QU. FR. ET QU. F. TIRONI S. P. D.] *al.* Tull. & Cic. Ter. & Tull. Q. Q. S. D. Tir. *al.* M. Tull. & Cic. & Terentia, Tull. Q. & Q. F. Tir. S. D.

Quum in quartanam converſa vis eſt morbi] *ſic Vict. ed. vulgg.* quando in q. c. v. e. m. *Hittorp* quando i. q. converſa eſt vis morbi.

Sic enim ſcribit Curius] *Hittorp.* ſic enim ſcripſit Curius.

Ut nihil poſſit fieri ornatius] *vide Notas.*

P. 441. Impedimento mihi fuerunt Omnino & ipſe Cæſar] *Pal. ſext. & prim.*

prim. Amſtelod. Hitt. & Vict. ed. impedimento mihi fuerunt omnino. Et ipſe Cæſar.

Qui Proconſules ſumus] *al.* qui Proconſ. ſumus.

Ne quid reſp. detrimenti] *V. C.* ne quid detrim. reſp.

Majori in periculo] *Lamb.* majore in periculo.

Paratiorem ducem. Omnino ex hac quoque parte] *ſic Pal. prim. ſext. Vict. ed. vulgg.* paratiorem ducem omnino. Ex hac q. p.

Diligentiſſime comparatur] *ſic Pal. Hitterp. Peck. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* diligentiſſime bellum comparatur.

EPIST. XII.

P. 442. Atque univerſæ reip. ex eo ſcire potes] *Hitterp.* atque univerſæ reip. & ſenatus ex eo ſcire potes.

Ut niſi qui deus] *ſic Vatic. Pal. ſext. Vict. ed. vulgg.* ut niſi quis deus.

Vel caſus aliquis] *Q. V. C.* aut caſus aliquis.

Equidem ut veni ad urbem] *Hitterp.* & quidem ut veni ad urbem.

Invaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam his] *ſic mſſ. niſi quod nonnulli* iis. *vulg.* invaſerat furor non ſolum improbos, ſed etiam hos. *vid. Not.*

P. 443. Qui boni habentur] *Hitterp.* qui boni habebantur.

Arretium occupaviſſet] *Hitterp.* Aritium. *Lamb.* occupaſſet.

Oblitus nominis atque honorum ſuorum] *al.* o. n. a. bonorum ſ.

Quo quidem in caſu ſimus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo] *Lamb.* quo in caſu ſimus vides. Feruntur omnino quidem condit.

P. 444. Confidio Noniano] *al.* Confidio Noviano.

Neque ſe jam velle abſente ſe rationem haberi ſui] *ſic Amſtelod. Pal. pr. & ſext. Vict. ed. vulgg.* neque jam velle, abſente ſe, rationem h. ſ. *Pal. ſext.* haberi ſuam.

Se præſentem trinundinum] *Hitterp.* ſe præſente trinundinum.

Accepimus conditiones] *Hitterp.* accipimus conditiones.

Spes eſt pacis non honeſtæ. leges] *al.* ſ. e. p. non enim honeſtæ leges.

Sin autem ille ſuis conditionibus ſtare noluerit] *ſic Pal. prim. ſext. Hitterp. Vict. ed. al.* iuſtare nol. *vulgg.* ſin autem ille conditionibus ſtare voluerit.

Quod ſuſtinere ille non poſſit] *ſic mſſ. & Vict. ed. vulgg.* quod ille ſuſtinere non poſſit.

Ut eum includamus] *Hitterp.* ut eum intercludamus.

Sperabamus fieri poſſe] *Hitterp.* ſperabamus poſſe fieri.

Dilectus enim magnos] *al.* delectus enim magnos.

Ex Hiſpaniaque ſex legiones] *Hitt.* ex Hiſpania tres legiones.

Habet a tergo] *Hitterp.* habemus a tergo.

Poſſe opprimi] *Hitterp.* poſſe obrui.

Modo ut urbe ſalva] *deeſt in Hitterp.* modo urbe ſalva.

In illius exercitu habebat] *v. c.* in ejus exercitu habebat.

Socius ſceleris eſſe noluit] *Hitterp.* ejus ſocius ſceleris eſſe noluit. *alius v. c.* ſocius ejus ſceleris e. n. *Pal. ſext.* ſocius ſceleris eſſe nolebat.

P. 445. Cave ne te perturbent] *ſic Hitterp. Pal. prim. & ſext. Vatic. Vict. ed. Amſtelod.* quæ cave te ne perturbent. *vulgg.* cave te perturbent.

Quem cum amantiſſimum mei] *ſic Vict. ed. vulgg.* quem tum amantiſſimum mei.

Quum eo tempore] *ſic Vict. ed. Pal. ſext. vulgg.* quando eo tempore.

Quo ego maxime operam] *forte,* quo ego tempore maxime operam. *Lambin.*

Ad te litteras tanta hieme] litteras *deeſt in Peck.*

Tum naviges] *Q. V. C. non habens* tum.

EPIST. XIII.

Vale IIII Idus April.] *Hitterp.* Vale VII Idus April. *in Pal. ſexto hæc verba non reperiuntur, nec in Mentel.*

EPIST. XIV.

P. 446. Andricus] *Palat. tert.* Menandrius. *al.* Menander. *Amſtelodam.* Nan-

Nandricus *Mentel.* Ænandrius. *al.* Menandrus. *vide Manut.*

Plenam timoris ac miſeriæ] *ſic Hitterp. al.* plenam timoris, ac miſerius. *al.* plenam timoris ac miſeriis. *al.* plenam timoribus ac miſeriis. *ſic & Mentel. & Grav. ſec. Amſtelod.* plenam timoribus ac miſteriis.

Tuis literis nihilo certior factus ſum] *Hitterp.* tuis litteris nullo modo certior factus ſum. *Palat. tert.* tuis litteris nullo certior factus ſum.

P. 447. Ad Vmmium] *ſic mſſ. Palat. prim.* ad Mummium. *Pal. ſext.* ad Numium.

IV Idus hora ſexta] *Pal. ſext.* VII Idus April. hora ſexta. *Amſtelod.* III Id. h. III. *vulg.* IIII Idus Aprileis hora tertia. *in Hitterp.* hora III *abeſt.*

EPIST. XV.

P. 448. Tibique conſervandum] *al.* confirmandum.

Scripta jam epiſtola] *Pal. ſext. & Hitterp.* ſcripſi jam epiſtolam.

Ægyptam miſi] *Lamb.* Ægyptam remiſi.

EPIST. XVI.

Cum eum indignum illa fortuna, ac nobis amicum] *al.* quod eum ind. i. f. *Amſtelod.* eum eum ind. f. hac. *al.* cum e. i. illa fortuna, nobis am. *al.* eum e. i. illa fortuna, hac nobis am.

Ac nobis amicum, quam ſervum eſſe maluiſti] *ſic Hitterp. Pal. ſext. Vatic. vulgg.* nobis amicum, quam ſervum eſſe maluiſti.

Illius litteris perlectis] *Palat. ſext.* perlatis.

Tibi & ago gratias & gratulor] *ſic Hitterp. Amſtelod.* & tibi ago gratias, & gratulor. *vulgg.* & tibi & ago gratias & gratulor.

Statii fidelitas eſt tantæ voluptati] *al.* Statii fidelitas & frugalitas eſt tantæ voluptati.

Quanti eſſe in iſto hæc] *Hitterp.* quanti eſt in iſto hæc.

Additis litteris, ſermonibus] *Pal. prim. & ſext. Vat. Vict. ed.* additis litteris, & ſermonibus.

Quæ ſunt his ipſis commodis potiora] *Hitterp.* quæ ſunt his ipſis potiora.

Equidem, de maximis cauſis] *ſic Hitterp. Peck. Pal. prim. & ſext. Vict. ed. vulgg.* equidem maximis de cauſſis.

EPIST. XVII.

Video quid agas] *Amſtelodam.* vide quid agas.

Tuas quoque epiſtolas vis referri] *ſic Hitterp. Pal. ſext. Vatic. Victor. ed. al.* tuas quoque epiſtolas vis referam.

Ἀφελιανου] *Pariſ. edit. margo,* ἀγανακτησις.

Satis ſcis. Tu eum] *Hitterp. & Pal.* ſatis ſcire. tu eum. *Amſtelod.* ſatis ſcis. & tu eum.

Tu eum videlicet non potuiſti] *Pal. prim.* tu eum ſcilicet non potuiſti.

Nam ego hinc perendie mane cogito] *Hitterp.* perendie manere cogito.

Sed inſervi] *Lamb.* ſed ei inſervi.

Tum te mecum eſſe, tum mihi cumulatiſſime ſatisfacere putato] *Hitterp. & Pal. ſext.* tum & mecum eſſe, & mihi cumulatiſſime ſatisfacere putato. *al. pro* putato *legunt* putabo.

EPIST. XVIII.

P. 450. Dii boni] *Hitterp.* dii boni.

P. 451. Quanto mihi illud erit amabilius] *Q. V. C.* quanto illud mihi erit amabilius.

Quod tamen in modum procedit] *Mentel.* quod tamen in modum proceſſit. *Lamb.* quod tamen mirum in modum procedit. *Guilielm.* quod talem in modum procedit.

Sed ut eſt] *al.* ſed ut ut eſt.

Ἀκατιχν] *al.* ἀκάπνου.

Parthedrum excita] *Hitterp.* Parhedrum excitavi.

Vt hortum ipſe conducat] *Hitterp.* hortum ipſe conducat.

Helico nequiſſimus] *al.* Elico, *al.* Helluo, *&* Heluo nequiſſimus. *Lamb.* Salaco nequiſſimus. *al.* commovebis Helicon.

HS CIↃ] *al.* ſeſtertia ducenta.

P. 452. Nulla caſa] *Hitt.* nulla cauſſa.

Vt ego Mothonem] *Hitterp.* Mamentonem.

P. 453. An pangis aliquid] *Hittorp.* an plangis aliquid.

Fac opus appareat] *Hittorp.* fac ut opus appareat.

EPIST. XIX.

Si quid poteſt boni] *Hittorp. Palat. prim. Vict. ed.* ſi quid potes boni.

Si te id non tenet] *MSS. & Vict. ed.* ſi id te non tenet.

EPIST. XX.

Indicem cum Metrodoro lubebit] *ſic Vatic. Pal. Vict. ed. vulgg.* videlicet cum Metrodoro lubebit.

Quum ejus arbitratu vivendum eſt] *ſic Vict. ed. vulgo*, quando ejus arbitratu vivendum eſt.

EPIST. XXI.

C. FIL. TIRONI] *Hittorp.* Tullius Troni.

Quam a vobis diſceſſerant] *Hittorp.* quam a nobis diſceſſerant.

Adventus adoptatiſſimus] *al.* optatiſſimus. *al.* exoptatiſſimus. *vid. Not.*

P. 455. Ex humaniſſimi & cariſſimi patris epiſtola] *Pal. prim. ſext. Hittorp.* & humaniſſimi & cariſſimi patris epiſtolam.

Me jam non pœnitebat] *v. c.* me non jam pœnitebat.

Quare quod polliceris] *Hitt.* quare quod pollicetur iſte.

Quando igitur tum ex me doluiſti] *Pal. prim. & Vict. ed.* quod igitur tum ex me doluiſti.

Cratippo me ſcito] *Hittorp.* Gratis me ſcito.

Nam cum & audio] *forte* nam eum audio ill. *Lambin.*

Propriam ejus ſuavitatem] *ſic Hittorp. Pal. prim. & ſext. Vict. ed. vulgg.* ejus propriam ſuavitatem.

P. 456. Et cœnantibus obrepit] *al.* & jocantibus obrepit.

Quid ego de Bruto dicam] *Hittorp. & Pal. ſext.* quid ego de Brutio dicam.

Non eſt enim ſejunctus jocus] *Hittorp. Pal. ſext. Victor. ed.* non eſt enim ſejunctus locus.

P. 457. Apud Bruttium] *ſic Victor. ed. vulg.* apud Brutum.

Illi probatiſſimis] *Hittorp.* illis probatiſſimis.

Ne mea nimia σπουδὴ] *al.* ne mei animi σπ.

Habes ubi deponendæ tibi ſunt urbanitates] *al.* Habes ubi ſunt deponendæ urbanitates, *al.* Habes. deponendæ tibi ſunt urbanitates. *vid. Not.*

P. 458. Quomodo ego mihi nunc ante oculos] *ſic mſs. aliі*, quum ego nunc ante oculos. *Pal. ſext.* quomodo enim ego mihi nunc ante oculos. *al.* cum & quum ego m. n. a. o.

Videor enim videre ementem te ruſticas res] *ſic Pal. Amſtelod. Vict. ed. vulgg.* videor videre ementem te r. r. *Hittorp.* videor enim videre emente te r. r.

Si fortuna me: præſertim] *aliqui*, ſi f. me juverit, præſert.

Quod tibi curæ fuit] *Lambin.* quod tibi curæ fuerunt.

Eripitur operæ] *Pal. ſext.* eripitur ex opere.

P. 459. Antherum tibi commendo] *al.* Anterum t. c.

EPIST. XXII.

Cupio certe] *ſic Pal. duo Gulielm. Amſtel. ed. Vict. ed. vulgg.* cupio equidem certe.

Cura ut inſervias] *Hittorp.* cura ut ſervias.

Cave ſuſpiceris] *Hittorp.* cave ut ſuſpiceris.

Contra meam voluntatem te facere] *ſic mſs. & Vict. ed. al.* contra voluntatem meam te facere.

Si te curas] *Hittorp.* ſi te cures.

Et video libenter] *Hittorp.* & video te libenter. *Pal. ſext.* & video lubenter.

De quadrimo Catone] *Pal. ſext.* de quadrivio Catone. *Pal. prim. tert. Hittorp. ed. prim.* de qua primo Catone.

P. 461. Billienus eſt] *vid. Not. Manut.*

Si quem cum eo ſermonem] *Hittorp.* ſiquidem cum eo ſermonem.

EPIST. XXIII.

P. 462. Præſidiis Philoſophiæ ſeptus] *al.* præſ. ſeptus.

Et hercule, quod timidus ipſe eſt] *Pal. prim. & ſext. & Vict. ed.* & hercle quod timidus eſt.

Syngrapha, γῦν κνήμας. Cras] *al.* Syngr. cras.

Etenim ad cujus rutam pulegio] *Hittorp.* & ad cujus rutam puleio. puleio *extat etiam in Pal. pr. & ſext. Amſtelod.* pleio. *Peck.* etenim ad curam plero.

Epiſt. XXIV.

P. 463. Harpalum miſeram] *Hittorp.* Harpulum miſeram.

Iiſdem de rebus] *Hittorp.* his de rebus. *Peck.* iiſdem rebus.

Volui ad te ſæpius ſcribere] *deeſt in Hittorp.* ſæpius.

Non quin conſiderem diligentiæ tuæ] *Vatic.* non quia conſiderem diligentiæ tuæ.

Rei magnitudo me movebat] *v. c.* rei me magnitudo movebat.

Ofillio] *al.* Offilio.

Si non potes omne] *Hittorp.* ſi non potes omnem.

De domeſticis hactenus] *ſic Hittorp. & Pal. ſext. vulgg.* de domeſticis rebus hactenus. *Pal. prim.* de domeſticis ejus hactenus.

Quid Octavius, quid Antonius] *Hittorp.* quid Octavianus, quid Antonius.

Sed litteras tuas expecto] *MSS.* ſed ſi litteras tuas expecto. *unus mſ.* ſed ſt! litteras tuas expecto. *vid. Not.*

P. 464. Balbum tum fuiſſe Aquini] *alii.* B. tuum f. A.

Poſtridie Hirtium] Hirtium *deeſt in Hittorp.*

Puto utrumque ad aquas] puto *abeſt in Pal. prim. Venet.* utrumque. *al.* puto utrumque ad aquas Semas quod egerint. *vid. de hoc loco Notas. varie enim legitur in mſſ.*

P. 465. Fac admoneantur] *al.* f. ut a.

Papiam] *al.* Appiam.

Epiſt. XXV.

Excuſatione intermiſſionis litterarum] *Vatic. Hittorp. Vict.* excuſatione de intermiſſione litterarum.

De rep. rumoribus] *al.* de reip. rumoribus.

Aſſiduitate epiſtolarum] *ſic mſſ. fere omnes, & Vict. ed. vulgg.* aſſiduitate litterarum.

Epiſt. XXVI.

Non potes effugere hujus culpæ pœnam. De patrono Marcus] *ſic Vatic. & Victor. ed. Q. V. C.* non potes effugere hujus culpæ pœnam. Tibi patronus Marcus. *vulgg.* non potes effugere hujus culpæ pœnam, te patrono. Marcus.

Sicut olim matrem noſtram] *Peck.* ut ſicut olim matrem noſtram.

Lagenas etiam inanis] *ſic Hittorp. vulg.* inanes.

Valde enim mi ſemper] *ſic Pal. pr. & ſext. & Victor. ed. vulgg.* valde enim mihi ſemper.

Epiſt. XXVII.

P. 467. Quæ ego illos ſcio] *in Hittorp. deeſt* ſcio.

Quibus alteri Ceſenam] *Peck.* Ceſanam. *Pal. ſext.* Cæſenam. *mſ. Vincentii Riccii*, quibus geſa. *alius mſ. Mentel.* quibus alteri Cenſenam. *Gravii ſec.* quibus Ceſanam. *F. Urſin. v. c.* quibus alteri Cunſanarum.

Alteri Coſſutianarum tabernarum] *Vinc. Riccii mſ.* vel quibus Sutianarum. *Mentel.* quibus alteri Coſcitiarum.

P. 468. A. d. III Kalend.] *ſic Hittorp. & Mentel. ſed Amſtelod. & Grav. ſec. cum vulgg.* ad IIII Kal.

Diſſaviabor] *ſic Hittorp. Peck. Palat. prim. & ſext. Amſtelod. Victor. ed. vulgg.* diſſuaviabor. *Mentel.* diſſaniabor.

FINIS.

VERBA GRÆCA

Quæ in utroque Epiſtolarum tomo occurrunt Latinis expreſſa.

TOM. I.

LIB. II.

Epist. VIII.

Pag. 83. ΠΟλιτικώτερον, peritiorem adminiſtrandæ Reip.

Epist. XIII.

P. 96. Κωμικὸς μάρτυς, comicus teſtis.

LIB. III.

Epist. VII.

P. 142. Εὐγένεια, nobilitas.

P. 143. Παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι Οἵκ' ἐμὲ τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς· apud me quidem & alii, qui me colent, maxime vero conſiliarius Jupiter.

Φιλαίτιος, querulus.

Epist. IX.

P. 154. Ἐπικούρειον, Epicureum.

LIB. IV.

Epist. IV.

P. 186. Εἰρωνεύεσθαι, diſſimulare.

Εἰρωνευόμενος, ſimulans.

LIB. VI.

Epist. III.

P. 309. Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, noctuam Athenas.

Epist. XVIII.

P. 350. Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα, virtutis vero ſudorem.

LIB. VII.

Epist. XII.

P. 389. Πολιτεύεσθαι, res publicas regi.

Epist. XVI.

P. 394. Φιλοθέαμον, ſpectandi cupidum.

Tom. II.

Epist. XX.

P. 407. Νίκωνος περὶ πολυφαγίας, Niconis de edacitate.

Epist. XXV.

P. 419. Γέλωτα Σαρδόνιον, riſum Sardonium.

Epist. XXVI.

P. 422. Δυσουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη, veſicæ & viſcerum tormina.

Δυσεντερίαν, viſcerum morbum.

Λιτότητα, frugalitatem.

P. 423. Διάῤῥοια, profluvium.

Epist. XXIX.

P. 427. Χρήσει μὲν, uſu quidem.

Κτήσει δὲ, mancipio autem.

Epist. XXXII.

P. 434. Εὐτραπελία, feſtivitas.

P. 435. Ἀκάλλιστον, invenuſtum.

Ἀμφιβολία, ambiguum.

Ὑπερβολὴ, ſuperlatio.

Παράγραμμα, commutatio literæ.

Παρὰ προσδοκίαν, præter exſpectationem.

Ἔντεχνα, artificioſa.

LIB. VIII.

Epist. III.

P. 450. Σύνταγμα, opus.

Διδασκαλίαν, diſciplinam.

TOM. II.

LIB. IX.

Epist. II.

P. 5. Ἕωλος, obſoleta.

P. 6. Λεληθότως, ſenſim.

P. 8. Πολιτείας, rerum publicarum rectiones.

Epist. III.

P. 10. Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, noctuam Athenas.

EPIST. IV.

Περὶ δυνατῶν, de iis, quæ fieri poſſunt.
Κατὰ Διοδώρου κρίνειν, ex Diodori ſententia judicare.
P. 11. Τῶν ἀδυνάτων, ex iis, quæ fieri nequeunt.
Κρίσις, judicium.
Κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν, e Chryſippi ſententia, quod fieri poſſit.

EPIST. VII.

P. 18. Σύν τε δύ' ἐρχομένω, ſimulque duo euntes.
P. 19. Ἀποτετριμμένον, rejectum.
Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, multi diſcipuli meliores magiſtris.

EPIST. X.

P. 24. Ὀβελίζει, veru notat.
Τοῦ ποιητοῦ, poetæ.
Παρεμβεβλημένοι, interjecti.
Συμβιώτην, convictorem.

EPIST. XVI.

P. 40. Ἀποφθεγμάτων, dictorum.

EPIST. XVIII.

P. 48. Προλεγομένας, antedicta.

EPIST. XX.

P. 52. Ὀψιμαθεῖς, ſero diſcentes.

EPIST. XXI.

P. 55. Ἀπότευγμα, quod non ſucceſſit.

EPIST. XXII.

P. 62. Ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσῃ, ſapiens rectiloquus eris.

EPIST. XXIV.

P. 65. Συμπόσια, compotationes.
Σύνδειπνα, concœnationes.

EPIST. XXV.

P. 66. Κύρου παιδείαν, Cyri diſciplinam.

EPIST. XXVI.

P. 68. Ζήτημα, quæſtionem.

LIB. X.

EPIST. XIII.

P. 98. Πτολίπορθον, urbis direptorem. *Homerus in Od.* Γ. 81.

LIB. XI.

EPIST. XIV.

P. 176. Ὄργανον, inſtrumentum.
Σκιαμαχίαι, umbratiles pugnæ.

EPIST. XXV.

P. 190. Λακωνισμὸν, brevitatem.

EPIST. XXVII.

P. 193. Φιλοσοφήματα, diſputationes de Philoſophia.

LIB. XII.

EPIST. XIII.

P. 225. Παλτοῖ, nomen proprium loci.

EPIST. XIV.

P. 230. Πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, patriam magis amans.

EPIST. XVI.

P. 257. Εὐθυῤῥημονέστερος, apertior in loquendo.

EPIST. XX.

P. 242. Πάντα περὶ πάντων, omnia de omnibus.

EPIST. XXII.

P. 244. Τυραννοκτόνοι, tyrannicidæ.

LIB. XIII.

EPIST. I.

P. 265. Ὑπομνηματισμὸν, decretum, quod ad rei memoriam litteris mandatum ſit.

EPIST. XV.

P. 285. Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν, ſed meum nunquam animum in pectore perſuadebat.
Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ, fortis eſto, ut aliquis te & poſterorum laudet.
Ὥς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα, ſic nebula involvit atra.
Μὴ μὰν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι, ne negligenter & ſine gloria peream, ſed magno aliquo edito facinore & poſteris audiendo.
P. 286. Εὐριπίδου, Euripidis.

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφὸς, odi ſapientem, qui non eſt ſibi ſapiens.

Ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω, ſimul ante & pone.

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, ſemper antecellere, & principem eſſe aliorum.

EPIST. LIII.

P. 323. Διοίκησιν, juriſdictionem.

EPIST. LVI.

P. 326. Ὑποθήκας, pignora.

EPIST. LXVII.

P. 335. Τρεῖς διοικήσεις, tres juriſdictiones.

LIB. XIV.

EPIST. VII.

P. 362. Χολὴν ἄκρατον, bilem meram.

LIB. XV.

EPIST. XVI.

P. 413. Κατ᾽ εἰδώλων φαντασίας, per ſpectrorum viſa.

P. 414. Διανοητικὰς φαντασίας, intelligentiæ viſa.

P. 415. Εἴδωλον, imago.

P. 416. Αἵρεσις, ſecta.

EPIST. XVII.

P. 417. Πάντα περὶ πάντων, omnia de omnibus.

Πρόσωπον πόλεως, faciem civitatis.

Ἀδέσποτοι, ſine auctore.

Τὸ καλὸν δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν, honeſtum per ſe optabile.

Ἀκενόσπουδος, non inanis homo ſtudii.

EPIST. XVIII.

P. 418. Φλύαρον, garrulum.

P. 419. Σπουδάζειν, ſerio agere.

EPIST. XIX.

P. 421. Τὸ καλὸν δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν, honeſtum per ſe expetendum.

Ἡδονὴν, voluptatem.

Ἀταραξίαν, tranquillitatem.

Τῷ καλῷ, honeſto.

P. 422. Οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν, non poteſt jucunde, niſi honeſte & juſte vivi.

Φιλήδονοι, cupidi voluptatis.

Φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι, cupidi honeſti, & cupidi juſti.

P. 423. Ἀντιμυκτηρίσαι, viciſſim deridere.

LIB. XVI.

EPIST. IV.

P. 431. Κακοστόμαχος, ſtomacho non bono.

EPIST. VIII.

P. 435. Ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ, tuta quidem, ſed diuturniora.

P. 436. Ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, frigus autem tenui cuti inimiciſſimum.

EPIST. X.

P. 440. Ἔτυμον, notationem.

EPIST. XVII.

P. 449. Κανὼν, regula.

Ἄκυρον, improprium.

EPIST. XVIII.

P. 450. Διαφόρησιν, geſtationem.

P. 451. Πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας, concoctionem, hilaritatem, ambulationem modicam, oblectationem, facilitatem alvi.

EPIST. XXI.

P. 456. Συζητήσει, mutua quæſtione.

P. 457. Τὰ μὲν οὖν καθ᾽ ἡμᾶς, τάδε, quæ igitur ad nos ſpectant, hæc ſunt.

Διαῤῥήδην, aperte.

Σπουδὴ, contentio.

P. 459. Συμφιλολογεῖν, de litteris inter nos diſputare.

EPIST. XXIII.

P. 461. Πανικοῖς, panicis terroribus.

P. 462. Θορυβοποιεῖ, tumultuatur.

Γόνυ κνήμης, genu tibia, *ſubaudi*, propius eſt.

FINIS.

DEDICATIO

Aldi Manutii PAULLI filii

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo

D. JACOBO BONCOMPAGNO,

Vincolae Marchioni & generali
S. R. E. Gubernatori.

VEllem, Illuſtriſſime atque Excellentiſſime JACOBE BONCOMPAGNE, tantum in me eſſet ad dicendum facultatis, quantum eximiis tuis erga me meritis aliqua ſaltem ex parte reſpondere poſſet. Non ingratum profecto me, neque indignum in quem beneficia conferrentur, experireris: efficeremque, ſi qua ratione poſſem, ut incitamento eſſem hominibus ad exercendam beneficentiam: cum ex beneficiis apud gratos ac memores animos collocatis tantum percipi gloriæ fructum viderent. Ego, cum te multos abhinc annos ad ſumma omnia natum cognoviſſem, eximia naturæ tuæ ornamenta prædicare nunquam deſtiti. Ad quæ cum poſtea (quæ ſumma eſt Dei providentia) acceſſiſſet maxima poteſtas, Tu, mores tuos veteres retinens, nihil unquam egiſti in quo ſummus ſplendor non eluceſceret, nihilque prætermiſiſti in quo ſolidæ laudis ſpecimen non appareret. Quæque virtutes Principum propriæ eſſe debent, eas Tu, iſtam fortunam nactus, ſemper coluiſti, & ita coluiſti ut, qui cæcam eſſe Fortunam & immerentibus ſemper favere ſolitam conqueruntur, eorum ſtultam opinionem te ac factis facile confutares. Facis enim, quod raro admodum contigit, eoque præclarius exiſtumandum eſt, ut litterarum ſtudia nunquam in ſummis negotiis dimittas. ex quibus cum ea hauſeris, quæ Te valde illuſtrant, vis eis gratiam referre: optimeque refers. Tu litteratos homines litterarumque ſtudia cum perpetuo Tibi fovenda in animum induxeris, quid eſt, quod Tibi earum nomine a litteratis hominibus non debeatur? Si Tu de tuo detrahis ut eorum commodis inſervias, æquum eſt eos viciſſim de ſuis commodis detrahere, nomini ut conſulant tuo. Et quamvis non Tu id agis ut aliquam Tibi laudem ex beneficiis compares, qui omnia in ipſa virtute fixa & locata habeas, nihilque aliud a ſolida virtutis laude quæras, eſt tamen, quod hoc ipſo nomine majores quoque Tibi laudes debeantur. Ego certe & Venetiis, & ubicunque eſſe mihi contigit, & ex aliis audivi tuam eximiam prædicari humanitatem, & ipſe aliis dicentibus ſilere tamen non poteram. Venetiis multi cum ſint, Maphæus Venerius in primis eſt ex Patriciis qui tua egregia facta dictaque in ore ſemper habeat, Tui recordatione mirum in modum moveatur, mirifico quodam Tui amore ac ſtudio flagret. Contigit mihi ſuperiore anno, his propemodum diebus, Parentium adire, Civitatem in Iſtria portu celebrem, multiſque de cauſſis ſatis illuſtrem. graſſabatur in iis locis tum temporis peſtis eo Marcus Venerius ex Veneta nobilitate, magni ingenii vir & ſummæ cujuſdam prudentiæ, Xvirum decreto ad eam extinguendam publice miſſus fuit. cui adjunctus ego Secretarii munere ſum. Credas affirmanti, nihil mihi magis placuit, nullave alia re magis ſum affectus, quam Cæſaris Denores, illius Civitatis Epiſcopi, ſanctiſſima conſuetudine. homo integerrimus, cui divina ita curæ ſunt ut, omnibus aliis poſthabitis, nullam in aliam curam incumbat quam ut ſuo muneri

ſatis-

ſatisfaciat, quo tempore vel ab hujuſmodi curis, in quibus totus eſt, vel a ſacrorum librorum lectione, in qua ita horas locat ut ſuorum ſtudiorum fructum non vulgarem ſuis civibus, publice eos admonendo & cohortando, impertiat, Te ita ſemper decantabat, tuaſque virtutes ita extollebat, ut ipſum me, qui Tibi plurimum debeo, Teque ita colo & obſervo ut nihil ardentius fieri poſſit, vincere interdum videretur. Ita, quos dies peſtilentiæ vis inſuaves reddebat, ii Tui honeſtiſſima mentione hilariores accidebant, ad meumque ſingulare erga Epiſcopum ſtudium tantum hoc nomine acceſſit, quantum accedere poſſe vix ſperaſſem. Materiam habebamus tam amplam tamque uberem, dies potius ut ipſi horæque nos deficerent, quam tuarum laudum exitum noſtra reperire oratio poſſet. cumque multi de Te iique perhonorifici ſermones forent, nunquam tamen mirum accidit nobis, Te Tui ſimilem eſſe, in Teque, tanquam in ſpeculo, GREGORIVM XIII agnoſci: qui cum omnes ſuas cogitationes ad ſumma quæque a prima ætate inſtituerit, beneficentiamque, unam inter virtutes Principe dignas præcellentem, ſemper adamaverit, jure nunc & merito anteactæ vitæ fructus fert, & in ſupremo dignitatis gradu poſitus, de hominibus benemereri non deſiſtens, Te ſecundum ſe habet; qui eum imitans iiſdem gradibus ad ſummam gloriam contendas, eamque Tibi unam ob oculos ponens jam aſſecutus ſis ut omnes, qui aliquid ſapere videntur, Te ſuſpiciant, obſervent, tanquam alterum Mæcenatem in omni ſcripto prædicent. Me quidem tuarum laudum præconem nunquam ſenties in iis celebrandis defeſſum, nunquam defatigatum. Accidit quoque mihi mirabile admodum ac jucundiſſimum, ut, cum Romam veniſſem eo potiſſimum nomine ut Te præſentem præſens viderem, Tibique gratias voluntate ſaltem referrem, (qui index animi certus eſt) quando per tenuitatem meam aliud non licet, Romam pæne in ipſa urbe Roma quæſiverim. Ea enim ſe oculis obtulit meis ut novæ Urbis faciem oſtenderet, ita publicorum ædificiorum ſplendore, viarum amplitudine, pontium magnificentia, incredibili fontium ubertate GREGORIVS Pont. quem omnis Chriſtiana reſp. ſanctiſſimum colit, eam exornavit, ut ad publicam commoditatem ornamentumque permultum additum atque adjunctum eſſe videatur. Sed, cum quæ Pontifex Maximus peregit præclara conſidero, video difficilius ea a me poſſe recenſeri quam ab ipſo fieri. Faciant id qui ingenio valent, quique Romanam civitatem ſua præſentia honeſtant, Hippolytus Capilupus Epiſcopus, M. Antonius Muretus, Latinus Latinius, P. Angelius, Bargæus, Laurentius Gambara. ii ſint qui ſuis & ſermonibus & ſcriptis præclara hæc, unaque virtutes tuas egregias, ad cælum ſuis laudibus ferant. Ut Julium Jacobonium meum ſileam, fide atque obſervantia in Te ſingulari: qui, quantum ei per fortunam licet, certare etiam vel cum ſummæ doctrinæ viris in tuæ amplitudinis laude videtur. Excepiſti me igitur ea benignitate, quæ tua propria eſt, quæ Te & privatis hominibus, Regibus quoque ipſis carum reddit, qua Tu, præter cæteras virtutes quibus excellis, ita hominum Tibi voluntates devinxiſti, ita omnium in te ſtudia convertiſti, ut a Veneta rep. in Venetam nobilitatem jamdudum ſis adlectus. qui honos cum iis tantum tribuatur, qui ipſum eximio aliquo merito promerentur, facis ut jure omnes optimo in te collatum exiſtiment. Incredibile eſt quantum omnes bonos, quantum omnes Italiæ populos ac longinquas nationes, tui ampliſſimi nominis ac famæ ornamenta in Tui amorem ſtudiumque alliciant. Ut omittam quanta ſit eorum qui Romæ adſunt, quibus in oculis ea, quibus imperas, ad te diligendum propenſio. Eæ me cauſſæ impulerunt, ut Paulli patris mei Commentarium in Epiſtolas M. Tullii Ciceronis, quæ Familiares vocantur, tuo nomini dicarem. Quid eſt autem quod tuo maximo celeberrimoque nomini non maxime debeatur, vel Tibi propter eximiam iſtam tuam in me beneficentiam a me non vel maxime deberi homines intelligant? Vel quis non æquiſſimum arbitretur ut qui parentis mei in omni vita amantiſſimus ac patronus ſemper extiteris, ejuſdem quoque lucubrationes, quæ ad poſterorum utilitatem proderentur, in tuam fidem ac patrocinium commendentur? in quas ipſe univerſæ fere

vitæ ſtudium atque induſtriam contulit: quarum eam quam in eruditorum animis (ut, ni fallor, ſcis) exſpectationem commovit, ſcriptorum præſtantia facile, ut ſpero, ſuſtinebit. Quæ ſi tibi, eruditiſſimo in primis ac celeberrimo Principi, probabuntur, una opera & Pater meus ſtudiorum ſuorum fructum ſatis amplum accepiſſe nulli non videbitur, & mihi, qui pro virili parte in his ingenuis artibus paternæ laudis fieri æmulator ſtudeo, ad non inferiora in dies animum addideris. Deus Opt. Max. dignitatem iſtam tuam perenni felicitate ſecundet. Romæ. Id. Jun. ∞ D LXXIX.

Amplitudini tuæ obſequentiſſimus, atque in perpetuum devinctiſſimus

ALDVS MANVTIVS, PAVLLI F. ALDI N.

PAVL-

PAULLI MANUTII

ARGUMENTUM

Epiſtolae primae Ciceronis ad Lentulum.

P*Artes argumenti duæ ſunt, una & extrinſecus, & ſatis longe petita, quæ ad regem Ptolemæum proprie pertinet; altera, quæ ſumitur ex ipſa epiſtola, & regiæ cauſſæ ſtatum explicat; prior non aliena, poſterior etiam neceſſaria. Rex Ægypti Ptolemæus, Auletes dictus, quia tibiis canere, præter dignitatem regiam, ſolitus eſſet, pater Cleopatræ, notiſſimæ feminæ, & ejus Ptolemæi, cujus eſt juſſu interfectus Pompeius Magnus, ſocietatem & amicitiam populi Romani diu expetitam impetravit aliquando, Cæſare & Bibulo Coſſ. qua de re ſic ipſe Cæſar lib. 3 de Bell. civ.* Controverſias regum ad populum Romanum, & ad ſe, quod eſſet Conſul, pertinere exiſtimans, atque eo magis officio ſuo convenire, quod ſuperiore conſulatu cum patre Ptolemæo & lege, & S.C. ſocietas erat facta. *Et in Oratione pro Poſthumo:* Non ei regi pecuniam credidit, qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei, qui cum fœdus feriri in Capitolio viderat. *Eam autem ſocietatem diu expetitam eſſe a Ptolemæo, nec niſi Cæſare Conſule obtineri potuiſſe, intelliget, opinor, qui perpendet illud in epiſt. 16 lib. 2 ad Atticum.* De rege Alexandrino, placuiſſe ſibi, aliquando confici. *Nam verbum,* aliquando, *negatam antea Ptolemæo ſocietatem, ſatis, ut opinor, oſtendit. Nec vero minimam ejus impetrandi honoris difficultatem Suetonius demonſtrat, cum ait in Cæſaris vita:* Societates, ac regna pretio dedit, ut qui uni Ptolemæo prope ſex millia talentorum ſuo Pompeiique nomine abſtulerit. *Porro cupiditas Ptolemæi tantæ ſocietatis, & amicitiæ populi Romani, non ſolum ex eo nata, quia ſuperiores fere omnes Ægypti reges, eundem honorem adepti, præſidium adverſis temporibus in fide ac tutela Romanorum ſæpe maximum invenerant, verum etiam quod ipſe, niſi ſocius amicuſque populi Romani appellaretur, ſtabilem ſibi atque tutam regni poſſeſſionem non putabat: idque duabus cauſſis, primum quod Alexandri regis, qui proximus regnaverat, teſtamento Ægyptus Romanis relicta dicebatur. itaque ait Cicero in Oratione prima in Rullum:* Dicent Decemviri, id quod dicitur a multis & ſæpe dictum eſt, regis Alexandrini teſtamento regnum illud populi Romani eſſe factum. *Et in ſecunda in eundem:* Quis veſtrum ignorat, dici, illud regnum teſtamento regis Alexandrini populi Romani eſſe factum? *Et paullo poſt,* Video qui teſtamentum factum eſſe confirmat: auctoritatem ſenatus exſtare hereditatis aditæ ſentio, tum quando Alexandro mortuo legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtris recuperarent. *Hac igitur de cauſſa, ne ſibi, regnum populus Romanus adimeret, Ptolemæus timebat. Accedebat altera, quod ipſe, non modo Alexandri regis mortui filius, verum nec e regio eſſe genere putabatur, itaque ſubjungit ibidem Cicero:* Eum qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio eſſe, inter omnes fere video convenire. *Ptolemæum deſignat: de quo etiam paullo poſt,* Qui ſunt, *inquit*, iſti decemviri: quos perſpicimus regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adjudicaturos? *Honor igitur ille ſocietatis & amicitiæ populi Romani, vehementer optatus confirmandi regni cauſſa, magnoque emptus, neceſſitatem quandam Ptolemæo attulit Ægyptios offendendi. nam, cum ab eis intolerabilia tributa exigeret, incurrit in eorum odia: ex quo multitudine concitata, vita ſua timens, e regno Romam profugit Lentulo Spinthere, Metello Nepote Coſ. id eſt, biennio poſtquam in ſocietatem amicitiamque populi Romani receptus erat. Queſtus injuriam petiit ut reſtitueretur, impetravitque non magno negotio, vel Pompeii gratia, ejus cauſſam adjuvantis, ob amicitiam Mithridatico bello contractam, vel ſuffragante pecunia, clam multis data,*

vel etiam, quod regis bene de rep. meriti, (nam, ut Plinio referente cognoſcitur, Pompeio circa Judæam rem gerenti octo equitum millia Ptolemæus ſuo ſumptu miſerat) & ejus regis, quem ſenatus, populuſque Romanus biennio ante, Cæſare & Bibulo Coſs. ſocium atque amicum appellaſſet, injurias ulciſci, non modo juſtum, ſed exemplo etiam utile, ſpecioſumque videbatur. His cauſſis factum eſt SC. referente Conſule P. Lentulo ut ſortirentur Conſules, uter eorum regem reduceret, id eſt, ut is reduceret cui Cilicia provincia obtigiſſet: quæ obtigit Lentulo. nam ſi Ciliciam Lentulus antea ſortitus eſſet, conjunctio poſtea in ſortem reductionem regis non oportuit; quippe cum ea Cilicia Proconſuli, cui prope in conſpectu Ægyptus eſſet, ob facultatem rei perficiendæ prorſus deferenda videretur. Hiſpania vero, quæ obvenit Metello, ut in Appiano legimus, longiſſime ab Ægypto remota, omnino cum reductione regis Alexandrini conjungenda non fuit. Hujus & SC. & ſortis in Oratione in Piſonem mentio fit his verbis: Auderet Gabinius, non acerrime fureret, quam provinciam P. Lentulus cum & auctoritate ſenatus & ſorte haberet, interpoſita religione, depoſuiſſet, eam ſibi tum adſciſcere, cum, etiamſi religio non impediret, mos majotum tamen, & exempla, & graviſſimæ legum pœnæ vetarent? *Et in ea pro Poſthumo:* Non latroni, ſed regi credidit; hee regi inimico populi Romani, ſed ei cujus reditum Conſuli datum a ſenatu videbat. *Et in eadem:* Non ad Gabinii, cujus id negotium non erat, ſed ad P. Lentuli clariſſimi viri, auctoritatem a ſenatu profectam, & conſilio certo, & ſpe non dubia Romam contenderat. *Accedit hujus epiſtolæ teſtimonium ſatis apertum his verbis:* Hortenſii, & mea, & Luculli ſententia, ex illo SC. quod te referente factum eſt, tibi decernit ut regem reducas. *Et in ep. 7.* Nullum exſtat SC. quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit. *Quæ confirmat lib. 39 hiſtoriæ Dionis:* Exeunte anno, cum Lentulus nondum in provinciam iviſſet, per C. Catonem tribunum pl. objecta ſenatui religio eſt, prolato e Sibyllinis verſibus oraculo, ne rex cum multitudine reduceretur; ſi fieret, malo publico futurum. *Tum factum eſt alterum SC. referente de religione Marcellino Conſule, regem cum multitudine reduci periculoſum reipublicæ videri. De hoc SC. ſic in epiſt. 2 lib. 2 ad Q. Fr.* De rege Alexandrino factum eſt SC. cum multitudine eum reduci periculoſum reipublic. videri. *Atque illam epiſtolam cum videam XIIII Kal. Febr. ſcriptam eſſe, facile poſſum ſuſpicari hoc SC. antequam hæc ad Lentulum mitteretur, eſſe factum. nam neque Idibus, quo hæc die ſcripta eſt, neque poſtridie, id eſt, XVII Kal. neque XVI factum eſſe, ex duabus conſtat epiſtolis, ſecunda & quarta. Quod ſi quis XV Kal. id eſt, pridie quam illam ad fratrem Cicero ſcripſit, decerni potuiſſe dixerit: antiqua conſuetudine refelletur. ſenatum enim haberi per dies comitiales non licuit. comitialem autem fuiſſe diem XV Kal. Jan. non ſolum Faſti dierum veteres, ſedetiam Cicero ipſe in quarta docet epiſtola. nam, cum de ſenatu ad XVI Kalend. habito locutus eſſet, ſubjunxit:* Senatus haberi ante Kalend. Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt. *In ea etiam ad fratrem, cujus proxime ſum uſus exemplo, extractam ait rem obtrectatorum Lentuli calumniis, deinde comitiales dies eſſe conſecutos: cum de ſenatu XVI Kalend. habito loquitur, ut in quarta ſignificat hujus libri: ubi, iiſdem fere verbis utens,* Res, *inquit*, ab adverſariis noſtris extracta eſt variis calumniis. *Ergo, ut redeam unde diverti, SC. de religione ante hanc epiſtolam, id eſt, ante Idus Jan. factum erat. Tertium SC. cum fieret, ne quis omnino regem reduceret, id quod, ut hæc docet epiſtola, P. Servilius Iſauricus cenſuerat, intercoſſum eſt. Senatus tamen voluntas perſcripta, quod, impedito SC. fieri ſolitum eſt, ut memoriæ traderetur, atque exſtaret in publicis tabulis, quid ſenatus niſi obſtitiſſet intercoſſio fieri voluiſſet. Hac de re ſic in epiſt. 9.* Nullum exſtat SC. quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit, eaque quæ de ea ſcripta eſt auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut nequis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quam conſtantis ſenatus conſilium eſſe videatur. *Sublato igitur a religione exercitu, cum de rege reducendo deliberaretur, & alii eum honorem Lentulo, quem jam antea & SC. & ſortis beneficio acceperat, conſervarent, alii Pompeio mandandum, alii aliter cenſerent, varietas opinionum rem extraxit; Catonis deinde tribuni pl. audacia diſturbavit penitus atque pervertit. nam & ab*

judicio

initio tribunatus, ut Feneſtella docet apud Nonium, concionibus aſſiduis invidiam regi, ac Lentulo concitavit; & mox, lege etiam de abrogando Lentulo Ciliciæ imperio promulgata, animos eorum, qui Lentulo favebant, a minore cura ad ſummum timorem traduxit: Pompeium vero in ſenatu aſpere & acerbe accuſatum eo redegit, ut conſilium reducendi regis abjiceret. itaque rex, deſperato ſenatus auxilio, confugit ad Gabinium Syriæ Proconſulem: a quo, promiſſis ei decem talentorum millibus, (ea ſunt HS bis millies quadringenties, ut oſtendit Cicero in Oratione pro Poſthumo) Pompeio etiam, qui cum Craſſo tum conſulatum gerebat, admodum pro eo contendente, facile impetravit ut reſtitueretur. Ex eo poſtea Gabinius majeſtatis accuſatus, quod provincia ſua finibus contra legem Corneliam exceſſiſſet, corruptis judicibus abſolutus eſt; mox tamen de repetundis in judicium vocatus, defendente, Pompeii rogatu, Cicerone, qui prioris judicio accuſaverat, odio maxime prioris judicii damnatus, publicatis bonis, in exſilium abiit: quem poſtea dictator Cæſar reſtituit. Hinc illam eum oblique conjecta in Oratione contra Piſonem. Se ipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani, numen, interdictumque deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, auctoritatem ſenatus, juſſa populi, nomen ac dignitatem imperii regi Ægyptio vendidit: in Ægyptum venit: ſigna contulit cum Alexandrinis: cepit Alexandriam. *Atque hoc loco quandam Appiani negligentiam diſſimulare non poſſum, qui Gabinium, Pompeio tertium Conſule, de majeſtate damnatum putat. in quo dupliciter peccat, primum temporis, deinde criminis inſcientia. nam Gabinius biennio ante Pompeii tertium Conſulatum, Domitio & Appio Coſſ. non de majeſtate, ſed de repetundis damnatus eſt. utrumque docet Dionis hiſtoria: cui ſi fides abrogatur, ipſe certe non refelletur Cicero, quo ego, præſertim in rebus illius ætate geſtis, locupletiorem teſtem non quæro. is in epiſt. 16 ad Atticum lib. 4. & in epiſt. 4 ad Q. Fr. lib. 3. prorſus patefacit ἀνιστορησίαν Appiani. Sed, ut redeam ad Auletem, pecuniam tantam vim Cæſari primum ab eo datam, ut ſocietatem populi Romani conſequeretur, deinde Gabinio, ut ejectus reſtitueretur, forſitan mirari aliquis poſſit, qui ſi ejus regis annua vectigalia noverit, non dubito quin mirari deſinat. capiebat enim ex Ægypto, ut in quadam Oratione Ciceronem ſcripſiſſe gravis auctor Strabo libro 17. memoriæ tradidit, talenta annua duodecim millia quingenta. In tantis opibus magni negotii non fuit, aut Cæſari ſex millia talentûm, aut Gabinio decem millia largiri, aut etiam, id quod a Varrone proditum Plinius narrat, octona millia equitum, Pompeio circa Judæam res gerente, ſua pecunia tolerare, mille convivas, totidem aureis poculis, mutantem vaſa cum ferculis ſaginare. Hactenus de Ptolemæo. Nunc, quæ ſit epiſtolæ ſententia, quo principio inducta, quibus diſtincta partibus, quo fine concluſa, videamus. Ac primum; quod iis, qui aliena negotia curant, amovenda in primis negligentiæ ſuſpicio eſt, orditur Cicero ab officio ſuo, operamque ſuam in regio negotio navatam ita ſignificat, ut eximiam in Lentulum benevolentiam præ ſe ferat. mox regis & ejus amicorum ſtudium, conſulis & conſularium ſententias, Pompeii familiarium contentionem, perfidiam amicorum exponit. quæ qui attendat, rei difficultatem, ex Lentuli ſententia conficiendæ, maximam videat. nam ad regis voluntatem, qui reduci a Pompeio, civitatis principe, cupiebat, Hammonius ejus legatus, clam pecunia data, ſenatorum animos traducere conabatur. Senatorum autem alii, illius largitionis invidia, regem oderant, reducendumque prorſus negabant, ut Marcellinus, Servilius, ſenatus major pars: alii Pompeio rem deferri malebant, ut Volcatius, Afranius, Lupus, Lybo, Hypſæus, omnes præterea Pompeii familiares, quos, pro ſumma ejus auctoritate & gratia, plurimos fuiſſe par eſt: nonnulli, ut Craſſus, reducendum quidem regem, ſed ſine exercitu, Sibyllæ verſibus admoniti, cenſebant. Horum tria video genera fuiſſe. nam, cum omnes in tuenda religione conſentirent, non tamen omnium in ratione reducendi ſenſus idem erat. Placebat Craſſo conſulari, a tribus legatis, vel privatis, vel iis etiam qui cum imperio eſſent, regem reſtitui: ita neque Pompeius, neque Lentulus, qui cum imperio erant, excludebantur. Placebat Bibulo, item conſulari, a tribus privatis: ita Pompeio, & Lentulo locus erat. Contra Hortenſius, Lucullus, Cicero, ipſi quoque conſulares, ab uno Lentulo, Ciliciam cum imperio adminiſtrante, reducendum cenſebant: quod anno ſuperiore, ipſo Lentulo Con-*

ſule referente, ſenatus decreverat. Quæ ſi perpendantur ſingula: pæne res a Lentulo remota videbitur. nam, ſi Marcellini & Servilii de non reducendo rege valeat opinio, jacet negotium. Si Pompeii familiares vincunt, Lentulo rejecto Pompeius decernitur. Si de legatis privatis Bibuli ſententia probatur, a quo Lentulus & Pompeius, qui cum imperio erant, rejiciuntur. Si Craſſus auditur, ut inter legatos locum habeant ii qui cum imperio ſunt, oritur inter Lentulum & Pompeium de reductione contentio: nec dubium quin Pompeius obtineat, honoribus, & meritis in remp. civitatis facile princeps. unicum igitur in Hortenſii, Luculli, Ciceronis ſententia perfugium. Sed hic etiam adverſantur multa: primum, ſenatus voluntas, a rege, propter apertam largitionem, alienior; deinde, corrupti ab Hammonio regis legato non pauci, qui rem ad Pompeium deferre omnes volebant; poſtremo, ipſius Pompeii familiares, & in iis tribuni pleb. aliquot, parati ad intercedendum, ſi pro Lentulo SC. fieret. Adde illud quod Ciceronis, quia Lentuli beneficio obſtrictus videbatur, in cauſa regia minor erat auctoritas; gratia vero ejus ut magna eſſet, majore tamen Pompeii gratia vincebatur. Nec vero, adempto exercitu, quod Cicero etiam, Hortenſius, Lucullus religionis cauſſa probare cogebantur, magnopere erat cur eam reductionem Lentulus expeteret: quippe qui vereretur ne reſpuentibus regem Alexandrinis, quos cogere ſine armis nequiret, infecta re cum aliquo dedecore diſcederet. Quocirca præclarum in hac epiſtola Ciceronis artificium licet animadvertere: qui neque ſperare Lentulum jubet, cum deſperandum potius intelligat; neque tamen prorſus eum abducit a ſpe, veritus ne hominis amiciſſimi optimeque de ſe meriti, fortaſſe etiam ipſius opera Ciceronis optatum rei exitum exſpectantis, animum offendat. nam in eo loco, In ſenatu ſic egit cauſſam tuam, ut neque eloquentia majore quiſquam, neque gravitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit, *Pompeium optime animatum erga Lentulum ſignificat. Infra vero cum ſubjungit,* Quæ res auget ſuſpicionem Pompeii voluntatis. *Et paullo poſt,* In eam opinionem rem adduxerunt ut Pompeius cupere videatur. *Et in eo,* Quod Pompeio ſe gratificari putant: *idipſum, quod promiſerat, in dubium revocat. Quod ſi qui erant qui Pompeio cauſa nollent, ii nec Lentulo, qui antea Pompeium ornaverat, favebant. Ita Lentulo ſpes omnis infirmatur: cum vel amicos Pompeii adverſarios habeat: vel, qui alieniores Pompeio ſint, amicos ipſe habere non poſſit. Callide autem, ne ſua culpa res inclinaſſe videatur, inducit illa quaſi excuſationis loco,* Ut in rebus multo ante quam profectus es, ab ipſo rege & ab intimis ac domeſticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a conſularibus exagitatis, & in ſummam invidiam adductis, ita verſamur. *Scripta eſt epiſtola, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo Coſſ.*

D E-

DEDICATIO PETRI VICTORII AD BARTHOLOM. CAVALCANTEM.

Petrus Victorius Bartholomæo Cavalcanti ſuo Sal.

VEram ſemper putavi nobiliſſimi tragici ſententiam illam, πόνος πόνῳ πόνον φέρει, nunc vero etiam expertus ſum. Poſtquam enim negare non potui rogantibus ſatis multis, ut quædam, quæ ex antiquiſſimis exemplaribus ſincere, ut arbitror, reſtitueram in Epiſtolis Ciceronis, divulgarem: cupiens omni ratione, qua poteram, voluntati illorum morem gerere, & eruditis hominibus ſtudium meum probare, in magnam turbam incidi moleſtiarum: nam & dum ea colligerem non parum laboravi, & cum mihi viſus eſſem nonnihil utilitatis libris illis adtuliſſe, me quaſi teneri arbitratus ſum, eos etiam, quibus idem auctor philoſophiam explicavit, & quibus oratorum præcepta elegantiſſime perſecutus eſt, ſi poſſent, meliores reddere. Quare multis priſcis exemplaribus comparatis, id opus, magnum ſane & arduum, adgreſſus ſum, & quam accuratiſſime potui abſolvi atque ad exitum perduxi. Sed cum poſtea animadverterem multa eſſe loca, maxime in Epiſtolis, quæ niſi aperirentur, obſcura futura eſſent, cum aut hiſtoria illarum rerum a multis ignoratur, aut verſus reconditi aliquorum poetarum citantur, nonnulla etiam parum certa, & in variis libris varie ſcripta, quædam ſuſpecta, alia autem prorſus mendoſa, quæ omnino oporteret indicare, neceſſe eſſe duxi quaſdam adnotationes conficere, quæ obſcura illuſtrarent, incerta & ſuſpecta oſtenderent, depravata & manca, ne quempiam nulla utilitate exerceant, denotarent. Verum in prioribus adhuc negotiis implicatus, aliud commodius tempus expectare cogitabam, cum ſtatim quibuſdam impreſſorum impedimentis hoc opere intermiſſo, ſatis idoneum tempus nactus ſum, ut quæcunque mihi declaratione aliqua indigere viderentur, colligerem, & breviter explicata in parvum hoc volumen conferrem. Ea autem ſine fucis (ut natura mea fert) expoſui: nec enim meum conſilium unquam fuit, hac occaſione doctrinam aliquam (quæ in me nulla eſt) aut multarum rerum ſcientiam oſtentare: tantum conatus ſum, quæ in his libris majoris alicujus momenti immutavi, tueri: rationes, quibus ductus id fecerim, adferendo, & teſtimonia priſcorum codicum adducendo. Suſpiciones etiam multas, quæ mihi occurrerunt, & aliquantulum viſæ ſunt poſſe ſtudioſos adjuvare, libere protuli: nec in ulla re veritus ſum ſimplicitatem mei ingenii aperire, dum quæcunque mihi in mentem veniunt, narro: tanta cupiditate exarſi clariſſimum hunc ſcriptorem fœdiſſimis maculis inquinatum purgandi. Quantum autem in hoc profecerim, alii judicabunt: ſtudium quidem certe & egregia quædam voluntas non defuit. Sed quia fieri poteſt, imo potius neceſſe eſt, ut in quibuſdam decepti ſimus (cognoſcimus enim ingenii noſtri infirmitatem, & lubricam periculoſamque harum rerum tractationem) petimus ab eruditis, ut errores noſtros, ſi quos animadvertent, non paucorum locorum non ineleganter illuſtratorum meritis compenſent, nec me arrogantiæ condemnent, quod hoc onus minime

mea-

mearum virium in me recepetim: nec enim id unquam expetivi, ſed potius ab aliis mihi impoſitum, valde cupiens, ſubterfugere non potui, ut ſiquid in hoc a me peccatum ſit, facilitate potius quadam & naturæ bonitate peccatum ſit, quod ea quæ juſte repudiare poteram, onera ſubierim. nam (ut ſupra a me expoſitum eſt) paulatim, & non uno conſilio hoc munus ſuſcepi: a primo enim ex occaſione quadam tibi nota cœpi ſummo ſtudio Epiſtolas ad Atticum ſcriptas ad meum & amicorum uſum mendis purgare. Quum enim domi tuæ antiquum illud ab Angelo Politiano laudatum illarum epiſtolarum exemplar vidiſſem (quod diſparem ſortem ab ea quam ille ei tributam dicit, multos ſane annos expertum fuerat: eripueras enim tu illud e manibus ignobilis Grammatici, apud quem diu latuerat) a te ſumſi illud, & ſumma cura, quæ in eo a vulgari lectione diſcrepabant, notavi: ex quo tempore cum eam jam, quæ a me capi poterat, utilitatem ab eo accepiſſem, & nonnihil quoque illud ſuæ dignitatis ac nominis per me recepiſſet, cito priſtinam fortunam recuperavit: in manus enim clariſſimorum & doctiſſimorum virorum, poſtquam a me exiit, pervenit. Cum igitur a te ortum ſit hujus mei laboris initium, non vacare omnino culpa mihi viſus eſſem, niſi parvo hoc munere tibi grati animi memoriam oſtendiſſem: quare ſemper cogitavi ad te hunc libellum, quemadmodum nunc facio, mittere: quamvis (ut verum fatear) majora fuerint ea quæ me ad hoc impulerunt. Cum enim a teneris (ut ajunt) unguiculis, ætatibus noſtris non multum differentibus jocundiſſima familiaritate conjuncti inter nos fuerimus, nec unquam noſtræ benevolentiæ iter interruptum ſit, ſed cotidie potius aliquid acceſſerit ad amorem, nunquamque ego excellens ingenium tuum, incredibilem doctrinam, ſuaviſſimos mores, ſingularem probitatem admirari & amare deſtiterim, cur non debui primos tibi ingenii mei fructus largiri? ſimulque, cum noſtra amicitia civibus noſtris notiſſima, & (ut ſpero) probatiſſima ſit, quantum per me fieri poteſt eniti ut externis etiam gentibus non incognita eſſet? Quod ſi multi opibus potentiaque illuſtres perſonas quærunt, quibus labores ſuos commendant, rectius ego eſſe putavi, eum cum quo familiariſſime vivo, cunctis animi & ingenii muneribus clarum non præterire, & cui fortuna potius defuiſſe videatur, ad præclaras & honeſtas res gerendas, quam aut ea quæ ipſi ſibi ſummo ſtudio & diligentia homines ad laudem & gloriam nati parare ſolent, aut illis a natura, ut ampliſſimi viri evadant, tribui. Accipies igitur hoc, qualecunque eſt, læto animo munuſculum, & quæ a te ingenii tui monimenta expectantur, ne patiare diutius ea ingenuis artibus deditos deſiderare. Vale.

A D-

ADLOCUTIO PETRI VICTORII,

Quam calci ſuarum Notarum adjecit,

AD LECTOREM.

HÆc ſunt quæ in meis caſtigationibus mihi aliqua explicatione egere viſa ſunt: reliqua vero haud his ſane pauciora, per ſe patebunt, ac, niſi fallor, eruditis probabuntur. Hæc autem ipſa pæne, ut nunc edidi, olim in marginibus mei libri cum attentius illum legerem, adnotaram. Cum enim nunc longius mihi tempus dari non poſſe ſcirem, quomodo ſatis ſpatii habuiſſem ad tot Ciceronis volumina relegenda, nedum accurate conſideranda? Accedebat eo, quod aliis poſtea literis deditus, hæc ex animo dimiſeram: ut ſatius fuiſſe putarim ad eas me cogitationes & judicia referre, quæ tunc, cum hæc acriore ſtudio & diligentia pertractabam, de his locis feceram, quam nunc poſt tot annos pæne in his ſtudiis novus, aliquid non ſatis mature cogitatum adferre. Eo autem ſermone hæc expoſui qui mihi ex ore fluxit, quod quidem facile me omnibus probaturum puto. Nihil enim minus mihi elaborandum eſſe exiſtimavi, quam quibus verbis hæc enarrarem, dummodo illis quod vellem complecterer: quæ tantiſper in vita permanſura puto: im (atque ita velim) donec fidem meam liberaverint, ac (ſi modo id facere potuerint) lectionem a me inductam comprobarint. Nec enim ullam ea reconditam eruditionem continent, aut alia quapiam re commendantur ut valde amari caraque haberi debeant, ob idque etiam cum ſuum munus peregerint, longius detineri. Propter hoc autem ſcripta ſunt, quia neminem volui in hoc meo negotio falli, qui aut nimis crederet, aut magis quam oporteat, contra veritatem pugnax eſſet. & hæc cauſſa fuit, quod ſemper teſtimonia veterum codicum produxi, exempla quæ caſtigationes confirmare viderentur protuli, atque omnes denique rationes & argumenta in medium attuli, ut aut illis crederetur, aut qui eis non moveretur, minimeque ea digna exiſtimaret quibus fides haberetur, poſſet aliam quæ magis idonea viſa eſſet lectionem ſequi. Nonnulla ſane ex his, ac multa fortaſſe, ab aliis quoque animadverſa eſſe potuiſſe non nego: nec enim occultis quibuſdam auxiliis uſus ſum, ſed vetera exemplaria quæ mihi præcipue adjumento fuerunt, ſemper omnibus in promtu fuere. Quædam enim eorum ſunt in nobili illa & nunquam ſatis laudata Mediceæ familiæ bibliotheca, quam ampliſſimi illi ac ſapientiſſimi viri Coſmus & Laurentius Medices, plurimis e Græciæ ruinis Italiæque latebris, non ſine ingenti labore & ſumtu erutis libris, confecerunt: quæ etſi nondum explicata eſt, ſtudioſorum tamen commodis privatim ſervit. Reliqua vero in Divi Marci altera, non minus priſcis voluminibus referta, quæ omnibus omni tempore patet: uno tantum ex privata domo uſi ſumus: quod tamen & ipſum eruditiſſimi & accuratiſſimi quidam viri habuerunt, quantumque ſibi commodum fuit tractaverunt. Cæteris vero quæ in hujuſcemodi negotio neceſſaria ſunt,

ſunt, quemlibet paratiorem eſſe puto. Utinam autem qui ea quæ me præterierunt, præſtantibus ſuis ingeniis inveſtigarint (ſi ulli ſunt, quemadmodum ego ſuſpicor) velint ea ceteris impertire: ſic enim ſuus huic ſcriptori ſplendor quandoque reddetur, & cum a multis nunc cupide legatur, majore adhuc voluptate in eo undique purgato & nitido, ſtudioſi omnes commorabuntur. Nam ego tantum abeſt ut offendar ſi aliquis plura & meliora attulerit, & me quoque ubi opus fuerit, refellerit: ut tum denique labores quos in hac re ſuſcepi, large compenſatos putem: ſi quemadmodum ego nonnullos ſtudio & opera mea ex erroribus in quibus erant eripui: ſic ipſe in quibus deceptus ſim, quæque non viderim, amice & benevole doceat. ſcire enim cupio; nec res ulla eſt in qua, ſi juver, tantopere gaudeam. In collatione autem veterum librorum uſus valde ſum fideli diligentique Ludovici Bonaccurſii opera, erudini ſane juvenis, & in arte grammatica, quam publice hic Florentiæ maxima cum laude profitetur, acutiſſimi. Cum igitur ipſum hujus mei negotii ſocium habuerim nec inſuavem nec inertem, multaque ille, ut mihi inſerviret, incommoda in hoc perpeſſus ſit, meas partes eſſe exiſtimavi hoc teſtimonio ſtudium, operamque ejus commendare, ut ſi qua ipſi laude ex noſtro hoc labore digni ſumus, ipſe quoque debitam ſibi inde partem auferat.

PRÆ-

PRÆFATIO EJUSDEM

Quam præmiſit poſterioribus Notis.

VICTORIUS CAMPANO Sal.

HUjuſmodi eſt ſtudium illud, cui nos quatuor ab hinc annos operam dedimus, Franciſce Campane, ut finem nullum habeat, nec unquam ad certum aliquem terminum perduci poſſit. Et ſi id antea non ignorabam, multo tamen certius cognovi ſtatim ut libri ipſi e manibus exierunt. Animadverti enim quædam a me relicta eſſe, quæ ſi adnotaſſem, non ingrata ſtudioſis fuiſſent. Hoc autem facilius ſcire potui, quia ipſe perſpexi deſideria plurimorum, nec non quia ad me multæ multorum voces ab amicis ſcriptæ ſunt: qui quamvis labores meos non inutiles putarent, hoc tamen aut illud adjungi voluiſſent. Cum enim in primis laboraſſem, ut quæ a me immutata fuerant conſtituerem: non pauci voluiſſent etiam obſcuriores aliquos locos illuſtrari, quamvis ſcripturæ immutatio facta eſſet nulla. Statui igitur horum ſtudio quantum poſſem, ac cum primum poſſem, ſatisfacere: maxime cum ex aſſidua Ciceronis lectione cognoſſem, non ſine cauſſa id a me poſtulari. Quamvis autem mihi hoc perficiendi, totumque præſtandi, facultatem deeſſe pulchre intelligerem: ſi tamen huic rei diligenter ſtuduiſſem, ſperavi me, ſi non deſideria illorum extinguere, ſaltem lenire, & aliquantulum mitigare poſſe. Huic igitur ſtudio intentus, ſeponebam cotidie aliquid, & eodem tempore omnibus Ciceronis libris opem aliquam adferebam: non enim uni aut alteri tantum operi addictus eram, & in eo totas cogitationes meas conſumebam, intelligebamque quanto diutius in hoc inſtituto meo perſeveraſſem, tanto plura ac meliora a me inventum iri. Verum cum ſemper in omni mea vita ſtatuerim, aliorum potius amicorum ac prudentum hominum de me judiciis, quam meo ſtare: cum ſæpe ab amicis poſcerer ut, quæ ad eam diem animadvertiſſem, pervulgarem: non potui diutius has ipſorum flagitationes ſuſtinere, decrevique cupiditati eorum morem gerere. Nactus autem tempus a cotidianis meis laboribus vacuum, quo etiam ab illis magis premebar, & ad hoc nunc agendum impellebar, accurate Epiſtolas Ciceronis relegi: & quæcunque jam in illis adnotaram, & nonnulla quoque quæ nunc mihi ſuccurrerunt, collegi, ex iiſque parvum quoddam volumen confeci. Additus etiam eſt labor, nonnulla quæ olim a me animadverſa erant confirmandi: quæ res majus volumen ipſum effecit. nam ad me perlatus eſt liber, nuper Venetiis impreſſus, Epiſtolarum, quas Familiares vocant: in quo ſcholia quædam ſunt doctorum & ingenioſorum virorum: quorum nonnulla contra me, ac judicium meum ſtudioſe facta videntur. Commodum igitur viſum eſt, de illis rebus, in quibus reprehendebar, iterum diſſerere. Non minus enim utile eſſe puto, vetera confirmare quam nova contexere. Non quo ſententiam meam, ſi forte falſa eſt, tueri ac pertinaciter defendere velim: (nunquam enim hoc ſciens faciam. nam quamvis rebus meis, quemadmodum natura cogit, amicus ſim: magis tamen veritatem ipſam amo) ſed ne forte ſiquando obſcurior, aut brevior in illis explicandis, quam oportebat, fui, culpa ingenii mei vera ac bona cauſſa periret, eodemque tempore de opinionibus ac judiciis aliorum diſputavi, quemadmodum mihi viſus ſum, modeſte ac temperanter: nunquam enim alicujus injuria naturam conſuetudinemque meam obliviſcar. Eruditi nunc ac ſapientes viri, quid rectum ſit, videbunt: quibus ego, quemadmodum æquum eſt, totam rem permitto: & a quorum judicio auctoritateque nunquam declinabo. Quod ſi potuiſſem ullo pacto ſine exiſtimationis meæ jactura, aut, quod majus eſt, ſine optimi ſcriptoris detrimento opiniones nonnullorum tacitus præ-

præterire, libenter feciſſem: ne viderer ex aliorum erratis, laudem mihi velle comparare, aut concertandi cupiditate teneri, a qua re natura mirifice abhorreo: quod prioribus meis ſcriptis, & pluriморum clarorum ac prudentium virorum, qui me bene cognitum habent, teſtimonio cognoſci poteſt. Quemadmodum autem nunc in Epiſtolis Ciceronis laboravi, ac non pauca in illis animadverti: ita cogito, atque id Diis adjuvantibus præſtabo, reliqua ejuſdem ſcripta eodem ſtudio atque diligentia perlegere: ut Orationes etiam, de quibus olim nullas curas ac cogitationes ſuſcepi, non relinquam: ſed quicquid in illis aut ope vetuſtorum codicum, aut accurata ipſarum lectione animadvertere, omne perſcribam. Et quamvis putem alios doctos & acutos viros, huic quoque ſtudio navare operam: quod tamen a diligentia & mediocri eruditione mea expectari poteſt, non patiar id magnopere deſiderari. Sed hæc erunt cum per moleſtas occupationes licebit: e quibus tamen quodcunque vacuum tempus eripere potero, perire non patiar. Statui enim omne reliquum tempus ætatis meæ, quod curſu ſane naturæ non parvum eſt, nec culpa aut vitio meo minus aut deterius fiet, in communibus utilitatibus collocare: ut quandoque etiam majora gravioraque, quam hæc ſunt, in manus eruditorum meo ſtudio ac diligentia elaborata ventura ſperem. Sed hæc etiam, ut antea diximus, alias erunt. Nunc autem hujus mei laboris, qui pæne abſolutus eſt, primam partem, Campane, ad te mitto: & eo potiſſimum ad te mitto, quia tu præcipue me ad hoc nunc agendum incitaſti: affirmans non eſſe has illius generis literas, quæ diu multumque in manibus haberi ac premi debeant: nec etiam me impediri dixeris, ſi quid poſtea, quod lucem aliquam Ciceronis ſcriptis adferat, in mentem venerit, quin tertio, & quarto quoque idem opus aggredi poſſim: præſertim cum paucis diebus quicquid eſt, quod in his rebus fieri poſſit, abſolvatur. Quemadmodum igitur tuam in primis auctoritatem ſecutus, hoc aggreſſus ſum: ita nunc ad eandem tuam auctoritatem confugio, ac volo hoc quicquid eſt libelli tuo nomine commendari, ſi tu edendum id ſtatueris: nam de hoc quoque a te deliberari volo. Poſtquam enim ego impoſitum a te mihi hoc onus non recuſavi, ita nunc tu hoc non parvum oneris ac moleſtiarum impenſ tibi a me æquo animo patiere. & ut meus in his colligendis & explicandis labor fuit, ita nunc tuus erit in ſtatuendo, quid illis faciendum ſit. Quod ſi tu hanc curam ſuſcipere volueris, quemadmodum cupio & opto: confide te id conſilii capturum eſſe, quod mihi ſemper ac tibi honeſtum futurum ſit. (nam tua quoque in hoc negotio non mediocris res agitur) Cognovi enim aciem ingenii tui: & quum aliis omnibus in rebus libenter judicium tuum ſequar, in hac ne digitum quidem ab eo decedere rectum eſſe non putarem. Scio enim in hoc literarum genere quantum valeas, & quantam etiam laudem apud omnes merito conſecutus ſis, qui doctiſſimos & acutiſſimos viros imitatus multas ſubtiles & eruditas quæſtiones in Vergilii poema confeceris: & non pauciora, quam Græci homines in ſuo poeta fecerant, quem omnibus ingenii viribus ornarunt, in Latino, qui turpiter pæne ab omnibus deſtitutus erat, adnotaris. In eodem igitur ſtadio, ſed majore cum laude verſatus, quid de meis his nugis faciendum ſit, tecum ipſe deliberabis. Et ut accuratius de tota re tecum ipſe quæras, cogita illas tibi quemadmodum divulgandas, ita etiam defendendas eſſe. Quod ſi tanta prœlia pro me aut ſubire non vis, aut ſuſtinere te non poſſe putas, ſapientius facies, ac mihi quidem gratius, ſi aut eas ſupprimes, aut ne unquam emanare poſſint, conſcindes igne ve combures. Vale VI ID. Septemb. M. D. XL.

INDEX PRIMVS

Eorum ad quos ſcribit Cicero, & qui ad Ciceronem ſcribunt aut ad alios in libris epiſtolarum XVI.

A.

Acilius. XIII. 30.
Allienus. XIII. 78.
Ampius. VI. 12.
Q. Ancharius. XIII. 40.
C. Antonius M. F. V. 5.
M. Antonius. XI. 2.
Appius. X. 29. XI. 29.
Appius Pulcher. III. 1.
Appuleius. XIII. 45.
C. Aſinius Pollio. X. 31.
Auctus. XIII. 50.

B.

Baſilus. VI. 15.
Bithynicus. VI. 16.
Brutus. XIII. 10.
Brutus & Caſſius. XI. 2.
D. Brutus. XI. 1.

C.

A. Cæcina. VI. 5.
Cæſar imperator. VII. 5.
C. Cæſar. XIII. 15.
P. Cæſius. XIII. 51.
Caninius Salluſtius. II. 17.
Caſſius. XII. 1.
C. Caſſius. XV. 14.
M. Cato. XV. 3.
Cluvius. XIII. 7.
C. Cœlius L. F. Caldus. II. 19. VIII. 1.
M. Cœlius Rufus. II. 9.
Craſſipes. XIII. 9.
L. Culleolus. III. 41.
C. Curio. II. 1.
Curius. VII. 28. XIII. 49.
C. Curtius Peducæanus. XIII. 59.
Q. Cornificius. XII. 17.
Conſules, prætores, tribuni plebis, ſenatus. XV. 1.

D.

P. Dolabella. IX. 10.

F.

M. Fabius Gallus. VII. 23.
T. Fadius. V. 18.
T. Furfanius. VI 9.
Furnius. X. 25.

G.

Galba. X. 30.

L.

Lentulus. XII. 14.
P. Lentulus proconſul. I. 1.
Lepidus. X. 27 & 34.
Lepta. VI. 18.
M. Licinius P. F. Craſſus. V. 8.
Ligarius. VI. 13.
L. Lucceius Q. F. V. 12.

M.

C. Memmius. XIII. 1.
C. Marcellus. XV. 7.
M. Marcellus. IV. 7. XV. 8.
M. Marius. VII. 1.
Matius. XI. 27.
L. Meſcinius Rufus. V. 19.
Q. Metellus Q. F. Celer. V. 1.
Q. Metellus Nepos. V. 4.
Munatius C. F. XIII. 60.

N.

P. Nigidius Figulus. IV. 13.

P.

Papirius Pætus. IX. 15.
L. Paullus. XV. 12.
Q. Philippus. XIII. 73.
Cn. Plancius. IV. 14.
Plancus. X. 1. XIII. 29.
Cn. Pompeius Cn. F. Magnus. V. 7.

Q.

Quatuorviris & Decurionibus Fregellanis. XIII. 76.
Quintius Gallius. XIII. 43.

R.

Rex. XIII. 52.
M. Rutilius. XIII. 8.

S.

P. Servilius Propr. XIII. 66.
P. Servilius Iſauricus Proc. XIII. 68.
C. Sextilius Rufus. XIII. 47.
P. Sextius L. F. V. 6 & 17.
Silius. XIII. 47.
P. Silius. XIII. 61.
P. Sulpicius. XIII. 77.
Ser. Sulpicius. IV. 1. XIII. 17.

T.

Thermus. XIII. 53.
Q. Thermus. II. 18.
Titius. V. 16.
C. Titius L. F. Rufus. XIII. 58.
Terentia & Tulliola. XIV. 1.
M. Terentius Varro. IX. 1.
Tiro. XVI. 1.
T. Titius T. F. XIII. 75.
Toranius. VI. 20.
A. Torquatus. VI. 1.
Trebatius. VII. 6.
Trebianus. VI. 10.
Trebonius. X. 28. XII. 16. XV. 20.

V.

L. Valerius IC. I. 10.
Q. Valerius Q. F. Orcas. XIII. 4.
P. Vatinius. V. 11.
Volumnius. VII. 32.

INDEX SECVNDVS

Qui docet quo circiter tempore epiſtolae Ciceronis ſcriptae ſint.

Epiſtolæ ad familiares ſcriptæ ſunt omnes poſt Conſulatum, ante exilium, in exilio, poſt exilium. Ante exilium quinque; prima omnium, quæ Pompejo Magno inſcribitur: altera Quinti Metelli Celeris ad Ciceronem: tertia Ciceronis ad eum: quarta ad Cajum Antonium: quinta ad Publium Seſtium: quæ libro quinto omnes continentur. In exilio ad Terentiam uxorem quinque libri decimi quarti. Poſt exilium reliquæ omnes. Ad Lentulum lib. 1. diverſis temporibus, id eſt, toto triennio ſcriptæ ſunt: ſex quidem primæ, gerentibus Conſulatum Marcello & Philippo: ſeptima & octava, Pompejo & Craſſo: nona, Domitio & Appio: quod ex earum argumentis, & obſervatione cognoſcitur hiſtoria. Hæ. Manutius.

Anno ab Vrbe condita

DCXCI.

Coss. D. Junio Silano.
L. Licinio Murena.

Lib.	Epist.
V.	7.
V.	1.
V.	2.
V.	5.
V.	6.

DCXCV.

Coss. L. Calpurnio Piſone Cæſonino.
A. Gabinio.

Lib.	Epist.
XIV.	4.
XIV.	2.
XIV.	1.
XIV.	3.

DCXCVI.

Coss. P. Cornelio Lentulo Spinthere.
C. Cæcilio Metello Nepote.

Lib.	Epist.
V.	4.

DCXCVII.

Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino.
L. Marcio Philippo.

Lib.	Epist.
I.	1. ad 6. incl.
V.	8.
V.	12.

DCXCVIII.

Coss. Cn. Pompejo Magno II.
M. Licinio Craſſo II.

Lib.	Epist.
I.	7.
I.	8.
VII.	1.
XIII.	48.

DCXCIX.

Coss. L. Domitio Ahenobarbo.
Ap. Claudio Pulchro.

Lib.	Epist.
V.	8.
VII.	5.
VII.	6.
VII.	7.
VII.	8.
VII.	17.
VII.	9.
VII.	10.
VII.	16.
I.	9.
I.	10.

DCC.

Interregnum VI Menſium.

Coss. Cn. Domitio Calvino.
M. Valerio Meſſalla.

Durante Interregno.

Lib.	Epist.
VII.	11.
II.	1.
II.	2.
II.	3.
VII.	12.

Lib.

Lib.	Epist.
VII.	13.
VII.	15.
VII.	18.
II.	4.
II.	5.
V.	17.

ſub Conſulibus.

Lib.	Epist.
VII.	14.
II.	6.

DCCI.

Cos. Cn. Pompejo Magno III. primum ſine Collega.
Ex Kal. Sext. Q. Cæcilio Metello Collega.

Lib.	Epist.
V.	18.
XIII.	75.
VII.	2.

DCCII.

Coss. Ser. Sulpicio Rufo.
M. Claudio Marcello.

Lib.	Epist.
III.	1.
III.	2.
III.	3.
VIII.	1.
III.	4.
XIII.	1.
XIII.	2.
II.	8.
VIII.	2.
VIII.	3.
III.	5.
VIII.	4.
VIII.	5.
VIII.	9.
XV.	9.
XV.	7.
XV.	8.
XV.	12.
XV.	2.
XV.	3.
XV.	1.
III.	6.
VIII.	8.
II.	9.
III.	8.
II.	10.
VIII.	10.
II.	7.
VII.	32.

Ragaz. Lib. XIII. Epiſtolas ſequentes, quibus menſibus ſcriptæ ſint non videns, hic ſubjecit.

Lib.	Epist.
XIII.	53.
XIII.	56.
XIII.	55.
XIII.	61.
XIII.	62.
XIII.	63.
XIII.	64.
XIII.	65.
XIII.	47.
XIII.	9.

DCCIII.

Coss. L. Æmilio Paulo.
C. Claudio Marcello.

Lib.	Epist.
XV.	4.
XV.	10.
XV.	13.
VIII.	6.
VIII.	7.
III.	7.
XV.	14.
II.	14.
XIII.	58.
XIII.	59.
III.	9.
II.	11.
XIII.	54.
XIII.	57.
II.	13.
II.	18.
III.	10.
IX.	25.
II.	19.
II.	12.
III.	11.
XV.	5.
VIII.	11.
II.	17.
VIII.	13.
III.	12.
XV.	6.
XV.	11.
III.	13.
II.	15.
VIII.	12.
VIII.	14.
XIV.	5.
XVI.	1.
XVI.	2.

Lib.	Epist.
XVI.	3.
XVI.	4.
XVI.	5.
XVI.	6.
XVI.	7.
XVI.	9.

DCCIV.

Coss. C. Claudio Marcello.
L. Cornelio Lentulo.
Crure.

XVI.	11.
V.	20.
XIV.	14.
XIV.	18.
XVI.	12.
XVI.	8.
VIII.	15.
XVI.	13.
XVI.	14.
XVI.	15.
IV.	1.
VIII.	16.
IV.	2.
II.	16.
V.	19.
XIV.	7.

DCCV.

Coss. C. Julio Cæſare II.
P. Servilio Vatia Iſaurico.

VIII.	17.
IX.	9.
XIV.	8.
XIV.	21.
XIV.	6.
XIV.	12.
XIV.	19.
XIV.	9.
XIV.	17.

DCCVI.

Coss. Julio Cæſare Dictatore II.
M. Antonio Mag. Equit.

XIV.	16.
XIV.	11.
XIV.	15.
XIV.	10.
XIV.	13.
XIV.	24.
XIV.	23.
XIV.	22.
XIV.	20.
XV.	31.

Q. Fuſius Calenus & P. Vatinius Coſſ. III ult. menſibus fuêre.

DCCVII.

Coss. C. Julio Cæſare III.
M. Æmilio Lepido.

Lib.	Epist.
IV.	14.
IX.	1.
XV.	15.
VI.	22.
IV.	15.
XIII.	29.
VI.	1.
XIII.	78.
XIII.	79.
VI.	3.
V.	21.
VI.	21.
VI.	20.
VI.	4.
IX.	2.
IX.	3.
IX.	4.
IX.	5.
IX.	6.
IX.	7.
IX.	16.
VII.	33.
IX.	18.
VI.	2.
IX.	19.
VII.	3.
IX.	17.
IX.	20.
IX.	23.
VII.	4.
IV.	3.
XIII.	68.
IV.	13.
VI. Epiſtol. 10. pars ab *Antea miſiſſem.*	2.
IV.	7.
VI.	13.
VI.	10.
IV.	8.
VII.	27.
IV.	4.
IV.	9.
VI.	12.
VI.	11.
VI.	6.
IV.	11.

LIB.	EPIST.
VII.	28.
IX.	15.
IX.	26.
VI.	14.
VI.	8.
VI.	9.
VI.	7.
VI.	5.

Ragaz. has Lib. XIII. Epiſtolas commend. hoc anno exaratas, ob difficultatem certi menſis & ne ordo præcedentium hiſtoricus infringeretur ad calcem rejecit.

XIII.	10.
XIII.	11.
XIII.	12.
XIII.	13.
XIII.	14.
XIII.	17.
XIII.	18.
XIII.	19.
XIII.	20.
XIII.	21.
XIII.	22.
XIII.	23.
XIII.	24.
XIII.	25.
XIII.	26.
XIII.	27.
XIII.	28.
XIII.	30.
XIII.	31.
XIII.	32.
XIII.	33.
XIII.	34.
XIII.	35.
XIII.	36.
XIII.	37.
XIII.	38.
XIII.	39.
XIII.	66.
XIII.	67.
XIII.	69.
XIII.	70.
XIII.	71.
XIII.	72.

DCCVIII.

Coss. C. Julio Cæſ. Dictatore III. & Coss. IV.
M. Æmilio Lepido, Mag. Equit.

VI.	18.
XV.	18.
XV.	17.
IX.	10.
XV.	16.
XV.	19.
IX.	13.
XIII.	15.
XIII.	16.
IX.	11.
IV.	5.
V.	13.
XVI.	22.
XVI.	17.
XVI.	20.
XVI.	19.
XVI.	10.
XVI.	18.
IV.	6.
IV.	10.
IV.	12.
V.	14.
V.	15.
V.	9.
IX.	8.
XIII.	77.
VI.	19.
VII.	24.
VII.	25.

Coss. Q. Fabio Maximo.
C. Trebonio.

Hos Cæſar in ult. III menſ. ſibi ſubſtituit.

XII.	27.
XIII.	4.
XIII.	5.
XIII.	7.
XIII.	8.
XII.	18.
V.	11.
VII.	29.
V.	10.
IX.	12.

DCCIX.

Coss. C. Julio Cæſare V.
M. Antonio.

VII.	30.
XIII.	50.
XII.	19.
VII.	31.

Coss. M. Antonio.
P. Dolabella.
Cæſare interfecto.

XI.	1.
XVI.	24.

Lib.	Epist.
VI.˘	17.
XVI.	23.
IX.	14.
XII.	16.
XV.	20.
XI.	27.
XI.	2.
XII.	I.
XI.	28.
XI.	29.
VII.	20.
VII.	19.
XI.	3.
X.	I.
V.	16.
XI.	4.
XI.	16.
XI.	17.
XII.	2.
X.	2.
XII.	3.
XII.	23.
XII.	21.
XII.	26.
XII.	27.
XI.	5.
XI.	7.
XI.	6.
XII.	22.
XVI.	27.
XVI.	21.
XVI.	25.
VI.	16.

DCCX.

Coss. A. Hirtio.
C. Vibio Panſa.

XII.	24.
XI.	8.
X.	3.
XII.	4.
X.	28.
XII.	5.
X.	4.
IX.	24.
XII.	7.
XII.	11.
X.	31.
X.	5.
X.	6.
X.	27.
X.	8.

Lib.	Epist.
X.	7.
X.	10.
X.	12.
XII.	28.
XII.	29.
XII	6.
X.	30.
X.	9.
XI.	9.
XII.	25.
XI.	10.
XI.	11.
XII.	12.
X.	11.
X.	14.
XI.	22.
X.	15.
X.	17.
X.	16.
XII.	30.
XI.	18.
XI.	19.
X.	34.
X.	25.
X.	18.
X.	21.
X.	22.
XI.	15.
X.	13.
X.	19.
XI.	12.
X.	33.
X.	26.
XI.	14.
XI.	20.
XI.	23.
X.	20.
XII.	14.
XII.	15.
XI.	13.
X.	35.
XI.	26.
XI.	21.
XI.	24.
X.	23.
X.	32.
XII.	8.
XII.	9.
XII.	13.
XI.	25.
XII.	10.
X.	29.
X.	24.

Sequentes, cum & dies, & menſis, & annus deprehendi non poſſit, ſubiecta ſunt. Has tamen Lib. XIII. 6. *ad Annum* DCCVIII. *referendam*, 41. & 42. *ante bellum Pompejanum.* 52. *poſt bellum Afric.* 60. *non diu poſt exilium ſcriptam, colligi ex Ep. poteſt.*

Lib.	Epist.
XIII.	43.
VII.	23.
VII.	26.
XIII.	60.
XIII.	41.
XIII.	42.
XIII.	74.
XIII.	44.
XIII.	45.
XIII.	46.
XIII.	73.
XIII.	3.
XIII.	6.
XIII.	52.
XII.	20.
IX.	21.
IX.	22.
VII.	2[illegible].
VII.	21.
VI.	15.
XVI.	16.
XVI.	26.
XIII.	40.
XIII.	76.
XIII.	51.
XIII.	49.

INDEX TERTIUS

Qui multiplex literarum genus indicat.

Numeri majores ſive Romani librorum, minores epiſtolam notant.

ACcuſantes. *Lib.* II. *Epiſt.* 10.

Admonitiones. IV. 15. VII. 7. XI. 20. 26. XII. 19. XIV. 10. 12. 14. 18. 20. 21.

Apologeticæ. III. 7. 8.

Commendatitiæ. I. 3. II. 6. 8. 14. III. 1. V. 5. VI. 9. VII. 5. 21. VIII. 6. IX. 13. 25. X. 17. XI. 29. XII. 6. 12. 21. 24. 26. 27. 29. XIII. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 74. 75. 77. 78. 79.

Condictitiæ. IX. 21.

Conſolantes. I. 6. II. 2. III. 3. 5. 13. V. 16. 17. 18. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 11. 13 21. 22. IX. 6.

Deliberativæ. II. 16. IV. 1. 2. V. 19. IX. 3. 7. XI. 1. 9. XIV. 24.

Excuſantes. I. 1. II. 1. 7. 16. III. 8. V. 2. 17. VI. 2. 7. 11. VIII. 1. 5. IX. 26. X. 2. 8. 23. 31. 35. XV. 3. 5. 13. 15.

Gratulabundæ. II. 5. 7. 9. 10. III. 9. 12. VI. 12. 13. 16. VII. 15. 17. VIII. 12. IX. 12. XII. 13. 16. XIII. 73. XV. 5. 7. 8. 9. 10. XVI. 16. 21.

Hortationes. II. 1. 4. 8. 12. IV. 8. 9. 10. V. 21. VI. 12. 14. VII. 6. 17. IX. 14. X. 1. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. XI. 5. 7. 15. 23. 25. XII. 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. XIII. 68. XIV. 8. XV. 1. XVI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25. 26.

Iocoſæ. I. 10. VII. 10. 12. 13. 14. 16. 18. 30. 32. IX. 4. 15. 16. 18. 19. 20. 22. 25. XII. 20. XV. 16. 18.

Laudantes. VII. 18. IX. 14. XII. 5.

Monientes. VI. 21. VII. 6. 9. 10. VIII. 5. 9. IX. 12. 17. 24. XII. 28. XIV. 23. XVI. 11. 12. 13.

Nuntiæ. I. 2. 5. 7. IV. 12. V. 6. VI. 19. VII. 1. 26. VIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. IX. 6. 16. X. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. XI. 8. 11.
Objurgantes. II. 7. 8. V. 5. VII. 8. X. 27. XI. 18.
Officioſæ. II. 11. III. 10. X. 29.
Petentes. II. 11. III. 2. 3. 9. V. 4. 9. 12. VI. 7. 17. VII. 29. VIII. 3. IX. 8. X. 21. 24. XI. 2. 4. XIII. 12. 57. 73. 76. 77. XV. 4. 7. 8. 10. 12. 13. 20.
Præcipientes. VII. 19.
Purgantes. III. 10. 12. V. 20. VII. 3. XI. 27. 28. XII. 18. 29. 30. XV. 17.
Queribundæ. VIII. 13. XI. 10. 12. XII. 2. 3. 4. 8. XIV. 1. 6.
Suadentes. II. 18. IV. 7. 8. 9. V. 19. VI. 8. 23. VII. 11. VIII. 16. IX. 2. 9.
Variæ. XII. 17. XIV. 2. 3. 4. 5. 6. XV. 14. XVI. 18. 22. 24.
Ad benevolentiam ſignificandam. III. 1. 4. VI. 18.
Ad beneficium commemorandum III. 5.
Ad confirmandum. VI. 6. 10. 14. 17.
Ad confutandum. III. 7. IX. 21.
Ad defendendum. I. 9. V. 2. VII. 3. IX. 5.
Ad deplorandam calamitatem. IV. 1. 13. VII. 28. 30. IX. 11. X. 1. 33.
Ad diſſuadendum. II. 3. V. 14. VI. 20. VII. 20. X. 6. 25.
Ad expoſtulandum. II. 17. III. 6. V. 1. 7. VII. 24. VIII. 17. X. 28. XI. 3.
Ad gratias agendas. XIII. 28. 41. 54. 62. 64. XV. 11. XVI. 16.
Ad gratum animum teſtificandum. III. 13. VII. 29. X. 11.
Ad invitandum. VII. 31. IX. 1.
Ad narrandum. I. 1. 4. 8. 9. II. 1. 10. IV. 4. X. 8. 30. 32. XII. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30. XIV. 7. 11. 15. XV. 1. 3. 3. 4. 17. XVI. 9. 10. 11.
Ad reprehendendum. XII. 28. XVI. 17. 26.
Ad reſpondendum. II. 17. XV. 19. XVI. 21. 27.
Ad reſpondendum accuſationi. VII. 27.
Ad reſpondendum commendationi. V. 11. IX. 24. XI. 6.
Ad reſpondendum conſolationi. IV. 6. V. 13. 15.
Ad reſpondendum excuſationi. XV. 6.
Ad reſpondendum gratulationi. IV. 14. VII. 2. XV. 6.
Ad reſpondendum hortationi. IV. 11. X. 4. 7. XI. 24.
Ad reſpondendum monitioni. II. 13. VII. 25. XI. 21.
Ad reſpondendum nuntiæ II. 15. XI. 14.
Ad reſpondendum petitioni. V. 10. X. 22.

INDEX QVARTVS
P. MANVTII
In Epiſtolas Ciceronis ad Familiares
RERVM ET VERBORVM
locupletiſſimus.

Numerus paginam ſignat, littera a, tomum priorem, b poſteriorem.

A.

A Teneris ungui culis. 20. a. a vi præſtare tibi nihil poſſum 15. a ab ineunte ætate 287. b. ab initio ætatis ſumme omnium doctrinarum ſtudioſus fui 184. a
abalienaverunt nos invidendo 25. a
abdo me in bibliothecam 426. a. abdidit ſe in intimam Macedoniam quam potuit longiſſime a caſtris 304. b. abdere ſe totum in litteras 438. a
abducit me a ſollicitudine philoſophia 246. b. abducunt animum a ſollicitudine litteræ 184. a. abducam me, quantum potero ab omnibus moleſtiis & angoribus 264. a. abducere a rep. virum bonum non debet injuria 226. a. abducere aliquem a moleſtiis 264. a. abducere te non debet a tantis laudibus feſtinatio magiſtratus adipiſcendi 127. b. abduci a ſtudio negotiis 188. a
Abeo. Abire magiſtratu 231. a
aberrationem a moleſtiis nullam aliam habemus 419. b
Abhorreo. Quam valde Bibuli voluntas a me abhorret 113. a. a ſtudiis noſtris non abhorret 294. b. abhorret non ſolum animus, ſed etiam aures a commemoratione 455. b. abhorrent a communibus præceptis libri tres de Oratore 59. a
Abjicio. Abjeciſti cum ſpe vincendi ſimul etiam certandi cupiditatem 201. a. abjecit triumphi poſtulationem 460. a. abjicere omnem timorem 187. b. abjicere ſe ad pedes alicujus 187. a. abjeciſſe te illam ædificationem conſtabat inter omnes amicos tuos 264. b. abjeciſſe curam de rep. 51. b. abjectus pari fortuna 218. a. abjiciendus eſt omnis dolor 263. a
abſolvere reliquam juriſdictionem 214. a
abſtergere animi tui metum volo 45 b. abſtergere metum aliorum [illegible] 9. b
Abſum. Abeſt bi[illegible] 103 b. abeſſem ab Amano iter unius diei 391. b. abeſſe a reprehenſione temeritatis 1 6 b
abundantia quædam amoris 34. a
Abundare ingenio. Non ita abundo ingenio, ut te conſoler 204. a. abundas conſilio 103. b. abundabis omnibus ampliſſimis honoribus 90. b
abutuntur quidam ingrate facilitate noſtra 204. b. abuti libertate [illegible]iſſimum in eo per quem eam conſecutus ſit, eſt populi Rom. 172. b. abuti obſequio alicujus ad omnes res 100. b. abuti ſtudiis bonarum artium 17. b
Academiæ adoleſcentulos 20. b
Academiæ gymnaſium 216. a. rixa cum Zenone 58. b
Acaſtus 359. b. 433. b
Accedo. Ne quid mihi ad hoc negotii, aut oneris accedat, aut temporis 151. a. accedat maximus ad eam voluntatem quam in illum contuliſti mea commendatione cumulus 189. b. accedere

cedere ad deſperatos 501. a. accedere ad fugatos quos reſiſtentes ſequi nolueris, ſummæ ſtultitiæ eſt *ibid.* accedere ad ſocietatem integerrimorum periculorum 87. b. magni videbatur intereſſe ad eam neceſſitudinem quam ſors attuliſſet, conſuetudinem quoque accedere 117. a
accenſus meus 140. a
Acceſſio. Eam videmus famam conſecuti, ut non tam acceſſio quærenda quam fortuna metuenda ſit 91. a. acceſſiones meritorum meorum in dies fieri, pervidere te ſpero 83. b
accidebant mihi acerba 37. a. accidit ea res ejus ſpei perquam opportuna 461 a. minime mihi miranda, & maxime jucunda acciderunt 158. a. nolim accidiſſet tempus in quo perſpicere poſſes quanti te facerem 157. a. *accidiſſe gratiſſima.* Intelligo omnia, quæ a me profecta ſunt in te, tibi accidiſſe gratiſſima 122. a
Acciani verſus 40. b
Accii Philoctetes 438. a
ac[illegible] tuam excuſationem qua uſus es, [illegible] ius, *&c.* ſed accipio ex ea parte 185. a. accipimus quod dat 5. a. accepi nuntium optatiſſimum 117. a. accepit a M. Laberio prædia in æſtimationem 27[illegible], 276. b. accepit duo vulnera, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem 215. a. accepimus conditiones 444. b. acceperunt falſam opinionem de Q. Metello L. Filio 48. a. accipe ad omnia & cognoſce æquitatem expoſtulationis tuæ 139. a. accipere alterius ſatisfactionem 390. a. de aliqua re nuncium 449. a. detrimentum 124. b. in optimam partem 155. b. *accipere in partem hanc, vel illam.* Ut quam in partem accipiam minus laborem 143. a. accipere injuriam 203. a. prædes 1[illegible]3. a. provinciam ab altero 123. a. accipitur ſatis male a Curione Pompeius 486. a. Male acceptus 229. b. acceptus peſſime inopia omnium rerum 174. b. accepta inſigni injuria 231. a. acceptæ literæ in hanc vel illam partem 81. b
accommodabo meum conſilium potiſſimum ad tuum 19. b. accommodes ei velim de habitatione 266. b. accommodaſſem meas litteras ad id 224. a. accommodandum eſt hoc totum tempus ad unius voluntatem & prudentis & liberalis 199. a. accommodatus ad vitæ meæ rationem & conſuetudinem 336. b
accubueram hora nona, cum, *&c.* 68 b
accurate agere cum aliquo de aliqua re 101 a
Ἀκαδημαϊκὸς 41[illegible]. b
acerbitas Marcelli 187. a. acerbitas ſummi luctus 271 a
acerbum habuimus eo die Curionem 14. a. acerbam mihi eſſe vitam putem 3. a
acerrimum ſe fore tui defenſorem oſtendit 5 a
Achaicum negotium 186. a
Achilles 91 b
Achilles fortunatus, qui Homerum præconem laudum ſuarum nactus ſit 261. a
Acidinus 215. a
acies ingenii 101. a
acies inſtructa a Panſa duodecim cohortium 133. b. acies quem exitum habitura ſit divinare nemo poteſt 308 a
Acilius in Græciam cum legionibus miſſus 41[illegible] a
acquievi aliquantum tuis litteris [illegible] 197. a. acquieſcere in te aliqua [illegible]0. b acquieſcere in ſapientum præceptis ad bene beateque vivendum 184. a
Acquirere. Nihil mihi acquirendum putabam, neque ad honorem, neque ad gloriam 14[illegible] a
acta mitti ad te ſciebam 190. b. acta rerum urbanarum tibi mitti certo ſcio 24[illegible]
Actium 434. b
Acumen. Tu ſolus aperta non videbis, qui propter acumen occultiſſima perſpicis? 266 a
acute videre 4[illegible] a
ad alieni ſenſus conjecturam non ad ſuum judicium ſcribere 326. a. ad Apollinis 454. a. ad arbitrium t[illegible] 36[illegible]. a. ad diem decedere de provincia 112. a. ad meum ſenſum, & ad illud judicium ſincerum ac ſubtile nihil poteſt eſſe laudabilius, quam tua oratio, *&c.* 399. b. *ad numerum eſſe.* Non eſſe ad numerum 474 a.

ad

ad ſummam, animo forti ſitis 368. b.
ad tempus aderis 355. a
addere cumulum 286. b
addubitare 322. a
adduxit ejus fidem in ſuſpicionem 485. a. adduxerunt rem in eam opinionem, ut Pompeius cupere videatur 7. a. adducam te in meam ſententiam 72. a. adducere aliquem ad ſuum arbitrium 283. a. adducere in honorem 422. a. adducere ſalutem alicujus in diſcrimen 342. a. adducere te videtur nonnullam in dubitationem itinerum meorum ratio, viſuruſne me ſis in provincia 130. a. adductus ambitione 308. b. benevolentia 307. a. mea commendatione, *&c.* 323. b. adductus non ſolum juſtitia, ſed etiam miſericordia 148. a. adductus pacis ſpe, non cupiditate belli 222. a. adductus ſum voluntate ut facerem ea quæ tua cauſſa feci poſteaque conſtantia 239. a. adducta res erat in extremum diſcrimen 213. b. adducta res in eum locum, *&c.* 297. a. adducti in ſummam ſollicitudinem a Lepido 216. b. adductæ res in ſummam invidiam 7. a
Α᾽Νασοτοι rumores 417. b
adhæſerunt omnia tanquam in ſilice quodam 458. a
adhibui magnam curam 81. a. adhibuiſti in me conſolando non mediocrem animi dolorem 197. a. adhibe illum animum quo me tum eſſe oportere cenſebas 304. a. adhibe in te tantum diligentiæ quantum medi ligis 434. b. adhibe omnem diligentiam ad convaleſcendum 437. b. adhibere omnem diligentiam ad ſe conſervandum 382. b. adhibere aliquam conſolationem 271. a. adhibere in conſilium cogitationum ſuarum deſperationem aut timorem 302. a. *adhibere officium.* Ejus officium quod adhibet erga illos mea facultate & gratia adjuvare ſoleo 272. b. adhibere ſe in conſilium, loqui ſecum 81. a. adhibenda mihi eſt non mediocris cura ut reip. me civem dignum tuis laudibus præſtem 91. b. adhibita eſt nobis ſumma moderatio 38. b
Adipiſcor. Adeptus eſſes maximam laudem ab omnibus, *&c.* 244. b. adeptus gradus dignitatis ampliſſimos 82. b
Aditus. Si quis erit mihi aditus de tuis fortunis, id eſt, de tua incolumitate in qua ſunt omnia, agendi, *&c.* 333. a
Aditus ex Syria in Ciliciam ſunt duo 338. b
Adjumentum. Scripſit ad me maximo adjumento ſibi meam commendationem fuiſſe 296. b. *adjumento & ornamento eſſe.* Cura ut is intelligat meam commendationem maximo ſibi apud te, & adjumento, & ornamento fuiſſe 309. b. adjumento eſſe magno alicui homini 78 a
adjungo me ad ejus rationes quem tu in meis rationibus tibi eſſe adjungendum putaſti 29. a. adjunxeris gratiſſimum virum tuo ſummo beneficio ad tuam neceſſitudinem 306. b. adjunxeris tibi optimos adoleſcentes, ſi eos liberaliter tractaveris 313. b. ſi te mea ſumma erga te ſtudia parum mihi adjunxerunt, reip. nos inter nos conciliatura & conjunctura eſt 243. a. adjungere aliquem ad ſuam neceſſitudinem 281. b. aliquid ad dolorem 192. a. novas neceſſitudines 268. b. ſe ad aliquorum cauſſam 41. a. adjunctus Pompeius ad cauſſam Ciceronis 46. a
adminiſtrare negotium & conficere 2 1. a
adminiſtratio belli 376. b
admiſſum dedecus 157. a
admonendum potius te a me quam rogandum puto 393. b. admonitus & memoria veteris noſtræ amicitiæ & virtute atque obſervantia filii tui 277. a. admonitus temporibus 99. b
admonitores non nimis verecundi 20. b
adoleſcens etrare cum excuſatione poteſt 197. b
adoptare patronum 248. a
adſcriptus in municipium 307. b
adſum, *vide* affuiſſe.
adventare ad Italiam 76 a
adverſaria gravis tibi conſtituta eſt incredibilis exſpectatio 74. a
Adverſus. Adverſa fortuna. Non ſolum adverſa, ſed etiam funditus everſa for-

fortuna 298. a. adverſis ventis uſi ſumus 359. b
advertere animum 22. b
Advocationes. Cautior in re militari quam in advocationibus Trebatius 384. a. ut a ſingulis interregibus binas advocationes poſtulent 386. a
Advolare ad pectus. Advolabitne nobis ſpectrum alicujus rei ad pectus ſimul ac nobis collibitum ſit de ea cogitare 414. b
Ædilis curulis unus magiſtratus Arpini 281. b
Ædilium pl. comitia 453. a
Ægina 193. a
Æg[illegible]tant gravius qui cum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt 257. b
S. Æ[illegible]ius 409. a
Æ[illegible]ilia 134. b
M. Æmilius 266. b
M. Æmilius Avianus 293. b. & 300.
æmuli ſtudiorum tuorum 2[illegible]3. b
æquitas expoſtulationis. Iniquitas 139. b
Æquitas & continentia firmiſſimum magiſtratus præſidium 387. b
Æquus. Æquiſſimis meis utuntur auribus 438. a
æs alienum ampliſſimorum virorum 370. a. æs alienum falſum 387. b
Æſculapius 362. b
Æſopus 366. a
æſtimare lites 468. a
Æſtimatio. Accipere prædia ab aliquo in æſtimationem 275, 276. b. æſtimationem accipere 294. a. æſtimationes tuas vendere non potes 49. b
Æſtiva. Cum primum æſtiva attigiſſem 99. a. æſtivorum timor te debili[illegible] 392. a. æſtivis confectis 155. a
æſtuare non imbecillitate animi ſed deſiderio alicujus 399. a
ætas ingraveſcens 69. a. ætas præcipitata 197. b
a[illegible]ero excuſationem præteriti temporis 78. b. affert mihi novam curam ca[illegible]vendi ne quid, *&c.* 172. a. afferebas mihi ſpem non dubiam mei conveniendi 135. a. afferebat mihi magnam ſpem ſummæ probitatis 330. a. attu[illegible]it mihi curam 447. b. attulit mihi non mediocrem conſolationem urbium proſtratarum ac dirutarum aſpectus 193. a. *afferre confidentiam.* Maxime confidentiam attulerunt ho[illegible]nibus 474. a. afferant aliquem [illegible]molum meæ litteræ 334. b. af[illegible] conſolationem alteri 357. a. *a[illegible] dubitationem.* Nihil aliud eſſe q[illegible] afferret dubitationem ei, penes qu[illegible] eſt poteſtas 202. a. afferre mag[illegible] ſollicitudinem 106, 107. b. a[illegible] moram 473. a. *afferre vinculum.* C[illegible]legii conjunctio non mediocre [illegible]culum mihi attuliſſe videtur ad [illegible]luntates noſtras copulandas 128 [illegible] afferre alicui moleſtiam 182. b. *[illegible]ferre alicui ſollicitudinem, ſp[illegible]m.* N[illegible] tibi ſollicitudinem ex dubitat[illegible] mea, nec ſpem ex affirmatione [illegible] revolui 47. b. afferre aliquid ſo[illegible]tudinis alteri 37. b. allatum eſt [illegible] *&c.* 22[illegible] a
afficeret eos pœna, quos neceſſe [illegible] 383. b. affecerunt pari contum[illegible] viros clariſſ. 233. b. affeceris me magna non modo lætitia ſed etiam glo[illegible]ria, ſi, *&c.* 276. b. afficere aliquem deſiderio 425. b. afficere plu[illegible]mis maximiſque muneribus & amicos & cives tuos univerſos 72. a. [illegible]cior ſummo dolore, ejuſmod[illegible] [illegible]pora poſt tuam profectionem [illegible] conſecuta, *&c.* 16. a. affici læt[illegible] 154. a. pari moleſtia 191. a. [illegible]ctus acerbiſſima morte ab ho[illegible] teterrimo Marcellus 2[illegible] a. [illegible]ctus ignominia 116. a. a[illegible]ectus ſ[illegible]ma cupiditate videndi mei 2[illegible]5. a. [illegible]fectum ſummis difficultatibus [illegible]nicipium 273. b. affecta ita [illegible] omnia ut ea deleta extinctaque [illegible]teate 26[illegible]
affixum me ſibi in iis rebus ha[illegible] [illegible]
Afflictus. Nemo tam afflictus, qui ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, non poſſit navare aliquid 30[illegible] a. afflictiore conditione quam [illegible] 3[illegible]
Affligere. Non vitium noſtrum, ſed [illegible]ius noſtra nos afflixit 35[illegible]
afflaiſſe ſcribendo 36. b. [illegible]6
Afranius conſularis 7. a. dux VI. legionum Hiſpaniæ 4[illegible]
Afranius ſuperatus 29. b fœde peri[illegible]
Africa terribili tremit horrida ter[illegible] multu [illegible]

Africanæ ad ludos 475. a. res. 297. a
Africano major Pompejus 243. a
Africanus exercitus, 121. b
P. Africanus 57. b
Agamemnoni regum regi fuit honeſtum habere in conſiliis capiundis Neſtorem 31. b
ager Campanus 38. a
